UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Qvatvor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conuersione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

Visual Library

N. IIII. 14.
Th. 4862!

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

4 Tituli

Dono Celsmi Principis FERDINANDI
Episcopi Paderb. & Monasterij &c
1682

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ASIATICÆ HISTORIÆ SOCIETATIS IESV. PARS TERTIA.

LIBRIS QVATVOR COMPREHENSA:

Ex Italico R.P. DANIELIS BARTOLI è Societate Iesu, Latina: Interprete R.P. LVDOVICO IANINO ex eadem Soc.

Vbi præter res gestas à Patribus Societatis IESV in conuersione Sinarum, Cocincinæ, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quæ possunt liberali placere Lectorum curiositati.

LVGDVNI,
Sumptibus ADAMI DEMEN, vico Mercatorio, sub signo Fortunæ.

Soc. Jesu M. DC. LXX.
Cum Permissione & Priuilegio.

Jesu Paderb

ASIATICÆ
HISTORIÆ
SOCIETATIS IESV
PARS TERTIA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LECTORI.

SINARVM imperio, Cocincinam, & Tunchin literarum iungit, & religionum communio; sed magis clientela. Hic mihi triplex historiæ campus, in quo nouæ Christianitatis regna explicem tria, Societatis Iesu laboribus fundata, & Ecclesiæ capiti coronas tres additas, quibus ante annos octoginta caruerat.

In his dabo spectandum conatus quàm arduos fudarit, perfringendis in Sinas, quos primum aggressa est Euangelio pandere, difficultatum obstantium molibus; expeditiones referam infinitis, & grauibus tædiis lentatas; nec minus generosè quàm patienter ad vltimum duratas. Etsi (quod solet spes magnas frangere) multorum annorum contentiones operosas, momentum sæpè infaustum disiiceret, essentque subinde à capite iterandæ: haud quidem propterea quòd tanto molimini, robur impar afferrent Apostolici præcones, aut prudentiam imparem legendis in optatum finem admouendisque præsidiis; sed quòd ea erat Sinarum indoles vt capi non possent nisi dissimulato penitus animo, &

cogitatione

cogitatione capiendi. Euoluam ingenium ſuſpicax nationis, vmbras quoque inanes pertinaciter metuentis, dabo eius proprium characterem, ſtudium impotens aduerſus patriam quod Sinas facit ſui perditè amatores orbi reliquo infenſos; excludendis vero aditu, imo & aſpectu extraneis, ſic obſtinatè immobiles, vt curioſo apud nos aduenæ non poſſit ſeueriùs arcis obſeſſæ ingreſſus intimus præcludi. Nec vero illa qua ſe merito iactant politicæ dignitas ſinebat aliter ab iis conſuli; ea enim capti delirantéſque perſuaſione, tanquam certiſſima, patriam ſuam mundi oculum eſſe, ad eámque mortales vniuerſos velut beatitatis ſedem inhiare, quod natura embelles armis non poterant, cauendum ingenio putarunt, eóque vſu docto, & literata prudentia formato, quæ metu, conſiliario optimo, rectè illis ſuaſit, non poſſe tutius ab Externis regnum eſſe, quam ſi externum intrò admitterent neminem.

Admiſſus eſt tamen P. Matthæus Riccius, & primum exceptus humaniter, mox inde turpiter expulſus; nec humanitatis neglexit fructum, nec expulſione illa reditum deſperauit; ſed aliquo vſque, furtim gradu ſuſpenſo profecit, futuri ſic affectans, ne præſenti iam parto excideret. Poſt ergo ſexcentos multorum annorum ambitus, propitium occupans diuturni voti articulum, immiſit ſeſe intra regni portas æterna ſeptas cuſtodia, penetra-

uítque

uítque in eius intima procerum beneuolentia gratulante, & mirantibus virum Literatis; huiúsque aditus apertas semel anguſtias, laxauit ſenſim, lecturis ſua veſtigia ſociis, qui magno poſt ipſum numero Chriſti crucem illis populis intulére. Quod ſecundum Deum exquiſitæ quidem cordati viri prudentiæ, cum ſingulari pietatis ſtudio coniunctæ, accepto ferendum eſt, tunc verò acceptum eſt, vt ſolent, quæ magnis reipſa progreſſibus, ſed in ſpeciem tacitis & humilibus agitantur, ridebat illum quos ſua conditio, & auerſus ab eo animus, longiùs quàm ipſa regio diuidebat, ſugillabántque paſſim dicteriis, velut aliud agentem, & mora inani, curioſa otia prætexentem. Aſt vbi denique ſiniſtras expectationes, diſſimulatæ operæ illuſtres euentus peruicere; tunc demùm Goa, vſque Philippinas, omnes in eum oculos vertere, deprædicare alij eius nomen, alij gloriæ inuidere, nec iam ſupereſt quiſquam, qui tàm glorioſos quàm inopinatos fructus heroïcæ expeditionis eius ſapientiæ non aſſignet.

Sed cum obſcuris ferè principiis nitantur magnæ res vt quæ ſolido contentæ, ſpecioſum facilè negligunt; vereor vt poſſim minori legentium tædio, fidei Sacroſanctæ, iacta in hoc orbe ſemina ſcribere, quàm fuerint in iis iaciendis Riccij tædia, & ærumnæ. Ac foret opinor iucundiùs ſi narrationem il-

lorum ieiunam præuerterem breui aliqua oſtentatione meſſium immenſarum quas prima illa ſterilitas edidit; hoc eſt liberæ poteſtatis, Euangelij ſacri, Sinarum imperio importandi, & circumferendi per quindecim illius regna; innumerabilis vbíque populi, ex aperto idolorum cultu, & latente athia diuinitatis eiuratæ, ad Chriſtum publicè traducti; Deorum fictilium infinitatis monſtroſæ, cultorum ſuorum manibus diſiectæ, comminutæ, ignibus conſumptæ. Ad hæc ſi præmitterem obiter illorum ſuis cum Profeſſoribus inſanis ſpretam & deriſam Theologiam, dehoneſtatos palam ſacrificulos Bonzios impietatis ac turpitudinum Doctores; indicarem & libros de diuinis, ingenioſo illo Sinarum idiomate ac ſtylo ſcriptos, editos, nullo non loco, & pago vulgatos à noſtris hominibus; templa vero Deo aduerſum ſuperbas falſorum Deorum extructa baſilicas & populorum concurſu frequentia: Principes è Regio ſanguine, ex ampliſſimo ordine Mandarinos, Eunuchos aulæ præcipuos, illuſtres feminas, Conſtantinum alterum, alteram Helenam, & Annam alteram Imperatoris matrem, vxorem, & filium, initiatos ſacro fonte, quodque omnibus forſitam pluris ſit, ſanctimoniam illius Chriſtianitatis in qua naſcentis Eccleſiæ aurea tempora redi ſſe viſa ſunt: de illa enim Riccij ſemente miſerabili, & ſtrigoſa, vbertas hæc incomparabilis

comparabilis extitit; at si penitus non erro, iis quoque per se initiis, sed perspicaci oculo æstimatis, sua inesse præstantia, concedetur & quædam horroris pulchritudo, illi haud prorsus absimilis qua Romanæ parens historiæ suum recreat lectorem, dùm illi Hannibalem exhibet feroci exercitu Italiam petentem, perque rupium inaccessa, igne sibi & ferro, angustos aditus, & multum sudatos, magnis viribus parantem, tàm difficili processu vt essent non raro lapsus passibus crebriores, & ascensu ruina productior. Delectant hæc tamen suo ipso horrore, nec fortè parciùs quàm post Transimenus, Cannæ, & Trebia ex tàm formidandis principiis celebrata.

Accedet his necessario, rerum nouitas extra Europam; indoles incolarum; mores vernaculi; Reipublicæ administratio; ingeniorum temperies; scientiæ, instituta, ritus quà ciuiles, quà sacri, & talia quæ nisi sciantur vix vsquam alibi obscurior quam in hac historia titubet, incerta, & palpans narratio. Quamobrem aliqua subinde interserenda fuit peculiaris notitia, præter integram Sinarum imprimis, Cocincinæ postea, & Tunchini; nec iusto breuiorem, nec prolixam, legenti vt reor placituram. Quæ tamen tractandis passim argumentis perspicuitatem datura videbuntur, ea loco & tempori ex memoria dictorum sic red-

dam,

dam, vt paucis versibus non tàm memores offendant, quàm oblitos delectent, velut denuo noua alteróque iterum ex orbe, nobísque barbaro reuocata.

PERMISSION.

IE n'empesche pour le Roy que la permission soit accordée audit Sieur DEMEN, pour l'impression de la troisiéme & derniere Partie de *l'Histoire Asiatique* du R. P. BARTOLI Iesuite, à la forme du Priuilege cy-dessus. Fait A Lyon ce 26. Aoust 1669.

GALLIAD.

SOit fait suiuant les conclusions du Procureur du Roy. Ce 26. Aoust 1669.

DVLIEV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ASIATICÆ HISTORIÆ SOCIETATIS IESV.

PARS III.

LIBER PRIMVS.

SCRIPTVRVS de Imperio Sinarum, vel quondam ignoto, vel minimè credito; nunc fama celebri, sed infra meritum; stylum quoque infra verum premam, vt veris fidem certius faciam. Laus est eius Imperij eadem quæ magnarum rerum, vt laudari modestius debeant, ne suspectæ fiant affictæ commendationis, & pro sophismate Historia sit; haud secus tamen vt Geographicis leuiter adsperſos nihil dimouet ab amplitudine regionum suis spatiis iudicanda quòd eas tabulæ in vnguem coarctent, si adiuncta de more iis scala, locorum inter se distantiam indicet; vel circum adscriptis gradibus sua regioni longitudo & latitudo respondeat; sic magnitudini Sinarum nihil opinor decesserit si eam in arctum coegero, dumtaxat, ne pauci quos illi appingam excellentiæ gradus omittantur, futuraque est necessario commodo hæc rerum summa, seu naturalium, seu politicarum. Nam foret imprimis alioqui, accitis subinde illarum particulis elucidanda Historia, & interpungendus truncis minutiis eius cursus, quæ aptæ in corpus integrum lucem melius inuicem accipient & dabunt, quàm diuulsæ: illa deinde teneritas indolis

1. Sinarum vniuersalis notitia.

Christianæ legentium animos fouebit suauius, cum gentem attenderint fuisse tàm longo ætatum decursu à Deo alienam, tametsi foret Europæ numero prope par; ingenio excellens, moribus compositissima, vsu domestico, omnique vrbana consuetudine, etiam vltra modum culta, & elegans. Legum vero suarum præstanti disciplina, pro annorum vt solet vetustate, haudquaquam vacillans & mobilis, sed ab sui origine semper constans, sub imperio Regum qui vel ipsi philosopharentur, vel Consiliarios haberent Philosophos. Extant hodiéque illorum nomina fastis publicis consignata, quibus nihil vsquam alibi gentium venerabilius ad antiquitatem; ad veritatem religiosiùs; ordinatiùs ad distinctionem. Iam illa genti congenita, in æquum & rectum procliuitas, animique instinctus sequax præuiæ rationis, cuius Magisterio leguntur præclarissima documenta, magnorum virorum tradita monumentis qui iam tum in Sinis florebant, cum suos Græcia nondum parturiisset sapientes: ad scientias quod spectat, earum regnum Sinenses obtinent, apud illos imperant Literati, & in illa ingentis Monarchiæ solertissima coagmentatione, caput eminet prudentiæ sedes, nec regendi arbitria pedibus creduntur. Quantùm quisque scit, tantum potest, vna illic mentis nobilitas colitur, quæ pars est nostri diuinior, ingenio emuntur à supremo ad imum gradus omnes Magistratuum, & honoris, suæ quisque studendo fortunæ faber est, & examinibus tam sinceris doctrinæ fides tam certa exigitur, vt dignus repulsam non possit metuere, nec fauorem indignus sperare: ambientem aliquid nihil fallit, nisi meriti sui indocta probatio. Gratulemur itaque huic nostro æuo cui datum est gentem omni ex parte tam nobilem in Christi iura transcriptam cernere, Christúmque in ea iam latè dominantem; sed inuideamus posterioribus seculis quæcumque illam spectatura sunt, tam plenè Deo mancipatam vt ne palmus quidem residuus superfuturus sit dæmoni totam olim integrè occupanti. Nam cur eo vsque perductum Xauerium, & cruci portas impenetrabiles parantem recludere, beatior nuncius in cœlum vocarit; nouit vnus qui mouit, & peregit Deus. Sed hoc suo discessu, voti nihilominus euasit compos, idque Deo sistens pro clementiæ tribunali, tanquam vltimum, & hoc summè carum amoris sui partum, denique euicit, quod nunquam Sina inexorabilis annuisset. Iámque apud scriptores inualuit vt apertum in Sinas contra spem aditum Xauerio tribuant, qui ab eius beato ad Deum transitu proximè contigit; difficultates item improuiso sublatas admittendi externos continenti solo; circumfusam in illos eorum feritatem, & quod prodigio simile, suspiciones gentis mitigatas, scrupulosè sibi ab iis cauentis, exercentisque odia in illos barbara. Primi omnium pedem in Sinas iniiciunt Societatis Iesu Patres velut in hæreditatem Xauerio debitam, solique illic multos annos perstant, ferendo illa, & agendo, quibus apud cordatos maius pretium facit incipiendi asperitas, quàm felicitas, & splendor incœpta promouendi; sed in Sinis maximè, si alias vsquam. Fuere si quidem more

2. In aditu Sinar. S. Xauerius moritur.

arcium

arciũ regiarũ lenta sensim impugnatione inuadendi, dissimulata patienter tenuitate profectus tàm indeprehensi, vt se priùs captos sentirent quàm captatos: complanatam in hunc modum viam iniere mox operarij valentes ad eruderandam illam regnorum quindecim, seu Prouinciarum syluam & multitudine incolarum Apostolis totidem, laborum & gloriæ segetem abundè suppeditaturam. Sed priusquam de illis aggredior dicere, illatáque per eos agnitione veri Dei populis in vmbra mortis sedentibus, considerandum paucis, quoad tamen res feret, cœli vna solique ingenium, eiusque incolarum; deinc rei politicæ administratio, quæ si percipiatur solum leuidensè, ferri non poterit absque turpi errore iudicium multis & grauibus in causis quæ spectant ad religionem, in quo vti & cæteris certum mihi est sequi ab iis tradita, qui (vt vna spectetur peritia) Dei gratia inter Sinas non mensibus aliquot, vel paulo plus anno, in præsidiis velut clausi egerunt; sed vltra viginti, & triginta annos, etiám quadraginta, vastitatem illam Imperij quanta quanta est peragrarunt; excoluerunt diurnis laboribus Apostolici muneris; nocturnos constanti assiduitate ita eius literis insumpsere, vt earum Magistros haberent discipulos, sunt autem illorum penes me autographi codices quibus vtar, præter viuam vocem aliorum quos Pechinum vsque à Macao rei Sinensis vniuersæ inspectores, & testes audiuimus.

3. Nomen Cinæ seu Sinarum vnde?

Sed iam subeuntem intra regni fines, de regni nomine si quis interroget; sciat nomen Sinarum seu Cinæ, apud Sinas haberi extraneum, & qui eius ortum variè accersunt coniectaneis sic niti vt fateantur ignorare quod maximè adstruunt, vbi ex veris incipiunt agere. Visus est quibusdam Faiunus Sinensis Literatus libro ante annos quingentos edito fontem huius nominis inuenisse in regno Cambiæ, Indo, & Gangi mediterraneo, vbi Cina regionem sonat tranquillam, & bonam; Cinan vero longinquam & in extremis sitam. Alij quos inter Matthæus Niuius ab Rege Cin ducunt, magno illo, & fama meritorum celebratissimo, qui prodigiosum (de quo postea) murum opposuit Tartaris. Vtcumque sit, Tartari, æternis odiis Sinensibus infensi Mangin eos hoc est barbaros vocant, tametsi nullum æquè nomen alienum sit à Sinis, qui quantum à morum barbarie, si tantum à barbaris abfuissent, haudquaquam paucis ab hinc annis Tartarorum sub iugo gemerent, ac ne vager in hippophagis quærendis, & Sericanis (qui & ipsi sunt Sinæ) Sinas alios Saraceni præter Catajum nullos norunt, quo de vocabulo tantopere hactenus agitato, erit item nobis opportunius videndum. Sinæ quidem constanti, & stabili nomine patriam suam, vocant Ciumhoa, seu Ciunqum, hoc est regnum, vel hortum in medio, quòd suo illo solo nihil vsquam terrarum felicius; nihil suis hominibus, in omni genere humano existiment cultius, proinde se locum honoris præstantia medio in orbe obtinere. Præter hanc diuersas nomenclationes à familiis sortiuntur, in quas lapsu ætatum & regiarum stirpium occasu

Imperium transit. Noui enim tunc Reges, nouo se faustoque appellant nomine, à quo tamdiu & Sinæ, & domus regia, & ætas eiusdem sub familiæ Imperio consequens nominatur. Ex quo mirum lux quanta Historiæ illorum affulgeat, ob succedentium principum ordinatissimas series ex quibus contexitur, discerniturque temporum ratio, consignatis semper, regnantis familiæ nomini annorum gestis per quos illa sceptrum tenuerit. Extant eiusmodi nomina, sanè insignia, & significatu arcano mira, in descriptione familiarum regalium, quale, vt alia taceam, bellicosissimi illius Ciu, qui ante annos ferè quadringentos ex sacrificuli Ethnici coquulo, in Humuum mutatus (quo bellicosum significant) & Ducem armorum formidandum; fregit, retrusitque extra murum ingentem Tartaros qui septuagesimum iam annum Sinas opprimebant, translatoque armis ab Iuena stirpe in suam Imperio, tùm sibi, tùm quod consequens erat Sinis, tùm suæ dum illa rerum potiretur familiæ glorioſum Tamin indidit titulum, qui eximius splendor, & sol primus apud nos efferretur; cuius etiamnum superstes est tenuis & vltimus radius, in Rege iuuene, quem in montium latebras, Sinarum haud pridem dominus Tartarus coegit, ad vitam in regni angulo seruandam qui solus fidem constanter ipsi seruauerat. Sequitur nunc diagraphica Sinarum delineatio. Ea fermè in quadrum tenditur parte altera longius, eius maximo lateri probatissimæ obseruationes gradus assignant in meridiano circulo tres & viginti, ab insula Hainan, transmurum vsque Tartaris obiectum: iacet enim Hainan sub gradu nono & decimo; murus post quadragesimum secundum latitudinis borealis. Nam postquam P. Matthæus Riccius vrbem regiam Pechin primus omnium comperit quadragesimo subiacere; murum autem illum, dierum ægrè duorum itinere, ad Septentrionem accedere propius, clarum fuit spatio interiecto gradus relinqui non integrè duos, tribus enim circiter diebus, vnum tantum gradum Sinenses obeunt. Latus alterum quadrati breuius ab ortu in occasum, sunt qui triginta definiunt gradibus, quos erroris tùm ipse Riccius, tùm qui ante illum scripsere conuincunt, ipsæque adeo tabulæ, cum extrema lateris maximè semota gradus contineant dumtaxat viginti; pro ratione breuitatis quæ tantum contrahit parallelos, quantum ab æquatore recesserint. Sed longitudinem quam dicunt Geographi certò statuere id verò est operosius, spatium, inquam, à Meridiano fortunatis insulis imminenti, ex quo illam solent dimetiri. Obseruati enim ad eam signandam defectus luminum, & huc ad nos Macao, Sciaochino, Pechino, aliunde transmissi, omnino inter se plus dissident, quam ferre possit varietas tùm cartarum Astronomicarum, tum qualiumcumque organorum. Quare regiam Pechin totius Imperij locum vnicè memorandum, non ausim potius à Palma insula longitudine graduum centum quadraginta disiungere, quam centum quadraginta quinque, cum vtrimque ad manum in promptu habeam seruata de cœlo; tametsi ne quid dissimulem quæ de Iaponia venerunt

priorem

4. Situs, amplitudo, munimenta Sin.

priorem magis sententiam adstruant. Sed ab hac Sinarum circumscriptione, regna excludo clientelaria quæ Sinarum nec iure, nec nomine veniunt. Iam hæc tanta locorum immensitas, intra se natura, & arte manuque ita concluditur, vt arcem referat, muro fossa & aggeribus anxiè munitam, & illic præcipuè tutam, vbi erat hosti magis obnoxia, nam mare geminum quo ab ortu & austro alluitur, cingunt perpetuæ insulæ, & cæci scopuli, molesque arenarum, & proiecta in aquas acumina rupium, tam densè continua vt naues bellicæ cogantur procul absistere, piscatoriæ extremo periculo locum tentent, quod eum fluctus æstuantis reciprocatio, & torrentes vndarum accessus & recessus, infamem naufragiis fecerint. Quæ si parum tutos externo ab hoste Sinas illa ex parte muniant, tuetur illos insani Tiphonis rabies illic violentior quàm toto aliàs oriente, qui Tipho ab iis propterea, hoc est ventus magnus ex prærogatiua furendi ac nocendi vocatur; nam sæpe correptas sublime attollit etiam onerarias, carina vix vndas lambente, contortasque in littus comminuit. Ad hæc mare procellis decussatum, quasi multa inter se pugnantia maria committit. Horis enim quatuor & viginti, tanta est formidabilis venti vis, nautici gnomonis quadrantes omnes obit, totumque orizontem circulo integro tempestatum inuoluit. Sic ergo à mari egregiè tutos, cingit ab occasu catena montium, qua confines arcentur, in regna quidem plurima diuisi, sed quæ iunctis etiam viribus, mouere in Sinas nihil valeant, multo minus seorsum singula; numeratur in iis regnum Anan (quod Cocincinam, & Tunchin complectitur) Pegu, Mien, Laum, Tibetum, diu pro Cataio perperam creditum, aliáque non paruo numero, propiùs longiùs semota. Restabat tractus septentrionalis, minus cæteris ab hoste securus, vbi Sinis imminent Tartari, suntque illis præcipuè metuendi; etsi enim multum & situ & animis inter se distracti, sed multitudine innumerabiles, & vbi de Sinis agitur, omnes concordibus inimicitiis in eos infensi. Hac illos defendunt Sciami deserta squalore sterili & immanibus arenis non modo inhospita; sed etiam inuia, cum mense vt ferunt, integro ad ea sit opus: hæc circuitu vario longa curuantur in spatia, & regni Tibeti cuius è regione incipiunt toto latere superato, in ortum flectunt, Sinas radunt, eósque ab Tartaris Saramandæ, & Taij discernunt; inde Septemtrionem versus tendunt & incerto exitu clauduntur. Quanquam, & hos, & alios Tartaros Niuchenses maximè qui Chini appellantur, verguntque ad ortum, defendunt ab se mirabili opere Sinenses. Muro nempe illo fama celebri decantato, de quo hic necessariò dicendum. Caput familiæ regiæ Cin antiquissimæ & illustrissimæ, Princeps fuit armorum gloria, & magnificentia operum apud Sinas nemini secundus, eúmque Literati habent perpetuo in ore, is aut somnio monitus, aut vaticinio, aut forte veriùs, sagacitate mentis eximiè prouida, præsensit Tartaros, vt primum faueret occasio, irruptionem in Sinas facturos, & inundaturos totum imperium. Præsensione

5. Murus inter Sin. & Tartaros.

hac capaci animo versata, statuit non modo in præsens consulere, sed munitione inexpugnabili, spes illis omnes impressionis regno intentandæ in perpetuum amputare. Maturè igitur consultum celeritate acri vrgens, anno post sua vicennalia secundo, annis ante Christum plus minus ducentis quindecim trium hominum decimationem toto Imperio indicit, qui ad opus loco & tempore præsto essent. Sua millenis quibusque assignat interualla, quibus muniendis eodem tempore laborem conferrent, Necdum quinquennium fluxerat, cum fuit ipsemet indictæ, confectæque operæ spectator, qua nihil vsquam prodigiosius. Perstat enim, ridetque nunc etiam, annorum centenarias ætates vnam & viginti, sic intacta, & firma, vt si foret hesternus de manu opificum labor, surgit pari vbique altitudine muri moles in Sinenses cubitos triginta; & duodecim saltem continuata crassitie, ab Oriente in occasum, stadiorum Sinensium decem millia conficit: quæ suo quoque vocabulo, Valicini scilicet indicat. Cúmque habeat quinque huiusmodi stadia, Italicum quodlibet milliare, opus vniuersum in milliaria protendi bis mille necesse est, cui vel partem si lubet, dimensione planè falsa dimidiam dare, sua tamen incomparabilis, fabricæ constabit magnificentia. Nihil in ea, rupis emortuæ; sed tota ex lapide secturæ quadratæ, viuaque ex vena, & annorum iniurias cœlique peruictura. Falsóne an vero simile, iactant Sinenses præfectis operum, pœnam capitis ab Rege Cin positam, si quà Saxa inter se conseruntur, eorum iunctura clauum admitteret, quod vana fortassis confictum ostentatione, exquisita certè sectorum marmorum commissura minimè refellit. Ad murum præcelsæ assurgunt, & iustis spatiis crebræ turres eúmque distingunt, & præsidiario milite alas vtrinque planas muniunt, suæ custodiæ creditas. Nec desunt portis, quibus murum pertundi, sed taris oportuit, propugnacula hostibus obiecta. Nunc muri eiusdem delineatio ex Iali faucibus ab ortu incipit, quod flumen Tartariam Niuchensem, à regno, & peninsula Coraia scindit; multis passuum centenis intra mare fundatus super iactis in altum, crudo ex ferro solidis molibus, & vndæ coæquatis attollitur, perque transvectum longo ductu mare, redditus continenti, prouinciam Leactum mediam flexu complectitur, & consequentem huic Pecchim seu quod idem est Pechinum. Inde productus vsque Sinem illic hæret, exceptus continuitate montium inaccessa, quorum latera pro muro sunt. Repetito post hæc in occasum progressu, per multiplices amfractus: viæ quam tenet ingenium sequitur, sursum deorsum, iugis, & saltibus insistens; torrentes, & fluuios, vbi occurrerint arcu iungens, Hoano, cuius redibit postea mentio, ob distantiam riparum prætermisso, muroque vastè inter illas hiante, qui demum resurgens ab vlteriori eius fluuij ripa, opere nusquam intercepto, in eundem Hoanum incidit, mæandris serpentem enormibus, illic murus ad ripam Lintai desinit in Prouincia Scensi. Sed de missis in mari eius fundamentis quod ex fide scriptorum hic à me traditur, omnino dissidet à Geographica tabula

Leaotunæ prouinciæ, quam summè veracem apud me asseruo typis Sinensibus excusam. Hæc murum exhibet è solo continenti ortum; & plus minus mare, semper tamen sectantem. Atque hactenus muri portentosum opus quod arcet ab Sinis Tartaros, & ab istorum incursionibus, fines prouinciarum quatuor sui obiectu securas præstat; seipsum autem vt vulgo scribitur, milite decies centeno milleno, vt autem refert ex fido quem legerat eorum elencho P. Ioannes Rodrigues diligentissimus rerum Sinensium indagator, millibus circiter sexcentis octoginta tribus, qui numerus stipendio regio, accuratione tam sollicita retinetur, vt ei aut morte, aut missione causaria si quis desit vix in alterum diem supplendus locus differatur.

6. Temperies & fertilitas Sin.

Porro illa terrarum vastitas quam illi tot gradus metiuntur quibus Sinas diximus comprehendi, quam benigna, fortunatáque sit, ab iis cum stupore describitur, qui & ipsi videre, & percursauere non obiter. Soli amenitate, copia fructuum, culturæ delitiis horto similem faciunt. Zonas tres integrè non implet, nec enim subit in torridam, nisi Cantonis & Quansij prouinciarum extremis duobus extra tropicum proiectis. Zonæ temperatæ partem dimidiam cætera obtinent, sic tamen vt commodis, Pechinum & Scianſium minimè careant earum regionum, quæ ad Septemtriones maximè accedunt. Illic enim est hyems acrior quam ferant gradus quadraginta polaris celsitatis. Ergo Nouembris iam medio concrescunt lacus & flumina seu valido frigore, seu conditione aquarum, in quas fortè solum aluminosos halitus inspirat; stringuntur vero ad vsque Martium gelu tam firmo, & solido vt currus, & equites commodè patiatur, sic benefica plagæ cuiuslibet participant Sinenses discrimina, secluſa quarundam barbarie, & aliarum inerti mollitie. Ad situm quod attinet, nec iacet in planis vbique distenta regio, nec tota in montibus, licet suos singulæ Appenninos & Alpes prouinciæ habeant, sed pulchris circum arboribus syluosas, & ad omnem sculpturæ solertiam pretiosis; vulgaribus autem quæ ædificiis domorum & nauium sufficiat, nam vix nisi ex ligno ædificant; nec multo frequentia minori, habitantur in aqua naues quam in terra domus; tam vili vtrobique materiæ pretio, vt quarta parte sumptuum non constent, qui necessarij forent in Europa. Montium tamen pars maxima, & præcipuè ferax, cultu subacta domestico opimatur, iugíque illorum in plana circum varia dirutis parantur ingentes segetibus campi; quæ vero planis inferioribus insurgunt decliuia, vt superiora suffulciant, ea quotidiani vsus oleribus omittuntur qui ferè pauperum cibus est, quæ diligentia culturæ acuit Sinarum ingenia ad deducendas ex editis aquas, dispensandasque machinis in siticulosa, vel irrigatione interdum egentia, & procul incredibili voluptate tum illa montium virens scena, gradatim ab imo se efferens paulatimque in summo colligens; tum alia proceris arboribus & syluis densa, passimque cœnobiis, & sacellis sparsa, vbi ascetæ seminudi vi-

tam trahunt voluntariis pœnis exercitam, & credeli ludibrio dæmonis dupliciter litant, dum hic gelu hiberno torquet infelices, illic igni æterno expectat cruciandos. Iam vt in plana descenditur, patent ea campis æqualiter diffusa tam vastis, vt vel inter duas Nanchini & Pechini regias ager sit centenis aliquot milliaribus continenter planus, ferax, & ne palmo quidem natura sterilis aut negligentia incultus. Egent enim Sinæ suo omni quantuscumque sit prouentu ad infinitatem populi alendam, quamquam soli ea sit vbertas, vt sementem quotannis concipiat, & referat duplicem, quin & alicubi triplicem. Leucas P. Andreas Palmerius à Ianceo Pechinum confecit; ducentas tam æquæ planitie vt si forent arte exæquatæ: virebant omnia tritico, in spicas & grana perducto, eratque tunc Maius mensis; abeunte Iulio cum rediret, omnia milio & leguminibus herbescebant, nec vero fœtu hoc tam assiduo sterilescit terra, nec emaciatur, grauidari potius videtur conceptu tam diuite, vt Prouinciam Sciantunensem (ne alias memorem) anni vnius fauſtitas decem annos alat, abundetque etiam in vicinos. Ac mirantur Sinæ cum audiunt, campum apud nos defatigari vno partu, & effœtum reddi, esseque annuis otiis necessariò reparandum; præterquam quod suis agris, mediam partem laboris non tribuunt quem noſtris impendimus: Nempe scaturiunt vndique lapsus aquarum perennium fœcundi, qui subterraneis extrusi venis, soli mollitiem ac pinguedinem fouent: vnus vt alios taceam, mons Prouinciæ Huquanensis, lacus numerat quatuor & v ginti, limpidissimæ omnes aquæ, aut illic natos, aut inde ad montis radices collectos, nec vlla ferè Provincia suis caret, iisque tam amplis vt etiam insulis habitentur. Surgunt porro aquarum capita vndequaque, riui, & flumina, conciliandæque agris omnibus vbertati, natura iudice, non minus æquo iure diuiduntur, quàm si arte humana forent vel recto arbitrio diribitoris attributa: in promptu apud me est, Hydrographica illorum delineatio, à P. Michaële Ruggerio, qui primus è Societate in regno Sinarum sedem fixit, refertque admodum graphice venarum anatomen quæ tãtum huniorem ministrant & quaqua versum funduntur ex truncis decumanis in angustiores, hæque rursus in exiliores decursu erratico propagantur. Ac sicubi fuit aquarum parcior natura, eas quamlibet è longinquo accersunt incolæ, non modo ad agros saginandos, commeatusque mercium; sed ad voluptarios quoque vsus. Gaudent enim Sinenses, piscinis, Euripis, viuariis, suburbana sua, hortosque ornare, quibus amœnissimis delectantur, ad literarium secessum, & laxandos à curis animos. Verum hæc tanta fluminum copia nulli æquè conducit, vt commerciorum opportunitati. Nam cum extent dense regno toto vrbes, & frequentissima ciuibus oppida, nusquam ferè desunt qui ea propiùs alluant fluuij; & quibus illos negauit natura, industria contulit, horum autem ripas præexunt arbores virore perpetuo, vmbramque nauigiis faciunt vltro citroque præteruehentibus. Vetat tamen Lex vetus quinis illas ab

7. Lacus, & flumina natiua & manuducta.

ora

ora cubitis propiùs conseri ne aduerso nitentibus alueo, impedimento sint. Quorundam tamen fluuiorum crepidò, quadratæ sectuæ muro prætenditur solido, & pulchritudinis accuratæ, quæ diligentia Sinarum in concinnando profusis sumptibus fluuiorum vsu ex eo nascitur, quod multitudine nauium omnis generis teguntur, quæ licet illorum excuset oculos, qui tantumdem hominum, & familiarum in aquis degere scripserunt quantum in vrbibus & toto imperij continente; haud tamen inde fit quin multitudine innumerabili, & habitentur naues, & agantur. Viarum publicarum ea est per sese magnificentia, tam superbus pontium quibus eæ iunguntur sumptus & numerus, vt possint merito inter vetera illa orbis prodigia censeri. Perfossi ligone improbo: viuo è saxo colles & scopuli, apertis in latus alterum spatioso meatu eorum viscera; æquatæ solo rupes altissimæ, & ruinis illarum impletæ voragines, & saltus, ad complanandum tantummodo iter agentibus, laborem, aut certè contrahendum, nullo id difficilium aditu vrbium vsu mutuo exigente; earundem vbique viarum æqualitas, amplitudo, vmbræ, amœnitas, stratura ingenti & duro ex lapide; regia stationibus opportunis palatia, & excipiendis lautè hospitibus ædes à publico positæ. De pontibus vero & in arcus, & in planum distentis, eorumque immani numero quæ legi, haud putarem me satis probaturum, nisi ex eorum testimonio scriberem, qui & ipsi suis spectarunt oculis, & auctoritatis suæ proba fide meam liberarunt. Est ergo in primis admirationi portentosus in Prouincia Scensi, Sinenses cubitos quadringentos, vno fornice complexus, quo Hoanum coniungit fluuium, & ab summo illius alueo ad supremum apsidem quingentis attollitur cubitis Eius vterque pes duabus insidit rupibus è regione oppositis, inter quas Hoanus quanto arctatur angustiùs, tanto rapidiùs cursum præcipitat; sed qua tandem arte conformari potuerint succubi fornices, erigique arcui sustinendo tantæ vastitatis & altitudine tam excelsa in amnem rapidissimum pendenti, scitu digna res foret, & suspiceretur magis architectus admirabilitate perfecti operis, quam Princeps magnificentia imperati; cœterum sat vera nec ne de illa narrentur fabrica, illius certè memoriam omnem vetustas aboleuit. Extat alius haud procul à Cineaceo pons, Fochiensis Prouinciæ vrbe maritima, alio nomine memorandus. Audiamus ab ipsomet inspectore descriptionem eius de Italico Latinam qua iure omnino profitetur, nullam esse cum eo aliorum vsquam in terris pontium comparationem. Bis, inquit, illum curiosius spectaui, & magnitudine operis bis hæsi attonitus; non nectitur arcuum curuaturis, sed columnis suspenditur vt minus trecentis, in modum nauium constructis vtrimque rostratarum, ad excipiendos frangendosque mollius aquarum impetus. Pilas iungit structura superior lapidibus quinque prægrandibus longitudine denum & octo passuum singulis; latitudine & crassitie duorum, quos meo ipsemet incessu mensus sum, harumque è marmore velut ingentium tra-

8. Pontes mirab.

bium, quadringentæ supra mille componunt. Mirandus, oppido ad stuporem labor, seu moles attendas illorum lapidum peruectas, & paratis columnis impositas; seu præcipuè latomicarum tam fauentes venas, vt tanto inde numero excidi, eadem omnes mensura potuerint; ac ne quod pontem transmissuri discrimen subirent, latus vtrumque peribolus eodem ex lapide, à lapsu defendit; & leonum figuris sua è basi extantibus, similique ornatu pulchrè distinguitur, sed intelligendum de ponte quod narro, eius alteram solùm partem describere, ab Logano nimirum oppido, ad castellum medio ferè ponti inædificatum, qui porrigitur in partem alteram haud multò breuiorem, cœtera iam dictæ in omnibus parem. Insumpti feruntur in id opus milliones dumtaxat quatuor (demus enim hoc nomen vsu tritum, commoditati Latini abaci) quam summam opinor in Europa, nemo non iusto censeat minorem, quare aduertendum est apud Sinas artifices omnes gratuitam operam publicis ædificiis ex officio debere, reliquos tàm vili conduci, vt diurna Europei mercede, Sinenses decem facilè diem locent.] Hæc eò promere libuit ab teste oculato, ne minorum nimiam admirationem incredulitas sequeretur. Sunt enim eiusdem generis pontes, centum arcubus suspensi, & paludosis, ac inuiis impositi vallibus, aut fretis. Alij fissuris montium, & verticibus rupium iniecti, altitudine oculis formidanda, recisis in mutuum scopulis ad trabes inserendas, quoad materiam vbique absque numero ex marmore tùm puro tùm vario; sunt quoad architectonicem, exquisitæ artis, & elegantissimæ ad ornatum sculpturæ.

9. Iter nauibus toto imperio Sin.

Quanquam autem hæc tanta publicarum viarum amœnitas, nedum facilitas, viatoribus præbeant gratum iter, sed nullus curruum apud illos vsus; boni vero illi Literati, hoc est vniuersa regni nobilitas, tàm timidè equitant, vt cum officia per vrbes obeunt, quæ vetantur fungi humeris alienis, aurigas duos hinc inde ad frenos habeant; maiestatis quidem nonnulla specie, reipsa ne cespitans vel ferociens equus, illos excutiat; etsi adeo ignaua equi Sinenses sunt indole, vt audito solum Tartarorum inhitu in fugam vertantur. Accedit quod iidem Literati, sortiri crebro regendas Prouincias soliti, coguntur cum suis familiis mutare stationes: hinc fit vt nauium quàm terræ sit illic ad iter frequentia densior. Opportunitatis præsertim fauente illicio, quod Imperij pars, nulla sit tam longè ab aliis semota, quàm alicuius fluuij cum iis nexus non copulet, ex quo illud Riccij scitè dictum, Sinas videri sibi Venetias. Quamceo, Cantonis Metropoli, Pechinum vsque Imperij regiam leucæ numerantur sexcentæ, dempto solum diei vnius per montem itinere, reliqua sunt nauigiis peruia. Cúmque fluminum lapsus præcipites occurrant non pauci; mirum quantum ingenij nacti sunt Sinenses ad inuentionem machinarum, quibus ita illos complanant vt enauigentur securè ac facilè, clausis nempe multo & sumptuosissimo aggere vadosis, refusoque aliunde aquarum in ea superfluo. Vbicumque

vero

vero fluuiorum editiores fossas & torrentes, parum tuto munit ripa vel agger humilior, & periclitantur ab eluuionibus sata, & ab aquæ decessu nauigia, ripas circum obarmant muris è commisso marmore altis & solidis ad retrudendas in alueum restagnationes, & ictus amnium, quibus & aliis ad commodos, atque perpetuos quoquò versum, nauigantium commeatus, decies, plus minus, centena millia aureorum è fisco regio dicuntur impendi. Iam trahendis in aduersos amnes, transmittendisque vltra retinacula illorum, nauibus, præsto semper est turba ingens, regio pariter conducta sumptu, & nautæ fluminum artisque suæ tàm experientes, vt nihil sit illis inuium nihil intutum. Flumen est Minus in Prouincia Fochiensi, aquis rapidis tam præceps, vt proni aluei triduum, diebus decem, nisu aduerso vix naues iterent; saxis præterea, & scopulis fractæ passim torquentur, & conuoluuntur vndæ, summo vectorum periculo, cuiusmodi loca peculiari sollicitudine euadenda P. Simon à Cugna illac nauigans notauit ad trecenta. Subeunt tamen hæc audenter nautæ, artis suæ securi & lembis manuariis, temone ad puppim & proram duplici, sic præcipitium temperant, vt inter vicinos scopulos, arrecta, præsentique industria, & morentur impetum flexu continuo, & periculum exeant. Hinc trita Sinis paræmia, nauis cartacea, sed nauta ferreus: at Sinensium fluuiorum tanquam reges duos suspiciunt; alterum leucas duas latum, & quà illum P. Palmerius transuectus est, septem; maris filium sonat Chian quod est fluuio nomen, pulcris illum natura, eiusque ars æmula distinxit insulis. Sunt in iis quadrato ex lapide fabrefactæ turres, cũ superposito illis eleganti fano, & fani custode Osciano, (qua de secta dicendum inferius) hic nauigiis prætereuntibus suam exhibet grauitatem, mitti obolum petens, ad alendam suo idolo lampadem, quæ lumen iis factura sit ad declinanda fluuij vbique discrimina, quæ absque lignea, lignei Dei sui ope euaserit nemo. Caput tollit hic amnis inter montes Mini, & regni confinia, mediusque Boreæ & Austro, ab occasu medium secat imperium, vsque dum sub regia Nanchino, Orientali mergatur Oceano. Multas interluit, & fœcundat Prouincias, multosque scissus in alueos, suam denique in fossam redit, formatis in continenti compluribus insulis, earum præcipua, qua se in mare exonerat, ampla est, parque munitissimæ vrbi capiendæ, quæ illic omnino tanto erat magis necessaria, quanto maris accessus violentior naues extraneas vel hostiles, in ipsa poterat Sinarum viscera inferre, cum lunaribus vicibus ad centum leucas redundans à mari fluuius pertingat. Alter amnium Princeps Hoan, antea nominatus, à croceo dicitur, quem & inducit subtilioris potius, terræ, quam arenæ; dilutus color, & quidem ita dense vt aquæ sedimentũ quæ inde hauritur, eius tertiam partem efficiat: hinc Sinæ de rebus in spem longam reiectis; dictitant, futuras cum Hoanus limpidus fluxerit, quod negant nisi post annos mille contingere. Habet præter hoc turbidum exleges, & enormes auctus; improuisis interdum eluuionibus

erumpens extra se, confirmansque in Sinis exterorum odia, & metum dum vident Hoanum nequaquam indigenam, aliunde inuectum, in Sinas grassari & quam longè in eos excurrit tyrannum agere. Nascitur enim ex lacu Sino ex quo in alium angusto sinu transfunditur, in Chemluni montibus iacentem, è regione Prouinciæ Siciuensis, & si verum est quod fama aliqua traditum Riccius comperit suos etiam fontes Ganges habet ad radices illorum montium eiusdem Prouinciæ, quam ipse Chunlun, non Chenlum nominat: illinc ad Austrum Indiam peruadens, in Sinu Bengalæ moritur, de Gange vt vt sit; longos tractus regnorum emensus Hoanus, illuc tandem peruenit vbi Decumani, (de quo dictum est) muri progressu intercluso, ad Septemtriones longius rapitur, & percursis Siami desertis Sinas denique intrat, excipiturque aperto muro, postque metas Prouinciis variis signatas, mari demum sorbetur, non longè ab Hoaingano, vrbe præcipua Prouinciæ Nanchinensis, trigesimo quarto gradui subiecta. Nec Sinensi regno, vnus hic infestus est fluuius, rarus admodum annus est qui eluuionibus non vexetur, & amnium restagnatione, sic Pechinum annus 1607. refusis aquis miserè obruit; Nanchinum subsequens, magno quidem locupletum damno, sed calamitate pauperum maiori.

10. Multitudo & pulchritudo nauium incredib.

Huic tot amnium numero qui omnem percommodè in partem, Sinarum inter se miscent vltro citroque commercia, respondet nauium innumerabilitas, & splendor de quibus qui scribunt, non putant longinquis se fidem facturos; est qui horis perpaucis onerarias censuit quingentas, quæ velis, Nanchinum subibant, ex quo item potest de vrbis populo & opibus coniici. Bis mille bellicas vidit nobilis Lusitanus, sub maris Præfecto, custode Prouinciæ Cantonensis quæ regni limes est maximè suspectus, nullam vero in iis, Indiarum Cercuris ingentibus imparem, cataphractas omnes, suóque milite ac remigij instructas. Habet sola regio Cantonensis familiarum viginti millia in mari degentium, nec ambigitur quin pari numero aquas vt terram, Sinenses incolant. Distant enim à nostris plurimum eorum nauigia; tument nostra tametsi grandia in ventrem toto cadauere; extant non altius ex aquis quam opus sit ad fluctus retundendos, ne per tempestates ab iis deprimantur, omnisque illorum commoditas, duorum conclauium angustiis clauditur summæ puppi iniectis. Naues autem Sinarum, seu nectariæ sint, seu onerariæ domos portant commodæ laxitatis, Architectorum manu suis ad normam dispositas membris, & partibus; suis contignationibus laqueatas; suo in superioribus gynecæo, quo viris nec pedem inferre nec oculum liceat. Iam illarum informatio, & ornatus, quibus vehuntur Magistratus, & diuites; imo aliæ vulgo formam referunt, nostrarum triremium, sed habent Proreges, Mandarinorum præcipui, & Prouinciarum præfecti, Musicorum turbam ex castello ad proram, Tympanistas, Tubicines, & istiusmodi Cantores qui repetita frequenter symphonia dominos suos exhilarant.

larant. Qui tamen funguntur ministeriis nauticis, vel iis præsunt, ædes subeunt nunquam, sed porticu libera, in puppim ex prora ad necessaria cursitant, nec sinuntur domi heris aut vectoribus quos ducunt in conspectum venire. Ædes porro ex lignis aut odoratis, aut eximiis, aulam in aditu exhibent capacem. Et vidisse Riccius memorat quæ mensas duodecim caperet, cum interiectis totidem sedibus; cui belliè membra ædium reliqua respondebant, hisque cœtera nauigij moles; cingunt aulam saltem vtrimque cubicula, superbo ad splendorem & delitias ornatu; fenestras aut velant subtilissima serica, vel reticulati ad scalprum cancelli cum fimbriis aureis, vnionum obducti conchis, in tenuissimas, & pellucentes laminas fabre sectis, idemque ianuis, & peribolis cultus, quos ad prospectum vndique; porrigunt; nihil nudum; anaglyptis; auro, coloribus omnia decorantur. Cuius artificij peritiam nacti sunt planè singularem, iuncturis asserum tam seuerè inter se glutinatis vt nulla vndenis graueolentia transpiret. Nec enim pice, quali nos, humorem à nauibus, & putredinem defendunt; sed legunt æstate ingenti copia lachrimam, quam Ciem vocitant, spontanea vltro vel incisa fluentem ex arbore, hanc arte defœcatam recondunt, promptamque cum vsus est variis miscent coloribus, elegantius tamen nigro vel aureo; gummitione hac lignum semel vnctum aptéque siccatum humorem in posterum nunquam sentit. Hanc ergo colorum varietate subactam multiplici, linendis nauibus, & nauium ædibus foris, & intus adhibent, tam pulchra ad oculum specie, vt perse, quamuis impolita, epidermin induat vitream politis marmoribus tersiorem, & solem instar speculi reflectat; accedit coloribus, florum, auium, stemmatum pictura, & arborum, & quidquid potest oculos oblectare. Præter luxum hunc nauigiis ferè omnibus communem longè profusior in naues confertur ministris regiis destinatas; eunuchis, Literatis, & militaribus quorum est incredibilis multitudo, habentque velut reginæ cœterorum, qui omnem iis nauticum apparatum, viros, armamenta, cultum omnem ex ærario regio perpetuo suggerant, tabulam altè à prora præferunt, quæ cubitalibus aureis, eius qui vehitur inscriptum nomen, & Præfecturæ indicat dignitatem; hinc inde volitantia vexilla, & peculiaria ornamenta quæ nihil attinet percensere. Quamobrem illic nulla vsquam de loco gradúve contentio; quòd vt sunt honoris retinentissimi, sic sint officij maximè obseruantes, nec quenquam lateat prærogatiua dignitatis, quæ cuique lege inuiolabili debetur. Nauigiis tamen quibus regi tributum trimestri quolibet singulæ mittunt Prouinciæ, reliquis omnibus vt de splendore, & excellentia, sic de honore facile concedunt. Velis semper feruntur dum ventus aspirat; sin autem remis, sed surdis & nunquam extantibus, instarque piscium subtus aquas ad agendam nauim luctantibus, verum vsque adeò peritè vt remex Sinensis, plus nostratibus octo promoueat; nauiumque vastis corporibus, pauci eorum sufficiant, cuius rei fides sit penes illos à quibus inde per-

scripta est, donec indidem ad nos explicatius ars illa perferatur vtique vsu optabilior quam scitu. Cœterum hæc tum nauigatio tum fluuiatilis inhabitatio, quantum iucunditatis, & commodi, tantum habet ingentis periculi, ne modica in latus proclinatione versæ naues subsidant & mergantur. Periculi causa est ædium imprimis, malorum deinde trium aut quatuor (nam tantis agendis molibus vnus non sufficit) ad captandum ventum excelsitas, itaque si flatus violentior, incubuerit velis repentinus, conclamata res est, nauesque necessariò euersæ sorbentur; quin nec illas noctu audent stationibus credere maiorum fluminum, vel etiam minorum faucibus, ne vndarum impulsu paulo grauiori subuersæ pereant. Sed (quod vidit Matthæus Riccius dum prono Iantio Nanchinum nauigat) post occasum solis, subducunt sese in vnum ex confluentibus in Iantium fluuiis, & dum illuxerit in operto hærent, non creant hoc nauibus discrimen auræ vela inflantes, semper enim velis vtuntur planis, & pandis, neque ex cannabe aut lino, sed ex herbæ cuiusdam longiori fronde tritáque contextis.

Ad opportunitatem itinerum, commerciorum, & feracitatis, quam Sinis suppeditant flumina, adiungendus est quæstus ex mercium diribitione qua ditant extraneos, & vicissim ditescunt. Quanquam iis affluant adeò largiter, vt possint externis carere. Metallis abundant omnibus, sed vetant aurum è terra effodi, experti fortassis ex aperta humo inhalari vapores, salubritatem cœli sui pessimè afflaturos, quam in nullis, suorum annalium legunt vnquam fuisse pestilitate vitiatam; & quidem hoc mirabilius quod sitis ad austrum Prouinciis oriza pro pane est, aluntque illam aquarum iacentium perpetua irrigatione; Aquilonares tamen frumento & milio vtuntur, quamobrem alij verosimilius lege cautum volunt venas auri tentare; non metu aëris infestandi, sed latronum, quos numero auctos & viribus, nec iam nisi iusto prælio vincendos prædæ furor agebat ad fodinas; indeque direptis omnibus, inexpugnabilia montium repetebant, quibus sceleratorum nidis videbantur auri officinæ sudare, eorumque suis laboribus & sumptu augere potentiam; cui, vt postea constabit, tam obnoxiæ sunt Prouinciæ omnes vt sibi magis ab intestinis prædonibus timeant quàm ab extraneo, & hoste. Adferri metalla quod attinet, eius copia quanta sit vel hoc vnum probet quod P. Iacobus Rho, anno 1629. testatur sibi occurrisse, transmittentem nimirum viginti dierum itinere tam excelsos montes vt Alpium iuga præ illis colliculi viderentur, incidisse se passim in crebras coquendi, fundendi, elaborandi ferri officinas, id ferrum iisdem è montibus erui, elaborati ferri quotidianum pondus, de fabrorum manibus exiens mille iumenta oneraſſe. Ad hæc omnis generis plantarum, & fructuum feracitas, præstantia, varietas, vt vsquam alibi gentium, excellens; arborum autem quæ nobis vernaculæ si qua Sinæ carent, vt forte amygdalo, hanc pensat affatim casia seu cinnamomum, piper, palmæ crocus, & alia nobis peregrina; illic sitis ad austrum propria; vnum

11. Metall. fod. cur aurum ex iis nõ effod.

inter

inter hæc valde mirum, quod oliuam, & vitem flocci curant, cum possint his quoque, si volunt affluere, cœlumque illorum Hispano, Italo, Græco & Siculo, bonitate graduque respondeat. Oleum ex granis diuersorum seminum exprimunt, quod quanquam insipidum plus sapit iis optimo oliuo. Ex granis item & frugibus potum premunt maximè generosum; sed iis, opinor, cum præ meliori, promptius, & securius placuisset, idem postea veluti proprium adamarunt. Hinc vites, & vina exotica, lectissimaque præ suo illo spernunt. Longe absurdius apud illos, ad lauta quoque conuiuia, venales canum, & equorum carnes publicè prostare; idque veteri ex more, ob quem olim hippophagi dicti sunt, cum tamen iis maior, quàm in Europa volucrum omnium, & animantium abundet copia, etiam ferarum imo & tigrium, quotidianis autem mensis porcina domestica vsitatior, & salubrior est, ob superuacaneum id pingue quo apud nos diffluit, cœli, aut pabuli conditione emendatum, apri cerui, & similes feræ vtcumque æstimantur, ad victum raro adhibentur, cum enim Sinenses nisi talaribus nunquam induantur eorumque pars optima, vnis ferè literis glorietur, venatione nec afficiuntur, nec admodum valent. Iacet item ars pastoritia, quod nec lanis ducendis neque texendis dent operam, sed quod ex triplici pecoris tonsura prouenit in coactilia subigant: alia ex lana quam capræ mollissimam ferunt pannos elaborant. Præter hanc lanugo quædam interior ab iis in impilia cogitur tam delicata vt tactum fugiant, & se facillimè corpori applicent. Hæc ob raritatem, & pretium, soli induunt opulenti. Linum & cannaben contemnunt, quippe in gosipio & sericis tot: foris gosipij semina quingentis hinc annis acceperunt, quorum primi satus tam prodiga soli creuere vbertate, vt breui Sinas ditauerint. Inuentum serici ad annos referunt ante Christi aduentum bis mille octingentos quod ex probo temporum calculo in annum incideret ante diluuium vniuersale quadringentesimum. Per me quidem vt lubet certetur de tempore, quo primum Sinenses dicti sint Sericani. De immensitate serici, quæ hoc nomen iis fecit, minor planè vero est omnis fama. Non quod vt vulgo est creditum ex arboribus colligatur, nisi locis quibusdam vbi genus bruchorum, quacumque ruri insederit filis inficit saliuarum, ex quibus texuntur panni viles, sed diuturni vsus. Commune sericum bombycum opus est, quibus Sinæ alendis moros infinitas quæ iuris vsusque sunt publici, vere, ac æstate foliis exuunt, illic enim per annum bombycum duplex est fœtura, sed verna serici ob teneritatem foliorum mollioris, æstiua rudior, ob eorumdem siccitatem. Fuit qui scriberet ex Prouincia tantum Cechiana, quam ex orbe reliquo vniuerso, plus Sericorum legi. Comparatione probatu difficili, nec minus quod alij afferunt, pluris nobis lanea decuplo quàm Sinensibus serica; constare; vnoque in solo Nanchinensi textorum ducenta millia quà sericis quà Bombycinis occupari; sed hinc nihilominus non ægrè coniicitur vtriusque materiæ vis ingens, ex quo

12. Sericum.

fit vt licet ex Bengala, ex Pegu, Malaca, Siano, Camboia, Borneo, ab vsque Iaponia, ipsisque Molucis, onerariæ in Sinas confluant, suúmque inde singulæ exportent iustum onus, semper tamen duplum tantum relinquant, multum præterea procellanæ (quod proprium est eius regni, & pretiosissimum figlinum) reheubari etiam, & ligni medici quod Chinam appellant, ac (ne pergam hic forum mercium explicare) moschi plurimum eximij, & commodo pretio. Abundant enim animalibus à quibus gignitur, quæ planè ab auctoribus oculatis ita describuntur vt Paulus Venetus illa descripserat. Porro illic pecunia nec emitur quicquam nec venditur, nec vsus est monetæ feriundæ, demtis solum ex ære minutis obolis, Imperatoris imagine signatis, siloque medio inferi, & ferri solitis, quorum mille, nummum conficiunt. Omnis de cætero, non auro sed argento permutatio fit. Merx est aurum, & emitur; emendo nequaquam adhibetur, eius pondus inæstimabile, perpurgati, nec vlteriori obrusa egentis, aquæ torrentes de montibus; de venis, fluuij educunt, itaque vel sola Scensis Prouincia, innumeros occupat cernendis à creta, & sabulo amnium, auri grumis, & granis. Destinatum vero emptionibus argentum funditur, fingiturque in nauiculas varias, in quibus haud segnius examinatur pondus, quam materiæ præscripta lex, rebus quidem vilibus emendis, infimus gradatim vero pro emendorum præstantia; perfecta, atque absoluta. Hinc negotij multum, sanè molesti, & anxij circumferendi semper libellam zona, & manu forficem ponderi exigendo; conditionem enim metalli legitimam, eiusque pretium; impressione caracteris inspectores argenti indicant. Quanquam ei tractando, iam inde à puero assueti, sola manu prehensum explorant tam callidè vt si quid insertum ferri sit, ex molis, & ponderis dissensione deprehendant, alioqui argento subærando Asiaticos omnes Sinæ vincunt, nec alia ex causa putatur excluſus à communi vsu nummus argenteus nisi ad vitandam Chimicorum perfidiam quæ vna est ex regni totius latissime fusa calamitas. Nunc vbi cunctis est integrum, venditi pretium quam multis voluerit probationibus subdere, sustinendis iis diffisi Chimici, ea periclitatione se abstinent. Atque his hactenus ad tanti Imperij leuidensam notitiam satis Sequitur de incolis ponamus ea saltem quæ scitu digna sunt. Equidem ad numerum quòd spectat, iniri potest facilius quam credi. Habent enim libros Prouinciæ singulæ adscriptis nominibus certi generis hominum ex quibus potest aliorum numerus colligi. Lusitani certè stipari omnia turbis virorum cum viderent, quærebant ioco, num illic feminæ vno partu decem masculos ederent? & censet Riccius, annos septem & viginti Sinarum inquilinus, quam superius mirabamur regionum illarum vbertatem angustam fore alendis earum populis nisi essent per se cibi admodum parci, & infinita plebecula, sola prope oriza, herbisque victitaret. Cum ergo terrarum, & aquarum tanta immensitas, tot vbique pagis, ciuitatibus, oppidis, domibus tam denso habitatore incolatur,

13. Monetæ.

14. Sinens. multitudo innumerabilis.

videntur

videntur à vero abesse propiùs qui trecentos illi tribuunt hominum milliones. Primum enim in iis cum sit classis quædam, præstandi per se officij certo iure, fisco obnoxia, eius habentur in tabulis nomina sexies dena centena millia, quibus nec pueri ante vigesimum ætatis, nec viri post sexagesimum adscribuntur; eximuntur & fœminæ, & priuato beneficio complures alij. Accedit soli benignitas, arbitraria vxorum multitudo; vitæ prolixitas cœli bonitatem, & victus parsimoniam consequens; cruentæ legis seueritas, cuius extra regnum pedem efferenti statim subeunda pœna, ponendi nimirum capitis sub ferro carnificis in ipso confinij limine, tametsi ad tempus exiguum, & fide reditus oblata exitum attentarit. Quam legem, iis vt deinde patebit, meticulosus patriæ amor, & impotens tulit. Fortunam siquidem alibi locorum quam in Sinis ambire aut suspicari meliorem, simile monstro sit cuiquam vnquam Sinarum in mentem venisse, vt qui Sinas suas iactitent paradisum, orbem reliquum vt inferos horreant, ad cruciatum mortalium conditos, vnde vulgo inter se Europeos voce cognominant, quæ externum diabolum sonat. Nec minus stolidè iudicant de tota suorum corporum conformatione, gratia, venustate & excellentia, quam putant naturæ humanæ archotypam; nos è contrario indocta & rudiaria eiusdem naturæ ectypa, ad eandem ficta voluptatem, quam solent monstra spectantibus afferre. Sunt autem corpore ad laborem compacto, lacertosi, angustis oculis & depressis, breui extra modum naso, barba quam ægrè ante trigesimum ætatis mittunt, adeo auara, vt qui pilos viginti nactus sit, palmam barbarum ferat; oliuario ad austrum colore, sed prout ad polum proceditur albescente, vultu planiori, alicubi tantumnon quadrato, minus viris deformes sunt pueri. Fiunt enim ætate crassiores, & magis agrestes, habentque se tunc maximè formosos, cum re vera sunt maximè deformes: capillorum præterea proprius, & momenti solliciti paratus; fusco crine sunt omnes, & in nigrum vergente; à flauo abhorrent, tanquam ominoso: pueris ad annos quindecim, efflorescit è summo vertice, crescitque floccus, circum raditur residuum capitis; inde ad vigesimum ætatis intacta cæsarie, fusaque in humeros incedunt, collectam demum, ligatámque ab imis radicibus ad summum capitis, concinnè in glomum reuoluunt; caput reliquum, & frontem reticulo cingunt, è seta equina pulcherrimè texto. Vicennalia tandem illa quibus rete hoc induunt festis dapibus læti colunt. De pileo qui varius est, multorumque index arcanorum suo loco dicam, & quando Sinensem ad viuum hic reddidi, adiungo & illi suum omnem cultum. Abolla Sinenses talari & ampla induuntur, etiam milites, eius oras apertas f. minæ ad pectus conduplicant, viri ad dextrum latus superhumero fibulatas, brachio subnectunt; manicas ad pompam laxitate insignes, & prælongas in brachia colligunt. Aptant huic togæ Magistratus emblemata aurea ad elegantiam, & insignia honoris sed quæ graui decoro habitus illius nihil quicquam detrahunt. Sericum gestant etiam fortuna mediocres, decet ple-

15. Oris & corp. habitus.

beios niger color, iuuenes varius; maturos modestus, Magistratuum quorundam dignitati, & festis honoribus seruatur cœruleus. Indusij (quo carent) commoda, supplent frequenti lotione. Tibias raso serico tegunt & albo damasceno, quidam subtilibus fasciis vna cum pedibus inuoluunt & tibias. Alutam vt vilem prorsus aduersantur, è crassiori serico calceos sarciunt, eosque diuersa phrigij operis venustate, flocciſque decorant. Zonas ferunt auro gemmisque distinctas, pro gradu officij quod gerunt plus minus spectabiles. Digitos annulis non coronant horum loco muscaria semper manibus tenent, picturis, quidem æstimabilia, sed heroa, præsertim, Literati cuiuspiam caractere ac munu, styloque sententia vmbella soles, & pluuiam vitant, nec fas est per morem alio tegmine; mutationem vestium congruam indicunt omnibus quatuor anni vices; nouitas habitus aut illic nata sit, aut alrunde inuecta exploditur. Veste indui peregrina ijs æquè sit, vti se ferre pro barbaro, Sinensem, & hominem negare. Hominem itaque modis omnibus insulsum expressuri, solent ipsi affingere omnia mori suo genioque opposita, adeo se suaque suspiciunt, grandes oculos & paulum extantes; oblongum nasum; promissiorem & densam barbam; flauos crines; tunicam breuiorem.

15. Animi dotes.

De animi dotibus, laude dignis aut secus; de moribus; vsuque familiari & ciuili dicam vt videro ad elucidandam historiam conducibilius. Perspicacitate ingenij supra Europeos, valere Sinenses, fatentur diu cum iis versati, fietque postmodum clarius ex inuentione artium & cultu literarum quas in iis mirabimur. Huius ingenij partus est sycophantia illa quam vulgo inopi videtur natura indidisse velut artem quærendi sibi victus adeo sagacem, vt centum oculos & fallat, & fugiat. Mercatores contra fide inuiolabili gloriantur suntque ipsa re, tam certò fideles vt promissione simplici teneri se putent, tanquam iureiurando sanctissimo, & capitis pignore. Quod primis commerciis experti Europei si saltem imitati essent, qui primi exemplo esse debuerant haudquaquam postea grandi suo malo, duplo se peiores magisque perfidos sensissent.

Iam exterior species singulorum ea est velut magistratu fungentium, non modo habitus maiestate, sed grauitate oris, aspectus, & incessus, corporisque totius compositione. Caput huc illuc temerè vertere, leuis apud illos cerebri argumentum. Circulos autem paucorum aut plurium cogere, spargendis rumoribus, & risu tempus conterere, publica censetur morum solutio. Periurium, effrænè, licentius, contumelioſum quidpiam, nec à rixantibus audias, nisi forte interdum à mediastino & flagitioso; cursationibus per vrbem vagis, & captationibus amorum ne vocabulum quidem illic est. Et Sinensem feminam aspectus cuiuspiam subisse perinde est vt fuisse ab illo constupratam. Quantumuis autem hæc scena sit virtutis potius quam virtus, & cordi æquè nihil habeant, quam vt de se honesti specimen præbeant, splendet tamen hæc pompa luculenter, & Sinis omnino peculiaris est, iuuatque ad mores rationis

imperio

imperio frænandos; nam si pudor innatus hominem continet, alioqui dementer in probrosa omnia ruituros, quanto magis lege, moreque inductus, quo ratum est omnibus ab omni, saltem exterius vitij nota procul absistere. Hinc illa in morus animi turbulentos potestas ne foras erumpant, cúmque alibi regnorum nusquam vt in Sinis ambitus ferueat, quod iure ingenij possit quiuis, præter solum regnum, affectare omnes alias dignitates; necesse est tanta, æmulatione, inuidia, rancore, clam quoque omnia æstuare, quos nihilominus capitalibus apud se odiis execrantur hos blanda specie, & amica deuinciunt; nec vnquam præscriptos officiorum apices iis negant, nam etsi sit ingens Magistratuum & graduum numerus, sua tamen singulis, honorum, munerum, & notarum finibus descripta sunt iura, quæ nemo fas putat vlla ex causa violare; vbi ergo flectenda genua, incuruandum corpus, fronte humus verrenda, quantacumque quis ira in alterum interius ardeat, premit illos ignes dolosò cinere, nec vrbanitatis huius scrupulosæ vel punctum omittit, ratus id demum hominem decere candidum, & probè moratum. Nec minori arte acceptæ iniuriæ sensum dissimulant, ne fiant inquiunt, erga se magis iniurij, si prorumpant in iras, nec vinci melius quam tacendo posse. Sic vitam vt fabulam perpetuo agunt. Tenentque pro regula communis, & notæ veritatis, ferinum esse non hominis ad manus venire; bellum autem aliud non esse, nisi feritatem, arte ac legibus quas feræ non habent vtcumque digestam; vicissim audacia, & robore corporis, superiores homine feras esse, humanitate nihil, magis homini conuenire, quamobrem hac sui opinione magnifica imbutis, se solos mortalium, naturæ integræ dictatis insistere, & assuetis continuo philosophari de moribus, idem est irasci, vt hominē prorsus exuere, & si minus in belluam, saltem in barbarum mutari, quin & simplici indignatione, quod tendat in alterius contemptum, tam procul abstinent, vt in oppositum illidant, leges videlicet vrbanitatis immodicæ ita onerosas, vt cum paucas tantum mox proposuero, futurus sit nemo cui non quælibet agendi rusticitas, quam illa Sinensium cerimoniarum laciniosa seruitus, videatur esse tolerabilior. Inter quinque quos ponunt virtutum cardines vrbanitatem inprimis statuunt, in absurdo quodam officiosæ reuerentiæ decoro, non eorum quos colunt tanta habita ratione, quam vt bellè ac largiter vrbani censeantur. Neminem itaque re quidem ex vulgi sordibus & limo compellarint, nisi titulis tàm honorificis, vt Principis ambitus possit facile minoribus expleri; mulos agentem, exempli gratia, vocabit nobilis, magnum virgatorem, læsurus grauiter, si vero nomine vocarit agasonem. Sic habent suam opifices reliqui quia compellentur honoris formulam quam nefas est prætermittere; eam dum quis ignorat, communem interea adhibet, & fratrem nominat. Sunt iis præterea lexica suis de rebus, & de alienis, quibus sua semper abiiciant, attollant, & laudent aliena; secus qui faxit non lingua modo sed moribus notatur barbarus. Quod

16. Vrbanitates infinitæ.

planè aduenis diligenter prospiciendum est hæsuris alioqui in percipienda sententia linguæ huius ad nauseam vrbanæ, & toto cœlo à communi diuersæ. Quis enim diuinet amorem tuum, verbi causa, prétiosum, significare filiolam tuam? Tuam filiolam nisi contemptim nec dici nec accipi? estque par de lapsu, de febri, de calamitate tua ratio. Alienum quoduis adpergendum est non nulla elegantia, vel reverentiæ adiuncto: è contrario propria, deprimenda semper humili aliquo abiectionis epitheto. In quo nunc placet hoc tantum aduertere, tam exquisitam, & religiosam esse hanc vrbanitatis obseruationem vt Sinensem ruri educatum ad nostros aulicos, aulicorum alpha, & ciuilitatis magistrum existimes. Externos denique, quod mirere, tametsi præ se nihili faciant; suadente decoro, tractant honorificè, & obseruant; primas vbique illis attribuunt, & procul aduecti longinquitatis ordine primi sedent. Hoc vero lege tam stabili constat vt nostri ex Europa Patres extorquere nunquam potuerint Sinarum cuiquam etiam nobilissimo postponi: externis deinceps, vt quisque senior assidet; annos alterius ignorans de iis interrogat, ne grandi scilicet inurbanitatis piaculo senis locum occupet iunior; solenne quippe illorum est eos præ aliis obseruare, qui possessionem huius mundi priores inierint: quare apud illos canities, & senectus primariam obtinet honoris appellationem, nec minus colitur quam quæuis alibi prærogatiua dignitatis: atque huc fortassis pertinet illud antiquatiæ raritatis quo prope insaniunt studium, haud quidem in statuis, & historiis iconum; sed in vasis metalli cuiuslibet, artificij, & auctoris, ambitiosè indagandis & grandi pecuniæ pondere comparandis. Vna iis pretium facit antiquitas, quanto sæculis erosa tanto pretiosius emuntur; quntum de vetusta ærugine, tantum de æstimatione detraxeris; scripturas quoque manu docta pictas plurimi faciunt, sed auctoris sigillo probatas. Fumosas autem imagines veterum, virtute famáque illustrium dici non potest quantopere mirentur, in quibus nec artem, nec colores attendunt, sed ductus rudiariæ graphidis simplices, dumtaxat ne desit figura quæ archetypum vt cumque referat, quanta enim virtutem immortalitate memoriæ prosequantur iis spectabimus exemplis quorum foret imitatione præclare nostratibus consultum si dignarentur Sinarum esse discipuli: vnum obiter attingo donec aliis sit locus. In Prouincia Scianfiana diem obiit peregrè vir diues apud hospitem valdè fidum. Defuncti thesaurum clam cunctis hospes seruauit intactum, dum eius filio forte illac iter agenti restituit malens pauper & innocens viuere, quam reus & alieno diues: huic tantæ hospitis fidei ære publico templum Prouincia posuit, eiusque æterno nomini dedicauit: nempe inter Sinas, haud quaquam obscuritas sanguinis virtuti officit, sed nobilitatur potiùs virtutis præstantia; quin & tenuem hospitem probitatis nomine sua Prouincia tanti fecit, vt cognomentum sibi asciuerit Amantis pietatem.

17. Antiquariæ rei ardor.

18. Æstimatio virtutis ingens.

19. Feminarum virtus & matrimonia.

Debetur & feminis sua laus accuratissimæ honestatis esto coactæ aut liberæ.

liberæ. Degunt suis clausæ gyneceis veluti carcere, non modo à publico, sed ab domesticis etiam seiunctæ, præterquam filiolis puruulis idque tam sanctè obseruatur, vt ne parens quidem, vxorato, vt sæpè fit, filio, intentans verbera confugientem ad matrem sequi ausit, sed in gyneceo ab iure patrio tanquam in asylo securum prætereat. Ne possint autem ab vllo conspici in ædificandis earum cubiculis caurè prouidetur vt nulla ex parte prospectui pateãt. Domo non prodeunt nisi admodũ raro; ac si sunt diuites gestatoria sella sic sepultæ vt paucis ægrè foramen tenue relinquatur cui possint oculum admouere; sola ex Prouinciis quindecim Iunana regnorum confinium sectatur licentiam, Tibeti, Mieni, Laiorum & Tonchini: veste vtuntur cuius modestia & collum, & pectus nunquam nudat ne manus quidem extra vestem ferunt, sed laxis pariter vt viri manicis inuoluunt, quin & virorum ab aliquo si quid offeratur, haud aliter solet quàm prius in disco positum, tectis manibus ab iis tolli. Pedes parui & teretes, quod ridiculum putes, formæ laudem, & palmam inter illas ferunt, hac similiores vxori Chec ante annos bis mille octingẽtos scilicet regnantis, quæ pulchritudinis nomine Sinensium venus est habita, huius autem formæ præstantiam conciliare ars & manus cum valeat, quæ lineamenta & colorem non valet, puppularum iam inde à cunis, ita pedes fasciis adstringunt, vt cogendis in breuem lepidæ illius elegantiæ suæ modum dolores inurant vix vnquam sanandos; quod ipsum visi, primi moris huius inuentores spectasse, feminis scilicet domum seruandam indicasse, & quas domi honestas non teneret, dolore pedum teneri voluisse, quanquam & eadem honestas, vetat illas hoc decus ostentare cum sinus vestium nunquam sic colligant vt pedes inspicientium oculis retegant. Singularem hanc pudoris æmulationem, & reuerentiam, sequta sunt matrimonia vt sic loquar cæca. Sponsi prius in mutuum cospectum non veniunt quam ad coniugis domum sponsa perlata sit, qui ne staturam quidem eius nouit, parentes vtriusque rem tractant; filiam parens, futuri coniugis parenti non exhibet; filiorum assensum neuter explorat, dissensum non timet, ne conscios quidem fieri curat eius quod agitur, & sæpe nascuntur aut coniuges, aut fiunt à cunabulis sponsi, ad colligandas inter se familias maturandis affinitatibus; nec sibi partes auctoritatibus publicis, tabulis, aut testibus cauent, tanti est apud illos verborum fides: fotet offensionis plena res, istiusmodi cautiones ab aliquo poscere quasi malæ mentis apertè suspecto. Aptam coniugii ætatem metitur diuersus Prouinciarum vsus, qui tamen vbique obtinet ne sponsi, multum sint ætate dispares. Dos vxori, ipsamet vxor est sat diues si probè morata. Cœterum proba vel improba, coniugi obolum non affert; sic neque paternam eneruat domum, nec superbiendi pronam materiam secum portat, insultandique viro de pingui dote. Viri paulo quàm nuptiæ parentur, argentum in mundum muliebrem ad sponsas dono mittunt, de hoc licet paciſci, verum inter homines mediæ conditionis solos;

inter nobiles arbitrarium est pro ratione facultatum, & si mille nummos conficiant existimantur iusto plus donasse: quo vero die ducitur domum sponsa, munus hoc palam in oculis omnium præfertur, subsequente sponsa, quæ magno tibicinum strepitu, facibus, etiam de media die & comitatu amicorum, gestatorio obserato, ad virum deportatur, illic viro traditur sellæ clauis, vnde qualecumque repererit educit, nec prius sibi visum, nec si displiceat reiicere integrum. Pauperes vxorem nummis emunt tribus, aut quatuor, alicubi etiam, si opus est emptam alteri vendunt; cui nec tres nummi sunt, venum seipsos in mancipia dant eoque pretio vxorem & eius victum emunt, ceduntque deinceps cum vxore illa & filiis in possessionem heri cui se manciparunt. Hinc solent tenues vna vxore contenti viuere. Nobiles quàm multas optauerint ducunt, quarum præcipuam oporteat nobilitate parem esse; reliquæ sat est si placeant. Qua in re fortassis nusquam alibi auditum aut lectum sit, earum liberos, ne demptis quidem regum filiis, primariæ vxoris omnes esse, omnes ad eam lege pertinere, hanc vnam matris honore ac nomine prosequi, ex qua vero sunt nati, nec reuereri viuam, nec flere mortuam. At ipsa mirum est, quàm sibi penitus in illos auctoritatis maternæ ac tituli plus nihil arroget, quam in veros filios matris familias. Immo fit subinde vt ex empta vxore ad familiam propagandam, suscepta proles matri familias sterili tribuatur, officio defuncta puerpera iterum vendatur. Dignus prætetea commendatione quem impendunt Sinenses viduis, priuatim & publicè honor. Indecoras habent secundas nuptias etiam fœminarum ætate integra, & prole carentium; & raræ sunt quæ laudem voluptati; pudicas maribus postponant. Agunt deinceps apud socerum ad mortem viduæ in spontanea arctaque custodia, nec sunt oneri domibus sed honori, quippe domos si consenuerint in eo proposito, illustrant triumpho & arcubus quibus laudatione magnifica incisa marmori celebrantur, iam Sinensium virtus, de qua hic sequitur agendum, quod satis intelligi non possit, nisi rituum vsu generatim saltem exposito, necesse est de his aliquid præmitti, cum hinc elucidari multa oporteat quæ sunt sacris in rebus non satis perspicua. Illud imprimis patum liquet, sintnè hi ritus ceremoniarum inter gentis laudes aut vitia ponẽdi. Nam vt fingi nihil possit orbe toto ciuilius, seque Sinæ haud falsò vrbanitatis regnum vocent; aliunde minima quælibet, & quotidiana, onerare haud parciùs vrbanitatibus, quàm sacra solennia ritibus, perindè videatur vt suffitu vehementiori hominem præfocare, qui moderata eius fragrantia fuerat oblectandus. Certè hanc rituum intemperantiam non irrident solum Europæi; dolent eandem Sinarum sapientes vt quæ sit communis, & remedio carens amentia prudentiæ nomine & præscriptione sæculorum necessitatem legis nacta à cuius apicibus seruandis ægriùs, quàm ab homicidio auertantur. Itaque toti sunt in decenti corporis brachiorum, manuum, salutationum, proclinationum fingendo ex arte, & regulis ad vrbanitates

20. Vrbani ritus salut. visendi &c. officia.

motu,

motu, ſtatuque &habitu, ne quid iis excidat, parum maieſtate, aut elegantia conditum, vel minus tempori & perſonis aptum, quibus inaniis cum dies ſolidi condantur, capi vix poteſt qua patientia viri graues, tam lentas, & crebras adeuntium proclinationes, ſtando excipiant, nec enim à feſtinantibus peraguntur, ſed otiosè, ac velut enodandis euoluendiſque ſenſim membris è machina quam gerant in pectore latentem: nec minus eius qui aditur motus omnes notantur, exiguntur que ad formulas, quibus vario nutu ſe pati grauiter eum honorem ſignificat quem tacitus deperit, acerbiſſimè laturus, ſi quid illius omittatur. Quin & apud Præfectos pro tribunalibus, & ad regium thronum tametſi vacuum, præſto ſunt rituum iſtorum dictatores, ſeu melius dicam carnifices, ita promiſcuè ac dirè illos cædũt qui ſalutationes malè feriatas indoctè obierit. De ſingularibus paucula decerpamus. Subducto vt facimus pede humum retro modicè verrere; amplexantis ſpeciem præbere, aut manum ſuam oſculantis, vel prehendentis alienam, non minus ſit barbarum inter Sinas quàm apud nos tecto capite ſalutare. Caput aperire ſic abhorrent etiam rege coram, & aliis; vt mori cedendum ſupremi Pontifices in eo cenſuerint, indulſerintque noſtris Sacerdotibus tegmen capitis inter ſacra. Salutationis obuiæ modus eſt, arcuata ſurſum ad frontem à pectore, plus minus brachia, prout ſalutato maior honos, aut minor debetur attollere, replicatis intra manicas interim manibus, ſuumque illud Zin ſæpius iterando, in quod ſignificatum aliud non cadit præter id officium ſalutandi, ſalutandum vero ſi peculiare meritum commendet, illa brachiorum ſurſum & deorſum alternatio iam inde incipit cùm diſtat adhuc à paſſu vigeſimo, ſequiturque mox illam Zoie, hoc eſt altera reuerentiæ pars maior, fitque toto in arcum procliui corpore, fronte ſolo quam poſſit proximè admota, rectis interea iunctiſque pedibus; manibus vt ante ſed ſummum ad verticem elatis. Porro hic mimus vtrimque luditur vtroque ad Septentrionem verſo, quamobrem aulas ita ædificant vt earum ianuæ auſtrum ſpectent. Quod aſcititiæ illorum modeſtiæ commentum arbitror, qua illas diuinæ ſuppares adorationis dum profitetur alter ex officio ſe debere; fingit alter ſe illas auerſari tanquam ſuis meritis maiores Sibi vero qui gerunt magiſtratum cùm fiunt obuiam, exſcendit inferior ex equo, vel geſtatorio, & ludi quem diximus initium facit Sed habent viſendi officia lacinioſius aliquid, & operoſius, cuius tamen omitti abſque grandi errore nihil licet quamuis illa tùm ſtatis temporibus, tùm crebris occaſionibus frequentiſſimè recurrant. Obitur hæc cerimonia veſtitu cultiori ad hanc vnicè deſtinato, eum is quoque qui viſitur induit. Aut ſi deprehenderit viſens imparatum, veſtem ipſemet hanc ſubito ponit ne aut illum pudore, aut ipſe ab eo afficiatur iniuria. Cuius moris ſiue religio, ſeu delirium in vrbe ab opificibus etiam, rurique ab ruſticis ſeruatur, & cui præſto non fuerit is ornatus, domi ſe fingit non adeſſe: tanti eſt vel apud bubulcos, decori ratio.

ratio. Quare violatum contemptu se dolet, quem adierit improuisus; præuertendus est aditus libello per famulum; paginarum est duodecim is liber, auro & coloribus comptus pro gradu illius qui adeundus est; in promptu cuique sunt libelli huiusmodi complures, quò ad aliis viri primarij, medij aliis conueniendi, & obsequij formulam, viris illustribus congruam, grandi charactere exhibeant alij, alij vsitato. Accedit tertius iam dictis reuerentiæ actus Pai vocabulo, non nisi domino à clientibus, magistro ab discipulis, Patri à filiis, Regi demum ab omnibus deferri solitus, Deoque ipsi ab adorantibus. Editur autem sublatis, vt descripsimus in altum, demissisque mox ad imum brachiis, genuflexo vtroque, ad solum fronte contingendum. Inde se in pedes attollens salutator, eandem fabulam quater ad summum deinceps reponit, sed octies saltem coram Rege; tam lenta semper & languenti mora vt hora prope integra scenam vexet. Quò enim fiunt otiosius hi gestus, tolluntur que ac deprimuntur magis, eò omni ex parte reuerentior est honoris significatio. Dum autem se miser illa discruciat histrionica veneratione, qui eam excipit vel parens, vel alius dignitate aliqua excellens, ex aduerso summa in aula stat aut sedet, & leui aut multa pro conditione inuisentis, brachiorum motitatione respondet salutanti; at si volet esse profusè comis in latus aulæ orienti obuersum descendit, & fastu paulum deposito, corporis flexu probè illic noto & vario indicat placere simul delata obsequia, simul eadem ægrè esse, serui post primam genuflexionem, breuius sese expediunt, postque humum ter fronte percussam, ad latus heri alterum consistunt; in prospectu nunquam, nec nisi pendulis brachiis. At si domo vel absit qui visitur vel præsenti adesse non lubet, traditur famulo libellus quem reuerso reddat, censeturque hoc modo abundè exsolutum salutationis petitæ obsequium. Vt vero interdum domi negent se esse, appendunt foribus tabulam qua significatur herus leuare animum rusticatione, aut in bibliothecæ domum secessisse, hoc est nolle tunc sibi molestiam fieri. Porro tabellas foribus & circum affigere Sinis est perfamiliare, & commodum, maximè inter Literatos, quorum est illic prima nobilitas, nomen eæ domini exhibent, domum incolentis, magistratum, gradus, encomia quorum se mutua lucubratione libenter palpant; post datum amico, seu alteri accessum, datur in borealibus Prouinciis dextra, in australibus sinistra; in qua laboriosum, & longum negotium deferenda, recusanda, admittenda, statimque reddenda, proclinationibus inuicem interiiciendis nunquam in mutuum conspectum, sed in eandem cœli plagam; nec minus anxiè sedendi ordo contenditur, (sedent enim Sinæ vulgato in Europa more cruribus nunquam humi decussatis) dominum inter & hospitem obsequio certatur; sedes saltem, si iam sunt positæ, vterque tangit, obseruaturque diligenter vt sedes dignioris a pariete æquè distet. Esto vero, sint admodum tersæ, sed excutiuntur mana volucri simulanter, collecta in

pugnum

pugnum pro euerriculo extrema manica ; ac si centum hospites fuerint, sigillatim omnes, idem euerrendi pulueris officium repetunt, domino quidem minimè abnuente, sed cum aliquo taciti pudoris indicio quod tantum honoris deferant immerenti. Sequitur inter hospites pugna de sedendi loco, quam longum sit scribere, spectare molestius : paulo quàm omnes consederint, adsunt cum scutulis & Chia famuli (quod est è siccis quibusdam foliis decoctum mirè ad stomachum & delitias faciens, de quo aliàs à me scriptum ; si producitur in longum sermo, Chia bis terve repetitur, debetque, vt alia omnia, manu vtraque sumi, & rusticum putant altera solum vti. Postremo discessus, & pauci ad fores ab intima aula passus, tam crebris proclinationum minutiis, & fictionum pugnantium fatigantur vt credatur iam nouum Chia non ad comitatem, sed lassitudinem propinandum. Huius demum strophæ vim facit potissimam dominus, nolens ab se prius amittere hospitem quam illum in equo aut sella videat, contra hospes per quicquid est iurans, mundum prius in chaos rediturum, sudansque tam diu, vt cogat dominum post gestus inflexi deorsum corporis complures (quorum nullus responso suo caret) secus ianuam tantisper se abdere. Nam vt victor hospes equum inscenderit, prodit illico iterum dominus, & clara voce vale dicit ; quod vtrimque sæpius iteratur tandemque post paulum seruos inuicem mittunt, qui mutuas gratias humanissimè exsoluant. Sunt in missitandis quoque munusculis Sinenses tum crebri tum minutius vrbani. Præmittunt libellum destinata missilia stylo admodum ciuili præferentem, sunt ea ferè exigui pretij, sed multa, & varia, licet cuique admittere omnia, vel selectis quæ placent reiicere cætera, sed hac lege vt tantumdem remittas, quantum acceperis, vt permutare potius quam dono dare videantur ; solent & pecunias pro munere mittere ; sed parce oppidò, mediam aut tertiam nummi partem, cui addunt gratiam verba pauca eleganter concepta, sunt enim ciuilium & elegantium verborum prodigi, cætera præparci, nisi quod modum in dandis conuiuiis excedunt omnem, tametsi sumptuum in iis nulla sit cum infinitate cerimoniarum proportio. Præter stata per annum conuiuia, quæ nefas est ab vllo prætermitti, captant minimas quasque illorum occasiunculas, quales nouæ lætitiæ testificatio; gratiæ, ob itinera visendi officiis honorata; beneuolentia ; dandi capiendíve consilij commodum ; aut quæstionis alicuius de diuinis, de gubernatione, de moribus simul agitandæ, nihil enim grauius nisi super epulas decernunt, quibus indulgent ita moderatè, vt nec mentem retundat copia ; & potus frequentia, sed perexigui eandem acuat, fauetque nox iis symposiis destinata, & horæ quatuor aut plures placidi otij ad tractandum quietè quodlibet argumentum. Sed sonorum & vocum symphonia laxatur subinde contentio, & graues comœdi interiiciuntur, imo adsunt subinde inuocati, vbi norunt cœnam solennem præberi : sua nisi apud plebeios, conuiuis singulis mensa est, aliquando & duplex apud opulen-

21. Missilia munerum.

22. Conuiuia.

tos, sesquibrachio longa, vno lata; cibis apponendis altera, secunda sumendis. Cum enim secundis ferculis locum non faciat priorum amotio, accumulari primis secunda necesse est, quæ fabrefactis ex argento, & auro constructa lancibus, & pretiosissimæ porcellanæ, iucunde oculos oblectant. Mappæ illic viles, & nusquam vsui, mappis quibusvis pulchriores sunt mensæ picturis illusæ, & gummitione vernacula, quibus tamen appendunt ad ornatum vela ex auro & serico, Phrygionis opere belluata; quin & manteliis & cultris nihil opus, nec fuscinulis aut cochlearibus, nec vlla manuum lotione. Vt enim sunt nitoris peramantes, de mensa, digitis nihil planè attingunt, sed baccillis de auro vel ebore sesquipalmi duobus, medio indice, ori admouent cibos tam habili manu vt grana orizæ iis etiam colligant. Cibi verò omnes minutim conciſi mensis inferuntur, semperque carnes comitatur piscis, sed paruis ob varietatem, & multitudinem lancibus, quod orbes maiores mensa non capiat; orizam, & panem quia vulgo omnibus vsitata, idcirco conuiuiis vsus ipse excludit, vetans quicquam nisi extra ordinarium admitti. Tantus est ciborum numerus vt quamuis lautissimè conditis interponantur quæ appetentiam suscitent, sed ea ferè pompæ seruiunt tantum; quis enim credat tam lautis ab epulis famem vt plurimum integram referri, esseque tunc cibi adeo modici conuiuas, vt si veniſſent ad cœnam spectandam potius quam edendam? carptim solum hinc illinc vellicant fercula, velut præguſtantes, & de coqui doctrina laturi sententiam. Inde post paucas appositi bucceas baccillis positis venitur ad calices, facit enim potus cœnarum illarum summas delitias, quas vti sex & diutius horas bibendo durent intacto capite, nec debiliori ad magna & seria, caliculis bibunt qui putaminibus nucum plus vini non capiant, idque tractim & lentè sorbillando, admoto labris iterum & sæpius calice, priusquam illum siccauerint, nec vnquam vno spiritu potum ducunt, nec nisi calidum, ex quo existimantur id assequi, vt sint à morbis grauissimis immunes, quibus passim Europæi ex crudis humoribus & debilitate stomachi vexantur. Ad hæc indidem gaudent valetudine robusta, & longam non raro senectutem, vltra centesimum proferunt. Etsi vero ex vua minimè vinum conficiant, & caliculis potitent; tam crebros tamen & iterant, & sub exitum mensarum augent, vt cerebrum denique aggrediatur, & euertat; non quod eos lex illa quorundam barbara compellat ad rumpendam potu, stomachi, virium & capitis mensuram, sed epularum hilaritas, otium, amici gratia, bibendi ius dicit ad ebrietatem, quam somni paucillum facilè discutit, vini leuissimi vapore, breui tempore dissipato: tandem comitates huiusce theatri legitimæ ad vsque plausum à prima inuitatione (quæ nisi fuerit triduana, pro nulla est,) tam multæ sunt, toties repetuntur, vt malit vir sanus discruciari mala siti, quàm illorum tormento rituum ebrietatem emere apud Sinam. At his Sina tantillum si desit immani se barbarie damnet, nec dignum in posterum quem omnes

nes ingenij merito mirentur nationes in excogitanda nugarum similium nouitate, cui etiam publica & necessaria postponit. Magis consentaneus rationi ritus Parentalium multiplex idcirco hic à me, tùm gratiùs, tùm vtiliùs describetur: nulla orbe toto proditur natio, cui æquè sanctus parentum amor, & reuerentia, vt Sinis. Iuuenes legimus, opificij molesti distentos laboribus ex voto sibi perpetuum & seueriſſimum ab carne, ouis, piscibus, & lacticiniis imposuisse ieiunium, nullo dum viuerent festorum excepto discrimine, partim ad dolorem ex patrum obitu fouendum, partim ad eorum in pœnis leuamen; alios de brachij carnibus bolos aliquot dentibus reuulsos in medicinam ægrotæ parentis vltro contulisse, seu carne sana curandam putarent ægrotantem, seu testatum vellent, se morte propria, parentum vitam cupidè redempturos, cuius intimi amoris quotidiana sunt, & ingeniosa filiorum exempla: nec forte à vero aberat ex nostris limatissimæ vir sapientiæ diu illic moratus, longæuam illam Sinensium vltra centum annos ætatem & prosperam, illorum in progenitores pietati à Deo rependi. Patris ergo & matris sacrosancta sunt iis nomina, & eum magnam partem à Deo nihil sperent, quicquid boni solent in hac vita optare, prouenturum sibi confidunt ex illa in parentes teneritate ardentissimi affectus: libri eorum veteres nihil sapientius inculcant, nullum Literatis eloquentiæ ostentandæ frequentius & plausibilius argumentum, quàm de parentum dignitate, & filiorum in eos officiis; quæ planè à verbis haudquaquam dissident, nam quibus deos suos, iisdem honorum cerimoniis parentes venerantur: iis nunquam ore aduerso assident, verum interius ad latus. Præfecti & Proreges, quæ summa illic felicitatis est, magnis laborum, & operum meritis id assecuti, bona regis venia magistratum deponunt & patrias, domosque repetunt, vt decrepitos parentes, famulari ministerio per se ipsi iuuent, quæ illis missio facile ab Rege conceditur, pluriſque fit probi filij egregia in Patrem caritas quam Ministri supremi ad publicam gubernationem perspecta præstantia, immo apud regium tribunal Sindachorum, quos Taolios nominant, si quis Mandarinorum deferatur gesti perperam magistratus, & loco ignominiosè in perpetuum mouendus, huic prona est ratio ignominiæ præuertendæ, vt supplici ad Regem libello, vitam in posterum priuatam roget, ad parentes morbis & senio graues obsequio, & consolatione subleuandos, refertque suum statim postulatio, ex voto rescriptum, & cognitionibus in eum omissis, cum laude optimi filij ad lares reuertitur, qui fuerat sua ob scelera probrosè loco deturbandus. Iam vbi de morte vtriusvis parentis acceperit, quisquis (militaribus exceptis) magistratu aliquo fungitur etiam Colai, quos habet Imperator à supremis regni totius consiliis, absque mora notas officij exuit, priuatusque in patriam redit parentaturus mortuo luctu triennali, quam legem nefas est à quoquam vitari: iter autem ingressum ad ferendam ægrotanti opem, vbicumque de

23. Parentum hon. incomparab.

morte offendat nuncius, cogit eadem lex equo exscendere lugubribus indui, viæ reliquum, peditem explere. Nulla porro vel ætas, vel nuptiæ, vel susceptæ iam proles, à potestate paterna eximunt filios, nec ipsi vt maximè liceat, id velint, quin & liberis coram patienter à patribus vapulant cum quid etiam leue peccauerint: at refractarios latæ leges graui pœna castigant, digitóque monstrantur, velut infames, & execrabiles; nec finem huic obseruantiæ, & amori mors affert, sed magnas potius accessiones addit. Tanti enim est apud Sinas sepulturæ honor, vt felicitatem posterorum, suamque adeo (etsi animum negent immortalem) ex eo aptam opinentur, nec eum honorem etiam filiis exsoluendum facilè committant. Quisque igitur dum viuit, & valet nihil habet antiquius, quàm vt sibi duo præ omnibus curet, Sarcophagum funeris, & locum; foretque seni vitæ quod restat intolerabile, cuiuis alteri mors crudelis quibus domi deesset funebris loculus, & cogeretur in tristes angustias superstes filius si compelleretur intra vnum diem ei loculo concinnando dignam suo in patrem amore materiam quærere: solent enim ad hoc multo diu labore ligna quærere ingentis pretij vel corruptionis expertia, vel ætates latura quàm plurimas, ex quorum tabulis crassitudine septem octove digitorum (cuius subdetur postea ratio) compingatur sculpaturque solerti manu conditorium amplæ laxitatis, quod gummitione aurea deinde illinatur, nec pecuniæ parcitur, & nummis centum, eiusmodi arca libenter emitur, qui mille in Europa facile penderent, emiturque non raro ipsa magis opinio quàm materiæ dignitas, augent mendacio pretia callidi mercatores, fingunt ligna longinquis eruta montibus, & sumptu, immani subuecta; quo pluris Sarcophagus steterit, hoc pretiosiùs asseruatur, & quidem in ipso cubiculo vt intuentem consoletur. Iam sepulcri locum, necesse est augurato legi, in quo mirè ludit ariolorum vafrities; nefas est quenquam intra vrbes condi, & miseri ciues qui cum mortuo degant; rura, & syluæ, maximè pineta sepulcris leguntur, peculiari autem studio decliuia montium, sub horum radicibus superstitio antiqua fabulatur draeones (regalem bestiam & Sinis venerandam) longitudinis immensæ accubare, posterorum successus prosperos inde potissimum expectandos, si locus sepulcri, subiecti draconis capiti, aut cordi seu alteri parti respondeat, in qua inuenienda multis ab ariolo sortibus sudatur: fortunatus vero cuius in agro pronunciabitur draconis illa pars latere, etsi enim desertus & sterilis, emetur nihilo vilius quàm si grandem Thesaurum occultaret. Aquosa, ventis exposita, aquiloni obuersa, sepulcris infausta sunt, planiora itaque attollunt, vt nihil aquæ in iis hæreat; aperta muniuntur, præsertim à Septentrione, è terra nusquam extant, sed altè depressus excauatur, & validus fornix, iteratoque gummi sic accuratè induitur ne qua illuc penetret aquæ stilla: cinguntur & arboribus viriditatis perpetuæ sepulcra, cohonestantur adstructis Palatiis in quo aulæ Eunuchi

24. Sepult. cura incredib. & luctus &c.

nuchi, profusione sumptuum omnes vincunt. Ornantur hominum statuis, & animantium, & quicquid potest in defunctum honorificè memorari, eleganti stylo lapidibus inciditur. Mortuo parente filius subito doloris impetu, direpto lecti sipario cadauer inuoluit, nodum capitis soluit & capillos promittit, famulos propinquis, & notis destinat cum libello, quo patris obitum mœsta oratione nuntiat & deplorat; libello nomen non subscribit, sed loco nominis, suimet pro patre accusationem, verbi causa ille ingratus, ille proteruus, ille refractarius: adfuturis ad iusta funebria, vestitur aula omnis, rudi cannabe & alba, qui color mœroris est, & luctus. Hinc arte ac manu pollinctorum cadauer componitur; ac primum tribus ex multitio tenuissimis fasciis adstringunt vniuersum corpus ipso cum capite, exertis solummodo brachiis; tum festis induunt quibus erat solitus pro anni tempestate, addunt honorum insignia quos gessit; inde in illa quam diximus capaci sandapila condunt, subiecta Tinzai copia, quod herbæ genus est maximè odoratæ; hinc inde puluillos sustinendis brachiis disponunt; arcæque quod restat vacuum, odoratis denuo ad summum herbis referciunt, clausæ tandem & clauis fortiter confixæ commissuras ne quid graue expiret, vt interius antea arcam omnem, ita exterius tunc picant, easque obducto venustissimo tænio abscondunt. Postremo aureis perspersum stellulis, idem feretrum primario loco in aula statuitur, erecta desuper ad viuum defuncti effigie, mensaque ad latus, multo cum suffitu & facibus: tunc patent agnatis, & amicis fores, ad exsoluendos funeri honores legitimos; fores ramali & fronde coronatæ suggerunt prætereuntibus, vt si vacat, assumptis funebribus veniant, & domum subeant. Triste interea & miserabile filij adspectus excipientis aduentantes; tumultuarium ad latus sandapilæ pro conclaui habet tugurium; pro veste, & pileo cannabem; pro calceis paleam, pro zona crassum funem, gyro duplici latera prementem, & habent rituum codices: suas pro variis conditionibus mortuorum, & affinium, lugendi formas, sed his filius quæ dixi, non toti dolori satisfacit, primam exigit noctem ad imum sandapilæ, neque tunc, nec diu postea somnum capit nisi ex matta paleari, musicis & spectaculis abstinet, nihil cibi per se, aut condimento iucundum admittit, maximè carnium quarumcumque; ne carta quidem vtitur ad scribendum, vt mos est, coloribus variis præluса, verum aut pura, vel notis parentalium maculata; pro ampla sede ac splendida cuiusmodi solent habere pulcherrimas, sedili vtitur incommodo, & vili, traductoque his & similibus afflictandi sui modis mense vno, ab iis sensim resident, & redeunt; demptis qui alteram profitentur sectarum quæ præter Literatos illic florent, hi parricidio ne forte rei fiant, cæde animantium in perpetuum abstinent, quod functorum animas somnient in alia corpora migrare, in quibus forte patrem occiderent; vocati vero ad cohonestandum funus, quater totum corpus demisse proclinant, quater lente, & grauiter genua sic fle-

ctunt vt humi frontem ponant; addunt faculas, & odoramenta suffituum, & nauiculæ figura, cartas auro argentoque illitas quas ibidem cremant, rati animæ defuncti repensum iri tantumdem auri veri, quo se aut parte nominum liberet, vel emat regressum in hanc lucem à custodibus subterranei carceris, hinc nimirum ereptam vagari, quærendo corpore matris cuiuspiam iam visceribus informato, sed adhuc vacuo; illud occupare, inde iterum nasci, ac si bona fors fauet in Literatum euadere, hæc ad exequias acciti & agunt & dolent, aut se dolere assimulant: filius certè sub aperto velo haudquaquam simulanter; mœstis inde miserè vocibus comploratio respondet feminarum, quæ se parte alia feretri, sub tentorio occultant. Expletis ritibus, deficienti similis occurrit filius discessuro, integratque illi quatuor genuflexiones, quibus ab eo totidem vicissim acceptis tugurij sui latebras repetit, discedentem ad fores deducunt affines mortui, cum actionibus gratiarum. Tenet hic vt minus triduum, concursus amicorum & propinquitatis: verum filij luctum pro parente nisi triennium non soluit, nec ante completur exequiarum totus ordo, trium nempe annorum gratia, quibus olim parens infantem filiolum brachiis gestauit. Seruatur interea temporis cum honore sandapila in conclaui, nec potest vt fabricata est & conglutinata, quicquam inde graueolentiæ expirare; nullus abit dies quin à filio visatur, & incredibili affectu procumbendo, vaporando, inferendis cibis honoretur, qui Taosiis demùm, & Oscianis cedunt, sacrificulis idolorum frequenter acciri solitis, ad cantus nescio quos, mortui manibus impendendos. Hic iam (quod magnoperè interfit in his funerum ritibus ciuiles à superstitiosis rectè discernere, de quo præfidentior non nemo, quo pauciora perspexerat, hoc scripsit iusto, & nimio plura, cum offensione veri, & existimationis alienæ) in tempus aptius hanc ex proposito disputationem reiicio, modo antequam tempus humandi mortui appetat, magno molimine computationum & sortium, dies inuestigatur, & diei punctum, cui cœli aspectus beneficus faustitatem maximam spondeat; hoc à vatibus const tuto, vocantur denuo quam possunt plurimi ex familiaribus, & propinquis, ad funus longo comitatu sepulcro inferendum: ad cuiusque aduentum eadem honorum, salutationum, obsequiorum quam exposui scena reponitur, quæ Sinenses nec vnquam fatigat nec satiat. Indè procedit pompa, supplicantium in morem, pompam anteit turba tympanorum, tibiarum, & instrumentorum eiusmodo acuto cantu aures pulsantium, portantur elephantorum simulachra, & tigridum, sequuntur illustrium & virorum, & feminarum effigies quibus veteres laudem præcipuam tribuunt Post hæc pegmata machinarum aspectu insignium, castella & pyramides eruditi emblematis; mensæ partim multa odorum fragrantia pretiosæ, partim iusti conuiuij epulis; post hæc sacerdotum grex bene magnus suo quisque in cultu, & cantus symphonia ab Gregoriana haud multum discordi: sequitur longus amicorum, & propinquorum

quorum ordo, albo omnes pullati, triſti ſilentio, & luctu elaborato mœſti: poſtremo ſublata in ferculum ſuccollantibus ad triginta, & pluribus veſpillonum effertur ſandapila; proximè filij ſqualidi, emaciati aſperitate luctus diu iam obiti, & quaſi ad omnem ingreſſum defecturi, tot ſe lamentis conficiunt, vt raptari ad mortem, non deducere mortuum videantur, pompam claudunt, in ſellis geſtatoriis feminæ, velo quidem ſubmotæ ab oculis, ſed deſperabundo vlulatu, & ploratibus aures omnium miſerè lacerantes. Poſtquam lento inceſſu vrbe procul ad locum ſepulchri ventum eſt, inſtaurantur cerimoniæ, ſuffitus, cartarum incenſio, funebres machinæ comburuntur, demumque infelix tumulatur, hi nobilibus exequiis ritus, aliis pro ratione perſonarum & opum, etiam aptantur. De funeribus regiis dicendum veniet in rebus anni 1614. in quas Reginæ mors incidit. Mos eſt tamen quibuſdam Prouinciis ſemiuſtum cum ſandapila cadauer, vrna pulcherrima claudere, & in altiſſimo fluminis alueo ſepelire, vt hoc illi breue comburium, perenni aquarum refrigeretur lapſu. Hactenus virtutum honeſta ſpecies, quæ Sinas exterius mirificè ornat, commendatque mortalium oculis; nunc de ingenio, eiuſque præſtantia primum in operibus artium, deinc ſtudiis literarum. Prius tamen notandum Sinenſes quaſi alterum per ſe orbem efficerent, à quibuſvis aliis gentibus diuerſum, nec peregrinari vnquam ad eas voluiſſe, nec eas ad ſe admittere, quo factum haud dubiè, vt rerum multarum cognitione deſtituerentur, quam ex mutua conſuetudine aliarum nationum aſſequi potuiſſent; ſed magna gloria ſibi vnis debent artium inuenta quæ apud cœteros fere pulcherrima eminent. Imo, ſi rectè coniiciunt aliqui, debet Europa diſcipula Magiſterio Sinarum, calcographiam, cartam, nauticam pixidem, tormenta ænea, & iis explodendis igniarium puluerem, quod mihi haud ita creditu facile videtur, cum artes quamplurimas Sinis penitus ignotas habeamus, ex noſtratium prognatas ingeniis, à quibus nihilo ægrius excogitari potuerunt, quæ Sinarum inuentioni tàm largè conſecrantur; in Marco autem Polo, & Hairone Armeno lepidè luditur diuinando, cum iactantur, modo dictas artes ab Sinis ad nos tranſtuliſſe quadringenteſimo ab hinc anno, de quo ſuppetet nonnihil paulo poſt. Sinas quidem in multis eximio operum artificio ſuperamus, non quod ipſi tantumdem non valeant, ſed quod vili mercede pretioſum laborem ſtultè vendi putent, quin & artificum peiores viris ferè principibus ſe locant, quorum eſt ſcilicet improbior ſoluendo parcitas, hinc peritiæ vim omnem clari opifices abſumunt in adulteranda laborum ſuorum ſpecie. Nam ſi forent ſua operibus pretia, mira omnino eſſent præſtituri vt produnt quoties ſperata præmia ingenium acuunt; quòd factum ab iis cernimus, in toreumatis gemmarum, in auro tractando in ſculptura cryſtalli, & horatiis machinis quarum rotatam fabricam per ſe didicere ex ſola attenti oculi diſciplina; in perſpiciliis item ætati cuilibet & viſui concinnandis, quorum olim materiam vitream

26. Artes & literas ſibi debent Sinæ quas habent, nullis autem externis.

27. De ſubtilitate manuarij operis.

28. De ceris.

tream fingebant ex oriza, esto nosttati tùm minus pellucidam tùm magis fragilem: ex opposito ceras perpurgant adeo exquisitè, vt eas perducant in excellentiam candoris eximij, nec modo vulgares ex apibus; sed sibi ex vermibus proprias qui in intra Sinus arborum coalescunt. Est & tertium genus, plantarum quarundam ex frugibus expressum, sed primis duobus deterius. Texendis in omnes pannorum formas Sericis, & omni colorum & animantium varietate figurandis adeo miri sunt, vt tramam eorum attalicam, Phrigionis acum manumque existimes, in contrahendis dumtaxat corporibus & situ gestuque donandis, cum artem aliam præter iudicium oculi non sequantur, deformant illorum habitudinem partium mutuam, & risum præbent vel mediocriter in eo peritis. Certum quendam colorum subactum pingendo adhibent, olearium ignorant penitus, artemque, quod peius est,

29. Textura & phrygion.

30. Pictura.

picturæ vmbris idoneis frequentandæ, ac permiscendorum inter se colorum: suam tamen hanc seu picturam seu magis tincturam eiusque opifices suspiciunt quod ea in arte melius nihil norint. Scalpro illorum

31. Sculptura.

videri doctius nihil potest, catenam interdum, eodem in marmore incidunt longiorem, mobilibus annulis perforatam, & eodem è saxo solidam, patientia haud minus pertinaci quàm mirè solerti, qua scalpendo excellunt: fundunt & statuas etiam colossicas, sed in quibus nihil laudes præter aurum quo illas decorant, cœtera ineptas. Monstrat Prouincia Honam duodecim statuas suis in basibus, ab annis vt ferunt mille octingentis, cuius opere nescitur, quanto artificio viderint, putant illas Sinenses diuinæ manus, non humanæ opus quod eorum nemo

31. Fusoria.

ad earum præstantiam accesserit, fundendo ducendoque ferro nos vincunt, præterquam cannis muralibus quas habent satis rudes, digna tamen ingenij laude si fuere illarum inuentores, vt & sulphurarij pulueris quem singulari peritia, & immensa copia componunt: testatur Matthæus Riccius, quod semel tantum magnarum in vrbium duabus, absumi vidit in ignes ludicros quibus variandis peculiari pollent industria, potuisse apud nos triennali bello sufficere, agebanturque tunc noui anni festa initia, quæ sunt lætitiis similibus & sumptibus imperio vniuerso communia. Sinarum Architectonice suos quoque tenet

32. Architect.

eruditos statósque Canones & leguntur tùm apud antiquos illorum auctores; tùm reipsa cernuntur in magnis veterum operum monumentis, æmulantibus quidem magnificentia priscas operas Romanorum, sed multitudine longe vincentibus, dictum haud pridem de pontibus, non sine admiratione, palmare aliud Sinarum opus sunt turrium

33. Turribus admirand.

moles, vel ad mittendam in longa secula, heroum memoriam, qui virtute, literis, armisque claruerunt; vel ad vrbium ornamentum; vel cuiuspiam simulacri, venerationem, vt duæ ingentes ex marmore altitudine perticarum centum viginti sex quæ templum idoli Fes vtrimque fulciunt: nec tamen conferri cum iis possunt quas publicè vrbes ædificant, velut malorum amuleta, & fatum ciuicæ faustitatis, dum

eo

eo ponantur & loco, & momento; quæ sciens sortilegus pronuntiauerit ominata: illa hic omnium instar sit, quæ Lincini vrbe opulenta Chiantonensis Prouinciæ, extra pomaria visitur, ea nongentos in cubitos octo frontibus assurgit, amplitudine ab imo ad verticem quæ tantæ altitudini respondeat: hanc testa porcellana exterius vndique inerustat, anaglypha exornant semiextantia, & pulcherrima specie picturata; intus circumquaque, omnia speculum multiplex ex politissimo scitéque partito marmore, interiorem murum seu turris viscera scalæ diuidunt ab exteriori, quæ nouem per ambitum obeunt regiones in quas attollitur, in easque intercepto ascensu inducunt, patent hæ foris diuerso ab inuicem canone fabricæ regiones, vnum ædificij complexæ corpus omni ex parte absolutum; suas vnaquæque seorsum ostentat circum & exerit: coronides, peribolos, & elegantias; cuncta selectum marmor, & ferreis cratibus auratisque munitum. Sunt & suæ cuique regioni campana æra in concentum mutuum digesta, & crescit ab imo eorum numerus ad summum; cúmque omnem in partem spectent, quicumque flet ventus sonorum ex iis edit symphoniam, ac ne vager in alia fusius, extant in fastigio colossus ex ære fusilis, deauratus, Dei simulachrum cui turris sacra est, vix est toto in regno ciuitas, tametsi frequentissimæ sunt, quæ non aliquo splendoris huiusmodi nobilitetur ædificio, quædam vero etiam pluribus. Quod idem potest de palatiis dici quæ sibi olim iis in vrbibus condebant Reges quas in sedem regiam legerant; & quæ fisci regij opibus fabricata, iisdem perpetuo sarta tecta rebusque omnibus magnificè instructa conseruantur: ægrè vrbem reperias iis palatiis destitutam, quædam metropoles ad viginti censent. Templa diis; academiæ Doctorum principibus, vni potissimum Sinarum magistro Confusio dicata; superbo paratu, absque numero sunt: triumphalium denique arcuum multitudo ingens, & Regum sepulcra, miro artis & materiæ spectaculo visenda. 34. Palatia & ædes.

Domorum ædificatio nusquam ferè nisi ex ligno est: huic ab incendiis publici vigiles è speculis cauent; & si quà emicuerit ciues ad opem ferendam excitant; pœnam capitis subit cuius culpa domum ignis corripuit: crebra tamen vrbes populantur incendia seu fortuita, siue à latronibus ad prædationem multis simul iniecta vicis. Scripsit qui aderat, Hanceum regionis caput anno 1640. fuisse ab illa diuersam penitus quæ ante annos quindecim fuerat, igni scilicet ex parte consumptam sæpius, sæpius restitutam. Præter materiam domorum fragilem quæ illas de vita hominum metitur, subest quædam futuri apud Sinas sanè reprehendenda incuria; suum cuique tempus curandum dictitant; ventura, posteris curæ fore, fidémque illic Europæi difficile inueniunt cum aiunt nullas se habere tam malè compactas & materiatas domos quæ vnum saltem aut alterum seculum non æquent, multas verò annos, & quingentos, & mille. Nostra videlicet de suis æstimant, quibus construendis (præter illa quæ memorauimus æterni operis ædificia publica)

fundamenta non mittunt alia nisi quod diuturno verbere solum cogunt & solidant, aut si fururus est lateritius ædium procinctus, ad sex pedes circiter fodiunt, ex quo fit vt muri quibus ex latere suas vrbes cingunt, statim vt immaduerit aquis solum, passim ruinam trahant, ipsique fornicibus tum subterraneis, tum editioribus abstineant, sintque admodum rari qui aliter habitent quam in plano; scalarum quippe laborem refugiunt, & ab earum pondere subiectis ædibus casum timent, quanto igitur in altum non audent, tanto se in plana latius portigunt, vt mirum non sit vrbes innumeras ad viginti milliaria complecti, cum præsertim ad ædes saltem nobilium & literatorum accedant horti, labyrinthi, viuaria, & huiusmodi ingeniorum laxamenta; etsi autem ex ligno, Sinarum constet ædificatio, nihil tamen ad normam architectonicæ doctius; pulchrius ad maiestatem, & elegantiam; ad vsum commodius, aula capax nec vna; ordo conclauium ædibus congruus, lumen conclauibus vix vnquam ex foris, & compitis, immodestos censent fenestra prospectus, laquearia columnis imponunt; parietes suo illo gummi vernaculo velut obducta crystallo illinunt, omni prius florum, & auium, aliarumque formarum varietate picturatos, colore nunquam intermorituro: quamobrem nudos malunt, pluriſque faciunt, quam serico tectos, quod illic multo est vilius, sed appendunt his tabulas antiquæ manus, quibus summum pretium vetustas facit. Supellex reliqua omnisque ornatus ad æmulationem parium, ad oculorum ambitum & laudem plausumque officiosè visentium. Sed palatiis, quæ esse tam multa paulo ante scripsi longè est magnificentior dignitas splendoris commoditatis, & deliciarum, vnius illorum ichnographiam penes me seruo, ab eo descriptam, qui frequenter illuc subierat, & perspexerat omnia diligenter; vnius ex icone licet cœtera cogitare vt quæ vno fermè ab exemplo omnia ducantur, in quo palatium Sinensis Mandarini dum subiicio spectandum, mores vna illorum aliquos attingo laude sua dignos, de quibus postea explicatius dicendum. Imprimis itaque vastam aream cancelli ambiunt, in quam iura poscentes conueniunt. Ingressis procul è regione murus tres obiicit portas, media solis magistratu vel functis vel præditis seruatur; Literatis dextra; vulgo & militibus siniſtra; sed qui sistuntur ad tribunal rei, dextra introgressi, siniſtra exeunt, absurdo personæ oppositio. Inducunt hæ tres eandem in aream, in qua patet austro obuersa ingens basilica (qui situs est optimus ædificiorum) illic Mandarinus, bis planè quotidie ad cognoscendas causas sedet: vtrimque ad latera excurrunt Ministrorum habitationes, quos in prouinciam veniens Mandarinus magistratui addictos inuenit; eósdemque successuro relinquit, cuius sanè prudentis constantiæ ratio alibi constabit. Sunt verò Famuli, Ephebi, Scribæ, Tabelliones honorarij perferendis mandatis, & nuntiis, Apparitores, Satellites, Tibicines, numerosa capitum centum familia suis quique percommodè mansionibus digesti. Inde ianua vna proceditur in aliam aream, vbi aula cogendo

35. Palatium Gubern. & situs eius incolendi.

do publicis de rebus consilio, à qua cœteri omnes excluduntur: sequitur addicta priuatim Mandarino domus, & ei quam duxit vndecumque mittatur familiæ; illuc subitur per areæ septum, capax & eximiè ornatum. Hinc ne quis pedem extra limen ferat, nedum liberè vagetur; ac ne quis extraneus possit cum familiaribus colloqui, præsunt foribus custodes cum centum oculis, & totidem clauibus, ac seris quæ domino etiam prodeunte signantur; cum redit an saluum sigillum explorantur: nullus æquè carcer tàm sollicitè custoditur. Vni quotidie semel fas est exire œconomo, sed statim redituro; Mandarino enim postquam primos accepit adeuntes, legenda tradit œconomus emptu necessaria in illum diem, quæ vbi coemerit, mox domi claudendus se recipit, nec affatu quemquam, nec aspectu ausus conuenire: illa vero emit solummodo, quæ Mandarinus ad marginem probare se minio notarat; nec potest œconomo vendi, nisi quod signauerit Mandarinus, vt cui debeat pars consueti pretij tertia remitti: empta nec foribus, nec fenestris domum inferuntur: nusquam enim patent quibus possit cum externis agi, sed versatili turricula, qualem habent nostri Parthenones. Quintum denique atrium extremo clauditur gyneceo, vbi solitariæ feminæ, nihilo seuerius ab aspectu familiæ abstinent, quam familia ab externis; habetque hæc vltima Palatij regio latifundia hortorum ad omnem exculta, plantarum & fontium voluptatem, & solitudinis illius tam duræ leuamentum. Hæc paucis lineis, comprehensa Palatiorum descriptio quæ magistratu fungentibus attributa sunt Mandarinis, partim Leonum ad fores marmoreis statuis, partim dignitatis insignibus propriis, facile ab aliis primo intuitu secernuntur; sed elaboratis potissimum solerti opere turribus duabus ex quibus musici, variorum concentu sonorum prodeuntem foras dominum prosequuntur, & excipiunt redeuntem: habent enim & suam Sinenses sonorum & vocum musicam minimè iucundam, longeque ab nostris, dissimilem & æquè nulla iis sapit vt quæ instrumentis & flatu editur, si tamen potest monotonum placere, nec vlla modorum conuenienti oppositione, ac varietate figuratum: centum audias cantorum turbam vnius eiusdemque notæ proflare sonum, & quod magis mirum ab audientibus plausum ferre velut ad editos è cœlo cantus, quibus addi harmoniæ nihil possit. Facit hæc forte Sinarum ad genium musica, grauem, valdeque compositum, secus ab iis leuitatis damnanda si suauitates modorum sectaretur; quanquam nostris etiam cantibus eorumque instrumentis mirificè oblectantur, artem musicam illic floruisse docent vetera Confusij scripta: tradit hic summus apud Sinas viuendi, & regendi magister, carentem musica rempublicam, dissonam esse confusionem morum non minus quam vocum; sed hanc antiquæ musices gloriam vel ætas obruit, vel Imperator Cin, iussis qui eam docebant incendi codicibus, de quibus certius cum libro proximo, Riccium Nanchini symphoniæ regiæ cui intererat proferemus testem. Constat quidem ex

36. Musica Sia.

36. Ars & acus nautica.

historiis insularum quas Sinarum reges cum essent bellicosi suo imperio addidere, fuisse nauticam in summo pretio & laude apud Sinas, & si, quòd magnete eximio abundent, verè ab auctoribus scribuntur, gnomonis ventorum fuisse Architecti, multum iis deberi ab omni humano genere; sed hoc satis qui probet, vel coniiciendum saltem prudentibus præbeat reperio neminem; nam quod Marcus Polus nobilis Venetus ab Sinis potuisse ad nos acum magneticam deferri vtcumque indicat, delatam fuisse nequaquam, imo ne quidem potuisse, si rectè anni subducantur. Albertus Magnus & ante Albertum, Vincentius Bellouacensis magnetis illius meminerant, multo prius quam Polus è Sinis & Haiton Armenus & B. Odericus rediissent, & profert vterque fragmentum scriptoris veteris quem putant non alium ab Aristotele, quamuis Arabem magis quam Græcum innuant verba quædam, textui illius reliquiis permixta, cuiuscumque porro is fuerit, certò necesse est Poli ad Sinas Haitonis & Oderici nauigationem sæculis aliquot præuertisse. Ac magnetem fuisse nec ignotum Sinensibus, nec inusitatum ab annis bis mille septingentis (forte alios in vsus quam nauticos) mihi propemodum persuadet quod lego apud Antonium Goueam, in chronico vbi ab vltimis retro temporibus annos Sinensium legens; sexto inquit, anno Cini Vani, vnius ex primis regibus quos centum supra mille annos ante Christum ea familia protulit ex Nanchiao, quod & Chiaocum, dicebatur, hodie Cocincina, legati ad eum venerant, hos rebus confectis & iam in procinctu ad iterandum iter, vehementer angebat metus à recto aberrandi; quod vbi comperit Ceus Cunus, Mathematicus insignis, summa præfectura, & prudentia clarus, iubens esse viæ suæ securos imposuit currui, in quo statuam locarat ligneam, protensum indicem nunquam australi ab linea moturam; quod erat ipsorum rectum iter, sic tutos & alacres ab aula dimisit; quod arte alia potuisse præstari non capio nisi beneficio magnetis, hinc boream, hinc austrum perpetuo spectantis.

37. Typogr. Sin. typi, literæ. criptio, carta.

Typographiam item Sinensibus fuisse perantiquam cum viris doctissimis facile sentio, alij medio post Christum seculo, illic ortam volunt alij seculis ante ipsum multis; inde vero ad nos propagatam diuinant prope omnes, & magis cupiunt quam certis iudicent & probent argumentis.

Fiet id clarius si (quod necesse est) illorum sermo & scriptio quam distet à nostris ostendero. Primum ergo alphabeto carent, nec animi sensa iunctis inter se in syllabas literis, collectis in verba syllabis exponunt: caracter illorum quilibet, vox vna est, rem vnam integrè exprimens, vt solent Astrologi planetas, Chymici artis suæ repræsentare materiam, & distinctas operationes, quare tot sunt Sinarum necessariò literæ, quot voces; septuaginta millia quidam censent, alij octoginta, quamuis ad vulgarem legendi peritiam & scribendi, negent vltra decies mille sciri oportere, tametsi autem tot harum literarum non

sit

sit absoluta inter se diuersitas, sed eas dum forma quintuplici accinunt & totidem prope spiritibus molliunt pronuntiando vel asperant, significationibus diuersis afficiunt; quod idem factitant scribendo, variis vna eademque in litera ductibus; seu apicibus significata indicando, quæ debent iis pronuntiandis intelligi. Solet in exemplum adduci syllaba Cho, cuius pronunciatio decupla, res decem repræsentat diuersas, & verba totidem quæ diuersis apud nos acuenda essent, vel afficienda notis quibus præscriberetur modus ea efferendi. Hinc tanta infinitas characterum, vt suus singulis vocibus possit attribui. Auctorem huius inuenti faciunt suum quendam Fohium quem & aiunt sibi Hoiantis nomen, hoc est Imperatoris arrogasse. Rem profecto quicumque is fuerit grandem & mirabilem inuenit, siue tot millium characterum spectetur impedita & perplexissima delineatio, siue huius ars, & arcanus sensus, cum sit hic non solus arbitrarij calami ludus, sed præclarus ingenij labor sacris forsitan Ægyptiorum typis sublimior; at enim Sinenses iis efferendis haud sunt æquè felices vt in describendis, vt quibus linguæ sit indoles ad varietatem sonorum parcior, quàm manus ad variandos characteres, & est nihilominus inter illas acutioris, & demissioris soni notas, iuxta quas effertur diuersi significati res eadem, discrimen tàm tenue; tam exilis sensus, vt auribus opus sit ad hunc discernendum admodum delicatis. Sed linguam Sinarum hoc facit valdè ancipitem, quod multos diuersæ notionis characteres sono proferunt eodem, nec possunt omnino percipi nisi ex sententia dictorum, consequens eorum significatio ducatur. Hinc hærere interdum necesse est, etiam apprimè in lingua versatos, & quærere descriptionem characteris, qui dubia voce exprimitur, quod iis aut motu digitorum in aëre, aut in vola manus, radioribus humi in puluere præstatur: vnde apud Sinas pluris semper fuit scriptio quam sermo; & Legationes, scripto semper non verbis obitæ. Inest autem Sinarum notis id commodi, ex arcano ferè illarum significatu natum, quod à confinibus populis facilè capiuntur, Coraium, Iaponia, Cocincina, Tunchinum, Sinaium quoque, Camboia & finitimæ insulæ iis vtuntur, ac licet inuicem patrium ignorent idioma; Sinense tamen legunt, proferuntque sua quisque diuersum lingua; sibique inuicem sermone diuersos, & barbaros iungit eadem characterum forma, seque perinde mutuo capiunt, vt si vnam haberent linguam omnibus communem. Iam quotidianus Sinarum sermo, itemque alius (quem forensem dicamus licet, ab omnibus discitur, quod Prouinciarum omnium teratur vsu; sed est longè ab eo diuersus quē in typos mittunt, capacior videlicet ingenioſi acuminis, & sensus heroïci, quem committendarum literarum vis hierogliphica suggerit. Voces omnes præter compositas, vnius sunt syllabæ, in qua multæ quidem leguntur vocales, sed velut apud nos diphtongi, vno simul efferuntur sono, vocem eandem modis, temporibus, casibus, numeris, (quibus carent) adiuncta quædam accommodant; sed de Sinarum lingua, plus

satis hactenus, de qua incidet peculiatius aliquid postea dicendum, scribendo penicillum pro calamo habent; pro digitis tribus prioribus pugnum, auriculari soluto & excluso, Hebræorum more ad dextram à sinistra incipiunt, sed ducunt à summo ad imum folij lineas, nec atramentum adhibent liquidum & fluens, sed ex olei fumo, & gummi concretum, exsiccatumque in lamellas vnius circiter digiti venustis impressas figuris; has vbi pingendum lapideæ tabulæ affricant, quod derasum est, aquæ paucillo diluunt, indeque pro sepia scribunt, quæ vero pagina Typis destinatur, elegantissimo inscripta charactere (cuius laudem formandi mirificè ambiunt) in politissimum ex pirο, vel pomo, asserem obuerso scripto glutine tenditur, vbi scalpro per tenuitatem cartæ pictos sequente characteres, lignei formantur detracto circum, & intus ligno, quoad puri & nitidi è ligno Typi emineant, eum planè in modum quo figuræ apud nos excudendæ, ligneis tabulis inciduntur: quod præstant minori labore ac tempore, quàm nostri suos in paginam cõponunt Typos, & tam expeditè grandem ex iis premunt exemplarium numerum, vt tria millia horis duodecim excudant. Sculptoris pretium tam vile vt quinque paulo plus assibus trecentos absoluat characteres, etsi multa implexos ambage linearum, & apicum: ad libri auctorem, redit Typis incisa lamina lignea, quòd is suo ære, illius pretium, & scalpendi operam soluerit. Est etiam aliquo in vsu litographia, seu Typi lapidei, sed iis quos dixi ligneis planè oppositi: ex iis enim albus ducitur character, quod depressior suâ aream eius Typus, intactus ab sepia maneat aream tingente. Ego præter ductas ex iis Typis scripturas, habeo folia nostris quadruplo maiora, hominum figuris, foliorum & arborum, & istiusmodi ludis imaginum, nigra in area sic albis lineis, & tam subtilibus depicta, vt omnem & patientiam & industriam viciſſe Typographus artifex videatur: & hæc quidem Typographia Sinarum vel in hoc nostra deterior, quod minutissimo characterе ingentia opera breui spatio claudimus, illi nisi lato non possunt, ob amplitudinem literarum, quas multitudine, & varietate linearum, & apicum coguntur variis significationibus aptare. Chartæ item nostræ candor & densitas, eorum charta longè vtilior quæ licet foliis magnitudinem æquet lintcorum, sed ita flaccidis, pellucentibus, & subnigris, vt vtraque ex parte imprimi non possint. Aiunt quidam ex serico, ex gosypio alij, nonnulli ex medulla cannarum, & arboribus confici; sed iam à pingendis, premendisque literis, ad professionem illarum gradum faciamus, qui summus apud Sinas nobilitatis, opum, dignitatis, nominis cardo est & votorum summa. Septennes vix pueri, characterum quos memorauimus significata iam ediscunt, tum eosdem in charta incipiunt pingere; ad hoc pagus quilibet, nedum vrbes, magistros habent fisco regio authoratos disciplinarum grauiorum (incertum quamobrem) Academia toto regno nulla. Parentes aliquot inter se conueniunt, & commodo numero, sed nunquam grandi, erudiendos tradunt præceptori, qui & iis ducendis

38. Institutio pueorum in literis.

cendis Pædagogi fungatur munere, & sensim expoliat vrbanitatibus patriis, in quibus illic tantùm momenti reponitur: iis in scholis quamdiu educantur, prohibentur omni planè lùdo, graui prorsus nugacis ætatulæ cruciatu. Nec verò facile ab Sinis, nisi primoribus luditur, & sunt formæ ludorum tàm ingeniosæ, nihil vt tale cernatur in Europa, vt missos faciam reliquos, eorum latrunculi ab nostris plurimum discrepant, Rex vltra passus quatuor non procedit; duo illi semper, hinc & hinc assident consiliarij; nullus ibi feminæ locus est, ne ficta quidem & ludicra palam toleratur; quadris ritè trecentis distincto vtuntur alueo, in iis calculos alter centum digerit candidos, totidem aduersarius, sed nigros: interrumpendi sunt hostiles manipuli, qui hostem campo prorsus extruserit, victor est; quod minori quam horæ spatio nequaquam conficitur, noctes eo in ludo solidas trahunt Literati, suntque in pretio qui eius artes docent, foliis non ludunt, nec aleam iaciunt nisi viles, & mediastini: pueris vt ludo minimè arcerentur, inest ad litetas is ardor, qui vltro ad illas eos rapit. Festos Sinis dies præter quatuor non legi: solennem præ cæteris primæ lunæ annique ipsorum exordium, quem ad plenilunium perducunt; excipiuntque altero quem vocant Laternarum, ob gestientis lætitiæ publicam ostentationem, quam suo quisque iocoso pro genio edunt, figuris luminum domi foriſque variè accensis. Lunæ tertiæ festum functorum honori celebrant tertio eius die, quartum fluminibus Luna quinta; Lunæ ipsi quintum, septimo eiusdem septimæ Lunæ die. Præter dies hos paucos, nulla toto anno ab scholis & studiis quies, etsi plures nobis quotidie ijs horas insumant. Superiores eorum facultates, miror magis ob illa quæ sciunt, quàm ob ea quæ nesciunt rideo: debent id quicquid est quod norunt, suo ipsorum ingenio & inuentioni, furto nihil, aut aliarum gentium labori, quo si vellent ditari profecto quantò nobis nunc subsunt, tantò altius eminerent. Præstant enim nobis felicitate ingenij, & studendi assiduitate; sed vitæ pars bona iis abit, in characterum arcanorum infinitate cognoscenda; quâ plus quam mediocri dum carent, non possunt suorum magistrorum antiqua capere monumenta, laudem alioqui excogitandis nouis promerituri egregiam, qui discendis diu pridem inuentis consenescunt; quod ne gratuitò iis à me præstitum videatur naturæ primum cognitionem quod attinet, excelluere semper in astronomicis, ac si eorum annalibus fides, ante annos quater mille trecentos, Cyclus quidam veluti solaris ab iis inuentus est, qui volumine annorum sexaginta circumscriberetur: tot enim annis seculi sui orbem definiunt: historicorum Sinensium libros centum Nicolaus Trigaultius cum patientissimè legisset, ex iis Latinè quæ scitu dignissima censuit, in Europam tulit; inter quæ notat iam inde ab annis vniuersali diluuio proximis, cœpisse Sinas cœli motus seruare, non per minutias fractorum graduum, sed per integros gradus; iisdem historiis, defectiones solis vltra ducentas legi, consignatique suo singulas anno, mense, die; sed hora

39. Ludi.

40. Festa & iustitiũ Scholasticum.

41. Inuentio artium.

Astronomiæ & mystic. numerorum.

hora nequaquam ; vt neque mensura digitorum , quæ lucem huic ademisset. Ad hæc inuisarum eatenus stellarum , & cometarum notari multo plures , quam quot hinc postremis quatuor seculis Europei scriptores enumerent ; vna item solerti adiectione numerorum ad numeros, stellarum septem errantium , comperisse motus quos vocant medios, statuto epochæ interuallo , & anni mensura (quem diebus trecentis sexaginta quinque , & senis ferè claudebant horis) computando semper centesimis , quæ sexagesimis computamus , & æquationum tabulis quod residuum erat coaptando , quod forte illos docuerant Arabes qui annis retro quadringentis in Sinas cum Tartaris sese infuderant ; ea demum illos numerorum scientia præditos ab inundato iam propemodum orbe deprehendo vt esset primis eorum Regibus , & Sapientibus solenne præceptiones de moribus, & regni arcana , numeris velare, ipseque hunc morem tam diu, per successiones multorum Regum quoad cœpit tædere obscuritatis illius ancipitis ; extitiisse vero tunc peritum hominem sapientiæ illius numericæ , qui eam clarè interpretatus sit , inde obscuritatis illius vsum iacuisse , vt factum videmus in Pythagoricis numeris : sunt ergo vtraque in Regia Pechini , & Nanchini , antiquissima organa facultatum astronomicarum quorum formam & modum vsumque , præstat hic à P. Riccio qui ea spectauerat , quàm à me describi. Anno inquit , 1599. Nanchino egressus , in montem conscendi , vbi Regis visitur Mathematica supellex , montis verticem planities obtinet , quam multorum capacem ædificiorum illic distenderant veteres iisdemque ornarunt : prostabant in ea ex ære fusa , Matheseos inuenta : operoso artificio exculta : iacebantque ducentos quinquaginta iam annos sub aperto cœlo , ab imbri & niuibus illæsa : in iis, spectanda præcipuè quatuor. Globus ingens & trium hominum complexu grandior , parallelis suis , & meridianis gradatim circulis impressus. Sphæra orgyarum diametro duorum , suo præcincta orizonte , circulorum vice armillis distincta duplicibus quorum intermedia pro circulis erant , graduque signabant trecentos sexaginta quinque , sua singulos in minuta diuisos , loco globi terrestris , catapultariæ instar, canna, mediam peruadebat sphæram , perforata , flexilis , quamcumque in altitudinem mobilis , ad suspiciendas per eam stellas , & earum situs aptandos gradibus , quos ipsa indicabat : tertium organum, Gnomon fuit altus quaternis ad quinque orgyias, Septentrionem versus longo impositus lapidi , cum adiecto circum eculeo , ad explorandum vt reor aquæ fluxu an plani eiusdem Orizon , & lapis superficiem ; & stylus rectos angulos obtineret : cumque esset vtrumque distinctum gradibus , facile credidi notandis vmbris vsui fuisse , punctoque certius exigendo solstitiorum , & æquinoctij : quartum denique prioribus vastius commissura erat planisphæriorum quatuor in vnam machinam , eorum diameter duarum fuit orgyarum ; vnum ad meridiem vergens exhibebat æquinoctij orbem circulum ; Meridianus huic proximè iungebatur ,

43. Mathem. instrumenta.

nisi

nisi quod poterat circumuolui; vt etiam tertium quod verticales circulos erectum referebat: gradus illorum notabant globuli vt possent tactu numerari; sua lingua Sinensi, singulis epigraphes inerant in quibus partis cuiusque explicatio charactere patrio legebatur, cum nominibus syderum octo & viginti, quæ in Zodiaco nostris duodecim respondent. Videbantur autem astronomica hæc arma fusa sub gradu & elaborata sexto tricesimo, atque inde Nanchinum ab iis translata qui essent eorum planè rudes. Vidi & Pechini his adeò gemina, vt manus eiusdem possit labor censeri, peregrini fortassis astrologi; quod fabricata sint cum Sinis Tartari potirentur, hæc de mathematicis organis Riccius, quæ vtraque in aula, ostentatio vna, & curiositas asseruat, nullo præterea illorum vsu vel pretio, vtilior multo Ceucuni Regula qui fuit Sinarum] Ptolemeus annis mille ducentis eo antiquior. Vixit is Tenfum in Prouincia Honana, quam idcirco Sinenses mundi iactitant vmbilicum, quod ab extremis Sinarum finibus distet æqualiter, extra quos vix esse somniabant quod mundi nomine dignarentur. Monstratur illic hodieque turris, cuius in specula Ceucunum fama est noctes duxisse peruigiles, seruandis syderum motibus, ortu, & figura. Extat erecta ad perpendiculum Regula supra laminam ex ære amplam, Orizonti peritè coæquatam, certisque tum hæc, tum Regula mensuris consignantur, quæ sunt nunc etiam Mathematicis Sinarum commodæ, habent Sinæ duo istorum Collegia Pechini vnum, Nanchini alterum Astronomicis vtrobique egregiè organis instructi; noctes è turribus perpetuas vigilant, & cœlum mutatis vicibus obseruant, ecquid nouæ flammæ, inuisi syderis, inusitati luminis, signive alterius appareat, vt hoc ad Regem mox perferant, quidve id portendat inter se statuant. Horum item è calculo defectiones cœlestium luminum expectantur, quo nullum est vniuerso regno negotium grauius. De hoc ab aula cursores in Prouincias mittuntur, qui Magistratibus vrbium, diem, horam, adeóque momentum prænuntient laboraturæ deliquio lunæ; iubeant ab ipsis, & sacrificulis idolorum, absque numero conchas, pelues, tympana & quicquid aliud altiùs sonorum & turbulentius streperum, haberi ad manum expedita, vt conspicati sydus obscuritate iam aliqua morderi omnem exerant instrumentorum illorum cantum, fragores, & strepitus, quoad astro sua redeat claritas; ad exterrendam, inquiunt, draconis ingluuiem, deuoraturi alioquin, & absorpturi lunam: at quanto id scilicet mundi damno? bardum planè, ac stolidum ignoratæ Astronomiæ timorem! in hominibus alias ingenio præditis, sibique plurimum de cœli cognitione placentibus, quos adhuc Draconis fabula, & nomen latuerit. Sed hanc illorum ignorationem excuset grauior; nunquam boni viri, planetarum motus aut intelligere ipsi potuerunt, aut annis ab hinc trecentis quinquaginta, voluere ab Arabibus discere, nec habent qui norit, vna sphæra omnes, an pluribus voluantur; excentricorum, & epicyclorum peregrina sunt iis nomina, & quod hinc sequitur, igno-

44. Astronomica Regula Ceucuni.

45. Mathem. Regis.

46. Defectionibus luminum quid agant Sinæ.

ta ratio, stationum, & motuum, quibus agi diuersis, & subinde contrariis videntur, ne durationes quidem præscire valent eclipseon quarum, ex solis & lunæ ascensu mensura ducitur, quin & fallit eorum algorismus in prædicendis illarum initiis, & quidem haud vna vel duabus, sed decem interdum tardiùs, aut citiùs horis; cuius in decursu operis exempla videbimus nimium luculenta. Non quod planè ignorent parallaxas, seu diuersos aspectus in defectionibus diurni syderis, cum æquè à vero aberrent, siue illas contingat in meridiano, siue in vtrovis Orizontis extremo fieri: habent quidem eorum antiqui auctores canonem subducendi de spatio temporis, si ante meridiem, solem defectus luminis occupet; addendi vero, si post meridiem, sed neque is canon mensuram temporis præscribit, nec ipsi tantum potuerunt vt illam inuenirent, aut assequerentur eius causam; produnt illorum historiæ, quinquagies quinquies emendatas ab iis sui Calendarij tabulas errante semper in cœli motibus calculo; absoluta demum earum correctio PP. Adamo Scial, & Iacobo Rhò debetur: annis retrò trecentis quinquaginta, suscepta fuerat à Tartaro Iueno, tunc Sinis imperante, & Cosceucino commissa, cui parem non viderat illa ætas, ferturque nunc etiam à gradu nono, & decimo, ad septimum, & sexagesimum Septemtrionem versus, adisse singulas Tartarorum & Sinarum vrbes, ac poli vbique accuratissima obseruatione altitudinem emensum per gradus, & minuta, comprehendisse illam iusto volumine qui labor fuit annorum sedecim.

47. Solstitium Hibern. Sinenses Astronomos regit.

Verum hæc, ne quid dissimulem, tam rudis apud Sinas cœli cognitio, illorum ingenia mirificè illustrat, quòd nullis muniti sciendi principiis ex quibus Astronomiæ canones, & abacos ducerent, demonstrationibus Geometricis respondentes, eò tamen suas obseruationes, mentis acumine promouerunt, vt artem ex iis sibi conflauerint, haud aliunde quàm à se inuentam, nec multum à vero aberrantem, cuius hic saltem vestigium, libenter opinor earum rerum non planè imperiti legent. Regulam igitur orgyiarum octo ad perpendiculum erigunt, in omnes partium diuisam minutias; vmbram notant quam in plano mittit, eadem pariter cum regula tributo in partes, & Orizonti coæquato, vmbras eius obseruant triduum ante solis hybernam stationem; tantumdem, statim post. Punctum enim hoc solum satagunt certò statuere (vt primum arietis in verno æquinoctio solum inquirimus) inde vmbrarum illarum extremis, adæquatarum cum aliis, postquam multas simul in idem incidere multis locis notarint, ex iis medium punctum constituunt (quod solstitij quæsiti sedes est) referuntque in diem, horam, & momentum in quod inciderit: quanquam vmbræ tunc circa solstitium cò sint minus certæ, quò ex solis propinqui ardoribus largius vaporantur; nec ipsi solis diametrum attendant, sed inumbratum regula lumen vniuersum, velut è medio dumtaxat solis puncto, seu centro progenitum spectent. Sic deprehensa est ab Sinis absoluta circuli mensura quem

cœlum

cœlum ſuperius ſuo motu facit, & ex conſequenti, annui curſus iuſta periodus, & quæ, quanto ſit hæc quam illa pro ſpatio temporis breuior; nam integrum ſolis per eclipticam gyrum millionibus definiunt minutotum tribus millibus inſuper ſexcentis quinquaginta duobus, & quingentis ſeptuaginta quinque, quorum ex anni periodo detrahunt quinquaginta, ſed ſunt illorum noſtris imparia minuta. Vbi vero illorum Aſtrologi ſeculorum triginta remenſi orbes aduertere, non ſemper in idem anni punctum ſolſtitium cadere, ſolis motum conſtantem, ſe certis regulis comprehenſuros putauerunt; verum illud motuum tam ſubtile diſcrimen cum ſub ſenſum vix cadat eiuſdem hominis ob eius æui breuitatem, quot eos Mathematici indagarant, tot de motu hoc ſolis, eorum opiniones extitere, donec Coſceucinus obſeruationibus annorum bis mille inter ſe comparatis, pronuntiauit, minori ſpatio quam annorum ſex ſupra ſexaginta non poſſe ſolem vno gradu ſolſtitium tranſgredi: ſic ventum paulatim ad inueniendam de qua nunc etiam litigatur, præceſſionem æquinoctiorum, quam Doctor Paulus, Sinenſis, clarus Aſtrologus & ſanctus, collatis quæ noſtri Europæi ad annum huius ſeculi nonum & decimum de illa vulgarant comperit non multum à noſtra diſcrepare: cœterum tam ardens Sinarum ſtudium in ſtabiliendo cœli puncto, menſionum omnium moderatore, & auſpice, non vna incendit curioſitas ſciendi; ſed horarum delectus in leuiſſimis quoque vel omittendis vel ſuſcipiendis, in quo nullos putem in orbe mortales tam ſcrupuloſè ſuperſtitioſos: ex vitiata itaque radice aiebant neceſſario plantam omnem vitium ducturam, & perperam poſito incipientis anni momento principe, vitari errores in reliquis non poſſe, futuraque non raro ineundis rebus ominoſa & infelicia momenta, quæ fore benefica prænuntiaſſet Aſtrologus; ob hoc Aſtronomiæ Sinenſis cardinem in eo verſari ſtatuerunt, vt veram ſolis deprehenderent ſtationem, ex qua anni totius motus, & tempora certo metirentur. Quare nulli fas eſt tanto negotio manum admouere niſi cooptatis in Collegia Regia; multo minus calendaria concinnare quæ ære regio quot annis per totum imperium immenſo numero ſparguntur. Anni principium Sinenſes à noua Luna ducunt, quinto Februarij proxima, ſeu noſtro aquarij gradui quinto & decimo, qui ſolſtitio, & æquinoctio interiectum ſpatium æqualiter ſcindit: eo die ſolem in ſigno conſtituunt quod Lieciunum ab iis dicitur, & rediuiuum ver apud eos ſonat; menſes duodecim lunares annus cenſet, alios minores dierum nouem, & viginti; maiores alios triginta, & redit quinto quoque anno intercalaris cum reſiduo elapſi temporis, quo pacto ſolaribus menſibus æquantur. Dies hebdomadæ nobiſcum ex planetarum numero partiuntur, quibus ſua cuique ſydera quatuor, tribuunt in dies ſingula, quorum poſt octauum & vigeſimum diem redeunt eædem vices, ſeptenariis quatuor dierum exactis Diem repetunt à media nocte, proferuntque ad medium noctis inſequentis: horas illi aſſignant tantum duodecim æquales, partiunturque illum in

48. Anni Sinen. principium.

centum particulas, & harum vnamquamque in centum minuta comminuunt, quorum millia decem, integrum diem conficiunt. Ad hæc horas numeris non appellant, sed vocabulis propriis & characteribus, obseruantque in iis potissimum tres, ingentis ob cœli constitutionem cui subsunt momenti: primam noctis mediæ vmbilico, qua cœlum putant fuisse conditum; alteram, qua formatam humum, tertiam qua fictum existimant hominem. Cæterum qui lecti ab Rege calendarios contexunt indices, id habent oneris, non vt iis modo adscribant diem vertentis anni primum; menses quibus sol vnumquodque signorum subiturus sit, & defectiones passurus luminis; Lunæ item aspectus, configurationes stellarum vagantium, dierum mensuram, & solis exortus, ad vsque centesimas horæ cuiusque particulas; verum iis etiam incumbit, vt fastos tùm dies tùm horas ab infastis secernant, definiantque distinctè res vel ducturas ex iis exitus infelices, vel ab iis fortunandas, vt sunt aliquid ex Rege quærere, & ab eo rectè aliquid concedi; sacrificare, functorum parentum instaurare memoriam & honores, studere, vxorem ducere, lauari, vocare conuiuas, migrare in alias ædes, iter aggredi, mederi morbo, plantare, serere, quicquid demum terram, corpus, actiones priuatim, aut publicè attinet moliri, quorum nemo fas putet obnuntiante calendario quicquam suscipere, quamuis illa eius prognostica non de syderum aspectu, sed de nugis, aut incantamentis edita videantur; characteres decem anno attribuunt; elementorum quinque (tot enim numerant) singuli vnum significant; nexibus sexaginta cum nominibus horarum duodecim coaptant. Constellationibus octo & viginti postmodum assumptis quibus adest suus singulis planeta, diei vnus dominus: ex hac tricarum farragine sua demum illa edunt oracula: quin ex affectionibus quæ Sol & Luna vaporibus imprimunt, & aspectu circum apparentium colorum vaticinantur maximis de rebus audentiùs quàm nostri ex nouis stellarum ignibus & cometis, vt cum eorum ex libris authenticis aphorismos referam, constabit. Et quidem hactenus, nec plus vltra licet Astrologiæ vsus apud Sinas quàm ad concinnandas Calendarias tabulas, ad alia omnia lege vetitus fundatoris qui familiæ regiæ nunc quoque superstitis caput fuit; quòd factu pronum videretur, vt ex quibuscumque ariolorum prænuntiis, nouarum rerum & proditionum libidines in hominibus etiam plebeis orirentur, si semel animo concepissent, se ad sceptrum natali sydere inuitari: quod delirium nonnullos Sinarum Monarchas tragici theatri argumentum fecit.

49. Superstitionis horarum obseruatio.

50. Medicina Sinar.

Huic Astronomiæ Sinensis vitio, non absimile est vitium medicinæ, quanquam miros cernat ex vtraque euentus experientia; nullis discitur scholis Sinarum medicina, tradunt illam suis filiis patres, magno vtique artis compendio quæ medendi arcana in promptu habet longo tractu annorum à maioribus explorata, & posteris hæreditaria;

ditaria; remediis vtuntur simplicibus, herbis ferè radices, cortices, seminum grana, & talia adhibent, ad curationem, quorum legunt impressas codicibus figuras & efficaciam, insistuntque in his doctrinæ potissimum ac placitis Imperatoris quondam sui; nomine Ientij; in re herbaria præcellentis, quem pro suo adorant Hyppocrate: quocumque porrò accitur medicus, suam secum officinam portat, miscetque ipsemet ægroto pharmaca, nec redit ad illum nisi denuo vocatus, sed ei relinquit integrum, cuiusvis si lubet, alterius Medici operam poscere. Missio sanguinis vix cuiquam præscribitur etiam ardentissimis febribus, sed exquisitæ inediæ, tam dura seueritas, vt nemini sat tolerabilis credatur: ægrotum dies septem, non raro & quatuordecim, subinde viginti abstinent omni prorsus cibo: aquæ dumtaxat, quantum voluerit propinant, & de succo pyrorum aliquid ter quater quotidie; huius tam tenuis dietæ, fames in diem producta quartum & decimum, fratrem quendam ex nostris Sinensem, à morbo lethali restituit. Sed Europæorum opinor ventriculis indiceretur parum feliciter. Hanc Sinæ Medici hac parœmia adstruunt, si feruet olla, bullitque te inuito, ignem subducito; infundito frigidam; feruentem haudquaquam detrahito, nec enim detracta feruenti, bullire residua desinet, quo vulgari effato intelligi volunt non esse sanguinis ardorem immodicum venæ sectione, sed cibo subtracto & refrigerantibus retundendum, quod pronuntiatum quàm rectè aut secus accipiant viderint, qui curandi via planè contraria procedunt Archiatri; constat stylum Sinensis medicinæ mirabiliori sanationem exitu comprobari, ad quem dubio procul magnopere confert, morborum peritia incomparabilis, qua longo vsu & studio parta, Sinæ Medicos nostros longo post se relinquunt interuallo. Puderet Sinensem Medicum ægrotum rogare quid doleat? quis morbi ortus, & series fuerit? foret hæc aperta vltroque edita ignorantiæ suæ confessio; seorsum ab arbitris seducit; arteriam tentat subtili examine, horæque in eo dimidium attentè insumit, & nosse illum omnino oportet, valetudo quævis intestina quos edat proprios, & singulares arteriæ pulsus, qui corde cernuntur interprete, motúsque illorum prout afficitur ciente, nam ex ea statim morosa & minuta pulsationum variarum indagine, comprehendit Medicus & ægroto enarrat totum eatenus ab initio morbi cursum, & quæcumque exinde debeat expectare. Ita quidem ex arte Medici sapientes; longè aliter, longéque alij, quorum inter Sinas duplo maior numerus & æstimatio, quibus nomen si posset stultorum tribui, fraudulentiæ crimen vtcumque in iis excusaret. Profitentur hi & senes decrepitos, & ætatis cuiusvis homines se restituere iuuentuti, & denique vendere immortalitatem; cumque arte fallendi quam faciunt, compellantur vagari perpetuo, & noui vbique, ignotique appareant, adesse se aiunt ex regionibus, quantum iis lubitum maximè longinquas fingere, & iam sæcula vixisse quot iis placitum mentiri, cui mendacio fidem allinunt effrontes,

51. Venditores immortalitatis.

narratione priscæ vetustatis, & prodigialium quos comminiscuntur casuum, iurantque se præsentes spectasse, tanta iis veri, ex singularibus adiunctis adpicta similitudine, vt rem pridie gestam referri existimes; calliditate hac impudenti, dementant stolidos perfidiosi sycophantæ, sed ante stolidius inductione animi dementatos, qua rentur posse mortem depelli potenti antidoto occupatam, nec esse supra vim humani ingenij, si quem aut bona sors, aut sagacitas insolens inuerit, ambrosiam illam reperire. Hac insania qui laborant, non sunt de luto & trinio plebeij, sed sapientiæ ac literarum flos, iique tot numero, vt scribat ex aula Pechinensi, qui præsens cernebat, in illo totius imperij Literatorum concursu lectissimo ægrè duos fuisse liberos ab hac peste. omnes in id incubuisse totos, vt quouis & sumptu, & perpessione fierent immortales, nec mirum qui sapiebant quàm maximè, delirasse illos tam maximè. Vitæ nimirum post hanc alterius ignaris, beatitate illa opum & honorum contentis quam habent in Literatorum gradu multis parto laboribus, annisque repositam, optandum præterea nihil restat, nisi vt illo æternùm fruantur, mortemque prius quam ab ea occidantur occidant: estque tam potens hoc fascinum, vt vel morte vel fuga promissorum, decies & sæpius delusi, sperando tamen animum obstinent, quoad exhausti pecuniis, dum cæcis sorbitionibus, & præscriptis mortem arcent, in flore viuendi moriantur.

§1. Chimica Sin.

Huic Sinarum dementiæ comes est necessario altera, & desiderio immortalitatis bonorum cupido, quibus immortalitas si caret, pœna est, sæuumque supplicium. Fingi animo non potest quàm dira nummi fame, fornaculis, lucernis, catillis instent, infumentur cerebro, & angantur ad cogendum, & comglaciandum argentum viuum, non alio ferè operæ pretio, nisi (si cui suus felicissime labor cedat) adulterina quapiam ditetur lamina, nec ignem nec malleum duratura, vanescente interea, in sumptus & fumos, sincero probatoque auro. Iuuat tamen deceptos centies, etiam tum sperare, ac dum certum confidunt quod nunquam experti sunt, experiundo falli, senescere, expilari. Annis ab hinc ter mille & amplius Sinas tenet blandæ huius insaniæ vetus malum, & suos memorant priscos aliquot sapientes & sanctos, qui tam altè in Philosophiæ intima penetrarant sese, vt illius tandem Philosophici Lapidis in venam inciderent quæ metalla mutaret, & pretiosorum animam vilibus inderet. Monstrant hodiéque haud procul Puchiano Suciuensis Prouinciæ vrbe solitariam insulam, seu proiectam ex ripa in lacum linguam, vbi sæculis ante Christum quindenis, conflaturæ metallicæ apud Sinas Hermes, cognomento dominij Hoantis folles suos inflabat Chimicos, aurariis & argentariis foculis intentus. Hinc præter codices Typis in publicum editos, circumferuntur absque numero manuscripti, horum sibi quisque Hoantis arcanum arrogat, quisque cœteros falsi, aut dubij damnat; denique hac histrionia, & his sycophantis nulla toto regno merx vendibilior; foretque lepidum

lepidum otiosis frustrationes audire aut legere, quibus vaferrima hominum natio in auarorum stultitia passim ludit, nasciturque mox auro inhiantes, plenis foculos inter nugarum catillis diuites, emunctos marsupiis, nec raro exhaustos deserit. Melioris ingenij Sinarum Poëtica, etiam aliquid ad mores confert: ea rithmis interdum solis interdum syllabis stringitur; nonnunquam legibus arctatur, quibus nullæ in Europa Poëses angustioribus premuntur, ob statarum vocum quos exigunt sonos, tum similiter cadentium, tum allusionibus iteratis idem variè significantium: quod genus apud illos octauum est laudationis heroicæ qua prosequuntur amicos, præceptores, Literatos, inaugurationes dignitatum, & graduum, virtutes eximias, Philosophos veteres, & huiuscemodi semper ferè illis in ore argumenta. Floret quoque inter illos scena, haud scio an nostræ legibus adstricta; sed vix alios inducens præter maiores & antiquos, eorumque vt plurimum decora, quamuis etiam subinde dedecora, imo & dixerim nefanda, nisi magno probro inter Christianos spectarentur impunè, & exhiberentur. Ex his Comediæ vel Tragœdiæ sint, spectatorum præcipuum, actores rogant quæ placitura sit maximè, illam optet. Ob hoc illi descriptas offerunt, spectantúrque, pariter & audiuntur libidine oculorum & aurium tanta (nam vix nisi musicè recitatur) vt vel horis quatuor solidis minimè satientur. Historia sequitur quam multùm venerantur Sinæ, de qua hic esset agendum fortius ad explodendam spontaneam & stultam fabulam cui de veræ historiæ Chronologia fidem conantur adstruere capita parum sana, mundum nempe alias ab his nostris annorum ætates principio habuisse, & humanum genus ab alio fluxisse capite; verum, & nugis & fastidio supersedens; dico breuiter Sinensem historiam plus centum volumina complecti, (tanti numeri rationem edicam postea) magnam iis merito fidem eos præbere, quòd nemini liceat historicum agere nisi quem ad hoc suffragia iudicum idoneum senserint, & stipendio regio auctorarint, nefas huic esse aliud in historiam referre quàm quod certo & liquido constet, exploratumque sit tot linguis, & oculis, quot sunt in toto imperio mortales. Quicquid posteris traditur per annos deduci non millenariis, sed Regum successione vitaque digestos, cautione tamen accuratissima, ne quod vni tribuitur temporis, possit vnquam cum æuo alterius confundi, quod est in nostra Chronologia nimium procliuè, dum incuntes annos pro integris notat; & rebus duabus communes pro duobus censet. Sinensis, annum quo quisque Rex moritur, eidem Regi addicit integrum; quocumque mense defungatur, nec inaugurati mox, annos successoris incipit fastis accensere, nisi anno proximè consequenti; duobus vero paucorum mensium defunctis nihil rerum aut temporis assignat, sed ei tantum cui successerant anno eodem coronati. Ex hac itaque tàm certa Regum & temporum serie, annorum summa conficitur orbis di-

§ 2.
Sin. Poesis Chronol. & Historia.

luuio

luuio superior, septuaginta quoque interpretum calculo minimè abnuente, qui aliquot sæcula vulgato addunt; quin & conditi orbis metam, summa omnis Chronologiæ Sinensis, annorum millibus quinque supra triginta transcenderet, nisi eorum sapientes pro anilibus & fabulis ducerent quicquid extra illam quam diximus Regum suorum fidelissimam seriem scriptum est, quam à Fohio, illorum primo ducunt, anno ante Christum 2952. Cum autem Literati periniquè ferrent Chronologiam suam tantis curis exactam, falsi nihilominus à nobis damnari, quod insisteremus reuerenter vulgatæ computationi, magno studio adlaboratum à Patribus in emendatione Calendarij Sinensis. Ex iis P. Giannadamus Scial eo creditu dignior quo Astrologiæ vtriusque tùm Sinensis tùm nostræ peritior, sub Iao Rege fixas notauit stellas duas ex quibus suum exigens algorismum, sequebatur, quod ferri nefas est, Iaum Regem annis octoginta fuisse diluuio seniorem, si vulgatæ versionis Chronologia spectaretur; iuniorem vero annis supra quingentos octoginta quatuor, si septuaginta interpretum calculus placuisset. Prudenter tamen de Chronologia Sinarum vtramvis in partem pronuntiare abstinuit, præsertim cum ipsi nec satis inter se conuenirent, sed ne secum quidem vnusquisque & in ordinanda successione Regum, & temporum, immani subinde annorum discrimine dissentirent. Adde quam sibi vim nobisque pariter contendunt facere, vt suos annos cum annis componant Scripturæ sacrosanctæ, cuius qualiscumque attendatur interpretatio, ab hac semper Sinarum Chronologia dissidebit. Iam rerum successibus quas annales ij narrant quantum fidei debeatur, manifesta quædam mendacia sic probant vt sit fatuum planè centum illa eorum volumina clausis oculis sorbere: argumento sit vel vnum quod produnt, Iao illo quem dixi Rege, solem, nescio quo pacto, tanquam vadis allisum, decem totis diebus stetisse immobilem, creditumque mundo postremum exitium adesse, quod horrendis incendiis omnia arderent, quæ apud Sinas vera historia, non minus falsa est quàm verax est Deus, cuius verba sunt, *Non fuit antea nec postea tam longa dies. Non festinauit sol occumbere spatio vnius diei.* Ios. 10.

53. Philos. Sin. moralis, & Confusius eius auctor.

Verum enimuero artium omnium & scientiarum in quibus Sinarum desudant ingenia, nulla est suapte natura præstantior, vel pretiosior ipsorum æstimatione, quam illa Philosophiæ pars quæ mores hominum informat. Hæc Sinense imperium fundauit, & partu gemino cum illo est edita; populis neminem corona, & sceptro inaugurantibus, nisi qui omnibus sapientia præstaret, suique præ omnibus regendi potens, non minus virtute nomen regium illustraret, quam ornaretur eius dignitate. Quare omnis illorum de virtutibus sermo, sic erudiebat auditorem, vt expressis quoque illarum exemplis fingeret Legi ego Sinensis Chronici ex lingua patria latinam epitomen illic scriptam, miratúsque sum vitas Regum Priscorum tam illustres in

omni

omni opere virtutis, nihil vt posset schola docere perfectius; qui ab instaurato post eluuionem vniuerso cum per aliquot ætates vixerint ab simulacrorum sacrilegio intactas, & ducem adhuc naturam secutas, morum disciplina vsuque præstantium virtutum, merito censentur potuisse salutem consequi, nec est quamobrem ferri possit damnationis in illos sententia, multo minus cur seros eorum posteros cunctis passim vrbibus liceat magno strepitu perterrefacere suppliciorum prædicatione quibus omnes maiores apud inferos crucientur, ipseque adeò, de quo nunc agendum, Confusius. Vt autem, quod solet vetustas parere, à primis Regibus degeneres fuerint, qui regno deinceps potiti sunt, sed tam infinitis temporum spatiis, nunquam regendo imperio admoueri alios contigit nisi quanto in omni probitate doctiores, tanto celsiorem in aula gradum assecutos, vt sapienter dixerit non nemo, Sinarum Reges si minus philosopharentur; philosophari certè qui Sinas regerent: qua de re paulo post in Reipublicæ designatione; hic necessarium arbitror ad multa deinceps occursura, de Confusio diserte scribere, Philosophorum Sinensium Principe, ac totius imperij Magistro de libris ab eodem scriptis, aliisque tum antiquioribus, tum paucis coæuis, sed ab eo redactis in corpus integrum sapientiæ Sinensis. Natus est Cei, in Prouincia Chiantonensi, seu in proximo illi vrbi monte, quingentis ante Christum annis, & vno super quinquaginta, dum septem in Græcia florerent sapientes, Academia, & lyceum nondum in auras prodiissent, annorum quindecim (quod tradit ipsemet, cœpit veræ virtutis inuestigare rectum iter, postque multas flexuum ambages, & fallaces vias, compertum denique iniuit, nec ab eo vnquam fractus vel nauseans quamlibet arduo, asperóve deflexit, quoad annos iam nato plus septuaginta gaudere in sinu licuit, profiterique nihil sibi virtutis, ratione monstrante dictari, quod non celeriter, facile, iucundéque præstaret, quo triplici ascensu, iniri creditur virtutis possessio, numeris omnibus absolutæ.

Annales quidem illius ætatis recolenti, & constantem virtutis illius bis mille annorum & amplius famam, (quicquid dictum fictúmve aliunde) profecto constabit, fuisse integritatis summæ virum, saltem intra fines rationis diuturno studio perfectæ, nec vni sibi tantummodo bonum, sed publicè vtilem, ad restituendam morum probitatem, quam dum vixit, exemplis illustribus, & doctrina insigni nunquam distitit promouere, Sit hic mihi pro teste huius laudis, Magistrorum veterum vnus quidam vel eius discipulus, vel ætate suppar, auctoritatis certè apud Sinas magnæ, eius stylus nobis forte nouus nec ita sapidus, sed sapientibus Sinarum communis. [Vide, ait, Confusium, totúmque perspice; cœlo vndecumque comperies & terræ similem; vt hac sustinentur, illo teguntur vniuersa; sic ille spes omnium fundabat; complectebatur, tuebatúrque omnes: assimilabat item quatuor anni vices, stato inuicem sibi ordine, tempore locísque succedentes. Solis instar fuit, & Lunæ,

qui duo planetæ mutuò, cominus eminus occurrunt sibi, & ab se fugiunt. Sic ille vbique mundo consimilis; vt enim rerum quædam infinitas, ab earum procedit origine vnica, & fonte, sic de mente istius hominis nihil non bonorum profluebat. Hæc ille de suo Confusio quas porro sibi opes scientiæ parasset idem refert. Cognitionem cœlestium corporum annis decem, post alias atque alias, dum nihil ei restaret aut intellectu difficile, aut longum: nusquam tamen seipso maior excelluit, quam in designandis virtutum ideis ad rectam priuatæ domesticæ politicæ rei gestionem necessariis, imò & regiæ dignitatis. Erat enim tunc Sinense imperium in multa diuulsum, & dissipatum regna, & rebellione perfidorum ruptum ius & fides, cum summa potestas ad Cei spectaret familiam, si plus ratio apud illos quam violentia valuisset. Cum autem rarum sit multos rara virtute excellere, nec possint Reges nisi rara, & heroïca virtute muneri suo pares esse, hinc eorum complures, exemplo magis subiectos populos perdebant, quàm recto imperio regerent; duobus quos idem Confusius celebrat exceptis: & iam eo vsque furebat mali vis, vt eorum qui publico præerant plærique Philosophi, regias exosi libidines, sua in rura secederent, iidem eorum domini, & coloni; solius Confusij vasta mens, & ardens tanto subire ponderi ausa est quanta erat instauratio deformati imperij, & reparatio collapsæ gubernationis, & priuatæ virtutis lectis ergo discipulis aliquot, ex tribus millibus quos erudierat, cœpit cum iis regnum omne obire, penetrare se in aulas principum, eósque affari, attonitis omnibus, quod vir in speciem apud suos ciues dicendi rudis & agendi, tam sublime ad rerum quas docebat, & personarum maiestatem, stylum attolleret, vt cunctis principibus sui moueret admirationem, & reuerentiam. Etsi autem huius quod moliebatur tanti operis palmam non plenè sit adeptus, sed eam induxit conuersionem morum ad omnem probitatem vt regni vnius ob hoc ipsi corona deferretur, si maluisset vnus optimè populos regere, quàm multos ad hoc Reges & Principes erudire. In hanc morum emendationem contentione infracta incubuit ad annum vitæ septuagesimum tertium, Sinas impleuit sapientissimis vitæ priuatæ, ac publicæ dogmatis; imperij gubernationem ex parte in aurea ortus sui sæcula reuocauit, honores decreuit parentibus tum viuis, tum fato suo functis. Discordes populos nexu strinxit tam arcto mutuæ caritatis, vt quod habent fasti eorum veteres, regnum vnum, vnius familiæ instar esset. Expurgauit libros Priscorum Sophorum, damnatéque in iis quod offensioni esse iuuenibus poterat, reliqua vtilia & casta in molem vnius operis collegit. Excitauit iacentes, suo puluere literas; Philosophiæ vsum defluentem, cœptumque negligi, loco reposuit pristinæ dignitatis. Relicta denique Sinarum posteris, Philosophicæ virtutis exquisitissima regula, vitæ suæ exemplis clarissimis expressa, moriens magnum sui desiderium populis, & viris principibus reliquit: magnoque apparatu ab discipulis

lis est elatus. Sed viuit nunc etiam post viginti seculorum ætates eius memoria, & ea colitur veneratione, quâ Sinæ maiorem diis suis non exhibent. Nulla tanto in regno est ciuitas, sunt autem innumerabiles, in qua Confusius aulam non habeat, lege imperatoria splendidè in Vrbano Palatio constructam, siue academicum theatrum dixerimus, velut templum, illic in tabula grandibus literis depictum magnificè legitur eius nomen; vel fusa sculptáve statua manus eximiæ visitur: ad hanc mense quolibet, redeunte Luna, orbemque complente, Magistratus omnes solenni habitu venerabundi conueniunt, & Literatorum patiter, excepto nemine, vniuersi gradus, (quod eiusdem quoque natali annuo seruatur) quater coram ita corpus proclinant, vt fronte solum verrant; recitant illi encomia elucubrata ingenti studio, flores spargunt, odores incendunt acerris capacibus, ceruo, sericis pannis & similibus donant, quæ postea cremantur. Cum autem Reges qui post illum proximè viuere, excogitato illi nomine proprio & æterno, decreuissent illum *Magistrum Sinarum vniuersalem* dici oportere (quod regio nomine à quibusdam obtruso censebant præstantius) hinc fit quicumque aut Literatorum inaugurantur insignibus, aut in altiorem promouentur gradum, sistant se illi tradantque discipulos, eiúsque doctrinæ assertores, nec tam proiectæ quisquam audaciæ vsquam sit, qui vllum ex tot Sinarum Philosophis non reformidet illi præponere, clarum esto doctrina, & moribus, sed ad Confusium tanquam solem obscurum, & luce defectum: eius dicta, velut oraculi, firma, ineluctabilis putantur, veritatis, & ne dubitationi quidem permittenda; eius autographa tàm scrupulosè seruantur integra, vt iis edendis erosos æuo characteres, mutare similibus in editione non liceat, nisi solum ad marginem adiectis, vacua interim versus plaga ad quem ij pertinent, vt ne vno quidem ambiguo charactere, sincera illius doctrina semper glorientur. Iere quoque in nepotes, meritorum ipsius præmia: impensis, regiis liberaliter habentur, & auitam in iis sapientiam & virtutem, vtilitatésque regno allatas vniuerso Reges munerantur. Adde quod eiusdem familiæ caput sellæ ius habet, qua cultu splendido gestetur, transmittítque ius idem, in natu maiorem filium cum titulo Principis, & copia bonorum quibus dignitatem illam sustineat.

§4. Honores Confusijmerè ciuiles.

Iam hic tantus honorum, tam insolens cumulus homini delatus, vt non possit diis ethnicorum deferri augustior, pronum est, vt prima specie videatur esse sacrilegus, & esse talem iudicarunt quidam, alioqui prudentes, sed in rebus Sinarum nouitij: & hinc traducta societas, & impietatis execrandæ accusati Patres, quod conniuerent ad ritus eiusmodi, & conuersis ad Christum illos permitterent. Ad rem tanti & tutò securéque cernendam, itum est à nostris in consilium sæpius, non duobus aut tribus, sed plurimis, Theologiæ quidem sacræ doctrina insignibus, sed in scientiis, ritibus, & historia Sinarum cognoscen-

da viginti annos inter Sinas triginta, & quadraginta versatis; retractata est ab ipsis tota post æuum Confusij bis mille annorum Sinensis antiquitas, institutio, mens, & vis originaria istorum rituum; elucidatum eadem opera quid olim, quid tum quoque Sinenses de Confusio sentirent. Postremò etiam consulti Doctores præcipui, & Christiani, & Ethnici, ipsique adeo Colai, quorum est suprema post Regem potestas, & auctoritas doctrinæ, hísque fundamentis stabilitum est, denique quid & quantum deferri Confusio liceret, haudquaquam profectoab vllo dãnandum qui vel dimidiam huius diligentiæ tantæ partem, ferendæ ab se sententiæ præmiserit. Sed hæc accurata & longa deliberatio cum multos habuerit, & in Theologicis Magistros, & Sinarum iam sexagenarios incolas; & de fidei rebus lingua Sinica scriptores, sua omnes laude pro testimonio proferri dignissimos; vnus hic mihi omnium vice sit Matthæus Riccius, vitæ sanctimonia, & excellentia doctrinarum tum Sinensium tum Europæarum, eam illic adeptus venerationem, quam pauci ex Sinis, ex aduenis nemo, post Apostolicos annorum septem & viginti labores, Regis dono magnificè tumulatus. Hic ergo Sinensis historiæ inuestigator mirè sagax, sacræ potissimum, & in euertenda Sinensium idololatria scriptor Theologus mirè acer; in illa honorum multiiugi pompa, exhiberi Confusio solita nihil inuenit quod iure damnaret, suáque in historia probauit Confusium à Sinis haud alio haberi colique titulo quàm integerrimi, & sapientissimi hominis, cui reparata res literaria, & magisterium virtutis in Philosophia de moribus excellens planéque singulare, honores etiam promerita sint extraordinarios, nec aliis communes.

55. Hist. Sin. à Trigault. editæ, auctor Riccius.

Historiam Riccij dum dico, hanc volo intelligi quæ falso fertur Nicolai Trigaultij nomine *De Christiana Expeditione apud Sinas*; cuius nec auctor Trigaultius, nec è Matthæi Riccij commentariis vt falsò quoque ibidem asseritur velut è schediis compilator, & structor. Constructam enim à Riccio, Latinè dumtaxat Trigaultius ex Italico Riccij edidit; cum appendiculæ adiuncto, cui certè summam rem non decuit cedere, in possessione totius operis asserenda. Quin & eandem Riccius ad vitæ suæ finem tam integrè perduxit, vt præter eius mortem nihil ei deesse videatur: seruamus in tabulario nostro Romæ, eius autographum exemplar Riccij manu scriptum, cum aliquot eius epistolis, quibus vernacula sua Italica idcirco ait ab se compositam, ne priùs in Typos daretur, quàm Romæ foret censorum iudicio approbata. Ego verò hæc mihi propterea ex officio vulganda credidi, suum quidem vt quisque ius ferret, verùm præcipuè vt discernendis de religione grauissimis difficultatibus, vsui hæc forent quarum solutio cum ex certa factorum cognitione maximè penderet, ad hanc aliud pondus infert auctor & testis Riccius vir sanctus & insigniter doctus; quàm Trigaultius, qui annos non ampliùs duos in Sinis moratus, vixque satis Sinicè capiens, & loquens, remissus illinc est in Europam ad quædam Prouinciæ illius conficienda negotia.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Huius partem itineris quam mari obiuit, testatur ipsemet, se in historia Riccij Latinè vertenda occupasse; imo nec eius opus est adiuncta historiæ Appendix exigua, sed Patrum quorundam quos ætas, & rerum Sinensium diuturna peritia, ad hoc idoneos fecerat, de quo illorum vnus P. Nicolaus Longobardius disertè monitum voluit Aquauiuam, tunc Societati Præpositum. Nunc ad Confusium redeamus, cuius honores, nihil sacrum & supra hominem, superstitionem quod sapiat nihil habent, sed vsitatis apud Sinas vrbanitatibus continentur, quas illis ab æuo dictauit studium, æquali Magistros cum parentibus honore & veneratione prosequendi: nam ad dignitatum, opúmque fastigia, cum vna grassentur literarum & doctrinæ via; & Philosophiam quæ de moribus est, etiam per se plurimi æstiment, instauratorem defluentium literarum, & vindicem, reparatorem morum, & concordiæ publicæ, quibuscumque possunt grati animi ritibus venerantur; singularibus quidem, quia nemo illi par in hoc genere; publicis quia nulla pars regni eius beneficentiæ expers est; perennibus, & crebro iterandis quòd perpetua sint quæ contulit imperio bona. Nec si sanctum etiam appellent à vero aberrent, cum eo nomine intelligere nihil possint, nisi quam solam norunt morum probitatem naturæ finibus circonscriptam, qualem fuisse Confusij Prisca omnia prædicant monumenta, cuique modi eiusdem honores accommodant, qui si penitus introspiciantur, non modo ab omni culpæ labe intelligentur omnes puri, sed ij præsertim quos magis habebat suspectos religio, vt est Sericorum & Cerui combustio; qua in re primum aduertere opus est, suos cuique populo ritus, & ciuilitates esse, & quosdam situ non magis antipodes, quam cerimoniarum vsu esse; aperto capite quempiam salutare apud nos vrbanum, apud Sinas agreste, & barbarum; Regis vacuam sedem prono corpore venerari, Sinis pulchrum, & nobilis aduersus Regem officij; nobis aut stolidum, aut forsitan impium. Rituum naturam, in ciuiles & sacros, non forma illorum, & materia diuidit, cum inflexione genuum, & thure sæpe Deus & homines colantur, sed institutio quæ certos diuino cultui dicauit, vt iis increatæ excellentiam naturæ, omnium fontem, potentem, & arbitram, omnium finem & dominam testaretur & profiteretur ab se adorari: hoc certè animo, occisus ceruus victima fieret, & sacrificium combustus. At enim donandi Confusio cerui nulla est ratio nisi grati aduersus Magistrum Sinarum animi; nulla comburendi, nisi ne fictè datus, & histrionicè videatur, si eum recipiat qui dedit: quibus enim Sinæ vitam debent aut victum aut vitæ commoda, solent vt antea diximus, apud illos beneficium profiteri, munusculo aliquo ad fouendam vitam vsitato: sic functis parentibus, dum habent domi eorum cadauera quotidie; post vero quotannis stato die ciborum copiam offerunt, quos permittant Bonziis absumendos; sic & Literati quicquid habent bonorum, & gloriæ, cum

acceptum Confusio ferant, reponunt tantis beneficiis, donorum vicem, quæ propterea igni tradunt vt à se omnino abdicent, nec ritus explendi gratia, simulatè, sed ex animo, & verè se dedisse testentur. Hæc mera Sinarum, nec improbanda mens, quàm P. Manuëli Diazio, palam explicuit vnus earum Præses cerimoniarum, dies erat solennis, seu nouæ, seu rotundæ Lunæ, optarat Diazius, qui nostris præerat, ritibus interesse, vt posset eorum quæ ipse spectasset testis non dubius haberi: quæsiuit igitur ex rituum Præside illud cerui comburium, odorum, & panni Serici, cui bono? vtrumne ad sacrificium? an verò Confusium pro Deo vel semideo haberent? Cui vir sapiens, non esse Sinas tam crassos & stolidos, vt quem nasci vidissent, viuere ac mori, huic supra hominem aliquid arrogarent; nec adeò ingratos, & agrestes, vt cui omnium essent obnoxij quæ literarum præsidio obtinebant, gratum erga illum & memorem animum non proferrent: ecquid verò tanti iactura hæc esset, reculorum paucarum incendium, vt eius integrè totæ essent cui offerebantur, non possent saltem in vsum alterius cedere? Pergensque Diazio confirmauit, à Confusio nec peti quicquam, nec sperari, quod reuera is homo esse, nec supra hominem posse aliquid putaretur (nam de hoc etiam rogarat Diazius) ex quo apertè liquet, nudæ ciuilitatis ritus esse quibus suum Sinenses Literati honorant Confusium. Nec tamen nostris propterea visum est, sat expedire Neophytis quod nulla satis vetabat ratio; abstinere illos à cremando ceruo voluere, ne quam sacrificij speciem præberent; at ij ne qua item præparcè sordidi traducantur, ceruum inter amicos diuidunt, quicquid porro in Patres baccati sunt qui sacrilegij & impietatis illos accersebant, extorquere ab iis nunquam potuerunt, vt æternos ignes Confusium luere pro concione affirmarent, nec enim is strepitus aduersariorum niti poterat diuino monitu, quo spiritus sanctns certiores fecisset damnatum inferis Dei vnius cultorem, infensum idololatriæ, probitatis sequacem quam insita cuique præmonstrat ratio, & magnis virtutum dotibus præditum. Ergo nec saluum prædicare, quòd iis esset ignotum nostri potuerant, sed neque damnatum, voluerunt; quod nefas censerent id agere, prospicerentque inconsulti ardoris proiectam audaciam non habituram alios exitus, præter sacrorum operariorum è Sinis exilia, & defertionem afflictæ Christianitatis: quod vtinam tùm sæpè aliàs tùm in Prouincia Fochiensi non foret nimis euidenter probatum. Pechini certè, fuit inter insignes Literatos, qui ab rituum tribunali libello supplici petiit vt pelleremur extra imperium, quòd essemus rebelles, & aliorum scelera, Literatis attribueremus, dum esse idolum Confusium docebamus, & cultores eius vniuersos cum illo pariter addicebamus igni sempiterno subterranei carceris: ac rescripto quidem illius tribunalis, libri omnes nostrorum subiecti censuræ, quæ nihil eorum quæ insectatus fuerat libellus deprehendens, accusationi finem

siloenti

silentio imposuit, sed periculo longè grauiori coacti sunt verbum exponere, quod in eandem Literatus quidam de Confusio sententiam male accipiens, librum scripsit aduersus fidem Christianam. Explicationem symboli Sinicè nostri vulgauerant, in descensu Christi ad inferos, narrabant ab eo assertos cœlo Patriarchas quibus ante aduentum Saluatoris occlusum manserat. Cœterum nulla Confusij mentio, sed ex consequenti, interpretatus vafer teneri Confusium subterraneo carcere, (sic inferos vocant) fidem quæ hoc doceret Christianam auersatus, velut mendacem impugnauit: eam ob rem furori talium hominum, ne qua eiusmodi daretur occasio, carceris vocem mollire oportuit, tàm acuti est sensus reuerentia Sinarum erga suum Confusium.

Eius tandem libros ad ea quæ passim occurrent nosse iuuerit quinam, & quales sint. Codices primum compilauit quinque, partim ex iis quæ elucubrarat, partim quæ Prisci sapientes iidémque Reges: duobus historicis gesta complexus est Sinarum Regum lectissima, & aliorum quos virtutis excelsæ & prudentiæ flos, posterorum dignos memoria, & imitatione effecerant. Tertiò poësim, non fabulosam, amatoriam, inanem, mulcendis auribus tornatam; sed grauem Philosopham, documenta virtutum ex ingeniis hominum, populorum variis moribus, priuatis rebus & publicis ducentem. Quartò Philosophiam naturalem mysticis numeris comprehendit, & accommodauit fingendis moribus. Quintum cerimoniis sacrorum prætexendis dicauit, & comitati ciuicæ præscribendæ rituum Vrbanorum. Doctrinas hos libros appellant, nec fas putant illos impugnare, sunt & alij quatuor, sed longè his impares; vnus Suntij cuiusdam quem frater Confusij filium habuit, reliquos Mentius, Cautius, & aliis edidere, omnes magno doctrinæ politicæ ac moralis nomine laudatos, & multorum elucidatos notis, quarum vnæ solum sensu legitimo putantur illos exponere: certè Mentius de suo damnatæ doctrinæ principiis librum suum infecit. Nolim autem his voluminibus tractata sic accipi, vt modo & Methodo digesta opus conflauerint alia morale, politicam alia, definitione virtutum, & officiorum multiplici, partitionibus, & argumentis absolutum (dialecticam Sinæ, ac Rhetoricam ignorant, nisi quam illos natura docuit.) Constant omnia ex solitariis, & diuulsis præceptionum, & iudiciorum obseruationibus & sententiis, solo tranquillæ & excultæ naturæ instinctu conceptis, cuiusmodi solent præstanti homines virtute, ingenio, & experientia concipere. Stylus denique librorum, Epicteticus, non Academicus; nihil rationibus adstruit, sed velut ex notis planéque compertis, conclusiones solas habet quibus eò pertingat animus quo illum Confusius destinat, vbi nempe naturæ impetus, nunquam rectum, & verum præoccupet, sed in omnibus sequatur; & quicquid interius à nobis aut exterius dicitur agitúrque, proficiscatur ex imperio rationis, sibi tamen vni minimè consulentis, sed publico, cuius singuli pars sumus.

56. Libri Confusij.

Sic

Sic fore parendo fidelem subiectorum obedientiam, Magistratuum iubendo auctoritatem moderatam; priuati cuiusque in vitæ officiis seruandis inculpatam virtutem.

56. Literatorum Sin. triplex classis quàm dura Examina exigat.

Hic Sinarum Magister Confusius; hæc eius librorum auctoritas & fides tam religiosa vt nec syllabam in iis ausint in controuersiam trahere. Ex his ab infimo ad supremos, omnes se fingunt Literati; quicquid ascensu promouerint, contentionibus ingenij, & sciendi merito id debent, multorum examinum seueritate ad purum excocto, tam cæca & acri, vt nec odij vmbram nec gratiæ possit admittere: ac licet ad gradus etiam infimos literarum, exsorbendæ sint illis difficultates omni opinione nostra, vsuque graviores, verum extra illos cum nihil possint sperare diuitiarum & gloriæ, ingenij viribus, & labore confisi sibi à se omnia pollicentur, & si minus in primis, aut mediis, in imis saltem subselliis locum sibi facturos, nullus enim locus inter Literatos merito suo & præmio vacat, etiam infimus, & abiectissimus nobilitatem ab Rege consequitur, commeatúmque rei familiaris in omnem vitam. Facit autem ad hos gradus viam accessu tam arduam causa triplex prima nouem librorum quibus solis eorum insudat opera, character innumerabilis, & varietate infinita linearum, distincta vocum significatio. Imaginosa vi opus est valida, vt comprehendantur, animo figurarum tot millia, sintque in promptu cum vsus est; nam omnes qui teneat, habeátque ad vsum quemlibet expeditas reperitur nemo: altera characterum diuersa inter se consociatio, nexúsque multiplex, ex quo velut musiuo, mira existit elegantia figuratorum sensuum, & expressiones eorum acres, & viuidæ; nos enim ex literis voces; illi ex iisdem sententias variè commissis integras componunt. Ad hoc egent sublimis ingenij viuaci acumine, nec triuialibus inuentis contenti, dictorum ambiunt generositatem, ornantque illam omni eruditione ab antiquis suorum historiis, Poëtis & Oratoribus petita; fabulas respuunt tanquam indignas prudenti homine, & recti veríque ex falso mendicas. Tertia denique difficultatis causa experimentis continetur, quæ sui præbeant oportet qui ad gradus secundos literarum adspirant; ad hanc limati iudicij quanta firmitas exigatur mox edam: nunc imaginum artifex facultas; excelsi acumen ingenij; & exquisitus iudicij vigor; tria hæc ad magnam scientiam præsidia, cum ægrè in singulis omnia excellant, inde asperum euadit ad Literarios honores iter, ac tantum non inuium: triplici ad eos ascensu examinum scanditur, quorum quisque vt altior sic operosior; superandi sunt singuli probatione ingenij præstantis, contentione laboris in studendo, & quo nullum meriti fortius argumentum, competitorum victoria, quorum est quidem immensus numerus; at qui summum quod prensant assequantur pauciissimi. Primum horum agonem vrbes omnes spectant, subitúrque veluti apud nos pro baccha laurea. Secundus pro magisterio, certatur solum intra metropoles

poles; tertius in aula tantum Pechinensi, pro iure, & insignibus Doctoris. Ad prima Examina designatus est suus cuique Prouinciæ à Rege, vir exploratissimæ fidei, & doctrinæ quem Thihium dicunt, eius est obire ciuitates, & candidatos literarum probare, vt fiat ex iis delectus Suizaiorum quod vertamus licet, bacchalaureorum. Concurrunt prout est vrbs frequens, horum ad quatuor, quinque sex millia; singulorum doctrina tentatur examine triplici, primum agunt ex Literatis antiquioribus quaterni qui degunt in academia Confusij. Horum è manibus transeunt ad seueriores, Præfectos videlicet ciuitatis, sed longè impari quàm venerant numero, solis enim qui prima tulere suffragia, fas est secunda hæc ambire, in quibus adeò minuitur numerus, vt ægrè ducentos efficiant, quorum tertia demum, cæteris acrior periclitatio ad Thihium spectat, qui viginti, ad summum triginta, suo iudicio, dignos laurea baccha inaugurat, ingeniorum florem, tanto nimirum ex numero, tam augustum, tam sagaci sollicitudine & cura lectum. Reiectos ab imis, vel mediis sedibus, non frangit repulsa, nec abiicit, maioribus animis literarum studia resumunt, alteram aleam suo tempore subituri: quò illos tùm alia stimulant, tùm honos, & veneratio, quibus nouum dignitatis gradum, vniuersi promotis gratulantur: nam exinde ab Rege sibi ac domui annonam accipiunt; priuilegiis augentur; censentur inter vrbis optimates. Peculiari cultu spectabiles incedunt; grauioribus cerimoniis adeuntium officia excipiunt, & reddunt; multis in rebus immunes sunt à communi foro; & si quâ reos causa damnauerit, mitius pœnas luunt, denique velut recens ex seipsis nati, nouique generis prima stirps, primarij nobiles hoc ipso creantur: nobilitatem enim Sinæ vt à maioribus nequaquam hauriunt, sic non transmittunt ad minores, suam cuique nobilitatem sua virtus, & suum ingenium fingit, sibi quisque vni eam debet, præterea nemini; & suo interdum ex mapali pedes ad examen profectus, prærogatiua scientiæ repentè fit nobilis, ditatur, honoratur, eóque subinde dignitatis attollitur, vt Regis etiam propinqui eum de genibus alloquantur. Verum enimuero quem dixi tertius Literatorum Ordo, donec ad secundum pertigerit, obnoxius est nouo examini quo Thihius eorum promotor cognoscat, num fortè honorum opumque saturi, labori pepercerint (qui certè haud paulò grauior ad secundam Literatorum classem ab iis exigitur quàm ad primam) num suum ingenium, patriæ spes, & beneficentiam regiam luserint. Reuocantur itaque ad incudem, datoque iterum experimento sui, diuiduntur quintuplici ordine. Primis negotia, & officia creduntur honorifica simul, & quæstuosa; secundis item, sed parcius; tertios nec pœna nec præmium afficit; quarti publicè cæduntur, maiori dolore quàm probro; exaugurantur vltimi omni gradu & ad pristinam redeunt vilitatem.

Hos omnes gradu antecedunt Magistri, seu quod aliud sit nomen quod Chiugin Sinensi certius respondeat. Hanc in classem adscribi

non ambiunt, nisi quos omnium optimos, inferior excepit, nec promouentur nisi tertio quoque anno, & intra quindecim Prouinciarum metropoles, idque octaua Luna quæ in Septembrem nostrum cadit. Pechinum, & Nanchinum centum quinquaginta; vrbes aliæ, ferè centum producunt, nec licet hunc numerum exire. Præfectus studiis Senatus, Regi centum præstantes Literatos libello exhibet, vt ex iis triginta seligat, quos in metropoles singulas binos mittat examinibus præfuturos, horumque alterum ex Collegio regio in quo nemini sedes est, nisi sit laude omni maior: eorum profectio ad articulos temporis tam aptè exigitur, vt die eodem adcreditas sibi metropoles, pertingant vniuersi; nempe Lunæ octauæ nono, duodecimo, & decimo quinto, etsi duorum subinde mensium distent itinere; aduocantur qui missis ab Rege assideant & parte laboris eos leuent quem sanè tam grauem & diuturnum perferre soli omnino non possent. Interea vero dum noni diei, præstolantur auroram duo illi, quos huic officio in aula Pechinensi Regis imperium addixit, mortalium neminem vel affantur ipsi vel audiunt, ne suspiciones moueant, indicati cuipiam argumenti quod improuisum debet examinandis omnibus proponi. Habent Metropoleon vnaquæque Palatium muro cinctum, speculatoriis, distincto turribus, & latè capacem aream claudente, cellarum circiter millia quatuor complexam, harum singulæ tres ægrè latæ passus, quatuor cum dimidio longæ, ad hominis staturam altæ; supellex mensa & sediculum præterea nihil. Subituri examen ad Magisterium baccalaurei, vna ianua omnes intrant, sed ipso in limine sigillatim excussi, ne quid in vestibus, aut penicillorum calamis scriptum celent; quod si deprehensi fuerint attentasse, crudè à lictoribus publicis verberantur, præter se igitur, calamariam thecam, penicillos tres, & cartæ folium, nihil eò inferunt; ingressi clauduntur signatis ianuis; circundant palatium milites; Literati pro turribus excubant ne quo cellulis clausi misso vel accepto signo, alienum opus pro suo nitantur obtrudere. Nec fas est quicquam vicino sodali, de cella, non dico innuere, cum prorsus aspectu mutuo careant, sed nec insusurrare quidem, cum cellis singulis miles aduigilet totus oculeus. Pendent ad quatuor areæ angulos cubitalibus literis commissionum argumenta, in quibus debent experimentum sui præbere candidati. Sunt autem primo quidem die, effata Confusij quatuor ex libris quinque doctrinarum, tria vero ex aliis quatuor, quorum est apud Sinas summa auctoritas. Licet cuiuis optare quam suis viribus senserit æquiorem: orationis in eam scribendæ modum metiri debet characteribus quingentis (seu quod idem est) vocibus complecti. Die altero, & tertio, qui sunt Lunæ decimus quintus, & duodecimus, integrantur excussiones, excubiæ, cautiones. Trium proponitur deliberatio, in quibus quid fieri prudenter debeat? quid omitti? quod dandum Regi consilium? pronuntiandum est, in modum libelli supplicis. Habet dies tertius & postremus, causarum ciuilium & capitalium

pitalium tres nodos dissoluendos, absoluendo, damnando, conciliandis inter se partibus vt si candidati pro tribunali iudicarent. Tribus his doctrinæ reconditioris, & sapientiæ probationibus dies dictos insumunt, & ab hora diei prima labori acerrimè ad noctem incumbunt. Prandium iis leue ciuitas suggerit, à quo nihil fumorum metuat cerebrum. Sub noctem omnes sua folia complicant, sigillo claudunt, suóque, maiorum, patriæ, ac sui cum obscuri & ignoti pagi adscripto nomine Præfectis tradunt. Præsto sunt his amanuenses, indeque apographa non atramento, sed minio statim ducunt, pernicitate quidem incomparabili, sed fide tam religiosa, vt ne apici quidem vtramvis in partem dent veniam; hæc auctorum suppresso nomine, suis primùm ritè cum archetypis collata censorum iudicio committuntur, archetypis interim sub sera, & annulo reseruatis: sic auctorum ignari penitùs, de scriptionibus illorum censores iudicant. Primus earum ab assessoribus aduocatis delectus peragitur, ij tanta ex multitudine optimas quasque seponunt ab aliis, plures duplò quàm sit designatus ad gradum numerus. De his ad vltimum duo illi ex aula missi pronuntiant, & partem earum altera meliorem, suo calculo probant, in quo nihil non accuratione incredibili attendunt; sed iudicij maximè, in sententia ferenda, & dando consilio cordatam firmitatem. Hoc tandem perfuncti lucubrationum scrupuloso delectu, coguntur examinatores, earum apographa, cum archetypis autographis conferunt, & integritate gestorum omnium, ad viuum probata, compertáque, magisterio dignos, Luna octaua exeunte in publicum proferunt; nomina illorum, & scripta, & excusa toto regno spargunt, cum eximia eorum cuiuspiam, compositione, non oculis modo Senatus regij, sed Rege ipso digna. Hic dici non potest, quanta passim gratulatione, honore, lætitiis, muneribus etiam excipiantur ab omnibus, tanquam regni deinceps primaria capita, & ex parte Rectores; nam magnam in partem veniunt, munificentiæ regiæ officiorum, & prærogatiui cuiuslibet iuris; nec vlla supereſt deinceps subeunda illis periclitatio, sed possunt tutò partis frui, & in gradu, si lubet, quem adepti sunt, quiete, vitæ residuum agere, postposito ambitu Zinsuum, siue Doctoratus, qui amplissimus est, ac supremus Literatorum Ordo: ad hunc nisi tertio quoque anno nullus prouehitur, Prouectioni status dies Lunæ secundæ nonus, duodecimus, & decimus quintus; locus aula ipsa Pechinensis; & Rege ipso coram, dictísque ipsomet ab Rege censoribus de promouendorum merito cognituris, quibus ex omni sapientiæ flore lectis, vnum adiungit ex Colais, qui Magistratus secundum ab Rege locum tenet. Probationis formam à superiori nihil distinguit nisi argumentorum quæ proponuntur sublimitas, doli seuerior, & acrior cautio; & probandorum numerus qui vicenario, prouinciarum singulis designantur. Appetente hora, promulgandi nomina electorum, præsto sunt trecenti stipatores, totidémque aurigæ qui suæ adhuc ignaros sortis, & spem

inter metúmque latitantes indagent, sed amicorum tunc indicio, inuentu faciles, equis impositi & pompa magnifica in Regiam deducti, excipiuntur inusitatis honoribus, & fuit olim cum ipse Rex sua illos cohonestaret præsentia: illic Præsidis manu Doctorum insignibus decorantur; & noui aliquid breuiter componunt, ex quo iteratis de cuiusque merito calculis trifariam diuisi, prærogatiuam vt laudis sic honorum, & officiorum primi ferunt, & multo maiorem inter illos primus. Hos verò exinde Doctoratus eiusdem consortes trecentos, nexus amoris tam arctus colligat, vt si forent eodem progeniti patre, pertinetque hic amor ad eorum etiam propinquos, ipsosque examinatores quos venerantur parentum loco, & ab his vicissim omni ope & studio fouentur, ac tanti sunt quidem literæ apud Sinas. Verum & ad illas quocumque quid modo attineat, honorificè habetur, ornantur Calamodochi margaritis; inaurantur cartæ; nobilitatem haudquaquam dedecet compositio atramenti, & sculptura gemmarum ac lapidum in sigilla, quod ea nomen, cognomen, & dignitatem signantium, literis impressa contineant. Quin & sacrilegij instar sit si quis cartam quibusvis fortuitò inscriptam literis adhibeat in vsus non dicam infames, sed profanos & viles. At enim quis credat militiæ gradus, eadem examinum religione dispensari, (competitorum inclusione prætermissa) nec iis tamen præesse censores, & iudices, bello trito, armisque confectos, sed tantum Literatos. Sedent in militum campestri meditatione Literati, dum eques, pedes, arcu, cursu, experimentum sui miles præbet. ponunt militibus scripto respondendum hoc aut illo belli, & pugnæ articulo, quid è re futurum censuri sint, quam suos in partem flexuri? quos optime omnium sensisse iudicat Literatus, ij gradu donantur militari; flocci enim arma, & bellum Sinensibus præ maiestate literarum, quibus pace ac bello fulciri totum imperium arbitrantur: quæ Literatorum administratio, cum nusquam alibi tam admirabilis legatur, explicanda est paulò distinctius.

58. Examen Sin. militare.

Sinarum imperium iam indè ab annis quater mille penes vnum fuit; Reges tamen subinde beneficiarios habuit imperitantes quibusdam prouinciis. Verum decem & octo fluxere sæcula, ex quo, subactis iis penitúsque deletis, rerum summa in vnum rediit. Nemo subiectos in populos ius habet, præter vnum, nemo tribunalia statuit, aut nummum percutit, vel quid aliud audet, quod supremam oleat potestatem. Hinc ille titulorum fastus quos illi attribuunt, Tienzum, hoc est cœlo natum; Hoantim, supremum Monarcham, qui ferè in vsu est; vtque alios taceam qui omnes maiestatem sonant, & sanctimoniam, Vansaius in aula nominatur, quæ vox decem millia annorum significat, quos illi adprecantur dum eum nominant. Sedes regia, vrbs Pechin; sed eum nunc à populi oculis maiestas, aut metus submouet suoque palatio claudit, ciuitatis instar amplissimo & omni ad stuporem admirabilitate operum, & deliciarum saturato. Verum hic sui à mortalium

59. Gubern. Sin. Monarchica.

60. Regis Sinar. nomen, cultus color, maiest. insign. &c.

oculis

oculis subducendi mos nouus, paucis retro ab annis inductus est; bis saltem quot annis alios sacrificium solenne, Reges in populi conspectum dabat, sed armatos, & denso exercitu viam partim quâ erant trasituri, breuem licet cingente; partim sellas gestatorias decem grandes seiunctis excubiis seruante, omnes modi eiusdem, coloris, & ornatus, vt omnium similitudine, in earum vna rex tutius lateret. Interdum quoque se de fenestra videndos magis quam cernendos præbebant, sceptri enim loco, ex gemma laminam gestabant bipalmarem, latam digitos quatuor, eáque intentis ad cernendum principem oculis, plus oris dimidio tegebant. Impendebat capiti corona figuræ insolentis, vlnæ vnius in longum tabula, in latum semis, vnionibus filatim, & margaritis fimbriata, vt interspicere intuentes possent, non possent ab iis vultus eorum denotari. Color vestium croceus sic Regi proprius & perpetuus est, vt qui eum vsurpet, suspectum se faciat perduellionis, nisi forte Regem affinitate proximè attingat. Vestes draconibus aureis acu phrygia intextæ; draconibus supellex regia vniuersa, ipsæque ad ò palatij tegulæ, demum quicquid vbique regio censetur nomine dracone insignitur: quo item regio animante, vno aut pluribus, pro modo concessi honoris, vestes suas prætexunt Ministri: auem quoque sibi peculiarem Rex suæ chlamidi inter dracones interserit, quæ si pictura non mentitur, speciem præfert nobis valde monstrosam, de Phœnice tamen credi potest duxisse quòd Solis ales nominetur, quod mira colorum varietate decoretur, quod nisi semel singula sæcula eam non videant, quod sui spectaculum vltra certum annorum numerum si fortè differat, calamitatis publicæ omen putent. Scutario Typo ille Regum Priscorum dicitur eam inussisse cuius tempore primum apparuit. Porrò hanc sui Rex tam auaram videndi copiam non vulgo tantum negat, sed ipsis etiam, quos Patres appellat, Colais, etsi cum iis regni negotia & curas quotidie diuidat, soli eum; Eunuchi, & ancillantes matronæ nobiles assiduè vident, quarum anno 1637. nonnullæ vt post narrabitur Christo nomen dedere; vxores item, & paruuli filij; vitæque tam meticulosè, & anxiè cauet, vt à viris grauissimis acceptum retulerit Riccius hæredem imperij, si Regi se sistat inuocatus, fore parricidij suspectum, & fortè strangulandum. Neque propterea timendum, ne sui aspectum suis negans, eorum conscientiam fugiat, dubitentque an sit, quem nunquam conspiciunt, actuoso enim agendi vigore, pro anima regno est, quæ & ipsa sub sensum non cadens omnia peragit: vt ad hanc sensus sic ministri ad regem summa fidè, minima etiam referunt. Libellis itaque aditur ea styli aulici grauitate, quam rari etiam è magistris æquare valeant: reuerentiæ tributa, & obsequiosæ venerationis, vacuo eius penduntur throno, & coronæ throno impositæ. Nouo igitur ineunte anno, & primo eius die Prouinciarum quindecim legati superbo procedunt apparatu, annos decies mille Regi solidos precaturi. Cum his vniuersi magistratus &

proceres sua quisque in vrbe in templum conueniunt, multáque, ac lenta multarum horarum adoratione throno regio procidunt, draconibus aureis radiato, vt si Regem in eo considentem spectarent; instauratur quoque Regis dies natalis pretioso munerum appulsu quæ à Prouinciis Pechinum mittuntur, nec sinunt illas de rege an viuat ambigere. Iam nouo quemcumque seu literario, seu militari Rex præficit muneri, aut mediocri etiam dignatur gratia, bimestri quamuis semotum itinere, necesse est quamprimum se sistere, & solenni Eucharistico memorem animum coram throno regio profiteri. Ad hoc habitum induat oportet peculiaris formæ & coloris, mitram capite ex argento gerat inauratam; manu tabellam ex ebore, vel si dignitas ferat pretioso ex lapide, quam ori semper oppositam teneat, velut spiritus graueolentiam prohibiturus ab aliis, & væ! misero illi qui cultu corporis neglectim curato adstiterit, aut throni & aulæ perstrictus fulgore confusè aliquid, & ineptè in consuetis ritibus peccarit; præter ignominiam & ruborem, plagas etiam inde acerbas reportat. Etsi enim illi rituum Dictator, clara voce illos præcipiat, sed reuerentia & metus, non raro monita, diu quoque meditatis excutiunt; Augustam vero cæteraque reginas non obseruant Sinæ, vt solent aliæ nationes, cum nec regius sanguis, nec titulus nobilitatem iis conciliet. Augustæ solùm datur coram Imperatore vt sedeat, sedere reliquis coram ipsa nefas tametsi vxoribus & Reginis. Accedunt his vxores quidem, sed nequaquam Reginæ triginta sex, totidemque grex concubinarum, hæc autem opinor ex more antiquo historici sumpserint, nam hoc vltimo æuo Sinarum Imperator ducendis vxoribus est multo parcior. De plebe omnes propemodum leguntur; & multarum prensantium ambitus formæ præstantia dirimit; nemo vir honestus (adeò anxij & custoditi sunt pudoris) suam ad hunc delectum filiam exploratorum oculis committit, præterquam quod exigua est Reginarum in aula auctoritas; seueriſſima custodia velut æterna sepultura & inter æmulas riuales vita miserrima; quam item Eunuchorum diuersa studia miseriorem efficiunt. Horum vt minimum decem millia palatium claudit; omnes proletario ex luto, & pessima educatione, vt quos parentum inops fœcunditas Turcorum more euitandos tradit, inde à puero cum pueris coæuis in obsequia palatij aluntur, adultaque iam non magis ætate quam vita nefaria, in aulam subeunt, vbi se cum modo ex cœno, tunc aureos circumspexere aliquandiu, nulla æque natio efferatius superbit. Palatium omne, Reginas, Principes, Regem ipsum in manu habent, possuntque omnia si volunt, quod nimium sæpè in huius historiæ cursu continget cernere.

Qui vero tandem Rex, omnium quæ gerantur nihil videns, omnia resciat, geratque omnia; & confluentes ad illum vnum tam vasti imperij res omnes nec diuersitas confundat, nec turba obruat, nec prouisioni leuiorum obstent grauiores, omnino dignum est inquiri. Ac huius

ius miræ gubernationis cum multæ sint causæ, vna cœteras mouet, & congruis aptas officiis operi applicat; rectus nempe & idoneus ordo. Ex quo literas Sinæ colunt, quod fermè referunt ad eluuionem orbis primam, in hoc illorum sapientum consensus omnis atque contentio, vt machinam fingerent tanto versando imperio tùm æternam, tùm motu facilem: quæ item ratio illos monit, vt tribus è sectis quæ regnum diuidunt, literatis solis, publicorum administratio crederetur. Quod quæcumque vel discunt, vel docent, ad perficiendam conferant, & fouendam optimam gubernationem, nec vlli vehementius adlaborent quàm ordinis conseruationi, ex quo reliqua omnia partes suas, vim, & efficaciam assequuntur: certè illa populi Præfectorum, & negotiorum tanta multitudo, quantam possit omnis Europa numerare, tam congruis partium conserta, & suspensa nexibus voluitur, vt nullius æque ingentis machinæ, rotarum ordines famularum, decumanæ motibus obsequantur. Estque primum hic ordo inter ciuitates minimè obscurus. Nam Prouinciæ quindecim, Regnis totidem æquales Sinarum imperium componunt: sex illarum ad mare; reliquæ interiores continenti, possuntque nunc certius, contra errorem scriptorum veterum Chiano flumine diuidi, quod filium maris significat, toros ab occasu ad ortum Sinas inæqualiter scindente. Pars enim altera ad arctum sex tenet prouincias, in quibus tantoperè cantatum, tam diu alio sub cœlo frustra quæsitum & creditum Cataium (de quo commodius alibi) ad austrum altera, quæ Mangin Tartaris dicitur. Porrò vtraque muro cinctas, quâ grandes quâ tenues ciuitates plus sesquimille complectitur; aperta oppida, etsi vrbibus interdum paria, pagos, & castella, ea densitate, vt regni totius, habitatio vna videatur. Structura vbique propemodum eadem, omnes quadrato pomærio, fossis ingentibus, latis intra muros aggeribus, vallatæ, ac turribus quæ plana murorum per æqua spatia defendant. Sed maior earum soliditas & moles quæ portas singulas muniunt, præter bina quæ illas fulciunt propugnacula. Ingressus in vrbes nisi portis geminatis nullus; quarum interior, flexu ambiguo ab alterius aspectu absconditur, medium spatium præsidio militum valido semper occupatur. Harum vero quas dixi quingentarum & mille vrbium vnaquæque populum non conflat seorsum à reliquis, & aulæ dumtaxat mandatis obnoxium, sed mutuis inter se iubendi & parendi gradibus ligantur vniuersæ, & nobiliores, semper minoribus imperant. Numerantur in primis Fui nomine centum quinquaginta omnium amplissimæ æqualibus inter se spatiis toto regno sparsæ, in iis quindecim Prouinciarum metropoles, & Proregum sedes: nec sola murorum amplitudo, & frequentia ciuium Fui vrbes præ cœteris attollit, sed imperandi ius, quod in suam singulæ obtinent earum regionum in quas Prouinciæ tribuuntur, subduntur his minus nobiles, quæ Ceo continentur supra ducentas nouem & triginta, quibus rursum intra Hieni

fines

61. Monarchæ sinensis nexus & descript.

fines subiacent centum aliæ vltra sesquimille, & his æquabili descensu oppidula castella, & pagi, vt sit nullus in regno tam immenso locus, quin lege stabili pendeat à maioti: vt verò vna est minorum ad illustriora obsequens habitudo, ita est præfectorum à quibus reguntur, quo dici commodius nihil potest ad cogenda tributa, causarum, ac rerum pro tribunalibus celerem exitum, & securitatem tranquillæ gubernationis. Quamobrem & vrbi cuique vt mox videbitur suas est in partes præscripta distinctio, & quamcumque quis partem administrandæ Prouinciæ sortiatur, delineatam eius Topographiam apud se habeat oportet definita suis mensuris loca, quicquid demum sibi de iis nosse conduxerit. Ex quo fit euidens quod alioqui difficile creditu visum est, cùm sit nemo in Europam reuersus qui Sinarum Imperium delineauerit non dico etiam negligenter, sed neque qui totum percurrerit; habere nos tamen accuratissimas illius tabulas, cum prostent illic venales innumeræ quæ Prouincias non modo integras, sed subiecta iis loca referunt magna fide, seruanturque apud nos quas P. Michael Ruggerius indè Romam tulit Sinensi, & nostro caractere, illas typis, has manu excusas, vtrasque Prouinciis, & locis vniuersi regni, eorumque conditionibus dignitate, & iis quos diximus parendi iubendique vicibus notatas: ex his theatrum Sinense parantem edere mors præuertit. Meditato labori successit P. Martinus Martinius à quo nobis ex Sinis Nouus Atlas Sinensis feliciter in lucem prodiit, auctaque est illa Orientis nimia, & ingenti parte Geographorum scientia Notitia denique totius Imperij grandi volumine maiorum illic præsidum manibus teritur, in quo nihil vrbium, pagorum ciuium militum; nihil vectigalium, arcium, præsidiorum; omittitur; nihil tributorum, sumptuum, fodinarum prouentuum domorum vbique regiarum, & eius breuiter quod quocumque modo vsui sit ad tanti corporis gubernationem, sed ordinatissima serie singula ex singulis apta, & ab vno suspensa continentur. Forum suum habent territoria, in vrbe præcipua regionis cui subiacent; Regiones in vrbe Metropoli Prouinciæ cui parent. Prouinciæ in vrbe Pechinensi, Regni sede, & domina, vndè quoquo versum continuò leges, mandata, præfecturæ, supplicia, præmia, & occurrentium necessitatibus casuum opportuna mittuntur subsidia. Suus pariter cuique ciuitati partitionis huiusmodi consensus. suis singulæ regionibus distinguuntur quibus tribunalia propria ius dicunt, haud quaquam mutuo sibi obnoxia, sed superioti dumtaxat omnibus præsidenti: certum amplectitur quælibet regio vicorum numerum, nullus sine peculiari præfecto vicus, cuius est suorum apud Præsidem sui tribunalis edere rationem quorum ne quis ipsum latendo fallat, coguntur ciues pro suis foribus descripta palam tenere nomina illorum qui domi sunt.

62. Tribunalia sex.

Huic locorum tàm pulchrè inter se digesto nexui, succedit non minus admiranda negotiorum tractatio, quæ licet numero infinita & varietate

rietate semper noua : sic nihilominus solerter, & compositè dispensantur, vt Rex ipse in speciem iners, reuera omnia peragat : multorum enim tribunalium agitata, complanatáque disputatione, multis & magnis discreta sententiis ad illum cum veniant, in promptu habet rectum de illis iudicium, eáque vnius characteris adscriptione, vel probat, vel reiicit. Sunt namque in aula, Sapientum tribunalia, ad quos regni totius negotia in classes totidem seiuncta referuntur : suus est cuique tribunali Præses, Assessores, Magistratus ; Amanuensium, & Ministrorum turba ingens. Omnes de fisco regio largiter auctorati ; nullius tamen tribunalis eò potestas extenditur, vt supremùm de rebus pronuntient, causásque adiudicent, eorum est tantum de illarum iure cognoscere & consilium dare, quod partim pro suo cuiusque officio præstant ; Rege partim iubente, vt supplicantium retractent libellos, quos ad se vndique immenso numero priuatim, & publicè perlatos, eorum examini committit. Supremum tribunal, Mandarinorum curat vastam hierarchiam per quos negotia omnia etiam bellica proximè reguntur, consensione mirabili, minoris cuiuslibet cum superiori. Ab hoc aliorum principe tribunali, Magistratuum pondus cum ambientium viribus libratur. Recognoscuntur omnium qui regunt etiam infimorum tùm recentiora merita, tùm & commerita, quæ cum ad illud perferenda minimè dubitent, cautè in officio continentur, vel cupiditate maioris præfecturæ, vel metu exautoramenti perpetui, quod morte ipsa multis est grauius, repentè sæpius atque improuisò in ordinem redactis. Senatus huius cum infinita sit in vniuersi imperij Magistratus autoritas, cœli Mandarinos, eius Præsidem & Assessores vocant, tanti est illic posse homines dignitatibus augere, vel iis exuere. Tribunalis alterius Senatum Quæstores faciunt, regij vectigalis, & sumptuum penes illos cura, nullus enim est agri tam vasti angulus qui Regi centesimæ nonam decimam non pendat, nemo à capitatione eximius, præter Literatos, milites, consanguineos Regis & paucos alios ; iura beneficiaria, ciuilia, vectigalia, reditus annui absque numero ; impensarum alia ex parte tam profundus gurges vt nihilo Regis magnificentiam quàm ærarij opulentiam parcius illustrent, etsi de fisco ne obolum quidem frustra, vel temerè proferat. Horum omnium rationibus instat secundum hoc tribunal ; quin & arbitrariis donis concedendis, quo pacto si minus ligatæ, impeditæ sint saltem Regis manus post paulum patefiet : iam quò regij census pertingat summa, ægrè iis persuadebitur, qui suæ patriæ modulo, aliena omnia metiuntur, certo tamen pertinet ad annuos centum quinquaginta vt minimum auri milliones ; & cannabes, serici, orizæ, fœni copias, vndequaque pro amplitudine Prouinciarum, & vrbium immanes, qui tot opum tam profluí fontes in vnum collecti flumen ærarij regij, sinu triplici diuiduntur ; pars subit in domum sumptúsque regios ; pars in æraria quæ Prouinciæ singulæ seruant semper argento copioso in casus necessarios

63. Regni census.

munita : tertia eáque potissima in Literatorum & militum innumerabilem populum , tùm inaugurandum , tùm condignis ornandum & sustentandum stipendiis ; in templa , cœnobia ; in academias & pontes, in naues , & palatia , & quicquid toto demum imperio , publicis vsibus fuerit institutum , quibus tam prodigiosis interdum Rex impar cogitur , noua prouinciis tributa imperare : vbi succurrit lepidum Marci Poli nobilis Veneti qui rogitantibus amicis & ciuibus de Sinarum regno ex quo velut orbe ignoto redierat , cum Prouinciarum opes , & regias nisi millionibus aureis non censeret ; cognomentum accepit millionis tam constans vt ex fortuito in proprium transiret nomen , quo in veteribus Reip. tabulis appellatur , nec eius aliter ad S. Chrysostomi domus nominatur quàm palatium millionis. Tertium tribunal Ritibus præsidet , grandi , si quod aliud regni negotio , haud quidem solius comitatis , & elegantiæ studio , sed quod ea decori exterius tenendi accuratione , putant legis suæ præcepta contineri , & documenta probitatis , ex virtute profectæ , & egregiæ indolis bonitate. Sunt autem præcepta illa quinque iam inde ab ipso Sinarum exordio posita & perpetua Scriptorum & Literatorum commendatione semper noua, nunquam obliteranda. Obseruantiæ nomen iis tribuunt referuntque illa , vt alia omnia ad felicitatem priuatam & publicam , fructum præstantissimæ gubernationis qui mutua constat conditionum diuersarum & personarum necessitudine , ac decoro : filiorum videlicet in parentes obsequio & veneratione ; subiectorum erga Regem fide ; vxorum aduersus coniuges morigero ingenio ; fratrum erga natu maiores obseruatione; amicorum inter se fidelissimo nexu , & amore. Quibus virtutibus cum esse præditos homines deceat , aiunt pariter æquum esse vt exterius se prodant omni eo genere comitatis quam vicissim sibi omnes debent : cui obseruantiæ diligentiam suam intendit hic Senatus ; quanquam præter hanc etiam in templa, in religiones, sacrificia, festa, sacerdotes, & quicquid est sacrorum rituum suam operam porrigit , non simulatione impia, diuinis Deoque vtentium, vt rationibus Principum aduersus Deum famulentur , sed quod arbitrentur Reipublicæ conuenire ; etsi enim Deum quem se desperant inuenturos , quærere negligant , saluam tamen optant grati animi virtutem , quam si ab hominibus auferant, videantur illos mutasse in bestias : quamobrem cœlo , soli, stellis, anni vicibus quatuor , & mundi partibus , tutelaribus item vrbium geniis, terræ , montibus , & fluuiis sacrificant , non quòd opinentur , inesse iis aliquid diuinum , sed ne ingrati sint aduersus illa ex quibus tantùm bonorum percipiunt , versuri omnino stultum hunc erga sensu carentia honorem , in venerationem primæ bonorum causæ si eam agnoscerent. Ad hæc funebres ritus , parentalium, vrbanitatum officiosarum, epithalamij regij , & legationum; Professiones regiæ clientelæ , & honorarios ab Rege titulos suis consiliis moderantur. Datisque ad Regem literis respondent , quòd is sua indignum censeat maiestate , eas responsione aliqua

aliqua dignari. Quarti fori tribunal rem militarem administrat, qui labor in regno summè pacifico iudices illos non leuiùs occupat, quàm si bello vniuersum arderet. Hi militem imperant, Imperatores dicunt, Duces præficiunt, classibus maria insternunt, huiúsque omnis apparatus regni finibus propugnandis partem alteram addicunt; alteram longè numerosiorem, in procinctu perpetuo habent, & in occasiones omnes promptam, & paratam: ad eosdem spectant armamentarij, officinæ armorum fabriles, & fusiles, distributio militum toto regno, illorumque probatio, merita, præmia, & pœnæ. In foro quinti tribunalis vertitur quicquid vbique Prouinciarum & vrbium, ædificiorum regiorum nomen comprehendit, in quibus est infinitas quædam palatiorum, & nauium, quæ ad Regis magnificentiam, vsusque regiæ vtcumque pertinent, vel eius consanguineorum, quorum ad multa millia numerus excreuit. Sextum denique tribunal, de capitalibus cognoscit, & quod apud nos portento simile, de instrumentis cruciabilibus, & carnificibns ad siderandum terrore populum magis idoneis. Ac videntur quidem aduersum reos parcendo & plectendo extrema sectari, sed hoc putant Sinæ magis conducere ad humanitatem quam tanti faciunt, conseruandam, & vitandam in reos crudelitatem inexorabilem, itaque viuicomburia, & rotas, & cruces, & forcipes, & diuellenda quadratim corpora, proponi quidem oportere, minime tamen in opus conferri, nisi ob rara criminum & impiabilia portenta, quibus certè interdum tam atrocia infligunt supplicia, non modo vt summo in iure summa iniuria illos afficiant, sed humanitatem quam tantopere affectant, credi possint mutasse atrocitate belluina. Qualis est cum reum forcipe frustatim dilaniant, & resecandis lentè nouacula carnibus non prius absoluunt quam fructa earum sesqui mille, nonunquam & tria millia proiecta ob oculos cernat, actum demum truncato capite, mortem illi concedunt, cæterum fere capitales reos, gladio, aut laqueo plectunt, ac ne id quidem nisi propter noxas extra modum graues, inter quas furta non numerant, tametsi nullum inter Sinas maiori odio crimen sit, nullum frequentius. Prima nihilominus eius pœna, admonitio magis est cauendi in posterum peccati quàm admissi vindicta; secunda, furis brachium inurit æterno charactere; tertia, si tertiùm recidat frontem ipsam, & si post etiam fuerit deprehensus, aut multis contunditur plagis, vel summum ad transtra damnatur; quæ supplitiorum lenitas insidiis & latrociniis omnia implenit, quibus vtcumque inhibendis sub noctem lictorum exercitus vrbes totas ad vsque auroram percursant, & crepitaculis æriisque strepitu, seu monent ciues cauendum à furibus; seu fures à ciuibus, quod remedium magna pars mali est, cum trifur sæpe sit ipse furum inuestigator, & expulsor. Sed fori huius horrendam speciem, exhibet apparatus quo eius Administri in publicum prodeunt. Antecedit illos longa carnificum & lictorum turba, studioso delectu ex Tartaris conscripti, ore, habitu, vultu furiis simi-

les, quisque terribile aliquod cruciandis reis gestantes instrumentum, velut in omnibus compitis, lanienam crudelem edituri; vlulatus verò tàm pauendos mittunt, vt nulla in syluis bellua tàm dirè ferociat; ad eorum clamorem, tanquam solutis orco dæmonibus, omnes in fugam, & latebras se dare, domorum fores, & fenestræ occludi, solitæ populis stipari plateæ, tunc solitariæ, tristi silentio pauere: Nec est hic ludus aut cerimonia, in venerationem, metumque iustitiæ comparata; crudè adeò cæditur cui malè feriato contigerit, oculos tollere, & in Rhadamantum illum defigere; portatur is humeris lecticariorum, quales Poëtæ describant vltores criminum apud inferos iudices, & hac se Orcina maiestate ostentat populis, capitalium Magistratus; nec seueritate minus vultuosa causas in suo prætorio audit, præsto sunt illic iidem tortores, & eosdem crebro iterant vlulatus, maximè cum portas citatis pandunt; sedet sua tumens ferocia iudex; procul hi de genibus cernui respondent; peracto foro palatium clauditur, signantur fores, nefas cuiquam exindè affari Præsidem, haud tàm opinor ad terroris tenendam æquabilitatem, quàm integritatis, nullius suasu euertendæ.

Postremò Colais imperij Patribus, & supremis causarum rerumque arbitris quæcumque ad Regem deferuntur, sex illa, quæ dixi subsunt Prætoria; singula singulis, sedes illis eadem quæ Regi, Pechinum ciuitas, tribunalia cœtera etiam Nanchino concessa sunt ne ferret ægrius aulam à se olim Pechinum translatam. Soli ex Magistratibus Colai, quotidiè ad palatium procedunt, missos ab aliis tribunalibus libellos retractaturi maturiùs, suamque de iis sigillatim, Regi sententiam significaturi; qui si postulatis annuerit, *XI.* nota approbationis, hoc est, *fiat*, subscriptos remittit. Verum enimuero, si periculosi, aut ambigui iudicij res erit, haudquaquam indignum sapientiæ illius suæ sublimitate arbitrantur, Prouincialium Magistratuum, rogare consilia; imò nonnunquam & vrbium, quæ Parlamento & Senatu clarent; ex iis consiliis Regij Collegij Doctores, cum optimum quodque collegerint id Colai ab se recognitum Regi denique exhibent, moxque libellionum turba, respnosi Regij toto regno infinita spargit apographa, omnibus vbique certò persuasis non posse quidquam ex tam augusto prodire tribunali quod non sit omni ex parte sanctum; hæc deinde responsa, in libros composita, & in Typos data, historicis publicis illustrem suggerunt scribendi materiam, quin & quicquid aula statuerit commune aut priuatum spectans, decimo quinto quoque die ad omnes regni Prouincias perfertur. Hæc omnis tam diligens, & ex vno suspensa publici totius administratio palam facit Regem supremo imperio, & iure regnare, cum & agri & capita eius sint, nec possit tot tribunalium tam augusta authoritas nolentem cogere, sed cum ita esset maximè optandum vnius imperium, vt esset pariter in summa illius potestate tyrannis metuenda, sapientissimè prouisum à Priscis illis conditoribus legum Sinensium ne fas Regibus foret pro sua libidine, quæ

daturi

daturi essent consilia spernere, sancitum ne Regibus liceret nisi iustum & rectum velle; illis ipsorum consiliis nihil posse iustius, nihil æquius statui; Reges ergo debere iis acquiescere quæ pro officij ratione deliberassent suggerenda, supremo iuri hoc iure nihil detrahi, iniquè agendi facultatem non esse potestatis, sed impotentiæ quâ præstet carere quàm ea soluta & libera frui. Iusti porrò illius & recti normam quo dandis consiliis ministri; iubendo Reges obligantur, Sinarum leges immutabilem describunt; non quod æternæ sint, aut quicquam duodecim tabulis vel iuri Cæsareo simile habeant, cum earum ætas, annos familiæ regiæ non excedat. Nouus Imperator nouum condit imperium, nouum à se imperio nomen ponit, natalem annum nouum, ab inauguratione sua illi facit, nouis instituit legibus, retentis nihilominus, quarum vtilitas vniuersali omnium approbatione commendatur; & adscitis quæ maximè in præsens conducunt, neque id suo vnius arbitratu, cum legum auctores lege illic primaria teneantur in quam suas omnes referant oportet, felicitatem nimirum imperii, quæ perpetuando in longas ætates eidem familiæ sceptro, magnopere sita est, quare huius quoque habenda est ratio, in adiunctione legum nouarum ad veteres, ne extinctione regii sanguinis regnum omne calamitate & cædibus furor ambientium euertat, stabilitis à se nouis legibus Imperator, confirmatisque veteribus, obstringit posteros, regni sua è familia hæredes, qui pro illa quam præstant maioribus veneratione, obseruant eas accuratissimè; quod ipsi vt faciant, quamuis grati animi officium & promissi fides, & recti amor eos non cogeret, cogit literatorum metus, qui acerrime illas æmulantur; armaque & armorum neruos, regni ærarium, vniuersumque populum sic habent ad manum vt possint illum aduersus Regem momẽto vertere. Rex tamen cum possit omnia neciuris vllius quisquam nisi ab illo vmbram obtineat sibi tamen nunquam tantum assumpserit, vt quicquam statuat, vel donet, vel gratificetur præter vsus antiquos & legum præscripta, & tribunalium suorum deliberata consilia; quæ dum ipse exquirit, commendationem ad summam rei propositæ suam addit, ex qua vt maximè propensum ipsius animum perspiciant consiliarii, nunquam ab legibus, & more veteri abduci se sinant, licet de tenui solùm munusculo agatur, nisi forte ex iis decerpatur quæ in sumptus regios attributa, possunt eius arbitrio dispensari. Atque vt ex vno discamus quanta sit ministrorum illorum libertas, & animi robur, in asserendo legum, & recti iure, aute annos ferme quinquaginta Vanlieus Regni sibi hæredem destinarat minorem filium excluso maiori cui successio debebatur; id vbi resciuit, mox in aulam confertim libelli pluere, reuerenter quidem, verum & audenter improbantium Regis consilium, & obiectantium quæ fama inde posteros, quis sermo Regem Vanlieum à muliercula fascinatum à se vsque adeò desciuisse vt ex legum supremo vindice, publicus earum violator euaderet, mulierosior marirus & durior parens. Qui

63. Constantia Magistratus.

maioris natu inconsolabilem & æternum dolorem fictis feminæ lachrimis donaret, velletque ab cœlo & natura impositam primo natu coronam quam firmare debuerat in alterum transferre: nihilo seciùs si velle id pergeret, prouidendum an posset esse perpetuum, reclamaturas enim leges, & innocentem filium iure suo excluſum, nec passuros populos damnandam iniuriam exemplum trahere. His insano amore in furorem verso, Rex primos monitores, secundos & tertios mulctauit; pergentes nihilominus alios ad centum libellis obstrepere, partim loco mouit, partim exilio, ignominia, & plagis publicè affecit; at hic de condicto Magistratus omnes ad fores palatij conuenire, certi aut Regem ad parendum legibus cogere, aut proiectis, honorum insignibus, Magistratu, & publici cura, patrias suas repetere; quæ fortis animi tam constans excelsitas sic Regem exterruit, vt exinc abstiterit à corona iusto hæredi detrahenda, ne quod pronum erat, illam sibi mox detrahi cerneret; illud fortassis admirabilius de Collegio Doctorum quos morum, & iuris integritas ex omni prudentiæ flore, sexaginta numero selegit. Ij præter legatam quam extra ordinem à Rege accipiunt cognoscendi de causis impeditissimis & grauissimis potestatem, toti imperio excubant, & mille oculis exploratorum sagacium, scrutantur eius morbos, vel occultos vel malè curatos; libellis assiduè potissimum verò in acta procerum Regem interpellant, imò ipsum in Regem, cuius vitam & gesta suo iudicio, & censura castigant, cogiturque per se libellos perlegere quibus illi suadeut emendationem, qua si quando magis licentia quam libertate offensus nonnullos in ordinem redigat. nunquam efficiet, vt cum res exigit monendo alij absistant rati alioqui fore se non modo viles & ignauos, sed etiam patriæ proditores, si honestum vtili postponant, & priuati commodi studio, commune malum dissimulent. Exauctorati gaudent, triumphant exilij gloria, & constantia libertatis, ac ne morte quidem ab officio cessant, cum postumis etiam è sepulchro scriptis, Regis vitia perstringant; quod profecto in Sinis prodigium grande est, qui cum beatitatem aliam nec sciant nec ambiant secundis ab Rege dignitatibus maiorem, lucrum tamen haud paulo præstantiùs existiment illas recti amore, & publici studio perdere quàm tenere. Restat aliud quoddam quo nullum potentius, nullum apud Sinas laudabilius tribunal; cum enim causæ, tribunalium, octo nonnunquam & decem expertæ vices, & religiosæ diligentiæ infinitas moras, reos interea diuturno carere tenerent, his ita consultum est, vt anni exordiis, iudicio iterum sisterentur: tunc ergo ex aula in Prouincias quindecim, iudices totidem ab Regina matre delegantur, quorum munus vocabulum indicat quo misericordiæ iudices nominantur. Lustrant ij carcere, toto regno tentos, & quoscumque illic etiam confitentes, & conuictos reos compererint benignè absoluunt, nisi causæ illorum atrocitas pietatem omnem & misericordiam excedat; cuius Prætorij teneritas molliot fictione iuris nomen

64. Tribunal misericordiæ.

duxit

duxit ab Regina matre, quamuis hæc in publicis nihil posſit, & veteres illi Philosophi de suprema Regis in reos potestate filio summum ius, matri summam misericordiam videri voluerint tribuisse.

64. Mandarini.

Postremò deniquè de Præfectis extra regiam vrbem superest id solum indicem quod in Sinis dixi maximè admirandum. Ordinem scilicet in tanta regentium multitudine singularem; consensionem in diuersitate tàm varia; in potestate imperandi tàm soluta, & libera obedientiam; ex quo tàm facilis regnorum quindecim, tutaque sit administratio, vt vnus omnia & solus, omnium Imperator, & norit, & possit, & peragat. Habent Sinæ descriptos eorum titulos & classes, & classium gradus, nobis ad notandum præfecturæ cuiusvis Magistratum, Mandarinorum vox deinceps vsui sit, Sinis extranea, ex Lusitanico mandandi verbo nata, & Europæ iam familiaris. Editur Pechini quotannis eorum Catalogus, & anno 1644. munerati sunt octo & triginta supra nouies mille & quingentos extra vrbem regiam Mandarini; in vrbe bis mille ducenti decem & quatuor; nouem gradibus potestatis, dignitatum, & præstatione honoris diuiduntur; quos propria cuique gradui, ne quis in iis erret, discernunt insignia, in calceis, pileis, colore, Zonis auro, gemmis, ebore, ligno fibulatis. In processu equitant infimi; portantur exaphoris vel octophoris alij, condigna officio quod gerunt magnificentia, præsertim Proreges qui tanta incedunt maiestate, vt scribat ipsemet illius spectator, nihil vsquam tale in Europa spectari. Iam quoad limites & officia iurisdictionis, dici non potest inter illos quàm religiosè obseruentur, illudque tantopere ab antiquis laudatum, Reipublicæ summam sapienter iubendo, & constanter parendo contineri, quantum apud Sinas præ aliis vbique gentibus pondus obtineat. Proreges quos Tutanos vocant, quid mense quolibet exacto gestum sit in aulam perscribunt, & de gerendis subsequenti mense, Collegij Regij, Regisque ipsius mandata exquirunt, accipiuntque celeritate non dispari per equestres Regis nuntios, quorum diu noctúque ingens multitudo suas currendi vices in procinctu expectat Mandarini gradatim ad superiora munera promouentur, non subsultim, quò fit vt sui experimentum certius præbeant, & fingantur in arte regendi diutius; cumque sit omnibus solenne, vt non alia prouehantur via, procul abest æmulatio, commendationes, gratia, & patrocinium, quibus sæpè maximè indigni abundant quammaximè. Ad hæc legitimo quisque triennio Magistratum absoluit, ad nobiliorem, ni commerita obstiterint attollendus, quod eodem in loco nunquam assequitur, ne parta diu auctoritas cogitationem illi subiiciat aliquam dominandi, quam etiam ob causam, gubernationi adhibetur nemo, nisi extra Prouinciam vnde oriundus, ne priuatis, propinquorum, & amicorum rationibus, & gratia expugnatus, alieno iuri fiat iniquior, vel alias à patria sua regiones ducat à se tanquam extraneas: quæ tamen ratio in oppositum valet quoad armorum Mandarinos, rectè iudicantur

iudicantur pro suis in patria fortius, & fidelius pugnaturi quam pro ignotis, aut longinquis. Illud quàm seuerum tàm cautum, quod ituro in Prouinciam Mandarino, non datur Ministrorum, & familiæ optio, quamcumque in vrbem mittitur, illic stipendio publico paratam admittere cogitur, ne aut familiares aut ipsemet, corrupti iuris pretio saginentur, vel putet arrectos tot in se oculos ad ea quæ peccauerit cæcos fore. Obeunt enim Prouincias Inspectores, altero seu tertio quoque anno, ab Rege missi cum imperio in omnes Mandarinos, iique bono communi in paucis addicti, notissimæ fidei, probitatis, & scientiæ; dissimulato interdum munere, quanto occultiùs, tanto interius in eorum vitam & acta se penetrant, iisque iuridicè cognitis, repentè se produnt, demandati officij diploma exhibent, tabularium reuoluunt causisque retractatis, compertos iniusti Mandarinos plectunt. Lege siquidem, vniversi qui regunt à Proregibus vsque ad infimos acta sua omnia, sententias, indulta, & quicquid demum quotidie gestum est in publicis tabulis relinquunt. Sed longè grauior ab quæstionibus & causis metus, quas secum aduersus Mandarinos capitalius reos, ad primum in aula tribunal Inspector defert, vt pronuntietur de illorum pœna. Tribus item quibusque triennijs omnium extra vrbem tribunalium præsides sistere se aulæ recepto more adiguntur, sui ac suorum daturi rationem. Nec ista quis credat simulari ad continendos in officio Magistratus; damnatos culpæ sua certo certius manet pœna, cuius seueritatis fidem qui aderat, volens incredulis facere, Mandarinorum censuit ad quatuor millia qui anno 1607. variè sunt multati, nec de numero ambigi poterat, cum statim eorum quaquaversum, edita vulgentur nomina, & causæ ac tituli pœnarum quæ illis infliguntur, quarum longè maxima est infamis toto regno pudor. In iis maiori sunt odio qui venale ius habuere, aut vsurpauere sibi de publico aliquid, citantur in aulam, nudantur dignitatis insignibus Mandarinorum cultu, & officio, exauthoratique in perpetuum expelluntur. Deinceps veniunt quorum seueritas crudele ac barbarum sapuerit, qui solutis vixerint moribus; qui Præfecturæ, ac familiæ decorum promiscuè duxerint, eodem hi afficiuntur supplicio nisi quod in aulæ subire conspectum minimè coguntur. Qui præcipitatis sententiis, matura præuerterint causarum examina, retruduntur in inferiorem gradum; Senes deniquè iam animo enerues, & castigandis sceleribus remissi, domum placidè ablegantur, saluo quidem officij honore, & insignibus, sed gubernationis in posterum spe omni, & ambitu cassi. Has pœnas tametsi probari ab Rege oporteat, verum cuiquam, gratioso licet, nunquam ausit donare, ne veri & æqui, ac publici parum amans notetur. Mandarinos qui degunt in aula Pechinensi, scrutatur penitus, Senatus Præses, quem Lipum appellant, & constare ex iis diximus, quos vocant cœli Mandarinos; instituitur hæc indagatio quinquenniis singulis summa potestate; citra iuris apices, & formas, & secreta dum-

65. Inspectores Magistratuum & pœnæ.

taxat

taxat inquisitione : quàm autem durè & acerbè, exemplo sit annus 1629. quo moti Magistratu ducenti & vndecim. Ob decrepitam ætatem quindecim ; decem & septem ob infirmam, nec oneri parem ; auari septem, & pecuniæ addicti ; vltra modum seueri duo ; infra modum lenes, & dissoluti tres ; quatuor supra centum negligentes, & obliuiosi ; ardoris præcipitis sex & quadraginta ; decem & septem sui muneris parum gnari. Quid quod ipsa quoque Coliorũ, & Taoliorum Collegia quorum delationibus damnantur, & castigantur Mandarini, eadem incude sub eodem Præside probãtur. Bis quotãnis Colios duos Taolios quatuor in ordinem redigit ; suique ipsius Tribunalis alterum assessorem, minuit vno gradu. At enim iniqua in regno compositissimo, virtutis foret & vitij ratio, nisi huius pœnæ illius præmia, æqua saltem lance penderentur. Sua Mandarinos laudata perfunctos gubernatione, manet illustris & locuples remuneratio gradusque superior : nec pecunia, fauore aut precibus opus ; ius omne merito æstimatur, quod licet ab aula distent longissimè non minus compertum est, quam si versarentur in media eius luce. Accedit Regis approbatio solennis, duo tresve scripto expressi caracteres, monumentum virtutis exploratæ, & noui honoris ; quod qui suo adscriptum nomini assequuntur, hos vero alij tanquam cœlo vicinos suspiciunt ; iique hoc dono circumspiciunt seipsos, velut mille radiis coronatos ; domorum suarum frontibus, id affigunt vel intus loco conspicuo ; denique transmittunt in posteros ad familiæ splendorem quæ Mandarinum habuerit dignum regia commendatione. Iam Prouincia, & vrbe decessuros vbi ius integrè sanctéque ministrarunt, prosequuntur effusis muneribus, (neque tunc post expletum Magistratum suspectis,) præter illa, quæ ab solo Rege accipiunt in honorarium officij benè gesti. Rogant ab iis etiam calceos, Magistratus obiti solennes notas, eósque scrinio eleganti, per aureum spectandos reticulum asseruant, & ostentant inter pretiosa pignora ciuitatis, cum elogiis Mandarini, qui eos gestauerit : ad hæc loco maximè frequenti facta illorum marmoreis laminis incidunt, illustri compositione, cuiusmodi passim tam multa vbique visuntur encomia, vt possit Theatrum honoris, & meriti, vniuersum imperium dici. Eò tamen pertingunt pauciſſimi, vt templi honorem publico decreto assequantur, quibus autem id datur, eorum effigies in templo statuitur, coram mensa, & de ferro vel ære acerra capax ; & fixis in menses diebus conuentus omnium ordinum, ad exsoluendos illi honores solennium, accendendas faces, suffitus cremandos, audiendas lucubrationes recitatorum præstantium, in eius gloriam sudatas ; aliáque, sed nihil supra meras honorum ciuilium, qui virtuti heroïcæ, & viris debentur de Republica eximiè meritis. Templis tamen cedit honor triumphalium arcuum, sculptura incomparabili, selecto ex marmore cælatorum : construuntur ferè ad gotthicum canonem, arcu ad latera duplici grandiorem medium fulciente ; assurgunt verò triplici contignatione, ha-

66. Magistrat. præmia.

rum supremæ tectum: interius transmarino obductum cœrulo, Imperatoris nomen præfert, quo regnante arcus positus est; tabula verò ingens in medio, Mandarini, seu cuiusvis alterius cuius memoriæ est dicatus. Porrò quam multis eiusmodi arcubus proseminatæ sint Sinarum vrbes coniiciendum præbet vel vna vrbs sola Hinceum, quam M. Polus, tamdiu quæsitam Quinsaium credidit; platearum eius multarum decumana trecentis eiusmodi arcubus ornata traditur, cui paradoxo credulitatem aliquam conciliare aliter non possum, nisi fide scriptorum, qui centum milliaria Italica Hinceo tribuerunt; hæc si cui videntur incredibilia, pignus fidei oculos ab eo mutuetur qui & illa & decem millia pontium ea in vrbe vidisse se tradit: illorum quidem & numerum, & magnificentiam arcuum spectarunt, P. Nicolaus Trigaultius, & P. Antonius de Gouea, illamque particulatim nobis descriptam reliquerunt; sed plateam illam velle videntur intelligi viam iis arcubus trecentis mirabilem, in diei vnius iter dimidium porrectam.

67. Tria Sinarum pericula, vnde?

Verum enimuero, si fuit Sinis cauendum seuerè à Mandarinorum vexationibus, multò grauior instabat iis metus à licentia militum; potentia Regij sanguinis & vi externorum: quare prouidentiæ fuit prorsus singularis multitudinem innumerabilium militum cum summa pace coniungere; obseruantiam in Regis filios & agnatos cum iure illorum tàm priuato & solitario, vt neminem habeant, imperiis suis obnoxium cum quo possint res nouas moliri, regni demum gentibus cincti bellicosis, aditus omnes ita præcludere, vt nemo in illud extraneus pedem mittere valeat. Et militum quidem millia plus sexcenta, terra, marique toto imperio eiusque confiniis variè tributa muneribus bellicis, alta in pace ita occupantur, vt si bello arderent omnia. Cœterum hos inter apparatus, nihil bello peiùs execrantur Sinenses. Occidere hominem, extra defensionem sui, detestabile in barbaris; in latronibus plectendum supplicio, in tolis ferendum bestiis, quibus præter prædam, leuandæ fami natura nihil contulit; militem cataphractum pro monstro contuentur, velut ferreis ex cute squammis natura non arte loricato. Præstantiam hominis totam de virtute & ingenio æstimant; quoad reliqua, feris compluribus inferiorem esse. Omnes pacifico habitu, etiam milites tunicati incedunt; nulli ferrum ad latus etiam militi (nisi publica in recensione) fuere tamen in Priscis Regibus non modo pace, & literis; sed bello & armis clarissimi, qui regna Orientis centum quatuordecim numero tenuere, vnum memorant Hioaum qui annis ante Christum centum quadraginta Sinense imperium vsque Bengalam propagarat. Visum deinde Sinis consultiùs, & pro imperij fundamento lege statutum sempiterna, vt se intra se Sinæ colligerent, externa spernerent, re sua contenti vires omnes ad eam seruandam, intra regni fines conclusas haberent; hinc sua paulatim externis populis reddita libertas hactenusque retenta, & si qui tributo,

legatio

legationibus, & possessi iuris approbatione Sinensem obseruent vt Corai, Cocincinæ, & Tunchini Reges, eo solum consilio id agunt, vt tanti Principis tutela, confines in Officio & pace contineant: imò quod mirum est, inter Sinas montanos, & prope inaccessos, sunt qui suo iure sinuntur viuere, tùm quod publicè nihil turbant, tùm quod expugnari nisi cruenta victoria non possunt. Sic ergo Sinæ degunt in armis & pace perpetui. Denique ab iis cum esset etiam timendum qui accepta seruando regno arma, poterant in regni viscera vertere, huic item periculo prouidè cautum est. In primis enim militia nihil abiectius apud Sinas, nec ad illam quisquam inducit animum qui putet se aliquid in literis posse, cum sit Literati & militis discrimen quale imperantis & famuli; vsque adeò vt summi etiam, exercituum ductores, Mandarinorum infimo subiaceant, eiusque pedibus prouoluantur, breuiter Sinarum militia, colluuies est flagitiosorum, regni fœx; & bonam partem serui, veratque illius immensitas toto regno longinquitate varia membratim distracta, ne quis possit ab ea tumultus metui. Duces quidem ab suis militaria exigunt munera, pœnas si peccent nec possunt exigere, nec illos præmiis donare, nec stipendia soluere. Ius illis dicunt Mandarini, Duces interdum lictorum manibus tanquam mancipia coram cædunt; stipendia numerant, à primis sigillatim præfectis ad postremum vsque gregarium: penes illos sunt arma, æraria, commeatus omnes; Soli de bello, pace, expeditionibus consulunt ac decernunt; quin & vbi ad manus veniendum aciem instruunt, conflictum dirigunt, quandoque præter spem, & pugnant acrius cœteris, & animosius occumbunt, fortè quod alij seruilia capita pro alieno pugnant, Mandarini pro suo, & Philosophiæ qua imbuti sunt, decoro. Hæc summa rei militaris apud Sinas, cuius præstantiam abundè illa docet qua domi, & foris potiti sunt, nunquam intermissa tot seculorum tranquillitas. Nam quæ illos postremum obruit inundatio Tartarorum, merces fuit vilissimi proditoris, proditiones autem monstra sunt extra ideam rationis, & recti concepta, & edita: cœteroqui nihil prouidentius excogitari potuerat, quàm vt ea militi auferrent ex quibus patriæ periculum aliquod immineret, conseruarent verò, quæ profutura patriæ videbantur. Ciues & alij extra ordinem militarem, more ac lege inermes sunt. Breuior sica vix illis permittitur qua dum iter agunt aduersus latrones se tuentur, ad hæc nemo palam inimicitias profitetur, insectatur nemo, nullæ vsquam turbæ in sanguinem exeunt: singulare certamen nisi pugnis solis non certatur, ad summum euulsione capillorum. Imò viri aliqua insignes honestate, percussi aufugiunt, quæ fuga illic honorifica est, & de inimico, ira & odio, instar belluæ prostrato, magna apud omnes fama triumphasse laudatur.

68. Militia apud Sinas vilis & Literatis abiecta.

Alij quorum ex multitudine parique potentia periclitari regnum dicebamus, Regis propinqui sunt, quorum numerus intolerabilis per annos trecentos, ad sexcenta millia creuisse ferebatur. Pater quidem

69. Filij, & consang. Regũ.

Riccius diuturnus Nanciani habitator, scribebat vrbis quintam partem à prognatis familia etiamtum regnante incoli. Sed erat pronius ab Regis fratribus discrimen: ij nunquam tam pauci quin nimium multi; vt sceptro propiores, sic acriores in eius ambitu, & audaciores ad sollicitandam aulam, & populos in rebellionem, sæpè olim omnia turbarant; quare is quondam Cius, immortali gloria celebris ob imperium Sinense ab Occidentalibus Tartaris in suam Tamin translatum familiam, nunc quoque superstitem, modum adinuenit, quo sua Regum filiis dignitas, splendorque seruaretur; & cogerentur absque vi esse innocentes. Cum ergo de more, Regni principio leges conderet nouas, hanc inter alias statuit, vt cum de futuro sceptri hærede natu primo pronuntiatum foret, natu minores procul ab aula omnes secederent, vitam ea in vrbe deinceps acturi, quæ nominatim singulis notaretur; illic palatium regali commeatu. Magnificentia, delitiis instructum haberent; Guani titulo gauderent qui solet extraneis Regibus tribui, ad vsque posteros tertiæ sobolis propagando; obseruarentur illic ab omnibus etiam Prouinciarum Præfectis, tanquam Regni summates: cæterum ea vrbe pedem & circumscriptis sibi angustiis si efferrent, scirent fore se reos perduellionis. ad parentes, aut fratrem, & aulam reditum nec sperarent vnquam, nec peterent. Clientelares fundos haberent nullos, nec dominij ius in quenquam per quem iis in publica pateret accessus, à quibus vt intelligerent se omni ratione excluſos, ne Mandarini quidem crearentur. Eorum posteri, longè inferiori gradu, Gubernatores affarentur de genibus; legibus, & pœnis subiacerent, etiam morti, sed fame obeundæ, ne sanguis regius funderetur. Summam rei familiaris haudquaquam penes se haberent, nisi adhuc in illis Guani appellatio duraret, sed à quæstoribus, in certos dies illis penderetur, omniáque illorum ad regem refluerent, si absque liberis obiissent; sin autem, ex liberis natu maximus & hæres, esset verè ac propriè nobilis, reliqui ex iisdem familiis tantundem honore censúque annuo imminerentur, quantum à stirpe familiæ abfuissent; modo ne tam parcè, vt compelleret eos aliquando paupertas ad victum sordidis artibus quærendum Esto Regi constent hæ leges immensis sumptibus; sed pluris est regnum hac tam lubrica ex parte, ab omni tumultu, & suspicione securum conseruare.

70. Externi cur exclud.

Tertius instabat ab externis metus, quos horrent Sinæ velut feros, & mali ominis, quasi vniuersus præter Sinas orbis, conditionem exosus suam agrestem & miseram, beatitatem Regni Sinis inuideret, eique insidiaretur. Ergo capital fuit externo cuiuis non minus quàm Tartaro, ferre in Sinas pedem. Capital nautis externum inducere, licet inuita nauigatione illic à Tiphonibus proiectum: nunc vitæ parcitur externorum, sed ne suis quicquam, de Sinis vnquam renuntient, æterno, & calamitoso carcere clauduntur, quam formidosæ inhumanitatis legem inhospitam à Sinis, subeunt etiam vectigalia iis & coniuncta

cta regna. Sed eam deniquè tot propugnaculis horrentem perfregit lucri fames, & commerciorum illicio, mari Lusitanos, Sarmacanos terra, & alios barbaros, ipsosque maximè dissitos Sinis intulit Saracenos: ac de Lusitanis commodius aliàs, nunc è continenti qui veniunt, cateruatim in vnum fœderantur, legatos se Regum quorundam simulant, quibus nihil tale vnquam in mentem venit: adsunt ex Persis etiam vltimis triennio quolibet, sed legatione numerosiori, quinto quoque anno: tributi nomine, dona Regi Sinarum ferunt, quibus ipse decuplo magnificentius respondet; peregrinarum mercium ingens pondus, grandi suo lucro cum Sinensibus commutant: paucis datur in vrbes ingressus, hospitia cœteris extra vrbes; sitæ sunt hæ in regni finibus ad occasum, in Prouincia Chiensi; vni nomen Canceum, Soceum alteri, Legatorum aduentum Prorex in aulam nuntiat, quo illi statim post acceptum regium diploma se confetunt non plures duobus, & septuaginta Cum autem Soceum multi patriæ suæ, & laborioso in illam reditui præferant, hoc ipsi, at hisce legibus impetrant; in continentem ne pergant vlterius; noctu domo non egrediantur: domus ipsi partem solum mediam incolant, Sinenses alteram. Post nouennem demum Socei commorationem, interdictum sibi tum patria fore, tum alia quauis extra regnum Sinarum regione: velut ipsi quoque Sinenses essent, quibus regno quidem exire vetitum, sed tam inaniter vt si de beatis, vetarentur fieri infelices adeò ab omni præterquam suo abhorrent cœlo. Itaque si Regis ineluctabili mandato cogitur tandem Mandarinus extra regnum aliquid gerere, tantis cum suis & coniugis, liberorum & comitum proficiscitur lamentis & lachrimis vt si ad patibulum raperetur, & hoc etsi violentum obsequium quòd voluntariæ morti prætulerit, tam fortis animi censetur, vt nouo dignitatis gradu redux ab Rege augeatur, sed huic interim dum illic moratur, crimen instat perduellionis si quid, etiam nihili, cum quoquam mortalium extra Sinas, scriptis aut nuntiis communicauerit; quod ab annis retro quadraginta etiam Colaus, grandi suo malo expertus est.

71. An Sinæ olim Deum agnouer.

Hactenus de ingenio, moribus, & Republica Sinarum, lucem historiæ quam scribo necessariam acciui; nunc de illorum superstitione, de Christi Religione sacrosancta sæpius illuc ab æuo inducta, nunquam satis firmata; postremò de longa, & ardua expeditione qua illam Patres Societatis Iesu restituere sunt aggressi; ac libris tandem sequentibus quo ærumnarum & opere pretio, quantisque lucris animarum.

An Sinis vnquam veri Dei affulserit vlla lux? an vero annorum quatuor millia (tot saltem ipsorum annales numerant) in cæca penitus illius egerint ignoratione, diu inter illos à nostris certatum est, neque id sterili sciendi studio, sed necessitatis qua vrgebantur statuere, sibine fas esset ad significandum Deum iis vti vocibus quæ ad hoc Sinensibus in vsu erant; nam si Deum nunquam agnouerant, qualis saltem

à rudibus natura monstrante discitur, nec instituere vocem potuerunt quâ incognitum nominarent, sed quibus vti consuerant, iis aliquid aliud errore conceptum exprimebant quod ab Dei natura quem semper ignorassent, abesset longissimè, nefas esse proinde voces illas ad significandum Deum adhibere. Huic difficultati à Theologia quantumvis eliquata lumen nequit affundi, nisi ex communibus ortum principiis, & incertum: versatissimum esse in lingua historia & institutionibus Sinarum esse oportuit, qui sibi hunc nodum soluendum assumeret, quod certè nisi arroganter audere non possit, qui viginti vix aut paulò pluribus in regno Sinarum consumptis mensibus, id voluerit attentare. Nostri quidem confertis illic in Euangelica expeditione, annorum viginti, & triginta stipendiis, quidam etiam supra quinquaginta, Sinisque ab ipsis Magistrorum affecti honoribus; ne quid temerè in hac re censerent, applicuere operam seriò ad relegendos Sinarum scriptores, authoritatis primariæ, Confusij Doctrinas, & Philosophorum super iis enarrationes; ad hæc Literatorum præstantium, tùm Christianorum, tùm etiam Ethnicorum cum sententias togassent, quicquid vtramque in partem collegerant, reuocauere ad Theologicum examen acerrimæ disputationis, ex qua digestas in tractatus assertiones Romam transmisere, amplius etiam, & exploratius cognoscendas, quas anno 1622. & octo consequentibus è Sinis huc missas habemus præ oculis, tam pridem & illic & hic agitata quæstio fuerat, quam nescio quis tanquam valdè nouam videri voluit in Europam portasse, quæ mihi fuisse necessario præmouenda nemo non prudens intelliget, vt scirent quos iuuat diuersa sentire, an societatis operarij, ministerium Euangelij, vel cæco impetu per ignorantiam obeant; vel priuato arbitratu per confidentiam. Nunc quæ fuit summa quæstionis grauissimæ; visi sunt Sinæ Dei notitiam principio habuisse, non ea solum coniectura quam præbet virtus heroïca Priscorum inter eos Regum & progenitorum tanta vt absque errore credi possint etiam salutem consecuti, quod esse profecto non potuit nisi præuia illa cognitione summi boni & causæ omnium supremæ, in quam naturæ oculus, vt primùm euigilauerit statim fertur; nisi fortè illam Dei notitiam, citra curam ratiocinandi hæreditariam, ab imperij sui primis Patribus hausere, qui ab turri Babelis quocumque versum colonias duxerant. Hanc enim Sinenses antiquitatem sibi attribuunt. Sed his quanquam momenti non leuis in præsens omissis, ipsa illorum sacra monumenta, Euangelij honore ab iis habita, & vetustiora multis seculis ante inuectam in Sinas idololatriam, & subsequum idolorum cultui atheismum, illæ, inquam, tantis authoritatibus munitæ scripturæ, Dominatorem agnoscunt spiritum vnum, ac supremum, eáque illi attribuunt tam magnifica & excelsa, quæ prorsus non possint in alium trahi; omnium quæ fiunt spectatorem oculum & intelligentem; orbis totius imperium, & prouidentiam; pœnarum, & præmij fontes inter, & probos supremum

mum arbitrium; ad hæc tempestatum, imbrium, sereni squalentis, & naturæ omnis sæpius deuiantis emendationem; quam item ob causam, quantumvis Reges à primo illo defluxerint Religionis instituto, iubent illum sublimem & vniuersorum Dominum spiritum sacrificiis placari, & voti compotes Eucharisticis laudibus celebrant. Porrò huius non vnum est nomen. Solent Sinæ multis & grandibus titulis grandia nominare, haud ita tamen vni affixis significatui, quin ad significeanda etiam alia conferantur. Ex hoc proprio linguæ vsu Deus apud Sinas multis nominibus appellatur, sed præcipuè duobus. Vnum est Scianti, & Regem sonat, seu Monarcham supremum, qua voce pariter summum illum quem diximus spiritum nominant: alterum est Tienciù, seu Cœli Dominus. Imo Tien, seorsum cœlum significat, non hoc oculis nostris spectabile, sed qui regnat in eo Dominus, cuiusmodi forma sacræ paginæ stylus etiam frequenter vtitur, certè hos esse affines sensus videtur confici ex scriptis Confusij, cum ait in cœlum peccanti, spiritum alium superesse nullum à quo veniam exoret, quod parum ab illo videtur abesse prodigi pœnitentis; *Pater peccaui in cœlum, & coram te.* Vnde fit etiam clarius discrimen inter Tienciù, hoc est Deum, & Tienscin naturas minores, & bonos genios, penes quos nulla sit potestas peccata delendi, sed penes vnum Deum. Comperit præter hæc P. Franc. Buzomius, Coecincinenses, cœli nomine colere summam mentem, de qua eadem prædicant quæ Sinenses scripturæ de Deo, & in libris sectæ cuiusdam idolorum, Tienciù cum legisset, ait ab se de illa duos seiunctim consultos diligenter sectæ illius Archididascalos, idem ab vtroque responsum tulisse; Tienciù nec simulachrum esse, nec principio, quod scirent, nec figura describi, sed rem esse sanctissimam, cuius proinde inuocatio solis Principum, & regum funeribus seruaretur: ac, si quid etiam huc facit, addit ab se coactum dæmonem quem exarreptio pellebat, profiteri palam, cuius imperio torqueretur, & exturbaretur ex eo corpore, Tienciù respondisse, cœli Domini, quem adorarent Christiani. Duabus igitur inuentis vocibus quæ instituto veteri, & præsenti vsu excellentiam indicabant omnibus gradibus perfectam, nihilque secum trahebant quod non optimè in Deum conueniret, spretis Riccius nouitia quadam Literatorum recentium explicatione; constare censuit; innotuisse olim Sinis ab antiquo Deum, & supremum hunc Regem ac spiritum Scianti & Tenchiù ab iis nominatum, quorum fermè priori Riccius; secundo ex nostris alij deinceps vsi sunt, probante plurimum Theologorum consessu grauissimo, inter quos Iaponum Episcopus, Prouinciæ inspector Valignanus, præstantes ex Sinis Christiani Doctores quibus visum non posse alia Deo propriè nomina tribui, certoque iis propriè fuisse à Priscis Sinarum Magistris, & Scriptoribus vocatum. Anni fluxerant sexaginta, ierantque passim illa nomina in nostrorum libros; in cartas ad Regem & tribunalia supplices, & in lucubrationes encomiasticas, adeo absque

vlla

71. Dei nomina apud Sinas concertatio de iis accurata.

vlla vel in Christianis offensiuncula, vel æquinoci vmbra in ethnicis, vt mota interim aduersus legem Christianam, eiusque præcones tempestate, damnata sit exilio lex Tienciù, quod nihil haberet cum regni sectis & Religionibus commune. Hoc verò in vsu vocum duarum pacifico, pridemque legitimo: P. Nicolaum Longobardum subit transuersa de iis dubitatio, reuocat illas ad incudem, improbat tanquam malè tutas, atque vt erat in Sinensium rebus & literis diù versatus (in Theologicis non item) multos traxit in suam sententiam qui præstare aiebant ad securitatem si Latino nostro vocabulo, Deus, significaremus Sinis. Supremum omnium conditorem, etsi vox illa è Sinarum ore in monstrosum quiddam, & significatus inepti exiret, quódque D, litera & caracteribus careant quibus nostras omnes exprimant syllabas, Teusu, pro Deus efferre cogerentur. Id tamen iactabat Longobardus ab Xauerio præstitum in voce Iaponica Dianici Deum apud Iapones, hoc est solem magnum notante, cernensque latum inter illam vocem Iaponicam & duas Sinenses discrimen, quod illa rei corporeæ propria, non possit Deo propriè quadrare, sed translatè dumtaxat; possent autem Sinenses duæ Scianti, & Tiencini quæ spiritum aut Monarcham supremum, & cœli Regem indicarent; in his etiam Longobardus fingebat sibi corporeum aliquid latere. Opinione Longobardi tumebant præ cæteris exultabantque fratres nostri Iaponij, studio quidem probo sed ignorantia crassiori, cum linguam Sinarum non callerent, quam præcipuè attendere oportebat, suam vnam spectarent Iaponicam ex qua propterea nihil confici poterat, quod fuisset semper Iaponia idolorum addicta cultui; & quicquid haberet ad significandos spiritus, & expertia corporis, id omne falsis, & erroribus scateret. Quæ ratio P. Ioannem Rodriguez diù inter Iapones breui inter Sinas versatum acuit ad multa contra nomen Scianti scribenda, cassa pariter, & futilibus nixa fundamentis. Quod autem Longobardum ac suos mouerat, adeo tunc nouum non erat, quin ante annos quinquaginta fuisset à Riccio diligentissimè disputatum, & pro argumento nullius ponderis reiectum. Disputationi ansam dederat noua Literatorum secta quadringentis ab hinc & quinquaginta annis orta, Sumi familia imperante quam regno Tartari spoliarunt. Eius Academiæ pestilens, & nefarium dogma spiritum omnem, probum, & improbum tollebat de medio; negabat animæ immortalitatem; scripturas suas veteres quibus tam manifestè tenebantur, vt ex iis sese non possent euoluere (adeò clarè Deum, Angelos, & dæmones loquebantur) detorquebant in physicas explicationes nescio quas; Scianti, & Tienciu aliud non esse, præter auram cœlestem qua cælum in hæc inferiora influeret; Angelos influxus intelligendos esse benefi os; dæmones verò maleficos; alij materiæ quam primam dicimus; alij cuipiam agenti principio motori singularium causarum omnia tribuebant; omnes consensu sacrilego contendebant spiritum omnem abolere, omnia in

corpus

corpus confundere. Ad perpetuandam gloriam inuenti sceleratissimi libris illud Typisque mandarunt, quos voluptuosæ nouitatis, & laborati sermonis illecebra statim Literatis cum auiditate incredibili commendauit, eiúsque ordinis magnam partem in eundem rapuit errorem, quòd ergo Scianti, & Tienciù ab antiqua & vera, in nouam & falsam significandi vim horum interpretatione vulgò transiissèt, negabat Longobardus fas esse de Deo illa in posterum dici, vt cuius naturæ essent omninò contraria; nitebatúrque vocabulum Deus interpolatum, & mutilum, eorum loco inducere; è contrario Alfonsus Vagnonius post annos quinque & viginti Sinensis commorationis, doctæque experientiæ, cum PP. Trigaultio, Rho, Figheredo & aliis, possessionem vocum Scianti & Tienciù legitimam Deo, & Christianorum vsui autoritate & rationibus validè asserebant. Ex libris quidem veritatis apud Sinas canonicæ loca Vagnonius protulit tam clara, vt iis reuictus cederet cum suis Longobardus, vt enim eximiè Doctor Paulus, Sinensis ille sanctus (de cuius immortalibus meritis erit aliàs dicendum) vbinam toto seculorum decursu quadraginta inuenias Taichie, hoc est materiam; (quam hic etiam Philosophi primam vocant) templo vel sacro ab Sinis honoratam: non est igitur illa, is spiritus omnium Dominus, Scianti, & Tienciù, quem templis & aris Sinenses, à prima sui origine coluerant, Rex ipse toties quot annis sacrificio veneratur, Scripturæ Sinarum concretionis expertem, & puram mentem, omniúmque dominam prædicant, cui propterea sacra fiunt, vota nuncupantur, funduntur preces, gratiæ aguntur, quorum nihil penitus, primæ materiæ, nec auræ illi cœlestium affectionum vehiculo; nec illi, quisquis est, motori vniuersali non libero nec intelligenti defertur. Ex quo necessario sequebatur illas suo cum textu pugnantes expositiones, euidentis argui falsitatis, nec possessionis longinquitate præscribere, quam tot sapientum, & Literatorum scripta egregia euerterant, dum eas esse à vero alienas, & partus leuis cerebri conuincebant: quod certò adeò liquere statuerunt Doctores, Paulus, Michaël, Leo, Philippus, Thomas, iisque ingenij & excellentia doctrinæ non impares, firmamenta illius Christianitatis, vt contestarentur Patribus nunquam se ab vsu Scianti & Tienciù abstituros, nunquam aliis vocibus nominaturos Deum seu peregrinis, siue Sinensibus, se librorum suorum melius sententiam capere quàm Patres; vt ij vice versa erant in suis, quàm in Sinensibus expeditiores: non posse Sinas nisi per summam iniuriam eo probro inuri, vt putarentur abs Dei notitia quam ipsa suggerit naturæ ratio, fuisse perpetuò extorres, interesse quin etiam ad Christianam fidem quàm maximè, ne opinarentur homines Deum quendam à nobis inuehi peregrinum, nec vnquam auditum; sed iam inde à primis Sinarum maioribus, & conditoribus sapientissimis adoratum, in suos honores, & violata iura restitui; nam si fas non erat induci à nobis vocabulum *Deus*, nisi adiecta explicatione quæ Sinas doceret naturam diuinam eo Sinis

ignoto, & barbaro nomine comprehendi, quantò prudentiùs notis pridem tritisque vocibus Scianti, & Tienciù, sua erat germana & vera explicatio reddenda? quod quàm falso tàm cautè fecissent qui sectam spirituum Toachiao Imperatore Ceo fabricarant, dum Scianti titulo quosdam spirituum ornarent, sed frustra omnino, cum sensum Scianti apud Sinas Canonicum, præter Christianam nulla ex vero concipiat, assequatúrque Religio. Hæc & alia quæ prudens omitto etsi vehementissimè vrgerent, vetuit tamen P. Andreas Palmerius, Sinensis inspector missionis graui obedientiæ præcepto Scianti vocem vsurpari. Haud quidem aiebat ipsemet, ignarus quid liceret necne; sed quod impugnantur acrius quàm Tienciù, existimabat tutius interdicere illius vsu, floccì pendens quod inde non temerè futurum timebatur: Certè sensum Doctorum Sinensium Manuel Diaz senior, vir doctus, & prudens, suis ad Vitelleschum Præpositum literis expressit anno 1630. nempe Mandarinos certo certiùs affirmare, Scianti nomen Deo conuenire quem eorum maiores mentem puram fecissent, &c. Ad hæc rideri ab iis interpolatores qui Scianti cœlum, vel influxus cœlestes interpretarentur; Doctorem Leonem, qui scriptis acribus Christianam fidem propugnabat, indignè admodum tulisse quod Patres nostri paterentur commenta quorundam iuuenum de Literatorum ima classe plus apud se habere ponderis, quam textus disertos Priscorum, & recentium Sapientum qui docent Scianti mentem esse intelligentem, iustam, &c. Non posse satis Mandarinos eosdem Christianos mirari, de Scianti voce nunc demum ambigi, quam diuturno assensu probassent primi nostri Patres, doctrinis Sinensium excultiores vtique quàm illi à quibus præsens dubitatio mouebatur. Perstrictam acerbè, doctrinæ huius nouitatem, ab collegis Doctoribus Leone & Ignatio Paulum verò Doctorem, vt ingenio mitiorem, omissa Patrum reprehensione, confirmasse, collatis inter se quæ vetera traderent Sinarum monumenta, cum Christianis institutis, posse Deum, Scianti nomine appellari, sibique ad hoc, & aliis solenne esse illud nomen, aut solitarium, aut Tienciù adiuncto. Præter hæc Iè Colaum, magnum illum Pechini dum rexit, post verò in sua Fochiensi Prouincia nostrorum Patronum, cum P. Iulium Alenium de orbe condito, eiúsque conditore, & gubernatore, libero, intelligente, iusto, &c. fusiús audisset; hunc, nos etiam, inquit, Sinæ agnoscimus, & Scianti voce nominamus, sed nostis de illo multo plura quàm nos, illum enim mundo priorem facitis, quod nobis hactenus ignotum; facitis spiritum, quod nondum succurrerat dubitare; at enim vestra lex hoc ipso quod peregrina est cum multis pateat æmulis, è re vestra fuerit hunc orbis opificem Scianti nominare, adiectis quæ vobis comperta sunt illi conuenire, licet à nobis ignorata. Sic vos & pronius audituri sunt Sinæ, & minori conflictu æmulorum, exceptúrique de diuinis quæ prædicantur à vobis, docilius: qua item ex causa Riccio amicissimi quique plurimum suasere vt Scianti vocem ad

nominan

nominandum Deum adhiberet, vt eorum maiores quorum etiamtum venerabilis erat memoria, quod norant in orbe vniuerso excellentissimum Scianti vocarant, & tanquam supremum, supremo honore coluerant. Tandem verba ex quibus Longobardus Scianti dictionem putat se merito damnare, longè alio sensu, Patres qui secus iudicant, & Mandarini Christiani accipiunt; negántque inter Sinas vnquam extitisse, qui ex Scianti nomencleatione Deo attributa somniarit, Christianos & Sinas vna eademque lege colligatos, quod se Longobardus à multis audisse iactitabat.] Hæc suis literis P. Diaz. Nec reor pluribus confirmandum quod proposueram, Sinas principio, veri Dei cultores extitisse, sed procedentibus seculis cultum illum prout à primo suo ortu longius abscedebat, sic deterius habuisse, & in nouam semper degenerasse superstitionem, quam Patres purgare adlaborant: in quo mihi videor abundè probasse, quàm non leuidensè, nec vna defungendi causa, sed sollicitè multumque sapienter ministerium Euangelicum implerint, nec illa egeant censura quam iis optarunt hæretici, tam malè quam spontè credituli spectandis in transuersum quæcumque à nobis geruntur, de quo ex Batauis dum hæc scribo, liber quidam in manus meas venit; nam si quæ culpa nostrorum illic fuit, diligentiæ potius nimiæ, & seuerioris accurationis, quàm temeritatis, aut negligentiæ, fuisse culpam, ex iis quæ retuli, nimis liquet.

73. Tres sectæ apud Sinas.

Nunc ad ritus Sinarum sacros quod attinet, omnis eorum religio secta triplici continetur; fanis enim aliquot raris, & Prosceuchis vagi non veniunt in hunc numerum Saraceni & Hebræi: tres illas familiæ regnantis fundator probauit, ne si aliquam illarum proscriberet, occasiones tumultibus, & rebus nouandis in suo imperio præberet, ergo omnes de se suisque posteris regibus perpetua lege securas esse iussit; certè quidem eo propensiùs quod quanquam inter se instituto, ac finibus diuersæ planéque contrariæ, quicquid tamen potest beatitatis optari ab omnibus, de eo sibi singulæ applaudant, sibíque id certò spondeant, ex quo illarum inter se summa pax, & ea ex parte regni quies. Prima enim sectarum honori potissimum studet, & ad præfecturas tota contentione ingenij ac prudentiæ grassatur, tota proinde colendo & perficiendo animo ab incunabulis ad decrepitum senium incumbens. Altera huic planè opposita, & multum de quadrupede sapiens, effræ nibus studiis, sensuum sectatur voluptates, & hac asinorum beatitudine contenta, mentem, & ingenium flocci habet. Tertia priori similior, secundæ aduersa, corpus atterit labore spontaneo, pœnisque vltroneis, vt cordis munditiem assequatur; Maiorum statuta ne qua parte Rex videatur infringere harum reiicit nullam; omnes vel profitetur, vel simulat. Prima Tuchiao nomine reliquis duabus magno spatio antecellit, habetque illas pro famulis, atque aduertit Matthæus Riccius Literatorum magis Academia est quàm secta, & religio Ethnicorum,

templis caret, simulachris, & Sacerdotibus, nec sacrificia, nec ritus habet nisi ciuiles, politici cultus, & promiscuè omnibus obiti permissos, vt qui nihil sacrum contineant. Esto enim paucorum vel impietas vel ignorantia nonnulla eos superstitione fœdauerit, sed hæc Sapientum iudicio damnata est, & ludibrio habita, vt propterea nihil vetet quo minus possint generatim Literatorum ritus ciuiles appellari, & ex prima sui institutione innocenti, & pura à Christianis vsurpari. Porrò hanc Literatorum vel Academiam vel sectam, qui Atheorum dicunt, meo iudicio perperam longéque à vero sentiunt, cum Monarcham illum supremum, & cœli dominum semper ab sui exordio adorarit, offerendumque illi sacrificium, propter excellentiam maiestatis, non putarit posse conuenientiùs alteri, quàm Regi committi: venerationem verò præsidum geniorum, qui partes orbis quatuor, annique moderantur, & similium, tanto superioris ordinis, quanto latioris imperij, hanc amplioribus Magistratibus assignat; minoribus autem custodes vrbium, montium, & aquarum colendos attribuit, sed in veteres ritus tàm multa nunc irrepunt improba, vt iis antiqua præfocetur illorum integritas. Facit huc Priscorum apud Sinas Theologorum stylus, ij cultu publico afficiendos spiritus populo repræsentaturi, formis abstinebant corporeis, quòd intelligerent mentes illas ab omni concretione materiæ esse alienas, ergo in pictis elegantissimè tabulis, eorum nomen aureo scribebant charactere, illasque in templis, & aulis, adeuntium venerationi exponebant: subtilitatem hanc auorum, excepit nepotum religio crassior; eosdem genios penicillo & scalpro humana effigie expressérunt (saluo vt etiam apud nos fit, veri iudicio) & mutuo sumpta ex sensibus ad subiiciendas animo rerum imagines, discriminante ab iis quæ sunt naturæ spirituum propria; quare Literatorum secta ex originis suæ documentis primariis abest ab Athiæ impietate longissimè. Verum enim verò senectuti rerum offundit caliginem ipsa seculorum longinquitas, nec minus animi quàm corporis luminibus ætas nimia officit; accessere ad hanc cæcitatem magisteria errorum plura etiam quam sectarum, vel nata inter Sinas, vel purgata peregrinitate ab iis adscita, hinc ille quondam tam illustris, & fulgens Veri summi splendor, puratum mentium & Dei notitia in eam sensim degenerauit obscuritatem, & tenebras, vt certaretur vtrimque an essent spiritus, & an esset Deus? verique inueniendi proiecta spe, statueretur saltem in eo standum in quo minus foret errandi periculum, hoc est premendum silentio hunc nodum, nec inquirendum de cætero an esset Deus? quo item silentio quæstionem illam sepultam voluerant tanquam nullo disputationum extricabilem nisu, an esset ab æterno mundus? an certo tempore conditus; superuenit his spuria quam dixi natio interpretantium de materia & principiis naturæ quæ antiqui Sinarum Magistri de Deo & Angelis scripserant, quos esse quidem minimè negabant, sed scriptorum illorum conceptis sententiis

74. Veri Dei notitia sensim defiux.

nequaquam

nequaquam probari philosophabantur. Hæc ab Theologis præstanti scientia, & peritia rerum Sinensium diù multumque disputata euicere id tandem, ne posset Athiæ macula Literatorum appingi sectæ, tametsi in ea non deessent, qui priuatim apud se illud insanirent *non est Deus*, & ex ingenio pecudum sentirent animam cum corpore pariter interire; vnde illud eorum delirium, potiones ambrosias totis patrimoniis emendi ad perpetuandam in corpore hanc vitam, cui nullam fore credunt superstitem. Neque tamen ij secum pugnant, dum nihilominus functorum animas velut præditas sensu, iis quos narrauimus honoribus prosequuntur; Duobus enim maximè nititur Literatorum secta, primum est regni totius communis; alterum priuata Literati cuiusque felicitas, virtute ac moribus paranda. Iam illi functorum parentum aut aliorum meritis impensi honores, vt viuos exstimulent ad similia promerenda, & exemplo sint iunioribus ad eandem erga promeritos venerationem, adhibent largiter, & religiosè verum intra ciuilem rituum ordinem, nec ad solatium mortuorum, sed in viuentium documentum. Et verò iis etiam qui negant animum immortalem, non minus magnificè, diligenterque quàm aliis parentant, ne odio publico tanquam impij pateant, & facto suo filiis præeant, in negligenda maiorum reuerentia, & amore. At præ cæteris cordati cum ferre non possent, hominem iuxta, & pecudem pari æuo absumi, & aliunde existimarent immortalitatem, esse præmium meriti, non donum naturæ, aliam iniere philosophandi viam: virtutem nimirum diuinitatis esse participem; quicquid animo inest corruptioni obnoxium tolli posse virtutis efficacitate; proinde etiam quicquid mortale est; purgari ad purum & attenuari tantoperè animum, vt concretionis impedimentum non sentiat, cui iam sit magis socius quàm corporatus; seiunctum ergo à corpore Deo iungi, & tanquam insitum arbori surculum, eius viuere immortalitate. Contra vitio crassescere animum, & coagmentatum corpori sic ei coalescere, vt eius vita viuat, eius corruptione corrumpatur, & pereat. Dignum potius laude quàm venia commentum; quod turba in tanta quadrupedum philosophantium, saperent aliquid non humanum modo, sed superius humano: breuiter Literatorum schola, virtute sua se beans, & sustinens mera est antiquorum Stoa, præter virtutem seipsa contentam nullum ex virtute præmium expectans. Sed virginitatem quasi publico damnosam ab ea virtute exterminat; damnat Celibatum, Polygamos laudat, & proles numerosas; præceptum verò caritatis verbatim propemodum ex secunda tabula videtur exscripsisse, idque miris encomiis attollit; refert quin etiam Matthæus Riccius inter Literatos suo tempore vulgatum, ex Deo, natura, & mundo, corpus vnum constitui; eius corporis nos esse membra, proin communibus omnium commodis, rationibus, & amicitiæ, oportere ab singulis consuli.

Secundam sectam superstitionum effata stabiliunt priori planè con- 75. Secta Idolol

Literatis oppos. Simia Christ. rituum.

traria; Fechiao dicitur, simulachris honores exhibet, iisque monstrosa specie, Amidæ potissimum, & Xachæ, tanquam diuinitatis præcipuæ; publici negligens priuatis solum studet; animam docet immortalem, pœnas, & præmia post hanc vitam agnoscit; virginitatem laudat; matrimonia, saltem tacitè improbat, quamquam nihil vsquam ea hominum fœce flagitiosius, & inquinatius, porrò hæc lues, cui etiam nomen Oscianorum tribuitur, ego Bonziorum, vt solet nomino, ortu extranea, adscitu indigena, euocata est per legatos ex Indostano, Gangem inter & Indum medio ab Imperatore in somnis admonito; quonam vero? & quando? Historici litigant. Inuectam in Sinas annis alij scribunt ante Christum ducentis; alij post Christi aduentum sexaginta quinque; quorum sententiam validè asserunt, quæ secta pestilens de sacris Ecclesiæ documentis & ritibus videtur vsurpasse. Deum enim in tribus personis vnum, etsi nesciat explicare, tamen colit, simulachro illum tricipiti effingit; matronam præterea Dei matrem quam cum tenero in vlnis puero exprimit. Felicitatem, & inferos; gaudia & pœnas, meritis & sceleribus assignat, virginitatem, ieiunia corporis afflictationes, sponte susceptam paupertatem, contemptum fluxorum bonorum, & solitarios secessus deprædicat; ad hæc cœnobia, & alternos cantus, & recitationes nescio quas precatoriis nostris coronis similes; quin & sacrificalem habitum & indulgentiam pœnarum, quam impertiunt mortuis, & similia antiquis & veris Ecclesiæ ritibus, sed enormibus fabulis tam impiè deformata, vix vt vllam suæ originis notam retineant. Quare nec vlla fidei sacrosanctæ secta nocentior, quòd & veris quæ docet dum creditur, falsis etiam quæ miscet facilè credatur; ac dum falsa quæ ingerit exploduntur, vera simul cum iis respuantur: & inferos quidem vt aiebam, atrocesque in illis reorum cruciatus fatentur, minantur, suis etiam in templis depictos proponunt, omni crudelitatis variæ, & supplitiorum apparatu; at enim scelerosi, ventris negotium in hoc agunt, dum sibi veniæ potestatem amplissimam vendicant, quâ possint inde reos educere, & æternitatem pœnarum iis condonare. Paradisum diis seorsim singulis assignant suum, quo suos beent; in fundo maris; in verticibus montium, inter syluarum densissima; in aperto vagoque aëre; in mundo ex iis aliquo, quos interminata vastitate vniuersi contineri aiunt innumerabiles: opinor ex Democriti somniis, vti & transitum animorum in alia corpora, ex deliramentis Pythagoræ: certè mul erem P. Gaspar Ferreira ad Christum traduxit, spe huius fabulæ sic à Bonziis dementatam (quos erat solita, stipe larga ditare) vt se in virum rena cendo putaret euasuram, & quidem in Literatorum Ordine illustrem, quare iam inde Mandarinum induta, Doctorum assumptis insignibus, quasi iam tum admota regendis Prouinciis tumebat, & sortem promissam, præsenti cultu, & gaudiis tanquam certam libabat: quem verò frigidius afficit cura huius lucis denuo repetendæ, huic Bonzij alios sub terris fabricant, deplingunt, & laudant

dant Elisios voluptatum omnium, opum, & gloriæ profusione fortunatos, & supra quam fingi valeat felices: at quos vitæ per scelera traductæ dura sors in hanc reuomit lucem, admissorum pœnas luituros, transmittunt illos in corpora bestiarum iis consentanea vitiis quibus obnoxij fuerant. In his ergo illi qui sanctimoniam religiosius profitentur, tantum abest vt vermes quibus dirè, ac fœdè arroduntur excutiant, aut necent, ne fortè in patrem incidant, modico illo filij sanguine victitantem; vt aues etiam, pisces, & alias, præsertim minimas animantes emant, quas statim remittant liberas; in quo se putant satisfacere naturæ de prole quam professione continentiæ illi negant, cum transformatos, in bestias homines tam multos seruent. Hæc Oscianorum Bonziorum secta, origo, disciplina, tantis est initio regni plausibus excepta, vt sola extrusis aliis illud occupatura videretur, adeò illa quam spondebat animorum æterna felicitas, Sinarum genium plus satis implebat, qui nihil æquè delirant quàm vt in potione aliqua immortalitatem hauriant, corporis, vel decrepitam senectutem, in vires, & florem iuuentæ reuocent. Verum enim verò, Sinarum primos Reges sectam illam amplexos, cum tantus promissionum hiatus adeo fefellisset, vt medio etiam in cursu, miserè fortunis, vitáque excciderent, cœpit hominum detestationi, maximè verò nobilium patere; & gramen virulentum Imperatores aliquot, sed frustra, nisi sunt modis omnibus extirpare; suas deinceps habuit & fauoris, & odiorum vices; at eam nihil ita instituit, vt libri ab eius sequacibus infinito numero editi; deliramentis, esto, referti omnibus quæcumque possint in stultorum cerebro feruere, sed iis verborum ac styli tantis pellaces illecebris, non modò vt auidè, verum etiam cum admiratione perlegantur, insinuentque ingeniis leuibus, sectæ illius tam perplexos errores vix vt vnquam ex iis sese expediant. Accessit Reginarum superstitiosum cacoethes, mortuorum suorum leuandis manibus supra modum addictum, & in saturandis Bonziorum gulis idcircò profusum, quod venali se iactent pœnarum venia, posse illos ex imis inferis liberare: ob hoc illæ credulitate fœminea Bonzios opibus ditant innumeris, quibus cœnobia, & templa construunt pulchritudine, pretio, maiestate ad stuporem augusta, mihi quidem olim narrabat Sinensis se quoddam illorum cum esset ingressus ægrè deinde exitum reperisse; adeo multis, & vastis ambagibus, corpus tamen ædificij perfectum absoluebant, sed quanto pars quælibet sanctiori fuerat dicata simulachro tanto interius, à vulgi oculis in penetralia recedebat. Vidit Pechini templa duo P. Andreas Palmerius; alterum sacellis duobus & septuaginta, tam capacibus fultum vt nulli eorum cederent quibus Romanæ cinguntur basilicæ, instructu vero pretiosissimo splendidis, & idolorum omnis generis populo confertis. Illic spiritus colebantur criminum vindices; hic benefici donorum largitores; inde propitij misericordiis pauperum; alia ex parte iustis querelis afflictorum, & suis cuiusque officiis, idolorum vultus respondebat,

76. Templa idol. immensa & magnif.

debat, tetricus, benignus, arridens, attento similis; ad pedem altaris in quo prostabat spiritus simulachrum, turba præsto erat minorum geniorum iussis eius parata obsequi: alterum quod vidit Palmerius extra vrbem templum, colossæis horrebat statuis, auro magnificè illusis, & nobiliori cuidam Deo circum adstantibus cui positum fuerat id templum, hic verò palmorum quadraginta in lecto distentus, presso in ceruical cubito sustentabat caput veluti dormitans; carnes iacentis nudas, pannus tegebat attalicus, eratque hoc pium Reginæ delirium vt hunc illi pannum, grauiorem hiberno frigore, æstate mitteret leuiorem, narrat & aliis de templis quæ in Quancei Prouincia viderat sanè magnificis, sed ita contemptim, & sordidè habitis, vt ora Deorum aurea, araneorum textura fœdaret, in hæc templa boni illi Literati ad geniales cœnas, comœdias, noctes ludo potu alacritate omni ducendas confluunt: cœterum ministris sectæ huius, nemo est qui ad parentalia non vtatur, quod ea schemate habitus insolenti, & pia cantuum specie plurimum cohonestent; quin & ij quoque qui negant animum corpori esse superstitem, eos nihilominus adhibent, vt ex pompa iustorum funebrium quæ suis exsoluunt maioribus, famam apud populum captent pietatis. Sectæ tamen nefariæ decus nihil ita persuadet vt opinio sanctitatis, austeræ vitæ vsu & studio collecta; huius æmuli vitæ, montes syluosos, & nudos tuguriolis, & cellis replent in quibus se assiduè cruciant; alij quidem eorum in aliquo quos fingunt plurimos Paradiso vt locum sibi metentur optimum; alij vt in vitam defuncti renascantur priori locupletiorem, & idoneam ad gradum Literati. Euadunt quidam in cristas rupium tam conspicuas vndique quam abruptas, & in excisis propria manu cauis illic degant tantò glorioſiùs, quantò miseriùs: pauci quos virtus audacior stimulat, si quam procul notarint cauernoso in saxo specum dumtaxat corpori suo parem, in eam se longo demissi fune æternùm condunt, nunquam postea cuiquam mortalium cernendi, nisi in ore suæ cauernulæ statuarum instar in pedes arrecti; alendi verò suorum alicuius miseratione, paucillum iis orizæ, & frigidæ in alueolo submittentis, sic Anachoreta, & Cœnobitas sibi adornat cacodæmon Christi & Ecclesiæ contumelioſus; sunt enim illic etiam Cœnobitæ, qui æris pulsu excitantur ad cantus alternis choris celebrandos quæ summa ferè est eorum sanctitatis, præ qua, de reliquo idolorum cultum facilè negligunt, quod sibi ex cantu funerum lucri plus sentiant quam ex simulachris accedere. Locant item externis cubicula quos in cœnobia pertrahunt, eorumque hospitium ministerio, & quæstu sordido cauponantur; supercilioſa gens primo aspectu, at vsu si qua vsquam effrons & flagitioſa, norunt hoc iis addictæ feminæ si quando illos præter leges Sinensis decori, pietatis gratia inuiarint; norunt Nicuæ (illorum Moniales) attonsæ pariter vt illi, pariterque vt illi Virgines, nempe omnium singulæ, omnesque singularum. Fixo demum inter se atque immobili decreto emit quisque illorum puerum

77. Bonzij cœnob. & soliarij.

(quæ

(quæ merx apud Sinas vilis & obuia) alit, educat, instituit, quem cellæ, instituti, & virtutum hæredem relinquat; quo si minus augendæ, conseruandæ saltem improbæ nationi ab iisdem quidem prouisum est, sed hoc ipso euadit in fæcem hominum reiectitiam, & ita despicatam, vt pecudis capite veneant, adeo illorum immania scelera, omnes illorum & latendi, & dissimulandi euertunt fallacias. Quamobrem sæpius Præfectorum iussu cæduntur publicè à carnificibus eo maiorem à populo gratiam inituris quò peius illos habuerint.

78. Tertia secta Sinarũ propria.

Tertiam denique ortu Sinensem religionis sectam, annos natam bis mille ducentos, nullus genuit parens, quem veneratur pro Magistro: nec scholam aperuit, nec discipulos finxit, nec libros reliquit doctrinæ suæ vicarios, homo bestia, & demens, hoc vno sapiens, quod cerebri sui, quàm impias, tàm stultas deliriationes omnes secum voluit interire. Sed eas quidam eius necessarij refossas, in posterorum memoriam protrusere; capti enim eius inuento quodam de rerum inter se diuinarum & ciuilium ordine, quicquid dicentis ab ore lutulentum & absonum flueret, tanquam aurum tollebant purgatissimæ veritatis: inde illo mortuo hæresim concinnarunt, quam sectam Senis cognominant, quod putent illum quem audierant Laum, annos octoginta nascendo laborasse, quam nunc etiam fabulam Sinenses pro mysterio venerantur: at eius coæui Confusij inuida æmulatione, significare voluerunt, tanta Laum nascentem fuisse sapientia præditum, quanta homines octogenarij. Vitam in commune non agunt; suo quisque in lare habitat; extra paucos sectæ solennes ritus, cultu proprio nunquam induuntur, capillos, & barbam nutriunt, discernuntur ab Laïcis ligni tenuis corona quam suggestæ in glomum comæ imponunt; quæ professionis ingenti numero, fallendi ars omnia comprehendit. Chimicam igitur Vagi circumferunt; potiones spondent miscentque ambrosias, quibus homines senio, mortique præripiant; harum vim in seipsis ostentant, nam si post tria, & plura si libet secula in ætatis flore denuo exhibent; habent suis in templis suorum statuas beatorum, quos nempe nunquam mors attigit, sed vitæ saturos aliud ex alio adsciuit cœlum; aut terræ amantes, iuga montium defœcatissima excepere, vbi media solis fulgentiores luce, nullis obnoxij malis aut casibus, aura leuiores æuum ducunt beatum, sed iis adspectabiles solum qui sectariorum oculos adepti fuerint: ac sanè pronum est creditu, illos inter mõtium deserta simulachris illudi visu gratissimis, cum toti sint in maleficis artibus, & Necromantas complures mirificè colunt qui librorũ suorum peste nefaria Sinas funestarunt, & regno tàm latè lucem magicam propagarunt, quàm præcipiti ad eam libidine curiosa ingenia rapiuntur; aiunt hi tamen se nihil ex ea decerpere nisi quod bono communi prosit, noceat nemini; quod malos dæmones expellat; nouas ædes ab infestis casibus muniat; moderetur ventorum & nubium impetus; morbos sanet; infortunia quælibet anteuertat; in quibus longum & otiosum sit

narrare quot modis, & quàm ridiculis sycophantari sinantur atque illudere, semper tamen haud leui abdominis, & loculorum compendio. Hoc pensi habet Taosiorum secta, qui & Taochiai nominantur, documenta verò nihilo meliora. Mille ab hinc annis deos agnoscunt multos, eosque corporeos; ab antiqua Theologia retinent quod cœli dominum adorant, sed eum fabulis dehonestant vsque adeò fœdis & abominandis vt præ illis Europa, Danae, Ganymedes, & ignominiosa reliquarum portenta libidinum possint videri casta, minusque culpanda. Et post hæc homines sceleratissimi, vitam à morte aliam expectant, & pœnas, & præmia, prout quisque dum viueret, commeritus fuerit; sed harum arbiter pœnarum quo iure scelera in hominibus puniet quæ virtutum loco ei attribuunt? vel quo pacto pensabit virtutes, quarum inopia illum faciunt glorioſum? Et huc vsque de ingenio, politia, moribus, & religionibus Sinarum. Nunc maius aliud sequitur de vero Christi Dei & legitimo cultu, latè illic olim per integrum seculum regnante, post sic abolito, vt nullum extet eius vestigium, solæ vero eiusdem reliquiæ sub terra lateant, in marmoribus & ære semesæ cruces & imagines sacræ, quas fecit sepultura ipsa superstites, & prodidere identidem fossorum ligones fortuiti, ex quo factum vt pro curioso antiquariæ studio, caro emptas, & pretiosè asseruatas, nunc demum fides Christiana protulerit, velut iuris sui antiqui, & possessionis quæ exturbata est olim, tristia monumenta. Prostant quin etiam in omnium oculis, quæ de subruptis quondam sacratis ædibus, in profanam murorum fabricam sunt translata, maximè in Prouincia Fochiensi, vbi murorum saxa quædam cruces referunt varia specie sculptas in marmore, interque imagines Reginæ Deiparæ nobilem sculpturam, adgeniculantes sacris eius pedibus Angelos, & suspensa hinc inde elichnia. Iam cum Ecclesiæ interfit plurimum recognoscere sua iura, & sacrosancti fines imperij ex quibus olim eiecta est, contendam hic illos refodere quales mihi multa nec vana indagine fuisse visi sunt; vt eius filiorum hoc stimulo, pungatur ardor perpetuo, ad paternas ditiones postliminio repetendas. Cazanares igitur, hoc est, S. Thomæ Sacerdotes quos de monte appellant, sito videlicet in Malauare Indiæ, Comorinum inter & Calecutium: ex Chaldæo ad verbum suis veteribus in breuiariis hæc legunt [*à S. Thoma depulsi sunt errores idololatriæ ex Indiis; ab S. Thoma, Sinæ & Æthiopes ad veritatem conuersi sunt*] paulo verò post, *S. Thomæ opera cœlorum regnum volans ad Sinas peruenit*; & in præcensione quadam *Indiani, Sinenses, Persæ, &c. nomen sanctum tuum adorant, dum S. Thomæ memoriam recolunt.* Præter hæc reperitur canon Theodosij Patriarchæ, inter synodica eius Ecclesiæ decreta, quo Metropolitis longinquorum regnorum Præsulibus, inter quæ primùm censentur Sinæ, indulgetur vt laborioso parcentes itineri quo Malabaris Patriarchæ soliti erant se sistere, communis tantum fidei literas sexenniis

79. De Christianismo non semel Sinas ingresso, non semel abolito.

niis singulis ad eum mittant. Neque tunc primum cum Indias ingressi Lusitani, Cocini imperarunt, sed ante, ac postea, Malabarenses Patriarchæ in montibus, Metropolitæ Indiarum & Sinarum consueuerant nominari vt ex eorum patet Chirographis: quarum quidem probationum nolim propterea suspectam falsi priorem videri, quod Sinis ad Christum per Thomam Apostolum traductis adiungat Æthiopas qui Matthæo in sortem cesserant, cum potuerit facilè Æthiopiæ amplitudo duobus Apostolis, materiam operis præbere, quam sanctis Bartholomæo, & Thomæ India præbuit: quod autem Prisci, & integerrimi Sinarum Annales ne per nebulam quidem, Christianitatis meminerint, mirum valdè est ab iis opponi, qui scribunt illam inter Sinas ante annos mille floruisse, cum ex iisdem annalibus nihil possint pariter ad hoc asserendum elicere, nisi fortè, (quod lubens concesserint) Metropolitæ Malabaris, quem modo protuli, titulum. Anno itaque 1625. (vbi hæc fusiùs quæ hic tantum delibo) Saniueni, loco Prouinciæ Scensiensis, dum nouæ fabricæ panduntur fundamenta, incidunt fossores in lapideam tabulam prægrandem, quæ magna gratulatione in apertum educta, Sinensibus literis plenè insculpta comparuit, nisi quod limbos Syriacæ veteres prætexebant, sed illic ignota. Excitus rumore accurrit Præfectus, & optatissimum antiquitatis monumentum sibi attribuit; alios etiam Literatos, argumenti & styli excelsitas pellexit, quam exhibebo alibi aptiùs, nunc inde hoc solum decerpo, fidem Christianam à Iudæa in Sinas anno Christi trigesimo sexto post sexcentesimum fuisse importatam, ea principum approbatione, & populorum consensu excepta est vt extruerentur vbique Christo templa in decem Prouinciis (plures tunc decem non censebant Sinæ) qua eadem cœptorum faustitate maiorem in modum aucta est per successiones Imperatorum octo (tot in eo lapide insculpti leguntur) quoad potentissimos aduersarios mens læua subiit, eam funditus delere. Tunc verò communi consilio Episcopos, Sacerdotes, & Diaconos Sinarum, voluisse hoc lapide memores eorum fieri posteros quæ ad vsque annum septingentesimum octogesimum secundum accidissent à sexcentesimo trigesimo sexto quo Christi diuina lex Sinas intrauerat. Cœtera lapis, caligo, & tenebræ quæ nulla ingenij luce discuti valuerunt, ac ni foret hic lapis peculiari Dei nutu ex terra erutus ne vestigio quidem deprehendi potuisset an Christum Sinæ vnquam essent amplexi, nedum apud illos an publicè adeo & magnificè regnasset, cum eorum annales ne verbo quidem huius meminerint: ad extremum lego in rebus Armenorum, Regem ipsorum Aytonem, armorum suorum Præfectum Principem Sinibaldum legasse ad Regem Tartarorum qui & idem Sinis imperabat, annis post millesimum ducentis quinquaginta tribus, & quarto post anno ipsummet Aytonem ad eum venisse, cum eo in Cambalu Cataij, egisse, hoc est in Regia Pechinensi Septentrionali, Mangu Cano suasisse qui vna, & Tartaros, & Sinas ab anno iam quinquagesimo Tartaris C. 9. & 10.

subiectos, imperio regebat, vt damnata quam profitebatur exitiabili & falsa, salutiferam, & veram amplecteretur Christi legem; sub hæc tota cum aula ipsisque feminis, multisque Principum Imperatorem Mangu Christo nomen dedisse; ab Episcopo Aytonis Cancellario sacris vndis ablutos; Aytonem mox in suam Armeniam remeasse; nec subdit historia cœptóne in Sinis operi succidaneam manum admouerit. Sed in vltimis saltem ad aquilonem Prouinciis vbi est Aytonis celebratissima Cambalu, Christi fidem tam felicibus natam principiis fuisse vbertim propagatam, confirmare videntur quæ recolo ex scriptis Matthæi Riccij. Paucis ab hinc annis comperimus, inquit: fuisse hic olim Christianos (& scribebat ex ipsa in qua tunc degebat Cambalu) maximè in his ad Septemtrionem Prouinciis; nuncupabantur *Adoratores Crucis*, crescebant tam grandi familiarum numero, literarum & armorum laude vt ante annos sexaginta Sinis fierent suspecti; dolo fortassis Mahometanorum. Sinis ergo cautè parantibus illos inuadere, omnes sacrilegis latebris fidem professere Christianam, alij alcorannum, alij Mahometem, Iudaismum non pauci, magna pars idola professi sunt; sacræ illorum ædes simulachris dicatæ; illorum nepotes etsi crucis figura cibum potumque muniant, ritus eius nec sciunt, nec audent edere rationem, quin imo præ metu ex iis veteribus negant se fuisse prognatos, cum tamen ex ore, ac lineamentis clarè arguantur nequaquam origine Sinenses esse: scire mihi non licuit quibus aut literis, aut imaginibus vtantur, duntaxat vidi apud antiquarium mercatorem, sat factam fabrè campanulam æream, supra quam extabat ædiculæ sacræ effigies, crux huius pro foribus recta; tintinabuli ora, Græcis Characteribus inarabatur multis; Christianis illis indidere Sinæ vocabulum, cuius planè me latet notio Hocihocos, appellant, & addunt literam quâ denarium numerum exprimunt, estque apud Sinas perfecta crux quanquam crucis & vsu carent, & nomine. Isaios eosdem, hoc est, Iesuitas & Terzaios Mahometani dicunt, narrabátque mihi Armenus à Persis consueuisse iisdem nominibus Armenos compellari, ex quo fortè non leuis ducatur coniectura illos ex Armenia profectos.] Hæc P. Matthæus Riccius anno huius seculi quinto compererat; Ego nihil hactenus aliud ex veteribus Sinarum monumentis eruere potui, de iacta non semel, inter illos lætis prouentibus, & miserè adeo, non semel obruta Euangelij semente, vt ne fibra quidem postremis hisce temporibus supereslet. Calamitatis huius tantæ inuestiganda nunc est infelix causa, non vt constet modo quò referendæ sint ruinæ Christianissimi illius imperij; sed quantæ in præsens perrumpendæ fuerint difficultates ad eas instaurandas, & in posterum prohibendas. Cum enim Sinarum idem sit, & Literatorum imperium, abundétque ingeniis excellentibus, & doctis; superstitiosum, nihil aut impium suopte instinctu olentibus, necesse est in iis, mentis bene cultæ optimam comparationem, prauitate animi superari, obruique peruersitate voluntatis: accedit illa

79. Impedim. conuersioni Sinarum obstantia, illorum vitia.

publici

publici ratio pro qua suos etiam in Reges audent; extraneos habent pro hostibus, vtque nihil externum nisi ægerrimè admittunt, maximè in religione, ita nihil retinent etiam leuiter, & inaniter suspectum.

Harum priorem causarum omisi cum de institutis Sinarum agerem, quòd eorum per se spectandam præstantiam & vtilitatem haberem dumtaxat propositam; cui si pari morum, & rei politicæ cura insisteret sapientissima ratio, orbi vniuerso spectaculum foret admirationis. At enim mores apud illam ciuilitati ancillantur; virtutis speciem ambiunt ad dignitatem personæ quam sustinent (de literatis loquor) vt regni patres, & arbitri constanter obseruentur; odere ipsam spernúntque virtutem. Hoc porrò quod solum prætexunt adumbratæ ad oculum virtutis filo prætenui, cum indomitas suas inhibere cupiditates non valeant, non possunt eæ quin sæpiùs abrupto illo erumpant in scelera, & sessorem adsportent in præceps: quædam præterea vitiorum portenta vsu promiscuo etiam illorum qui probi audiunt, in naturam conuersa, impunè volitant, & grassantur. In quibus principem locum tenet adeo impotens & immanis libido, vt in eas turpitudines deformetur quas etiam barbari flammis damnant. Sinas verò qui solos nasci homines se putant tàm longè hic omnis destituit ratio, vt sint brutis quibusvis fœdiores, quam fortè ab iis veluti Magistris insaniam Iapones duxerint, qui pestis eiusdem rabie laborant. Facilè omninò inducor vt credam Sinas olim Tartaris in prædam, nunc ante annos decem fuisse traditos in præmium honestatis, & beneficium fidei sacrosanctæ, vt obscœnitate illa quam ferro & igni insectantur, purgatos Sinas, diuini spiritus capaces efficerent. Vicos enim integros implebat illa fœx iuuenum aut ab se vltro, aut inopia parentum, & auaritia Mangonum, libidini publicæ destinata. Estque item hæc Sinensium inopum licita, & continua improbitas, cuivis vt filios, vilius quàm porcos mancipent, obsequio quolibet, siue flagitio vel occupandos vel sceleratissimè perdendos. Neque verò id vnum Sinarum leges tantis laudibus decantatæ concedunt parentibus in proles nefarium, & impium, verum etiam vt vitam iis præripiant quam fore prospiciunt in summa egestate, & seruitute miserrimam, quod aggrediuntur procliuius qui putant exutas corpore animas quærendo, inuenturas alicubi fortunatius corpus cui sese insinuent, vt in Literati cuiuspiam, aut locupletis grauida vxore, vnde alteram trahant vitam in omni genere felicem. Feminarum autem vulgati pudoris, etiam magnam partem maritis lenonibus prostant quibusdam in vrbibus millia quadraginta, quamvis numerum vxorum nihil cuique definiat, nisi eas alendi penuria. His voluptatibus lutulentis à puero fermè cum imputruerint, clarum est iis quàm acerbus ad mentem veniat, imò & ad aures de Christiana honestate sermo, quem aliarum quoque nationum minus soluta intemperantia ægerrimè excipit. Cum iis indicitur virum vna vxo-

re contentum esse oportere ; Sinæ autem propterea exhorrent quod magnæ ducant infelicitati carere filiis , seque hoc nomine tanquam iure naturæ in multas vxores diuidant, quo earum saltem ex aliqua prolem tollant. Accedant his infamibus studiis , sensuum reliquorum emasculatæ illecebræ , Mandarinorum nemo quotidie manè foras prodit , nisi comptiori , molliori , delibutiori munditie , & ornatu curatus quàm quævis apud nos sponsa cum domum ducitur , nec putat horas colendi corporis malè collocatas , si alienos oculos curioso sui spectaculo iucundè pascat. Omitto quæ pridem attigi palatia & hortos , & omnes in iis delitias quæcumque possunt ab natura , vel arte suggeri; fontibus , lacubus , Euripis , florum , & fructuum verè perpetuo , luxuriosis & prolixis ad ebrietatem conuiniis , quæ si defuerit parum videtur vocanti amico satisfactum , & hanc eo vsque sibi dedecori non vertunt Sacrosancti illi Magistratus , qui diuinitatem quandam sobrij præferunt , vt per medium populum ebrij , super hominum capita reportentur domum dilabanti huc illuc capite , & esculentis vomitibus defœdati. Hæc morum inter Sinas effrænis licentia , & Epicurismus , idémque temperantiæ Christianæ , vel inducendæ ingens obex , vel dirus expellendæ fomes. Sed huic planè opposita ratio , conuersioni obstitit feminarum , scrupulosa illa fratrum quoque ipsorum ab oculis earum custodia , & mortalium omnium foris domique vetitus aspectus , qui partem Sinarum mediam sacræ subducit Prædicationi. Deinceps tamen subinde occurret qua supra spem omnem industria Patres Societatis has difficultates superarint , nempe illarum parentes , & maritos Christianis imbutos disciplinis adhibendo ad instituendas in eadem fide filias , & vxores , atque adeò cum euinci aliud non potest baptizandas. Restant alia duo impedimenta fidei , regno communia. Vnum simulandi & dissimulandi ars tam perpetua vt non prius verba incipiant quam mendacia formare , nec Sinarum inter se consuetudo aliud sit quàm mutuus inuicem deludendi ludus. Esto ficti falsíque conuincantur palam , probro id nemini , ne optimatibus quidem datur. Verba vt nummum arbitrantur cuius adulterini vsus publico commodo indulgetur ; qui pro legitimo & qualis videtur illum admiserit , non decipitur ab alio , sed ipse se fallit. Iam circumuenire alium cum ad rem tuam facit solertia est , cuius vtrimque larga conceditur capitúrque vicissim venia , nec sunt vultus à linguis dissimiles , fucus omnia , & laruæ : quare illic miseri externi , tunc solum deprehendunt cui credidisse debuerint , cum seipsis ex rebus deprehensos, & lusos sentiunt. Profitentur nihilo seciùs , fidelitatem Sinenses miram, seruantque nonnulli etiam mercatores , sed ij tam pauci , vt in reliquorum infinita colluuie haudquaquam appareant. Secundum proseminandæ fidei obstaculum superstitio efficit quæ ipso ab Rege ad postremum quemlibet mendicorum , regnum inuoluit vniuersum : nihil quantumvis leuè inconsultis maleficis , diuinis , & sæpè dæmonibus quos pas-

sim

sim familiares habent mouetur; mittuntur sortes, momenta numerantur, obseruantur puncta situsque locorum bene augurata, tam puerilibus, & infinitis minutiis, vt mirum sit homines tam cordatos & ingeniosos tantùm anilibus iis nugis infatuari potuisse: de inspectore omnium & Rectore, mentio nusquam vlla; ne cogitatio quidem consilij, & pronidentiæ in inferiora: fortunæ, fato, priuatæ industriæ, benignis influxibus certorum casuum omnia tribuuntur.

His nihilominus multisque aliis Sinarum vitiis quibus densè progressus Euangelij præcludunt, via vi spiritus diuini quâ suos Christus operarios obarmat per quæuis ardua fieri poterat, syluáque illa immanium scelerum fusis vt olim cœlo decinerari flammis, si patuisset ad illos aditus. At huic suarum rationum periculo præcauens cacodæmon, Sinis metus iniecit imperij sui amore insano Zelotypos, odisque aduersus externos insanabilibus incensos (maximè postquam Europa ingentibus animis, transuerso Oceano vltimũ adiit Orientem) ne quo commercij aditu penetraret se vna Christi lex in regni viscera, & ab eius Ministris porrigeretur latiùs in gentem rationis admodum capacem: hinc leges in exteros barbaræ, capitales pœnæ, sempiterni carceris ærumnæ, si vel audax cupido, vel ineuitabilis tempestas in regni littus eos coniecerit. Persuasit Sinis, fidei sacræ hostis, inituros regni possessionem extratios, si vel pedem in illud mitterent, potissimum verò si religiones secum intulissent ab auitis & patriis diuersas; reuocauit iis memoriam cladium quas seruabant suis annalibus consignatas, vt si vellent eas cauere posteri, nouas sectas, etiam domesticas cauerent, quæ regnum factionibus laceraſſent, ipsisque Regibus creassent periculum; essentque grauiùs sæuituræ si Magistros & Duces sectarentur extraneos, qui regnum ingressi, nationum suarum armis ingressum in illud pararent. Militabat his dæmonum artibus contemptus externorum, quos præ se pingunt, habéntque Sinæ vt monstrosas, & viles bestias.

80. Primus in Sinas Lusitan. ingressus.

Verum enim verò hæc tam Zelotypa odia, suspiciones tam lubricas, & contemptus adeò probrosos peruicit Lusitanus, primúsque ab Sinis in gratiam, post domum quoque admissus est; conciliator vtriusque, idem vtrimque qui amicitias vbique gentium sociat, & dissociat quæstus, & fames. Ostendere se Lusitani ad eas insulas quæ Sinas ab ortu meridie cingunt, cum Gaulo Regio ad pugnam si opus; si fas ad commercia eximiè instructo; explicuere Sinis pretiosam, & peregrinam gazam quam vexerant; autúmque numeratò censendum venalibus sericis quæ poscebant ad nauis integræ iustum onus. Hanc affulgentium lucrorum gratam lucem, retortis oculis non refugit Cechianensis ad ortum Mandarinus; nec ad austrum Cantonienſis; gratulantur aduentum Lusitanis; modum excogitant quo regni legibus integris, compendiosam occasionem non corrumpant; decernunt externis fore liberum suas merces, & pecunias in vrbem inferre;

pernocta

pernoctaturis tamen in sua naui, & in ora regni anchoras missuris. Sic longinquè libatum negotium, & quot annis sensim familiarius prouectum, eò tandem perductum vt daretur iis portus, quo se à ventis illic furentibus tegerent; & solum vbi se quiete reficerent, suásque res in tuto deponerent, dumtaxat à continenti procul, modo hac, modo in aliis insulis, aut prorsus, aut prope desertis. Prima illarum è regione Iaponiæ Nimpi cornu, quod Liampus deinde à Lusitanis dictum; deinde ad australem plagam aliæ atque aliæ quibus Cantonensis Prouinciæ limes prætenditur, atque inter has illa olim obscura, & ignota, nunc morte Xauerij, ac nomine nobilis Sancianum, vna ex tribus quas vocabulum Sanceu comprehendit, octaua intra mare leuca; vmbris quidem amœna syluestrium arborum; sed montosa inculta, inhospita, proin apta quæ permitteretur Lusitanis, cum eius versus Macaum acumen in portum desinat, capacem, & placidum, quem eius obiecta faucibus exigua insula præstat à Tiphonum rabie securum. Illic sua obibant commercia Lusitani & tuguriola sibi extra nauim ad nonnullam quietem ex virgultis, & fronde tenebant, quæ ventis post nundinas ad vela cientibus; læto incendio delebunt; grato Sinensibus fidelitatis, & modestiæ documento, quod tunc potissimum necessarium erat Lusitanis firmiori præsidio destitutis. Explorata enim aliquot iam annos illorum fides ad receptum promeruit insulam, milliaribus quinquaginta interiorem regno, nomine Hiansciauum, saxosam, asperam, desertam, Quanceo vrbe primaria Cantonensis Prouinciæ leucas dissitam triginta, ea in fauces fluminis quod Quanceum fertur, promotorium mittit milliarium trium circuitu peninsulam faciens, isthmo tenui cum insula iunctum. Isthmum Sinæ ab ea transuerso muro distraxere, porta solum vnica peruio, eámque peninsulam Lusitanis dedere habitandam, suo quidem haud paulo impensius commodo quàm Lusitanorum, vt se Piratarum infestatione liberarent sua latrocinia perpetua subducentium in portum peninsulæ Lusitanis concessæ. Expeditionem Lusitani non modo in illos, sed reliquos etiam Prædones qui latè id mare percursabant, libenter suscipiunt; verum hac lege, vt sibi liceret ab iis cauere, & munitiuncula extructa se portumque ab iis defendere. Quo impetrato fundare incipiunt illam hoc æuo celebratissimam Macaum, vrbem, arcem, emporium locupletissimum vltimi Orientis; expectandis in Iaponiam, Philippinas, Molucum, Cocincinam, Tunchinum, Cambaiam item, Sianum, & Malacam ventis, fidam, & commodam stationem vox Macag detrita (vt reliquæ tam longo itinere aduenæ in Europam voces, Amagao proferri debuit, quòd in eo portu; Gao nuncupato, idolum Ama coleretur. Dei quidem vrbs cum fundaretur vocata est, vsus vetustam Macao appellationem sapientibus inuitis retinuit; ipsa nec ambitu valdè ampla, nec ciuibus frequens, sola se ostentat mercaturæ longinquæ opportunitate, ac securitate, nam arce inexpugnabili fulcitur:

81. Sancianum, & Macao.

vadosum

vadosum vndique circum mare, naues bellicas procul arcet. Par quidem & iis,& gaulis quantumuis immanibus quà portum subeunt,sed necessariò coactis in eo ingressu murũ propugnaculi radere sub ictu igniarij apparatus formidabilium tormentorum: à terra ciuitas in plano sex propugnaculis clauditur exquisito armatis ænei fulguris instrumento; & gemino ex colle duo præsidia egregiè instructa exterioribus imminent fulminandis, & accessu hostium prohibendo. Sic bellè ac prouidè comparata Batauorum crebras incursiones fregit, euasitque semper experientia illarum robustior; fixis ergo in hoc Sinarum aditu sedibus Lusitani; post Quanceum quoque per diem admissi, modo se in naues pernoctaturi reciperent, tranquillè commerciis, instabant, cum cœpit fœx hominum, quæ in multitudine nusquam deest, rebus Sinarum dolo, aperta iniuria, & rapinis admoliri manus, creuitque annorum processu facinus, quoad tandem multorum cruentis suppliciis satisfactum est publicæ æquitati, haud tamen propterea desiit illorum crimen in omnes refundi, Lusitani omnes haberi pro improbis, agi de illis criminosè in aula Pechinensi; decerni (vt scribit P. Melchior Nunnius) iudicata sententia, homines esse suspectæ fidei; quæstum ab iis ducendum quem de suis præberent commerciis; ab iisdem cauendum tanquam latronibus, hoc ij titulo notabantur, habebántque offensos pridem Mandarinos, quod eorum nonnullos, diuinis prope assuetos honoribus comites Legati Lusitani tractassent contumeliosè; nec tulissent illum minus honorificè in Sinis quàm in Lusitania obseruari, cuius tumoris, & imprudentiæ honorarium hoc fuit nemo vt Legatus ex ea natione per annos aliquot sit admissus: accumulandis quoque ad vera mendaciis, accusabantur plagiarij aduersus indigenas & cæsorum ad paranda conuiuia illorum carnibus, quod ex vulgi rumore ita crudè arreptum vt quidam propterea Lusitani atrocissimè torquerentur alij ægrè calumniam purgarent, sed viros prudentes mouebat grauius quod mari tantum possent Lusitani; spectabant iniquis oculis formidolosas eorum naues, ad quas nauigia Sinarum bellica erant speculæ instar ad arces inuictas: earum machinas longè alias ab suis longa serie minaces; Falancas vocabant, Francas volentes intelligi, quam vocem cum R. litera careant, ori vt possunt accommodant, harum mole, armis & viribus nauium, non solùm à Francis domita maria, sed magnam partem Indiarum, atque adeo Malacam olim suam insusurrabant Saraceni à quibus Franci omnes dicuntur Europæi, & vox Falanchæ, seu Franchæ illuc inuecta est: ac nisi Cantonienses Mandarinos Lusitanis, lucri promulsis fecissent mitiores, nauésque illæ tantum formidatæ, Sinas semper auxissent pecuniis & mercimoniis, Lusitanos adhuc malè consistentes, illinc Sinæ tentassent expellere quod nunc arbitror frustra foret. Ita nihilominus ardebant in illos odia vt in consilia publica interpellaret semper Orator aliquis de Lusitanis Macao extrudendis, nihilque adeò cauebat Doctor Paulus Sinensis Christianus quam ne id ad

81. Odia Sin. in Lusit. vnde?

deliberandum poneretur, Patres verò ne existimarentur ab iis pendere, ne portis Macai in Sinas subirent, ne operariis inter Sinas alendis subsidia Macao nisi clàm peterent. Simulandum denique iis erat, Lusitanos ad se ac nostrum orbem nihil attinere; quibus tamen satis caueri non potuit, quin suspecti cum illis miscere consilia, compelleremur Macao eiusque vicinia in interiora regni longius dissita, quod suo loco, & tempore veniet explicandum.

Hæc de obstaculis fidei sacrosanctæ in regnum Sinarum; nunc de Societatis nostræ conatibus ad eam inducendam diu primum irritis, vbi Deo sic visum, per aperta tandem seculorum multorum repagula fortunatis. Nec dubium magnæ Xauerij animæ primam tanti boni post Deum gratiam deberi. Debellandæ Sinarum idololatriæ generosam suam expeditionem ad eorum conspectum portásque prouexerat, conatúsque ingentis clara vestigia calcanda plus vltra fratribus, in Sanciano moriens signarat, cum statim omnibus iniecta certa spes Sinarum fores diù clausas, breui eius meritis reserandas. Nostri ergo exinde per annos triginta, incubuere constanter in id opus vt opum cœlestium mercaturam eò saltem vsque promouerent, quò nundinatio terrenarum pertigerat; nec cassas sæpiùs & inanes contentiones illorum primas destituit ardor quo cœpta fortiter vrgerent, dum illuc denique primo ingressu euaderent vbi erat statio Lusitana, & longè interiùs in regno non iam incertas & mobiles, sed fixas sedes statuerent, inciperéntque Deo, & Ecclesiæ nauare operam, quam hodiéque post annos octoginta pergunt in toto imperio nauare. Tentamenta irrita primus expertus est P. Melchior Nunnius seu Nugnes Socio Stephano Goesio, de quibus abundè alias: venerant interea ad Sereniss. Regem Ioannem Tertium sapientissimæ ab Xauerio literæ, paucis quàm obiret diebus datæ; quibus apud eum dolebat vehementer Ministrorum eius auaritiam inexpletam obstare grauiter conuersioni Ethnicorum; nec regem illos vereri nec Deum; nec pluris nihilo facere si regna integra æternum interirent, dum ne procuranda illorum salute, rationes suas sentirent vel obolo minui, & hæc eos audere tam liberè quàm impunè. Subdebat de damnis Iacobo Pereria pensandis quibus eum Aluarus Præfectus Malacensis affeciisset, legatione interuersa quam adornauerat in Sinas, vt amplissimum illud imperium nusquam aliundè penetrabile, Euangelio aperiret. Serò quidem ob casus maritimos, sed optato responso Rex sereniss. dignatus est Xauerij literas, quod Franciscus Cotignus Comes, Prorex creatus Indiarum proficiscens tulit, vnáque mandatum quo iubebat Rex in Sinas Legatum à se mitti Iacobum Pereriam, & cum eo de Societate quos ipsemet legeret. In procinctu erat Legatio; Goa in Sinas Gaulus soluit Aprili mense anni 1562. Iulio exeunte in portum subiit cum tribus è nostris P. Manuele Tesseira F. Andrea Pinto, & Rectore illorum Francisco Peres sene optimo, & meritissimo. At enim aliis diuino consilio seruabatur honos, restituendæ in Sinas

83. Xauerij literæ ad Reg. Lusit. valdè vtiles.

84. Irrita legatio Lusit. in Sinas.

Sinas post longa exilia fidei. Breuiter ista legatio per biennium mota, per se malè conserta, peius à Pereriæ æmulis turbata, ominatissima fefellit initia, & de prope iam parta faustitate in fumos abiit. Inter hæc nostri quotquot ex India in Iaponiam mittebantur, dum Macai, vt solet, demum mensium mora operiuntur in eam ventos, illic Apostolici tyrocinij perficiebant rudimenta, & conceptum ardorem caritatis alebant seruorum Sinensium variarumque nationum curanda salute, qui dabant operã Lusitanis dominis nongentis incolentibus Macaum mille, interdum ex iis fidei regulis instituebantur, fructu subinde numeroso celeberrimorum baptismatum; auellebantur ab impuro Herorum obsequio seruæ, & à Mangonum nundinatione; quinquaginta semel in Indiam supra quadringentas transmissæ sunt, maritis locandæ; Malacam ducentæ: & hæc eo cœpta biennio quo adornabatur legatio, in vsum deinceps perpetuum transierunt. Accessit his sodalitas frequens ex solis Sinensibus conflata, vt peculiari diligentia Christianis officiis, & virtutibus informati, exemplo apud suos & Magisterio fungerentur, quæ res vsque Quanceo trahebat complures ad cernenda explorandáque mysteria Theologiæ peregrinæ, quibus catè perspectis ardebant desiderio sacri fontis, si per Mandarinos suos licuisset. Maiorem tamen frequentiam auebat Macaum sanctioris hebdomadæ, & Paschæ solennitas, quæ Lusitanorum consuetis & religiosis studiis celebrabatur nobiscum singulari pompa, & cui parem Sinenses magnitudinis suæ adoratores summi, negabant se vsquam vidisse, quæritabántque inter se taciti, quantam nostro in orbe & patria esse oporteret, illorum rituum maiestatem, qui arcto, nudóque in scopulo tam magnificè agerentur. Valuit hic splendor, & reuerentia sacrorum ad conciliandos nobis Mandarinos, impetrandámque Macai habitationem tum iis paucis qui iam illic degebant tum qui Iaponiam adituri, ventos illic præstolarentur propitios, datum est diploma eius facultatis anno 1565. deditque Collegio felix initium quod illic P. Valignanus Goanis contra vi magna nitentibus denique stabiliuit, ingens nunc rei Christianæ inter illos populos firmamentum. Biennium fluxerat in hac laboris fructuosi occupatione & euanuerat tamdiù expectata legatio, cum Peres viam commentus est qua Christum se solo induceret in Sinas, planam, & eo expeditiorem quod nihil de lucro, & commodis olebat, quæ ferè Dei negotia corrumpunt: libellos itaque concinnauit duos, quo vtroque manu periti interpretis exponebat quis esset? quid profiteretur? vnde? quámve ob causam ex vltimis terrarum finibus venisset? postremo supplex fieri sibi copiam rogabat in Sinis habitandi; his instructus libellis, anniuersario oblatæ in templo Deiparæ, supremo se sistit tribunali Prouinciæ Quanceensis, & absolutis quibuscum venerat Lusitanis, suo ad latus interprete, reuerenter procumbit in genua, sedebant Mandarini quinque, suprema quisque diuersis in officiis potestate, stabant magno vtrimque numero Ministri, sic venerabundi vt

85. Nostrorum opera Macai fructuosa & facultas habit.

86. Peres quia sinicè ignatus vetatur in Sinis habitare.

si totidem adstarent numinibus. Peres honore perfunctus multiplici qui Magistratibus de more exhibetur, ab iis vultu præter morem humano & hilari iubetur semel iterúmque accedere propius, erigitúrque ad petendum fidenter quod optabat; is verò libello supplici in mensa Pucensij, (Præsidis scilicet) depósito, nihil se præterea rogare demisse respondit, quàm quod iis duobus postulati vnius Apographis inerat. Lecta sunt igitur ab iis non sine admiratione, quæsitúmque ex eo cuiusnam scientiæ illo scripto Magistrum se profiteretur? diuinæ, respondit, ac rerum ad æternam animi salutem spectantium, vt post hanc vitam fragilem, & breuem, beata viuat immortalitate, iussit hic Præses illum summatim edicere, qui posset ea felicitas parari; Exorsus Peres à puris atque illustribus rectæ naturæ principiis, quibus insistit Literatorum secta, Decalogum iis recitauit, tantúmque placuit, vt Præses Sericum Damascenum statim eius collo circundari iusserit, Magisterij eius insigne legitimum, & lætum omen Lusitanis, fore vt Christi lex susciperetur illic propensiùs, vbi eius Magister tantam nactus esset venerationem. Quæsitum inde ex eodem de ipsius libris, inspectáque, quos secum tulerat magna voluptate: post demum, an linguam Sinensem calleret? quod cum ingenuè negasset; qui possis igitur subdit Præses inter Sinas cum operæ pretio manere, si perpetuo ad verba singula sit tibi necessarius interpres? hoc nisi obstaret, dari tibi posset quod expetis. Minimè verò, infert externorum Iudex, vultu & verbis ferox, vetant leges Sinarum externos in regno aut degere aut vagos discurrere. Sic benignè ab aliis dimissus Peres, nec repulsam tulit, nec impetratam rem; sed dilatus quoad ampliùs de illa deliberaretur; iussit tamen in posterum tentasse, quod tunc honestè negatum est, intellectumque imprimis quanti esset aliquos in promptu habere qui Sinicè nossent; deinde non esse ab eiusdem rei petitione absistendum, donec aliquem Deus aut Prouinciæ Magistratum, aut supremum Rectorem inflecteret ad concedendam nobis stabilem in regno mansionem.

Sic furtiuus in Sinas, & clam suis quoque Præsidibus Ioan. Bapt. Riberæ ingressus, hominis maiora quàm benè consulta desideria gerentis, anno 1568. sic post annos septem Christophori à Costa supplicatio reiecta à Quanceensibus Mandarinis, vixque ab iis auditus Macaum repulsus est.

87. Valignanus conuersioné Sinarum suscipit.

Huius magnitudinem operis destinabat Deus Alexandro Valignano, & Michaëli Ruggerio; Valignanus Iaponiam petens, dum Macai de more subsistit, tam multa de Sinis tam præclara audiuit, vt distraheretur incredibili gaudio, & dolore, hinc desperari in Sinas ingressus; illinc fiduciæ ingentis, Christum tanto imperio inferendi. atque vt erat magni, diuinis præsertim in rebus animi, & illos gerebat spiritus quos agendorum artollit, & acuit difficultas, suscepit hoc inter alia summi ad Dei gloriam momenti negotium, quod tentarat

idcircò

idcircò Xauerius vt Magistri Iaponiorum Sinæ ad Christum perducti, Iaponiam secum traherent vniuersam: in quo illum nec spes egregij operis, nec ardor pietatis egere, vt solet, in præmaturos impetus, & impatientiam morarum; lentatis, longisque consiliis euicit tandem quod nullis machinis perfici posse credebatur. Cœpit igitur in iis quos regebat, quærere homines iis præditos dotibus non modo quas Apostolicæ vbique exigunt functiones, sed potissimum inter populos doctrina, ingenio, & ciuilitate eximios; explorare deinde quos facilitate memoriæ, rotundíque oris volubilitate ad Sinarum linguam natura formasset, visus ad hoc primùm idoneus Bernardinus de Ferrariis sed eo sic alibi occupato vt adesse Cocini ad discessum nauium non posset, locum eius suppleuit Michaël Ruggerius. Huic erat patria Spinazzola, regni oppidum Neapolitani, & Diœceseos Venosæ. Natus anno 1543. Pompilij appellationem ex Baptismo & nominalibus duxerat; anno ætatis vndetrigesimo, seculi 72. adlectus fuerat in Societatem, die Simoni, & Iudæ Apostolis Sacro; Doctoratus insignia in vtroque iure consecutus studio decenni; noménque tunc Michaëlis præ Pompilio adamarat. Exacto quinquennio, & curriculi Theologici nondum emensus dimidium, Indicam missionem ab Euerardo Mercuriano impetrauit, & quinque mensium nauigatione Goam applicuit die cruci exaltatæ festo, cum Vlyssipone pridie salutatæ Deiparæ soluisset anno eius æui 78. Credita mox illi ora Piscaria, earum olim Xauerio rudimentum Apostolici ardoris. Linguam barbaræ gentis breui iam sibi fecerat expeditam, etsi alioqui difficilem, cum à P. Rui Vincentio nostris in India præposito improuisus Cocinum iubetur redire, vt inde cum Præfecto Gama in Sinas solueret; erat iam Gama in procinctu ad vela; mare tunc ab ora Piscaria procellosum, tempus angustius quam vt naui Cocinum condicto pertingeret; terra itaque Deo & obedientiæ merito confisus id iter aggreditur & per aspera montium, barbarorum infidelium odia, & pericula latronum, Gamæ intra decimum quintum diem Cocini se sistit, & cum eo soluens, Macaum Iulio appellit anno proximè sequenti. Illic Valignani in Iaponiam profecti autographa monita cum legisset, exterritus est mole negotij ardui quam solus versare iubebatur, sed confirmauit titubantem, & prosecutus est singularibus præsidiis Deus, ne crebris per triennium, & trimestre, desperandæ rei occasionibus succumberet.

88. Ruggerius Sinas ingressus, sui speritum præbet.

Monebatur à Valignano vt linguam Sinensem tum vulgari, tum Mandarina dialecto, cum characteribus apprimè condisceret. Dehinc vt se totum ad Sinarum morem, & specimen, ad cultum, & vrbanitates paulatim fingeret, quod non erat adeo operosum; sed de lingua & characteribus, passim labor inanis iactabatur, nec à tam longinquis initiis exitum vnquam habiturus; & percontabantur alij per iocum ecquid in hanc lucem iam veniissent Sinenses illi fortunati quos esset Ruggerius suis concionibus ad Christum perducturus? sustentabat eundem nihi-

lominus, etigebátque inter moleſtias ſuſcepti operis ſanctus ſenex Petrus Gomeſius; ſed diſtrahebant in alia miniſteria qui noſtris Macai præerant, flocci habita ratione illius ſtudij, cuius nullum vnquam fore fructum rebantur: quod vbi reſciuit Valignanus, noſtris mandauit è Iaponia vt eſſet immunis ab omni prorſus alia occupatione quantumvis vtili, ac ne parum conſultè pergerent dicere præſtantis operæ hominem curis linguarum inutilibus diſtineri, duos quoque illo clariores ad eaſdem euocauit Matthæum Riccium, & Franciſcum Paſium, de quibus quamprimum occurret dicere.

89 Riccius & Paſius in Sinas vocantur.

Cæterum exibat Ruggerio ſtrigoſi laboris alter annus, iámque Deo viri obedientis ingenium acuente lecta vocum Sinenſium aliquot millia, & probè didicerat, & characteribus totidem ſcienter deſcribebat; quare mox Chriſtiana myſteria & præcepta breui ſcripto vulgauit, magna ſui apud Literatos fama, & Fidei bono. Illum quin etiam Præfecti Sinenſes Luſitanis Quanceum quotannis ſemel aut iterum traijcientibus ad mercium diribitionem non ſinebant modo ſed volebant omninò adeſſe comitem, quod modeſtiores, & fideliores, Patrum præſentia experirentur Luſitanos, quæ trimeſtres moræ, incommodabant Ruggerij ſtudiis non parum, ſed mirificè conferebant ad obtinendam in Sinis fixam ſedem, quæ dum negaretur fruſtra pænè Foret is linguæ apparatus: ac Prima quidem Macao Quanceum illius profectio quæ in ſeculi annum 80. incidit triſti ore, indignatorum Magiſtratuum, & populi exceptu, grauiter illum conturbauit. Egregio iuueni perſuaſerat è noſtris qui eum ad fidem conuerterat, vt relicta Quanceo patria Macaum aufugeret; quod ſanè improuidum, & malè ſanum conſilium ſecutæ mox pro tribunalibus Bonziorum querelæ; Magiſtratuum iræ, retractio iuuenis fugitiui, & dura verbera, ingens Carneri Epiſcopi diſcrimen, & de Patrum mente infida quàm falſus rumor tàm latè diffuſus; ſubuerti nimirum ab iis Sinenſes, & Luſitanis in ſeruos abduci. Gnarus itaque Ruggerius ſe mille oculis obſeruari, ſolerter omnia vitare, quæ ſuſpicionis vmbram Sinenſibus facerent; & ſui quidem ea indicia prodere, quæ conceptum errorem iis abſtergerent; Sociorum verò vbicumque ſe daret occaſio ſincera ſtudia, & ſimplicem animum tueri; familiari demum comique frequentatione Sinenſes adeò mulcere, vt illum mutuò, & honorificè viſerent, interque hos ſummus armorum Præfectus, quodque mirabilius, & maius, ipſe Aitaus, Externorum, & Præſes & Iudex, apud quem Ruggerij virtus, & ſapientia tanti fuit, vt cum nobiles Luſitanos & in genua prouolutos, & in aſſiduas proclinationes, & procul audiret; ſolum ſibi ad latus Ruggerium iuberet in pedes conſiſtere, ac dum ij ſub noctem cogerentur, ſuas ſe ſe in naues recipere, Ruggerium in vrbe retineret, aſſignarétque illi palatium quo tributarij ad Regem legati conſueuerant excipi; ſacellum ſtatim in eo dedicauit in quo Luſitani ſacra, & dies obibant feſtos. Confluebant ad eum deinceps liberè, omnis ordinis Literati, exploraturi

turi cuiusmodi essent Europæa ingenia, & num aliquid nosse possent, quod ipsos hactenus latuisset. Lacessebant igitur gaudentem sexcentis de natura, de moribus, de religione etiam, quæsitis; suspiciebántque, lingua sibi omninò peregrina, etsi non ita facilè, nec sine parato ad latus interprete dicentem, cumque linguæ illius quæ Literatorum est propria laboriosissimam disciplinam ab homine orbis alterius interpretarentur motu non alio initam, quàm singulari erga se benevolentia & existimatione Sinensis doctrinæ eximia, miris modis ad eum afficiebantur; ad hæc eorum quæ nisi ab eo nunquam audierant maiestas, & dignitas, ita illos cepit, vt magni Magistri nomine illum insignirent. Fuitque hæc sementis prima, non frustra, nec in arenis facta cuius messem post paulum spectabimus. Egit suas quoque in ea partes, pietas Lusitana, nam simulachrorum Sacerdotes apud Literatos, cœno vilieres, apud populum nihili cum fiant; perneccessarium videbatur longè aliam mentem de Præceptoribus, & Sacerdotibus legis Christianæ Sinis imprimere. Ergo Lusitani qui Quancei tunc erant in trimestri sua statione, lecto die solenni prodeunt, pretiosis vestibus, auro & gemmis tecti: Ruggerium gestatorio sublatum, in planum summæ puppis ferunt, & celsa in sede statuunt, circum chlamydes suas insternunt purpureas longéque in genua prostrati, omnes illi exhibent honores supremæ venerationis, quibus solent Sinenses, summos prosequi Mandarinos. Hinc sublimior apud Sinas Ruggerij existimatio; hinc nullum postea Lusitanis forum nisi præsente Ruggerio, vt cui tantum ab iis deferri crederent Sinenses, ne quid coram auderent immodestum aut falsum; hinc post illas trimestres nundinas, Quanceo multi Macaum venerunt, vt ab eo audita plenius regustarent, inter quos viginti, Christianitatis numerosæ primitiæ nobiles, Christum sacro Baptismo professi sunt, vltroque, sui iuris cum essent & liberi remanere Macai voluerunt. sub hæc Italus quidam, mercatórne an miles incertum, post quidem è S. Francisci Ordine, ducatos Ruggerio donauit trecentos, quibus ab templi nostri tergo ædificauit domunculam, vbi ad sacrum fontem Cathecumeni pararentur quam propterea à S. Martino appellauit; Eos illic instituebat ex seminarij regula, & Magisterio mutuo dum linguam docebat Lusitanam, Sinensem ex iis addiscebat. Redeunte verò altera Quanceum anni proximi navigatione ad commercium trimestre, comitatus est Lusitanos, & liberaliùs etiam ab Aitao habitus quam priori, huic enim solitum incoli Siani Legatis palatium habitandum dedit, & idoli fanum quod in sacram ædiculam verteret, diruto itaque simulachro, Reginæ Angelorum præclaram statuam in deiecti locum reposuit, & in magnifico locauit altari; nec defuere qui carperent, tantum homini extraneo licere, est enim ciuitas Quanceum externis peculiariter infensa, sed postquam Aitaus officiosè Patrem visit; & factum probauit & ornatum sacelli splendidum laudauit; omnis illa tumultuantium indignatio metu priuato

nato extincta concidit. Delectabatur Aitaus nostris ritibus vehementer spectabatque illos tam cupidè, & crebro, vt eum familiares admonerent, cauendum in aula ne qua cum externis communicare consilia fingeretur: dæmones etiam Ruggerij conclaue trinoctij strepitu, & quasi ruentium ædium fragore vexantes, adhibitis Ecclesiæ precibus abegit Ruggerius Martij 9. anni 1582. ex Iaponia redux Valignanus, cum Legatis ad summum Pontificem quatuor, ab Rege Bungi, & Omuræ dinasta; operiebatur Macai ventos annuos Malacam; cruciabátque se interim curis & desideriis inferendi secum vt cœperat in Sinas crucifixi; cernebatur haud rarò Sinas longè de fenestra prospectans, & audiebatur interdum succlamans. O silex indomita quamdiu tuæ saluti obstabis pertinax? quamdiu oppones rebellem animum, & impenetrabiles aditus Regi tuo Christo, quem tot pridem à te seculis excludis? quod ipse lachrimis pluribus quàm verbis deplorabat; & ne illic hæreret in salute Sinarum otiosus sodalitatem illorum Iesu nomine instituit, in quam adscribi voluit neminem præter Sinensia Lusitenorum mancipia, vt in seruitutis infelicitate felicem nacti, salutaris Baptismi sortem, pro conditione fidei nouæ ac teneræ erudirentur seorsum conuenientius in omni officio pietatis. Ad hoc illos scripta formatos regula, tradidit Christianorum Patri quod munus & nomen inter nostros vbicumque per Indiam versatur Societas, nemini creditur nisi virtutis multum industriæ atque animosæ, cuique Apostolicis in functionibus perspectæ. Conuersioni præsunt infidelium, & conuersorum institutioni; operariorum dispensant labores; cathecumenos congregant ad solennia Baptismi; eorum animis, atque corporibus necessaria procurant, & iis vbique se Patres exhibent, quærendóque iis subsidio nec nostris superioribus, nec Lusitanorum Præfectis, parcè ac timidè vtuntur, imò nec Principibus Ethnicis, & Ministris quorum idcircò beneuolentiam, omni modestiæ, & vrbanitatis officio sibi conciliant, cámque subinde muneribus emunt. Fungebatur hoc ministerio Valignanus, cum applicuere ex India quos euocauerat ex India Riccius & Pasius, moxque in eandem cum Ruggerio. Sinensis linguæ disciplinam se toti immerserunt, vt patefacto, si Deus annueret, in Sinas aditu præsto essent ad opus. Verum proximo Decembri adest à Prorege Cantonensis Prouinciæ Minister Sciaochino missus cum mandatis, ex quibus etsi magis timeretur Lusitanorum eiectio ex insula Macao, quàm nostrorum in Sinas speraretur ingressus, Dei tamen benignitas in contrarium illa vertit. Est Cantonensis Prouincia lubricæ admodum sollicitæque custodiæ; vt quæ sit ad mare versus oppositas, desertásque insulas, & gentes extraneas distenta, quarum armis potest procliuem ingressum pandere, Pechini aulæ à qua plurimùm distat Regibúsque suspecta; fidei verò per se ancipitis, maximè quâ montes, & maritima incoluntur, grassatoribus referta, vicina prædari solitis, promíscque in partes discedere, partésque & patriam, aut lucro, aut pretio

90. Canton. Prouinc. suspicaciss. in externos.

tio prodere. Quare Tutano seu Proregi semper committitur fidelitatis diu notissimæ, qui præ Collegis Proregibus, regia armatur potestate, neque vt ij, Prouinciæ suæ vrbem primariam pro sede habet, sed Sciaochinum Prouinciæ Quansiæ ab occasu iunctam, ex qua Prouincia licet illi summo imperio facere & educere militem quoties occasio tulerit.

Venit ergo huc ab aula Prorex anno 82. nomine Cinsuus, natus in Prouincia Fochiensi, sagacissimæ homo naris, & si quis alius solers pecuniæ & abstinentiæ venator. Fingit hic statim Lusitanos exterminare se Macao decreuisse, quod externos cò inducerent, & tribunal iuridicum illic vsurparent, citat ad se per nuntios Carnerum Episcopum, & Præfectum, vtroque de capite responsuros; itum super eo in consilium à prudentissimis; abhorruere omnes à permittendis barbaro, viris insignibus, quos si ferret vesanus impetus, posset coram immaniter cædere, cum sempiterna ignominia gentis vniuersæ; negauere tamen obstandum præfractius ne minas, in facta homo impotens verteret: de publico igitur consensu, Præfecti vice, vrbis Cognitor mittitur, instructu magnifico ornatus; pro Episcopo sene decrepito. P. Michaël Ruggerius, Pasio comite; præmuniuntur defensionibus solidis, sed nulla solidior ad vincendam causam, quàm rarum illic & præclarum munus holosericum elegans, vndulata item ex serico, cilicia; & grande speculum ex nitidissima chrystallo, nummorum bis mille pretio omnia. Sedebat suo in throno Prorex, maiestate plusquam imperatoria personatus: adstabant hinc inde trecenti, qui stricto repentè acinace, omnes in Ruggerium inuadunt velut ex vero rem confecturi. At is ad ea terricula intrepidus, magnam tanti animi admirationem Proregi præbuit, quàm deinde laudauit cum se fateretur haudquaquam ad necem, sed ad potentiæ ostentum eam fabulam adornasse. In defensionem verò, Lusitani priusquam inciperent dicere, conspectus munerum integrè peroravit. Lusitani, ait, boni, & fideles amici in Macao securi permanento, suis vt antehac legibus, & iure viuant, & Mandarinis morem gerant; de oblatis verò muneribus secutus dicere, ne faxit cœlum, ait, hinc ficum admittam; sed emam libenter communi pretio, ne reiectione mea inurbana, clarorum hominum beneuolentiam offendam. Cum his, iubet libellam proferri, totidémque argenti purissimi abscissas ex lamina plagulas iis appendi, quot erant necessariæ ad conficiendam summam bis mille aureorum; addit de suo ad grati animi speciem munuscula, tàm delicata spretæ pecuniæ simulatione, vt suos etiam nedum externos incantaret. Hinc ratus sibi Ruggerius dari articulum quo commodior non posset flectendæ in suum negotium Proregis gratiæ, admodum reuerenter illi exposuit, se professione Literatum, postremo ex orbe per quicquid est terra marique metuendum, & terribile venisse, vt Sinas viseret, eorum sapientia frueretur, & communicaret cum iis vicissim, si quid inde fortassis non contemnendum attulisset. At heu! cui bono milliarium octode-

cim millium incredibilibus ærumnis Sinarum fines salutasse, si excluderetur eorum aditu, idque suo non alio scelere, quàm communi næuo peregrinitatis, qui licet prudenter suspectis quibusvis Sinarum fores occluderet, sed homini fido, & simplici qui Sinarum studio, & amori postposuisset patriam, & vitam, dari vitio, & damno non debere; nec vrbanitatem, & grati animi vicem quandam ab iis negari apud quos maximè inter alia virtutum decora eminebat. Rogare itaque inhimis precibus, daretur sibi, suis illic in studiis pergere, vt Sinarum ditatus scientia, iis quoque non esset inutilis. Placuit Proregi Ruggerius, & dignum censuit fuisse qui Sina nasceretur; spem voti fecit, sed opportuniùs potiundi, tactáque humaniter barba (quam priuilegio naturæ in Europeis, Sinæ densam mirantur, & inuident) abeuntem iussit per mediam vrbem, à Mandarinis, & armorum præfectis præcinentibus tibiis ad nauim deduci: eò deuenerat cum ei in aurem Proregi familiaris secreto insusurrat, optare illum iis quos acceperat nummis, coëmi sibi pannos prioribus quoad posset consimiles, & ad se referri. Sed subita morbi vis Ruggerium compulit, vt significaret per Collegam suum cognitorem, sibi esse in manibus horariam machinam, articulatis intus nexibus, velut spontè naturæ se perpetuo versantem; suis horas singulas spatiis; sono spatia singula distinguentem; opus ingenij & artis apud Sinas inuisum; hoc se ad eum obsequij sui tenue monumentum, cum primum remitteret morbus perlaturum, si prius non grauaretur innuere sibi hoc non ingratum fore. Conualescit breui Ruggerius, reditque festinus Cognitor cum diplomate Proregis, rotati horologij, ardore vehementer incensi. Reuehitur Sciaochinum triremi regia, cum Pasio Ruggerius, horologium ferens, cogitúrque absente Prorege cum Scriba illius agere, immiti, & fero, qui damnato duorum aduentu, quod accerseretur solum vnus, & interpellatis quas edebant rationibus, negat sedem in regno posse extraneis concedi, mandátque Nauarcho sine mora, nauigium expediat, ad reportandos Macaum duos illos qui modo applicuerant peregrinos: sed longè opinione sua & barbarie falsus vidit mox à reuerso Prorege incredibili comitate & beneuolentia excipi; horariæ autem, quam ei Ruggerius obtulit, aspectum machinæ, curiosum, & attentum in eam vndique cum stupore circumferri, futuro vtique maiori, si consonuissent Europeæ horæ Sinensibus; obtulit etiam cum horologio vitrum triangulum coloris multiplicis accensa luce, oculis iucundè illudens eósque propemodum vrebatur incantans cum neque de rebus inspectis, nec de purissima vitri, pellucidi limpitudine orirentur. Totus ergo gaudens, & grato erga Ruggerium affectu gestiens; quærit ex eo satin' benè, satin' commodè habitarent? cui aptè Ruggerius, valdè malè, quia nimium benè: nempè in palatio vicino, templi Tennin, frequentia strepera infesto, quâ nihil posset hominibus venire molestiùs, vitam in veri Dei cultu precando, & studendo exigere solitis. Fore sibi tuguriolum aliquod

91. Proregis gratiam Rugeri. donis captat vt in Sinis maneat.

quod gratius à tumultu semotum, sibíque propriè addictum: æquum peti respondit, nam magnum quid esse Dei cultum, de commoratione inter Sinas cui Ruggerius instabat, idcircò etiam annuit quod contestarentur clientes se Regi mancipare, cámque clientelam Sinensi habitu profiteri. Volo potiùs subdit senex, vos cultu incedere, qui Pechini tantum in vsu est, honorifico præ cœteris, & graui: hac vrbanitate promissorum lætos ab se dimisit, nec ei aut serò aut malignè respondit; suo enim illo cum amanuensi collocutus, domum iis indulsit, & quantum orizæ ad victum sufficeret. Adornato illic vt licuit quamprimum sacello, nostri Deiparæ signum statuunt in altari, quam secum Quanceo Scioachinum portauerant, eius quod mouebant magni negotij auspicem, & potentem. Erat Ruggerius Sinicè haud paulo doctior, & expeditior Pasio; sed excellenti prudentia Pasius; tunc potissimum necessaria, cum mille oculis figerentur, & simulatione officij ab Literatis adirentur, exploratentúrque ad intimos sensus, nedum ad speciem externam; introspecti verò diligenter, eodem ab iis honore afficiebantur quo superiores Mandarini, Prorex ipse pergebat iis esse benenolus, vt etiam primo Sinensis anni & Lunæ die maximè solenni eos inuiseret cum Literatorum, & optimatum flore, sacellúmque imprimis vellet inspicere, vbi edoctus Dei matrem illa statua exprimi quæ eminebat in altari, flexu corporis humili pronus illam cum suis salutauit. Hinc eò sensim res iam ibant, vt aduenarum vox non odio sed amori esse inciperet, si nanciscerentur semper homines scientia, vitæ probitate, & prudentia iis non impares: ex quo factum vt nouo diplomate P. Matthæus Riccius in Sinas admitteretur duobus iis socius.

Sed enim erat molestiis diuturnioribus eorum lentanda & exercenda patientia, vix ad Riccium Macai diploma venerat cum auditur adesse ab aula inspector, qui ferret Proregi successorem, eumdémque illi vehementer infensum. Causa eius biennio citiùs amouendi, quàm legitimum expleisset tempus cruda seueritas, qua sat leuiter reos Literatos ita cæciderat, vt eorum vnus sub carnificis manu animam efflaret. Senex ergo ætate vsuque prouidus ne noua criminatione ob donatos regno extrarios grauiùs damnaretur, per fidum hominem Patres monet, Schiaochino quamprimùm tacitè Quanceum transeant, Prouinciæ eiusdem metropolim, dat vna iis ad Aitaum diploma quo iubebatur iis metiri solum, ad ædificandam cum domo ædem sacram. Sed procul tunc Aitaus aberat; & cassi Proregis, tam cassum fuit apud præsidiarios diploma, vt ne in littus quidem passi sint Patres exscendere. Sic mensium quinque redactus in nihilum labor, & credens Pasius se frustra deinceps illic esse, Iaponiam petiit, vt à Valignano illi fuerat demandatum. Exin quæ nostris accidere, priusquam pedem Nanchini firmarent, esto sint per se exilia, sed rerum semina in Dei gloriam & Sinarum salutem maximarum; ex quibus operariorum discat

91. Coguntur PP Sinas deserere.

sagacitas, arcta, & aspera, & perplexissima initia expedire se atque aperire, contra spem, Deo Duce, in latos glorioſos, lætósque exitus; discat cum fiducia in cœpto constanter durare, tenui licet atque difficili, sed ituro sensim in planiora, & amœniora.

Repetendum quod enarrauimus à nouis Proregibus Præcessorum acta, etiam minima retractari vt norint quæ adhuc pendeant, cúrve sit illorum executio dilata. Eiusmodi fuerat datum Ruggerio diploma, causam eius dilati nouus Prorex ab Aitao quærit; hic eius ignarus ex Gubernatore Hianscianensi cui subserat Macaum; Gubernator ex præfectis armorum, & commerciorum Macaensibus Mandarinis, qui norant diploma penes P. Franc. Cabralem esse. Verecundati Mandarini homulum peregrinum apud se habere, quo posset Proregis decedentis imprudens concessio argui; aut si erat æqua, successoris neglectus in eius executione; nihil non mouent vt eius diploma à Cabrali extorqueant: at is melioribus consiliis obfirmatus respondit nemini diploma, nisi tantum Proregi ab Ruggerio datum iri; fuisse Ruggerio pignus gratiæ concessum; æquum esse vt eius vrgeret impetrationem, in quo si pati repulsam contingeret, staturum se Proregis arbitrio, redditurum ei obsequenter diploma, sesequeque Macaum recepturum. Mandarini Cabralem vt sentiunt constanter, & iure in eo proposito obstinatum, Ruggerio, & Riccio vsque Hianscianum, commeatum concedunt, vnde vsque Quanceum Gubernator illum produceret. At hic modis omnibus, sed frustra expertus diploma iis euellere, indignans, retro ait, Macaum redite, & hoc sultis habete, quod ab cassо Prorege vobis neque potest prodesse, nec nobis offce e. Erant ambo magnanimi pectoris Ruggerius, & Riccius, ausique tunt periculo sanguinis, aut perpetui carceris, Gubernatore inuito Quanceum pertendere. Duplex naulum cum Nauarcho pacti, ostensóque illi Proregis diplomate, sub primam noctem in nauim subibant, cum vectorum clamore incondito, querelis, minis, & nautarum terrore extruduntur, eiiciuntur in terram eorum sarcinæ, coguntur in angustum succedere mapale afflicti, & consilij inopes; cum iis repente noua spes oritur. Adest Gubernatori de parentis obitu nuncius ad triennes illius exequias, Magistratu abire compellitur; melius ab illo sperare incipiunt qui esset eius partes obiturus quicumque is foret, & verò meliùs sub illo, etsi minimè ab illo fuit. Vaferrimum iuuenem, quo vtebantur interprete ad eum mittunt secreto nummos ei oblaturum, sed excogitauit prouidus sycophanta quo illos sibi nullo suo periculo retineret; scripsit ad Aitaum Quanceensem, duos ab se Hianscianiрepertos extraneos, cur, aut cuius permissu nescire, captos tamen ab se custodibus creditos à quibus ad eius tribunal sisterentur, ad eum deducti, & supra quam expectauerant comiter accepti, diploma in eius manibus deponunt quo ne explicito quidem, interrogat, ecquid optent quod sit in sua potestate? hic illi paratum libellum porrigunt quo

91. Reditum in Sinas tentât.

signifi

significabant religiosam se vitam sectari, immensis à patria itineribus venisse, vt in regno Sinarum nominatissimo, Regis fidi clientes perpetuo degerent, graues nemini fore, sed in promptu habere vnde aliena liberalitate victitarent; hoc vnum poscere, sibi de publico tantum vendi quantum ad ponendam illic domum sat esset, statuendámque sacram ædiculam vbi Deo cœli sua obsequia exhiberent. Legerat Aitaus vultu hilari libellum, cum fronte subito mutata, dolere se ait quod negare illorum meritis cogeretur quæ nihilo quàm ipsi ardentiùs cuperet; se tanti non esse, vt rem attingeret quæ Gubernatoris Prouinciæ spectabat iura; eius esse suo periculo, externos admittere; conuenirent illum suis precibus, sed intelligerent par fore miraculo si ad eas illum inflecterent: quod illi tentare dum parant bona cum Aitai venia in palatium diuertunt Sianensium Legatorum, expectaturi venturos ad Nundinas Lusitanos. Paucas horas vix illic hæserant cum datam gratiam Aitaus reuocat; monet Inspectorem Prouinciæ instare, tantæ aduentu Potestatis, Mandarinos omnes etiam insontes perterrefieri, quantò magis Aitaum, si regni aditum externis dedisse notaretur: quare suo quamprimum & ipsorum bono Macaum viam maturarent. Et verò fuit quam celerrimè festinandum, cum iam ad portas Hiansciani penderet edictum quo Prorex nostros eorúmque interpretem haud obscurius petebat quàm si nominatim eos appellasset. Carpebat acerbè admodum atque indignanter Sinarum aliquos Macaum incolentes, patriæ hostes, boníque publici, qui se Sacerdotibus Europæis mancipassent in Magistros atque interpretes, cósque Sinarum & linguam & characterem docuissent; ausos indè iis de Sacerdotibus aliquos in vrbe primaria, ius domus, & templi, contra regni leges æternas poscere, quibus perinde ab externis quàm ab hostibus cauetur. Quamobrem sceleratæ illi, venali, & infidæ genti interpretum, proditorum indici omnes pœnas (quas atrocissimas enumerabat sigillatim) si quid in posterum consilij aut opis Sacerdotibus illis occidentalibus præstarent, aut effronti eorum audaciæ fauissent, de obtinenda in Sinis habitatione. Hac edictione cubitalibus prostante literis, concidit animus tum Ruggerio & Riccio, tum Macaensibus quibus eam ipsemet retulerunt, post mensis vnius ærumnosum iter, desperatique saltem ad triennium fructus; quo Cantonensis Proregis legitimo tempore stultum erat sperare abrogatum iri ab eo decretum quod tanto legum & pœnarum fragore pompáque statuisset, quare ostentum ingens fuit diuinæ in id regnum, Patresque bonitatis, vt annorum triginta contentionibus frustra semper tentatus in illud ingressus, octiduo ferè nunquam minus speratus panderetur. Dies abierant vix septem reuersis Macaum Patribus, cum adest nuncius ab aula Sciaochinensi, deiecti antea, nunc noui Proregis satelles famulus, solenne diploma Gubernatoris ferens quo reuocabantur illuc Dei cœli Sacerdotes duo Ruggerius & Riccius, sedem illic sibi stabili domo & sacram ædem cœli Deo fixuri: quibus lætitiis, lachrimis,

92. Eiiciuntur iterum edicto terribili.

93. Iterum reuocantur serui beneuoli opera.

& gratiarum actione acceptum sit reſcriptum, ſpes prorſus emortuas ſuſcitans, per ſe quiſque vltrò coniiciat. Ægrè fidem ſinebat oculis haberi eius obtinendi difficultas inſuperabilis, magiſque de cœlo quàm ex aula veniſſe argumentati ſunt viri ſapientes, quod vilem ad hoc peragendum & debilem manum delegiſſet Deus. Primus eius rogator idem qui exoratum ad Patres detulit, ſeruulus miles, è familia depulſi Proregis. Frequens erat is cum Ruggerio Schiaochini, eiúſque virtute, & ſermonibus de religione mirè captus in cathecumenum euaſerat, & Ruggerio maximè addictum, qui vrbe coactus diſcedere confirmauerat homini, repoſiturum ſe larga manu, ſi quis ſibi à nouo Prorege reditum impetraſſet. Prorex aduenerat, & fidelis planè ſub panno ſeruili amicus rem audet arduam, plenámque periculi. Siſtit ſe Proregi de genibus, noſtríque Interpretis nomine, Sacerdotum duorum in Sinas reſtitutionem ex eo petit; petitionis libellum ſupplicem porrigit; addit libello gratiam excelſa illorum commendatione, quos vitæ ſanctiſſimæ, admirabilis exempli, & ſcientiæ præſtantis, non timidè laudabat, miſſos præterea in Sinas à ſummo Occidentis Patre (ſic nominabat Pontificem) ad condiſcendas eorum litteras & mores, cœterà in regnum perinde affectos, vt ſi forent in eo nati; hæc, & ſimilia tam efficaciter expreſſit, vt regni poſthabitis legibus, & quibus nuper intonuerat edictis minacibus, ſeruulo Prorex annueret, & Gubernatorem iuberet libello iuxta poſtulata reſcribere. Reſcripti diplomate ad Patres perlato, neceſſariis dumtaxat ad victum & ſolum coëmendum quàm celerrimè collectis conſcendere properant; ad ea contulit Gaſpar Vega, reliquos Luſitanos, varij caſus attriuerant: hic re optima erat, & integra, ita noſtri amans vt Valignano approbante eodem nobiſcum contubernio vteretur, ex quo poſtea Societati ſe adiunxit, eíque Goæ tyrocinium fundauit, ſolitus itaque noſtris inter Sinas ſubſidio eſſe, nunc vt rei poſcebat neceſſitas in hoc ſe liberaliùs effudit: adiecit Cabralis, & quidam alij quicquid tunc licuit, cum fauſta comprecatione quâ proſecuti ſunt abeuntes. Septembris initio ſoluunt Ruggerius, & Riccius, anno 1583. Schiaochini portas die decimo attingunt, ſtatimque ad Gubernatorem honorificè deducuntur, qui vt erat pro tribunali ſedens, iuſſos dicere quid vellent, obſeruabat acutis oculis, & ſagacitate cenſoria modeſtiam, verbáque ſingula, & motus rogantium quæ homo cordatus adeò ſuſpexit, vt ſe illos reipſa tales probare reſponderet, quales ſibi deſcripti fuerant, viros magnos, & eius virtutis cui poſſet merito, & carens exemplo gratia concedi. Proin locum in vrbe inuenirent, tranquillo quod profitebantur Dei obſequio idoneum, ſibi verò ſe id aſſumere, vt hunc à Prorege iis imperraret, ad hæc tàm prolixè omnia detulit, tàm fideliter atque beneuolè præſtitit vt ſi foret maximè Chriſtianus. Vrbes vndecim minores, ſed frequentes & pingues Sciaochinenſis ager complectitur. Harum Princeps & caput Sciaochinum; huius fortuna infelicitati reliquæ vel beari ſe credunt.

94. Rugger. & Riccius redeunt in Sinas.

dunt. Quare paucis hinc retro annis, turrim illi decernunt quales esse permultas in Sinis narrauimus, ædificio quidem mirabiles, sed quod ij potissimum somniant vrbium amuleta, & fata prosperitatis cumulatissimæ sempiterna, quod cœli beneficos sortitæ sint aspectus, & puncto fundatæ temporis quod beatitatis æternæ patrimonium secum trahat, ex quo fit vt primum earum lapidem non mittant, nisi mille obseruationibus, momentum illud ominatissimum se nactos confidant: construebatur Sciachino turris, vno extra vrbem milliari amœnissimo in campo ex quo & nomen Floridæ inuenit, in hunc Ruggerius cum duce famulo, latore diplomatis, & amicis venisset, legendum inquirens ædibus statuendis solum, hoc ideo censuit proposito aptiùs quod esset aliquantulum extra vrbem externis inimicissimam, cuius erant de iis errores discutiendi priùs exempli luce, quàm in medium populum transiretur. Eius ergo angulum à se postulari gratulanter accepit Gubernator, aiens Turrim suam clariorem fore virorum duorum vicinia, quibus parem Sinæ ex omni retro memoria vidissent neminem; concursuros procul maiori numero excitos operis magnificentia populos, & splendore virtutis quâ ipsi clarebant, de solo ne essent solliciti, obtenturum se illud à Prorege; quod vbi quamprimum confecisset, misit qui Patres admoneret, ad Turrim postridie vt adessent, se illic pariter, cum Mandarino collega, & turris Præfecto fabricæ adfuturum: sed hi nouo illo extraneorum aspectu auerti animo, & frontem ducere; nec dissimulare accessuros duobus his alios; hanc esse stropham Lusitanis solennem; expressisse illos primum, vt pauci, & in anno semel, & in paucos dies exscenderent, statimque abirent; sensim autem & multos appulisse, & tamdiu hæsisse, stationem tam firmis munitionibus roborasse, vt iam sit tolerabiliùs illos pati, quàm fortè in cassum eiectos cupere: quibus nihil motus Gubernator, monitis dumtaxat Patribus de reuerentia erga regni leges cuius incolæ tunc fiebant; mensus est iis campi partem, domus, & templi sed arctè capacem; quod vbi taciturè interpres innuit; templi? subdit illicò Gubernator; minimè verò; templum iis destino centuplo augustiùs, quàm quod potuerint animo designare, templum significabat ibidem ponendum, in quod sua statua inferretur, vt benemeritis Prouinciarum Rectoribus decerni mos est: verum vt illum monuit interpres non coli à nobis simulachra, sed vnum cœli Deum, visus est mirari vehementer, certò enim vir bonus persuasum habebat, nullos orbe toto religiosos reperiri, qui Deos Sinarum non colerent. Pauca tamen duobus cum collegis locutus, Patres fecit delatæ gratiæ securos, daturum se illorum vsibus integrè id templum, sacra in eo sua ritúsque peragerent, & honores diuinos cui vellent adhiberent: cuius doni expectatione; ne videretur petitionem præsentis eludere, attributo solo alterum tantum addi iussit, quod ædi sacræ sufficeret. Hæc dum per otium tractantur, confluxit tanta omnis generis turba, peregrinos duos altero ex orbe in Sinas admissos volentium cernere

94. Datur iis locus ad ædif. domum.

95. Domum & templum statuunt.

cernere vt Gubernatorem stipati premerent, maximè cum illi vitrum triangulum Patres obtulere, cum effigie Reginæ Deiparæ docta manu depictam, cuius elegantiam mirè suspiciebant Mandarini; sed stupebant ad vitrum, velut incantamentum oculorum. At is sibi tàm parcus, quàm benignus in Patres, cum ad se vtrumque portari iussisset, vt se ac suos spectando satiaret, remisit ad Patres; ne fingerent æmuli venditam iis ab ipso gratiam, quam præclaris eorum meritis, & Proregis mandato tribuisset. Exorato solo, absque mora Patres locare fundamenta, casa interim conducta vti, cuius angustiæ vix dabant sacro celebrando locum; ipsi duos inter aceruos lapidum manere ad turris fabricam conuectos, quæ nonam tantum staturæ partem, hoc est primum lacunar attigerat. Eius speluncæ potius quàm tugurij breuitatem arctabat insuper adeuntium multitudo, gemmam illam incomparabilem (vitro pretium hoc dabant) & tabellam Deiparæ videre poscentium. Excipiebantur omnes patientissima, & cultissima honorum comitate, vt scirent externis non secus ac sibi vrbanitatis leges cordi esse. Verum haud diu post trigonum vitrum oppigneratum est aureis viginti, ad absoluendas ædes, quas è loco primùm designato, oportuerat aliò transferri. Campum enim illum cum suis Literati, voluptariis cœnis, hortis & comœdiis destinassent, nolebant oculos Europæorum solutioris suæ licentiæ arbitros habere, & prætexta priuatæ voluptati, publici boni cura, tumultum ciebant in externos; quem multo labore Ruggerius & modestia humili sedauit: eodem igitur in campo abcesserant Patres ad viam publicam, & fores ædium in eam commodè verterant, pendentéque tunc Turris fabrica, ex paratis in eam lapidibus breui suam ipsi perfecerant, quatuor in plano distinguebatur cubiculis aula intermedia disiunctis, quæ vicem sacelli præstaret: nec visum (vt Riccius optasset) triplici contignatione illam attollere, ne insuetos Europææ Architectonicæ Sinarum offenderet oculos. Perfecta erat domus cum ad Patres Edictum prolixæ liberalitatis misit optimus Gubernator superliminari affigendum: eo Patrum laudabat dotes eximias, & sanctimoniam; ad hæc illos aiebat Proregis mandato illic habitare; demum grauibus pœnis sancibat, ne quis illos auderet vel contumelia, ve iniuria lædere. Postremò ad cumulum beneficentiæ vltro illos rescripto donauit duplicis sigilli sui auctoritate iuridica bullato; altero domus quam ædificarant, gratuitam aream iis remittebat; facultatem altero largiebatur ampliſſimam toto regno Sinarum vltrò citróque commeandi, & adita quoties luberet Macao, redeundi: adibat exinde ad eos frequens modósque suggerebat exquisitæ popularitatis quibus sibi omnium animos, Mandarinorum præcipuè deuincirent, ipséque ad hoc Mandarinis de illorum virtute & doctrina mira identidem narrabat.

96. Primus fructus magna de externis opinio.

Quanquam ipsi per sese sic à primo affatu, Patrum consuetudine tenebantur, vt latè spargerent, eos esse fama omni maiores. Venti-

tabant

tabant ad eos perpetuo, & ponebat quisque aut discendi, aut experiundi causa de quo agi vellet. Habebant Patres bibliothecam, vt in iis tractibus, locupletem; ex libris constantem, compactis eleganti manu, deauratis, & vmbilicatis, hinc Sinas putabant pellectum iri saltem ad videndum; sed maius aliquid euenit & conducibilius ad fidem sacrosanctam. Imprimis Literati, qui mortales omnes præter Sinas, nullius ingenij, stolidos, & agrestes fuerant arbitrati, cernendis solùm iis libris, non poterant quin certò coniicerent, magna quædam, & mira iis contineri, cum tàm diuite ornatu vestirentur; dehinc Typographiæ nostræ præcellentem formam nec posse nisi à magnis ingeniis proficisci, nec adhiberi nisi ad nobiles magnásque scientias, cum suam ipsi Librariam & Typographiam præ illa simplicem & rudem, tanto in pretio, & honore haberent. Nostros præterea de Sinarum libris characterum aliquot millia sic iam percallere, vt interprete non egerent ad perplexissimos eorum distinguendos, vel efferendos ductus; imo & accinendos, & natiuo casu temperandos, quod erat longo vsu, non ratione, & scientia quærendum. Quod autem ij præter patrias, etiam Sinenses tanto ambitu discerent literas, vt nulla eos difficultas, & nouitas ab iis auerteret, hinc planè confici, educari iuuenes magni Occidentis in ardentissimo affectu literarum, & scientiarum laudem esse illic potissimam. Quæ vox Sinensium ex ore nunquam expectata, tunc primum extorta est; Europæ nimirum sapientes, non cæteris modo nationibus, verum & Sinensibus præstare. Post hæc verò (quod erat præ omnibus optandum) collatis Patribus cum fœce sacrilega vili & indocta Bonziorum, Oscianorum, & Tasianorum, argumentabantur haud sanè leuiter si Sacerdotes Occidentis, & illic in rebus animi ac diuinis Magistri, tàm sublimi sunt ingenio præditi, studiis incumbunt tàm acriter, tàm multa norunt; tanta morum sanctitate vitam ducunt, profecto necesse est Religionem quâ viuit Occidens, solidè fundatam consistere, & quæ sentit de Deo, & æternis de rebus, veritate firmari argumentis quibusvis inéluctabili: notitia certè vsúque virtutum, quæ statum ciuilem moréque perficiunt, quanto nobis superiores sint testatur eorum viuendi ratio. Hæc illi, quæ Patribus spe boni maioris iucundè adblandiebantur quod paulò post referam; sed hic interpungenda sunt epistolâ Riccij ex qua percipiatur clariùs, hæc Mandarinorum & populi studia quo pacto in contrarium versa sint. [Versamur, ait in Italiam scribens, Sciaochini, quinque dierum itinere intra Sinas, vbi præter ignotos comparet nemo. Non Italus, neque Lusitanus, sed ne Indus quidem, ludus huic genti, & spectaculum sumus quæ peregrinos nunquam vidit; cum per alias vrbes incedimus, festinandus est gradus celeriter, ne densata mox plebe ad videndum præcludatur nobis vicorum transitus, & scito ex veris, non augendi gratia me loqui, mille nobis affingunt nomina, vsitatissimum quod dæmones extrarios sonat. Magnoperè tamen nos

obseruat reueretúrque nobilitas; & mira comitate, nostras ædes, & templum frequentat.] Neque verò trahebat ad spectandum nouitas habitus peregrini, Sinensem enim induerant, qui magnam habet in modesto quouis & composito viro grauitatem; quæ velut publica patriæ Sinensis, & clientelæ professio, & Europæorum transformatio in Sinas, dici non potest viris ptudentibus quantoperè arrideret. Sed vultus diuersi longè dissimilis species, & promissæ barbæ inuisa densitas, manifestè prodebant peregrinos; nam quoad ritus, & vrbanitates erga Literatos, nihil non meditatò, & scrupulosè peragebant.

97. Prima Dei notitia Literatis impressa.

Legitima ergo exceptos veneratione in templum inducebant, cum iis altari, & Matris Virginis tabulæ, fronte humum procliues tangebant; nec erat ambage callida inferendus ad propositum sermo, rogabant illicò Literati, quæ matrona? quis infans in eius brachiis? quos summis prosequebatur honoribus: ad hæc nostri inter se prius egregiè parati; quod anteuerti omnibus oportebat, Deum esse insinuabant Literatis vt qui de hoc censerent velut inuentu insuperabile, non quærendum; vel Deum esse vllum auderent etiam negare. Quare nostri probationibus Deum adstruere de instinctu petitis humanæ rationis, quam fere Sinæ Magistram sequuntur; inde stultum esse, aut multos ponere; aut vnum in partes scindere vt ab sectis duabus scindebatur adorantibus simulachra; post, in alia paulatim descendere; prudenti sanè consilio, ad conuincendos Veri Literatos, quod ipsa per sese Philosophando non modo approbat natura, sed ex cognatis quoque sibi principiis persentit, cúmq; id sibi ratiocinando elucidauerit, gratulatur sibi quasi ab se inuentum. alioqui superba Sinarum ingenia nunquam externorum quos oderant in disciplinam se dedissent, nisi certo edocti, rationem iure sibi æquali ac nobis, à natura tributam, excoluisse nos diligentius, & ad inuestiganda, perspiciendáque diuina sublimiùs excoluisse. Sic dum sibi audirent recitari à nobis Decalogum, gestire lætitia, quod Philosophiam morum omnem ea clausam medulla cernerent; sed obtupescere tot suos sapientes, tanto voluminum numero & mole, vix partem Decalogi assecutos; poscere itaque certatim illius ectypa, spondere illius obseruationem; famam eius & exemplaria toto regno suis ad amicos literis vulgare, & de sanctis duobus illius Magistris ex magno Occidente Sciaochinum aduectis. Hinc scribit Riccius [cœptum vocari Deum nomine Tienciù, hoc est dominum cœli, viguisséque iam, cum hoc scriberet, eam vocem per annos quatuor & viginti, & in Typis, & scriptis, communique vsu intelligenter, & benè acceptam] De effigie autem Deiparæ longè secus euenit, serpebat inter ignaros rumor, pro Deo feminam ab Europæis adorari; necdum nostris fas erat ad populum dicere, & de Virgine Matre, & quem brachiis fouebat puero Iesu errantem dedocere; quare loco illius tabulam Saluatoris, Patres in altari sufficiunt, de quo Mandarini cum iam aliqua percepissent, mittebant odores ante illud altare cremandos, & aptandis lucernis oleum,

oleum, & ſtipis etiam aliquid ad leuandam noſtrorum paupertatem, quod tunc ſponte oblatum non poterat ſine mittentium offenſione recuſari. Cœterum quamuis magna penuria quotidiani quoque victus laborarent, nunquam induxere animum ad petendum, quod in promptu iis erat obtinere, annuum ſcilicet reditum qui conſueuerat de fiſco regio ſuggeri ad ſumptus ſacrorum ædificiorum; primo ne veri Dei templum in eundem cum templis dæmonum ordinem redigi videretur; poſt ne pariter ius idem in illud caperent Mandarini, quod ſolent in alia quibus tanquam ad Regem ſpectantibus neceſſaria ſuppeditant; poſtremò ne ab Sinis aliud ambire præter animas fingerentur. Cuius ſapientiſſimæ cautionis hic fuit euentus, vt Patres liberè qui vellent hora qualibet adirent, ſecuri nunquam ſe obolo, quam fortè dabant moleſtiam empturos, cum è contrariò Bonzios cernerent alieno ſemper inhiare; de ſuo nihil, quòd eſſent imperitiſſimi, largiri; mutuas quidem interdum pecunias ſed dato pignore, noſtri ſumere maluerunt, quam quicquam ab vllo petere, quamuis facilè concedendum; vbi defuit pignus, templi fabricam omiſere, detraxere ſuum familiolæ numerum qui ſeruo, interprete; vno aut altero characterum Sinenſium Magiſtro claudebatur; coactúſque eſt Ruggerius excurrere Macaum, vt inde ſubſidij aliquid ex Luſitanorũ pia ſemper liberalitate reportaret. Inter hæc illa Decalogi quam dixi editio, Chriſtianæ legis tàm gratum Literatis experimentum dedit, vt ampliùs aliquid, & explicatiùs flagitarent, quo cum æquè cordi Patribus nihil eſſet, librum in lucem publicam misère, quadrienne opus ingenti labore, & anxia ſingularum vocum ſollicitudine ab Ruggerio ſudatum, ne quid per aliquod Sinenſis linguæ ambiguum erroris in illud irreperet. In partem laboris Riccius venerat, totúmque deinceps adſcito ſecum peritiſſimo iuuene abſoluit; ſententiarum tam celſo vigore, & maſculo, vt perfecti auctoris, non tironis ſpecimen exhiberet. Perſpicuitatem operi faciebat, & varietatem diſſertatio inter Europæum, & Sinenſem, quem is ad notitiam, & amorem ſummi boni vrgebat argumentis ferè ab natura petitis, quibus ſectas omnes Sinarum conuellebat. Exiit in publicum liber cadente Nouembri anno 1584. latéque diditus, & auidè lectus Literatis plurimum ſatisfecit, Gubernatori præcipuè Sciaochinenſi doctrinæ fama celebratiſſimo, cuius adeò impleuit mentem vt ſolenni apud Sinas, benè de publico meritos teſtimonio, Patres ipſemet ornaret, quòd tanti momenti, res tam certas, & doctis etiam pleriſque abſconditas eruiſſent in apertam lucem, bonúmque populorum. Solent Principes Mandarini, (ſed quantò maiores tantò id rarius) grandi charactere in tabula, paucis magnificè complecti merita excellentium virorum, ſuúmque iis nomen, Magiſtratum, annúmque adſcribere, & appendendam in omnium oculis ad eos tabulam mittere. Duabus huiuſmodi tabulis, ſuopte ſtylo compoſitis condecorauit Patres Gubernator. Templum altera ſpectabat; perſonas altera, aureis vtraque literis. Prioris ſic vertit ſententiam Riccius, cum iam lin-

98 Primus liber Sinicè à noſtris, de fide editus.

guæ Sinensis Magister optimus haberetur; *Templum floris Sanctorum* posterioris; *Gens aduena ex sancta terra Occidentis.* Creuit apud omnes Patrum auctoritas, & laude tam illustri, & prærogatiua, nominéque adscripto laudatoris qui Guan Puon dicebatur, doctrinæ iuxta, & prudentiæ gloria inter primos notus

99. primus ex Sinis baptizatus.

Sub hoc temporis longas nostrorum expectationes consolatus est Deus conuersione miserrimi, & egentissimi Ethnici, sed primigenij huius inter Sinas Christianitatis, cuius hoc læto initio primum hunc librum concludimus. Insanabili diu languens ægrotatione ab suis (vt mos est Sinarum & Iaponiæ barbarus) proiectus fuerat in campum sub dio seminudus vt fame aut morbo vitam absolueret. Ad eum magis accedebat nemo, quàm ad putridum cadauer cuius graueolentiam ne domestici quidem ferre potuerant. Hic Patres fortuitò in illum incidunt, solantur, iuuant, quâ is maximè egebat, & quâ minimè sentiebat, mortem illi vicinam inculcant; interitum animæ, sempiternos ignes; in promptu modum breuem & facilem præsentes miserias, & periculum imminens æterna felicitate commutandi: quæ adhortatio, caritatis apta funiculis tàm validè hominem ad se traxit, vt statueret apud se non posse legem illam non esse veram, & optimam, quæ tantum etiam in externos suis cultoribus amorem inspiraret; falsam è contrariò illam & facinorosam, quæ humanitatis sensum omnem etiam erga ciues, & consanguineos crudelissimè abnegaret. Subductus igitur in commodum locum, & victu, remediis, omni ope curatus, sacróque demum post Christianam institutionem tinctus baptismate, obiit, spem suæ salutis relinquens, quàm optimam. Facto caritatis tàm nobili, & ab omni quæstus, & commodi cupiditate casto, maluere Sinenses fidem detrahere, quàm tantùm virtutis heroïcæ ab Europæis addiscere, commenti sunt Patres Occidentis, arcana qua pollent scientia cognouisse, in miseri illius capite latere gemmam inæstimabilis pretij, ex draconibus vt aiebant natam, ideircò ab iis receptum benigno obsequio vt ea gemma potirentur; libenter Patres annuere affectatæ illorum cæcitati vt eam sanarent; fateri se gemmam comperisse in ægroti cerebro latentem; gemmam porrò hanc omni æstimatione pretiosiorem, eius animam esse immortalem, cœlestem, beatitatis perpetuæ capacem, Regum quorumlibet animæ haudquaquam imparem, qualem & quisque Sciachinensium haberet, cuius ipsi seruandæ gratia, & Deo asserendæ, ac felicitati ab remotissimo Occidente in Sinas nauigassent.

Hæc dum plebeis rumoribus frustra & temerè iactantur crescebat in dies nostrorum inopia, cui vtrumque leuandæ Ruggerius Macaum adire cogitur, profecturo nauigium regium dedit Gubernator, vnáque mandatum curandæ sibi horariæ Machinæ rotatæ; sed illic rem Lusitanorum tot naufragiis afflictam reperit, vt supremum quisque illius exitium timeret, premerétque apud se tacitus si quid pecuniæ haberet residuum. Expectauit ergo volens nolens Ruggerius classem anno

proximo

proximo adfuturam, & cum horologio curando quod sibi mandatum fuerat in cassum pecunias quæsisset, nauigium remisit ad Gubernatorem cum Indo Æthiope, huiusmodi operum docto artifice in Canara nato; simulque honorarium munus ei offerendum, quod vtrumque multa cum graria accepit Gubernator.

LIBER II.

SOLVS Sciaochini dum agit Riccius, expertus est varias aduersi, & prosperi vices. Literatorum flos prosequebatur hominem omni beneuolentia, & honore; exagitabat populus omni barbarie. Natiuam enim barbariem, nunquam deposuit Cantonensis Prouincia; Sinis quondam extranea, & solùm confinis; iure pridem ciuium donata; nunquam satis agreste ingenium exuta; externis verò tanto præ aliis Prouinciis infensa, quanto iis propior, nec eam mitigant quos ducit ex commercio Macaensi quæstus, vt quò soli ferè pinguescant Mandarini, caritatem annonæ plebs inde patiatur. Accedit perpetuus ab Lusitanorum incremento metus, & suspicio pertinax, velut ab hostibus in propinquo sitis; hinc acerba in Patres popelli odia, quæ mendacissimus de superba illa turri exasperauit rumor, spargebatur querelis minimè obscuris, nostrorum qui prope habitabant ædificari sumptu, turris non iam vt antea Florida, sed Externorum cognominabatur; indignabatur ciuitas cum subiectis sibi vndecim vrbibus, ciuium suorum contributione perfecti operis, gloriam omnem gratuitò externis hominibus cessuram. Hos ergo Proregis, & Gubernatoris nota gratia septos, non ausi de medio tollere, condicunt inter se tàm dira, & improba vexatione affligere vt compellerentur voluntario discessu illam redimere, insultant contumeliosis clamoribus, vlulatu, lapidatione fenestrarum, & tectorum assidua, cui cum etiam pueri manus commodarent, eorum vnum famulus intra fores pertractum, territat quasi iudici traditurus, a quo sunt breui post viri quidam honesti quibus illum vrbanè humanitérque reposcentibus, pari comitate statim est redditus: hanc veri puram, & insontem aream, scelesti ex vicinia sycophantæ duo, putarunt idoneam cui accusationem ædificarent periuram, & atrocem, quæ in Riccij saltem deportationem desineret. Fraudem concinnant, agnatum pueri vafrum, & falsis assuetum delationibus accusatorem inducunt, & ad illinendam accusationi pietatem, pueri fratrem illum esse affirmant; ipsi sibi assumpta testium persona promittunt se pro testimonio dicturos. Accusatoris præmium si causam vinceret, exilium Riccij, resti-

1. Canton. Prouinc barbara, externis infensissima.

1. Calumnia in P. Riccium.

tuendum Turri Floridæ nomen; & ingens vtrimque perfido apud populum cum laude gratia. Sic probè meditatus nodum capitis cum puero soluit, & passis vt illic vsus est in grauissimo dolore crinibus, ambo vrbem subeunt eiulantes, & contra Externos dæmones legum opem coactis lachrimis implorantes: assectatur illos ad tribunal frequens plebecula, incipit accusator; ab illo turris accola externo germanum hunc suum puerum simplicem intra ædes suas blandiendo pellectum, raptatum interiùs, & vinctum, vt clam Macaum transmissus in seruum venderetur; non potuisse miserum toto illo sui carceris triduo auxilium rogare quod ingesta per vim succi potione vocem ei abstulissent. Palam esse rem toti viciniæ, adesse testes oculatos, (sceleroſos nempe quibuscum fraudem constituxerat duos) perorabant huic fabulæ pueri lachrimæ; Gubernator nostri obseruantissimus & amantissimus expugnari se tamen tàm probabili criminis specie sentiebat; nam de muta illa potione, ea crebro est vsui apud Sinas, de asportando in mancipium puero, id genus plagij quondam verè an falsò impactum Lusitanis, nondum satis abolitum fuerat. Turbæ quæ accusatori aderat commurmuratio, vindictam fremitu petere videbatur; sed quod rerum ignarus Riccius milliari abesset, imminerétque nox, res est in crastinum dilata, vulgatáque interim latiùs tandem ad Riccium peruenit, cui statim libellum scribenti quo calumniam purgaret, adstat apparitor ad fores, & sequi se iubet ad tribunal. Deo vno confisus sequitur, cum inops consilij aduersus calumniam tot dolis, & periuriis probatam nihil haberet præter negationem facti veram & simplicem, sed infirmam & cassam. Indianum iuuenem secum ducit, haud eo vsurus ad defensionem, sed quod linguam Sinensem haberet paulò expeditiorem. Præsentem Gubernator acerbissimè obiurgat, indignatus suum de illo iudicium imprudentiæ datum iri; exprobrat ingrati perfidiam animi, & benficia quibus ante illum nemo esset illustrioribus affectus pessimè repensa, effusa demum indignatione, iubet si quid haberet dicere: hic dum eius responsum expectatur, prodit iuuenis Indus eius comes, & sinu vestium laxato saxa in medium effundit quæ pridiè sero calumniator puer in fenestras ædium miserat, rémque vt gesta erat emnem candidè exponit, adolescentis vtriusque calumniatoris & defensoris narrationibus inter se compositis, animaduertit prudens Gubernator, iniquissimam criminationem, fraude ac lachrimis subæratam; ne tamen deesset præiudicio testium quo stipata illic & fremens in externos turba nitebatur, culpam interitu in Canarensem vertit horologij rotati artificem, eúmque sententia damnat ad Macaum, vnde venerat repetendam: tum cogniturus amplius de re summa, tres turris fabricæ Præfectos accersit, qui si quis alius, quicquid gestum erat per se ipsi spectarant; & cum essent graues, notæque probitatis, certam populo fidem facturi erant. Ruccium dum ij aduenissent, in palatio custodit afflictissimum & maximè anxium haud quidem metu crudelium verberum,

rum; sed periculo fidei sacrosanctæ tàm diuturnis illuc inductæ sudoribus in æternum, & ignominiosum exilium pellendæ. Deo igitur supplex Dei causam cò ardentiùs commendabat, quò tota Sciachino nobis infensior produci testis non poterat, tribus illis fabricæ Præfectis, quorum gloriæ intererat, ne nostris, vt falso fiebat, turris gloria attribueretur, eratque illis tam facilè mentiendo nostros regno eiicere, quam Sinis pronum est mentiri. Comitatus est accusator Viatorem seruum, & tribus inuentis quos euocabat Gubernator toto itinere pertinacissimè institit, falsis, veris, precibus, etiam pretio, si mallent testimonium vendere, vt secum sentirent, & facerent. Vt tamen de genibus ad tribunal stetere ij quidem in medio; hinc inde accusator & Riccius; pone duo illi calumniosæ tragœdiæ Architecti, interrogatus ex tribus Præfectis ætate prouectior (& erant omnes ætate senes) ecquid scirent de iis quæ ad turrim contigerant? respondet, vnâque alij; & scire, & vidisse, narrántque fusiùs lapidationes, puerum pridie sub noctem deprehensum, clausum, statimque proborum hominum precibus liberatum quæ verbis propè totidem ab Indo iuuene, qui saxa protulerat fuerant enarrata. Res est igitur, subdit vultu irato Gubernator, heri sub eorum gesta, nec puer triduum à Patre detentus, & clausus? cui senex, nequidem decimam horæ partem: nec fuit pluribus Gubernatori opus; indignitate sceleris accensus, & discriminis grauitate in quod per fraudem adductus fuerat, innocentissimum, & amicissimum damnandi, extemplo edicit accusatorem sacrilegum, in ventrem humi pronum, coram omnibus à carnifice distendi, & crura eius fissarum arundinum graui fasce (quæ solent sanguinem & frusta carnium paucis ictibus ducere) vehementissimè verberari, frustra supplicante pro venia Riccio; Gubernatore indignum venia inclamante, plagísque singulis, condigna scelesto, conuitia ingerente, quibus exterriti concinnatores fraudis, iidemque falsi testes, clàm se per mediam turbam illuc trahunt vbi non possent deprehendi. Tam illustris fama iudicij complures excitit, vt gratularentur honorem Riccio gloriosè assertum. Postridie adfuit à Gubernatore apparitor, & edictum, priori longe seuerius domus nostræ foribus affixit quo pœnis grauissimis omnis ab ea eiúsque incolis prohibebatur iniuria. Præterea Riccio ex amantissimi patroni recenti Magistratu, recens accreuit lætitia, regio enim ab aula diplomate in gradum Cincitani prouectus Gubernator, eadem ex sede, atque vrbe trium ditionum regendis vrbibus auctus est; exposa superstitio Sinarum qui vt ex omni re expiscantur futura, ominabantur ipsi tristem gratiæ in aula iacturam ob defensionem & beneuolentiam Patribus præstitam; ipse verò illius tàm honorifico in nouam potestatem exitu confirmatus, factus est nobis addictior, & solito crebrius Mandarinos complures data opera secum trahens domum nostram venit, inspecturus Mathematica inuenta quæ suaptè tùm manu elaborabat Riccius, tàm Sinensium Fabrorum qui

3. Detecta calumnia authores puniuntur.

4. Mathematica Riccio vtil.

suas

sunt ducendis in opus quodlibet metallis mirabiles, audiebant illum de iis dicentem cum admiratione Literati, de terræ figura, quam planam crediderant, de cœlorum situ, stellarum erroribus, defectibus luminum, & Lunæ vicibus quæ illi eatenus ignorarant; ipse pridem Clauio Magistro didicerat, & excoluerat postea diligenter, ex quo fiebat vt suis ad amicos Epistolis prædicarent eum Literati pro Mathematico cui parem mundus non haberet. Sed iuuit præ omnibus Geographica tabula, ad deprimendam eorum superbiam, & corrigendam aspernationem externorum quâ ipsi insaniunt. Eorum enim Cosmographi vniuersalibus tabulis orbem totum Sinarum ambitu claudebant, præter aliquem tractum ad Septentrionem, quem ex Tartaris grandi suo malo vacuum non esse didicerant, cœtera vndique pontus & insulæ tenues, quæ simul vnam ex quindecim Sinarum Prouinciis conflaturæ vix essent. Sui ergo pudebat attonitos cum iis Riccius monstraret Asiam in regna distinctam multa, & maxima, quorum Sinæ parua tantùm pars erant. Europam similiter, Africam, insulas, nouum orbem, quæ vt aliqui garriebant, augendi studio non fingi, ex terrestri sphæra in planum distenta, situ, confiniis, nominibus, conditione regnorum solidè probabat: addebat is suum ex Italia particulatim iter, pericula, maria, regiones flexus pænè totius Africæ, reflexus ad Indos, descensum ad austrum, & tandem Macaum regressum; nautarúmque artes ad superanda milliarium octodecim millia, & perpetuam naufragij mortísque imaginem: quæ dum iis narraret qui sibi medullam prudentiæ, & potentiæ arrogant, metus illorum fatuos tacitè arguebat quòd tantùm sibi ab externis timerent, tanta ab se periculorum, maris, & orbis integri intercapedine semotis, vt mille imperia Sinarum videri dignum tot difficultatibus, & mortibus pretium non possent. Hæc eadem Riccius edisserebat Mandarinis quos ad Proregem quotannis officij lex magno numero vocabat; ducebat ad Riccium Lincitanus, mira de nationibus exteris, & imperiis cognituros, quæ deinde reduces, suis referebant, nouitate rerum quas nunquam audissent attonitis. Verum quò certiùs hæc toti regno communia fierent, voluit Lincitanus illam ipsam Cosmographicam tabulam Typis edi, regnorum & insularum nominibus Sinicè adscriptis, & adiuncta circum eorum explicatione quæ Sinis eatenus ignota fuerant vel obscura. Delineauit id opus Riccius ampliori forma, in qua ne Sinas offenderet (quos Geographi cogunt in angulum) globum in plano sic euoluit vt eius medium instar orbiculati puncti, Sinæ occuparent. Absolutum opus cum horologio rotato Lincitanus à Riccio, pro insigni munere admisit, & horologij quidem dirigendi pertæsus impatientia & pudore ignoratæ illius machinationis, illud in vsum domesticum Riccio redonauit; edendam tabulam scalpro excellenti dedit illicò incidendam, suóque cum nomine titulum Lincitani ad commendationem operis addidit; Typum ipsemet penes se asseruabat; ectypa, initio parciùs

5. Geog. tabula magno item fructu edita.

parciùs amicorum primariis & Literatorum diuidebat, post ita largiter vt nostri orbis notitia porrigeretur in omnes Sinas, cum ingenti opinione externorum qui comprehendissent illum tabulis certa ratione artéque descriptis; ex quo Litteratorum summus ardor videndi homines prodigiosi ingenij, à quibus antea quasi monstris naturæ abhorrebant. His tam lætis Riccij ærumnis accessit Ruggerij reditus; serus quidem, sed minimè inanis, naui enim Iaponici commercij Macaum appulsa, de mercatorum communi ærario, & priuata quorundam pietate, subsidium retulit quo exsolutis nominibus, perfecta est & necessariis instructa ædium fabrica, quæ cum prospectu in subiectum amnem, & semotam planorum & collium scenam essent peramenæ, ventitabat ad eas Lincitanus comitantibus Mandarinis, vt cum nostris prandendo, grata illa camporum specie fruerentur, & inuisorum organorum quæ eximia Riccij Mathesis augebat quotidie, donabátque illos sub discessum solariis horarum indicibus, & aliis apud nos triuialibus, illic admirandis, maximè cum horas tunc primum discerent, ductis ab vno in alium tropicum lineis oportuisse sic diuidi ob situm vrbis Sciaochini, solisque diurnum & annuum cursum; quorum boni illi tàm magnificè Literati, rudes cum essent, omnia mirabantur. Cabralis inter hæc Macai qui præerat, certiorem facturus Valignanum de necessariis ad promouendam missionem, per se illam inspicere optauit, & Lincitani munitus commeatu, Sciaochinum venit principio Nouemb. an. 1584. vbi à primariis, ipsóque Lincitano, in gratiam Riccij, insperato honore affectus est; à nostris verò duorum baptismate quos nouo in templo eius manu tingendos ei obtulere: eorum alter è Fochiensi Prouincia, conditione Literatus, gradu Suzaius, seu Baccalaureus; Patrum sermonibus, (quos Mandarinorum characterem, & linguam docebat) errorem dedoctus, & Catechismi nostri, cuius diu expolierat dictionem, rationibus peruictus, alter è familia Cin, Nico dictus præstantis ingenij iuuenis, indolis haud paulo melioris, hic Ruggerio iam inde peramicus ex quo primùm fuerat Sciaochini, & quod ei vicinus habitaret solitus de Deo, percontari multa familiariter, prope euaserat Christianus; sed redacto in ordinem Prorege, Ruggerius exulans, sacrum ei altare seruandum credidit, & nouo deinde cum Prorege redux ad eundem per dies aliquot diuertit. En autem illic suum altare cernit in aula reuerenter locatum; imaginis quâ carebat vice, tabulam desuper, eleganti circum pictura illusam, medio Epigrammate grandibus duobus characteribus inscripto *DOMINO COELI.* Octo demum coram ardentes Lucernas; & consueuerat optimus adolescens illic statis per diem horis Deum prostratus venerari, cuius sibi nomen, & naturam magnus Occidentis Pater manifestauerat. Suzaius Pauli appellationem, Ioannis alter in nominalibus accepit; consulto palam nec sine concursu, & pompa loti sunt, vt in duobus periculum fieret quos motus in posterum facturi essent in Sinensium animis

6. Domus nostræ absoluitur fabrica.

Externi, si plures sibi legis suæ sequaces adiungerent: sed Deo placuit vt præter festas gratulationes nihil inde sequeretur. Paulus vsui Patrum domestico assuetus, sensit mox à Deo ad Euangelij præconium se vocari, cúmque illi parentibus & consanguineis nihil esset antiquius, ad eos profectus est, boni quo ipse fruebatur desiderio inflammandos. Riccius ex frequenti, ad audiendum cœtu, quotidiè aliquos ad Christum adducebat, sed maturè ac lentè præparabat ad sacrum fontem, superficiaria voluntate minimè contentus, quod in gente tàm cauta, tàm timida, tàm inimica publicæ nouitatis, oporteret omnes qui se profiterentur Christianos ea virtute, & innocentia viuere, vt legis quam erant amplexi sanctitatem, quantumvis suspectæ persuaderent reipsa dignam esse quæ propagaretur toto imperio. Aiebat Riccius post annos viginti sex, & partum in aula Pechinensi magnum nomen, terreri se, & exhorrescere cum sibi Sinensium oculis satisfaciendum cogitaret, linceis, criticis, offensioni cuilibet delicatissimæ obnoxiis, præclara quæuis, & grandia, hoc tantùm si forent extranea despuere solitis, & fraudem in iis occultam suspicari, quare omnes quidem baptismi cupidos amplectebatur peramanter, instituebátque sollicitè; non tamen prius sacris abluebat, quam tutò illis tunc, & in posterum fidei Christianæ fama, & sanctitas committi posse videretur, cautione hac, quadraginta, paucis mensibus expiauit. Vbi verò Sinarum ostia tenebrosa, & portas ferreas Euangelio laxatas audiuit India, & Europa, ingens longè latéque, priuatim & publicè gratulatio & adplausus. Lætus felicissimo nuntio Sixtus V. Societati Iubileum indulsit, eidem Præpositus Aquauiua stimulos subdidit ad tantam animarum prædam; delectus habiti operariorum qui ad illam quamprimùm virtute, ac literis elaborarentur. Multos in partem egregij operis exciuit præ propera pietas, religiosos viros Ordinum diuersorum ex Europa, ex Indis Occidentalibus, ex Molucis, quorum hic magnos animos satis sit obiter meminisse, ij enim contra quàm certo confidebant, nec pedem in Sinas, nedum Christi prædicationem, mittere permissi, tentata in cassum maria, coacti sunt illicò remetiri; quo etiam pertinet eorum attonita, vltróque suscepta offensio, qui suis è cellulis, morositatem incusabant Riccij & Ruggerij nimis multa circumspicientem, volebántque illos se dare in publicum, terrere, minari, vociferari barbaris inferorum ignes, vno Christi sanguine, & vitali lauacro extinguendos, qui tàm nobiles spiritus & tantæ audaciæ caritatis quò tandem euaserit, quinquaginta quatuor abhinc annis non sine dolore videbimus, nempe in illorum, nostráque cum illis exilia in Prouincia Fochiensi, & conuersiones Ethnicorum quos P. Iulius Alenius nongentos quot annis Christo adiungebat, ad centenos deinceps minimè peruenisse. Quod verò cunctando, & per lentas moras, annorum complurium gradúsque suspensos tandem confectum est, vt nunc Euangelium in Sinas inducere liceat, id omne foret ab initio disiectum, & perditum, & Euangelio, regni fores obstinatiùs occlusæ, si primi illi

8 Riccius Sinensib. concionatur, 40. baptizat.

9. Quàm lentè cum Sin. agendum illi fuit; quanto damno alij festinarint.

illi feruoris impetus, nimium animosi locum habuissent, neque is olim cunctator Riccius, nunc Apostolus Sinarum haberetur. Reuersus Macaum Cabralis, tam lætas de Sciaochino ad Valignanum literas Goam dedit, vt iam minimè doleret Valignanus Legatis Iaponum ad summum Pont. se ducem itineris non esse: sed instaret ardenter ad prouehendum Sinense negotium nouis hominum, rerúmque subsidiis, quando illud Deus cursu tàm prospero agebat. Nam rei domesticæ leuamentum aliquod ab Sinis expectare, idem foret vt Christi Ministros execrationi subiicere, qua sectarum suarum sacrificulos auersantur, ob improbitatem quærendæ stipis. Ergo Indiæ Prorex Odoardus Menesius, Valignani rogatu quem semper carissimum habuit, & suaptè nobili pietate, de fisco regio Malacensi censum annuum edixit qui nostris inter Sinas alendis sufficeret quem postea Philippus II. decreto perpetuo stabiliuit. De suo Odoardus supellectilem eorum sacram auxit; domestica nouas ædes instruxit. Ex operariis in tempus aliud dilatis, duos Macaum misit Valignanus, Odoardum Sanden, & Antonium Almeidam quos etsi prudentia insignes, sapientibus muniuit documentis, & gratulatoriis ad Riccium & Ruggerium literis, quibus item illos plurimum hortabatur, duobus iis sociis omni ope ingressum in Sinas exorarent. Sub hæc tertius appulit Alfonsus Sancez, nec optatus, nec gratus qui tantumnon Macaum & nostros euertit: hunc itineribus pro fide, & Hispania diù tritum, Philippinis Præfectus Procuratori suo addiderat, postulaturo ab Sinarum Rege vt Legationem à Rege Hispaniæ vellet gratam habere; & vero vtrimque confectum prope negotium exibat, cum expergefacti Lusitani contra rem suam motum vident; conclamatum prorsus de Macao, si conficeretur; Sinense commercium in Philippinas verti, lucrum ex Sericis quorum emptione à Sinis commoda, & translatione ad Iapones Macaum diteſcebat, ad Philippinas abiturum. assurgunt igitur in tumultum & defensionem, Legationis ambitum disturbant; Mandarinorum imperrant edictum quo vetantur in posterum Hispani de mittendis legatis agere; turbulenti negotij actores, infecta re, Macao vela in reditum, & remos aptant. Sandes verò & Almeida illuc anno sequenti 85. sub finem Iulij applicant. Sanden Lincitanus Scioachinum vocari Riccio concessit, hac lege dumtaxat, vt Macaum breui post remearet. Sed eum præsens aditu & affatu & triobolari apud nos munusculo, illic raro, ita sibi deuinxit, vt retineret illum intra Sinas, quamuis nondum libello respondisset Prorex quo hæc illi facultas petebatur, indicta nihilominus Patribus cautione, ne quem præterea tentarent intra regnum vocare; quo mandato mœstus Almeida desideria sua infringi penitus, tantò, post paulùm iucundiùs, quanto contra spem omnem, iis potitus est. Iam tres domi cum essent, & accessurus ad eos quartus, visum iis, pro Sinarum more, nusquam opinor alibi audito, nomina mutare. Solent ij quasdam in nominalibus seruare minutias. Nullum feminis indunt nomen; domi

10. Valignanus noua subsidia in Sinas curat.

11. More Sin. PP. nomen mutant tum repetunt.

& foris nascendi ex ordine, prima, secunda, tertia eius cognominis appellantur: & habent Sinæ tam pauca cognomina, vix vt millenarium faciant, nec fas cuiquam sibi aut nouum formare, aut auitum mutare. Pueris nomen imponunt parentes, floris ferè cuiuspiam vel fructus, aut blandi animalis, sed præter parentes, & fratres pueri, nemo illum ausit tàm familiariter appellare; alij, vt dictum de feminis, de natalium ordine illum vocant. Puer de se cum agit deprimendi sui gratia vocabulo vtitur quo à parentibus nominatur; nam se cum semper abiiciant; alios attollant, dialectos habent ad vtrumque sic ab vsitatis alienas, vt peregrinæ videantur. Studendi principio, nouum à Magistro nomen accipiunt quo ab ipso, & condiscipulis in schola censentur. Relicta dein schola, cum solutam ante cæsariem in tutulum seu floccum colligunt; itémque cum vxorem ducunt (quod solent ætate satis præmatura) vocabulum iis aliud inditur, à præstanti quem ad hoc elegerint viro, quod vocabulum, medium, itémque literam appellitant ob characterem peculiarem, & proprium quo se ipsi scribendo indicant. Vulgóque hoc nomine vocantur, præterquam ab suis tùm seruis, tùm sibi subiectis. Postremo viri ætate iam facti, nomen, Grande, seu signum assumunt excellentius cæteris, quo deinceps, iure tam stricto vtuntur, vt iniuriam putent, aut rusticitatem, si quis etiam ignorans cum iis agens id nomen omittat. Grauiùs itaque nobilium auribus sonabant nomina quæ tulerant ex Europa Patres, & retinuerant hactenus, placuítque maiorem in modum quod mutatis iis, & Grandi nomine adscito, viderentur Sinis exuisse quod iis residuum inerat barbari, & externi. Sithaium se dixit Riccius, eius socij duo quibus vocabulis dici voluerint, non inueni; sed aliquanto post Valignani iussu rediere ad pristina nomina, ne deferrentur in Europa quod relicta nomenclatione Christiana, Semiethnicos simularent. Hac enim de causa ex Iaponia quotannis lacerabantur per Europam criminationibus importunis quicumque de nostris fructuosissimè in ea vinea desudabant. Languens inter hæc Almeida desiderio Sinarum, repentè Ruggerium conspicit Sciaochino aduectum vt se ad alteram Residentiæ stationem fundandam abduceret quadringentis intra Sinas leucis; qua tàm insperata, quàm impatienter optata facultate obstupuit, recepta mox voce in eos erupit gratiarum, lachrimarum, & lætitiæ motus, vt videretur inter superos beatus. Peregrinationis huius auctor Gubernator nouus, siue, vt scribit Ruggerius Virgo Deipara, cuius pulcherrimam tabulam Gubernatori cum offerret, simul edisseruit quæ esset, quàm immensis toto nostro in orbe honoribus, quanta in cœlo regnaret maiestate. Molliri his homo Ethnicus ad reuerentiam tantæ Matris, & præferre animum eius item obsequio aliquo honorandæ. Pechinum ergo propediem in aulam profecturus ex lege triennali Magistratuum maiorum, statuit vnum ex Patribus habere itineris comitem, ratus quoque id sibi maximè gloriosum, si Literatum ex mundi finibus insignem, in consessum illum sapientiæ Sinicæ, spe-

candum, audiendúmque produceret. Laudabant initio amici consilium nobile; Prandenti postea domi nostræ cum primoribus Mandarinis, suspectum id illi fecere viri graues, & fidi, ob seueritatem legum in externos, & discrimen perdendæ in aula gratiæ: quamobrem illo quoad aulam quidem consilio abstitit; sed Ruggerium decreuit vsque Sciaochinum perducere, suam & Lincitani patriam in Prouincia Cechiana: quatuor-virum priori quibus suas regendi credebat vices imperauit, solenni diplomate commeatum illi tribueret liberum per Huquanam, Chiansiensem, & Cechianam Prouincias; verum Ruggerius admodum prudenter Almeidæ nomen tanquam discipuli & sequacis suo curauit adiungendum. Mox ne tempus daret mutandæ facultatis, Quanceum descendit vt secum Almeidam tolleret quem bimestri spatio in Cechianam Prouinciam induxit, factúmque Deo propitio vt Quancei, Lincitani fratrem reperiret, quem concilianda ipsi in graui negotio Lusitanorum ope, ita sibi obstrinxit, vt sua secum naui Sciaochinum vsque cum Almeida illum deueheret, applicuere illuc intra diem quartum & sexagesimum per amæniſſima fluuiorum, qui Sinarum secant mediterranea, cum die Nouembris vigesimo anni 85. Quanceo abiissent. Cæterum longo illo tractu nullum aut carceris, aut ignominiæ discrimen experti sunt, quod minati fuerant amici, sed ab inhumana Cantonis Prouincia quo magis recederent, eò vrbaniùs, & benigniùs habebantur; quacumque verò terram attigissent, prodigio erant multitudini statim confluenti, haud quidem odioso, sed gratæ, & attonitæ nouitatis. Ruggerio tamen singularem Deus, & crebram obtulit gaudendi materiam: visebatur à Præcipuis Mandarinis, gestiebat illos Cathechismum habere præ manibus, quem cum Riccio concinnarat, rogabatur an esset eius author? an ex magno aduectus Occidente ad inferendum Sinis inuisum eatenus & ignotum, veræ ac salutaris doctrinæ solem, nempe Deum esse, & quidem vnum; figmenta dæmonum, omnia simulachra; quæ, ait, nonnulli cum dicerent simul in lachrimas soluebantur; negabant alij se vnquam pro Deo quenquam adorasse, præter vnum Tiencium, quamuis illum obscurè ac velut in nebula, ex veteribus suis monumentis, conspicarentur magis quàm cernerent, iam aperta in luce libri illius eum agnoscebant; sed scire auebant aqua illa quæ esset, potens animi expiatrix, eámque illi speciem conferens, quam Deus ipse suo amore dignaretur, de Baptismo scilicet doceri optabant, de quo Catechismus sub finem agebat, quam animorum comparationem cum aliis quoque Ruggerius in Prouinciis comperisset per quas iter facere contigit, magnas iam inde Chiaochini, conuersiones Literatorum animo præcepit, & eò maiores, quò viteriùs tenderet, vbi subtiliora semper ingenia, primum illud religionis fundamentum erant libentiùs admissura.

12. Ruggerius & Almeida Cechianensem Prouinciam intrant.

Vrbs est Chiaochinum in Prouincia Chianensi, si minus dignitate, at pulchritudine singularis, ciues habet comitate morum eò cultiores,

13. Sciaochinũ vrbs qualis

quò ad Nanchinensem Regiam accedit propiùs, vtpote ad aquilonem sita. Huic reliquæ omnes de magnificentia concedunt ædificiorum ex quadrato, & candido lapide, cum ex ligno tantum picturato constet omnis aliarum materiatio, accedit quod Sinis venerias exhibet, iacétque amœno in lacu, aquarum dulcium interlapsu vicos, & compita perlabente; inde tridui spatio gratissimum iuxta & quæstuosum iter nauigantibus sternente per alueum sectis præstructum lapidibus, & ripas arboribus consitas: vrbis tamen decus haud paulo illustrius, quod inganiorum progignat florem, maximè vrisperitorum, & Magistratuum qui magno numero ferè in omnes Prouincias mittuntur. Degebat illic bonus senex Lincitani patens, curas iam publicas percæsus, & secessu gaudens, qui de Ruggerio vt primum cognouit habere illum hospitem voluit, cum Almeida socio, & interprete illorum, patum ad hoc munus idoneo. Egere apud illum menses quinque in tenis musæo, (quam studiorum domum vocant) vbi Ruggerius mediocriter linguam callens, frequentabatur assidua Literatorum consuetudine, quorum & auribus, & propensissima comprobatione, Christianæ legis effata concipi aduertens, hinc sibi aureas augurabatur messes, & lat fundia numerosæ Christianitatis, si semel supremis auctoritatibus suam illic firmasset stationem; cui tamen firmandæ nihil ita obfuit, vt desiderium præsenti vastius, sed præcoci opportunitate. Fuit quidem operis pretium, quòd suum hospitem Lincitani patrem sacro fonte lustrauit; vitæ, vt Ethnicus, inculpatæ, & iis præditum moribus qui sanctitatem Sinarum conficiunt, expugnauit hominem Catechismi crebra, & distinctè percepta lectio; accendítque tam pia expectandi Baptismi impatientia, vt non potuerit trimestri vlterius differri. Dies erat Christo resurgenti sacer, spectatores multi, prodit optimus senex candorem animi quem optabat, veste candida præferens, inter medios genuflectit, iisque religiosi affectus inditiis, ea reuerentia & demissione sacris abluitur, vt crumpentes Ruggerio lachrimæ interpellarent solennes ritus: paucos præter hunc pueros morti vicinos baptizauit, & oblatum sibi à patre nobilem febri tabida laborantem, fortè magis vt inde corporis, quàm animæ referret sanitatem; certè iuuenis vtrumque retulit. Sed hic affines Lincitani fundente se clarius Ruggerij nomine, & Literatorum crescente ad illum frequentia territi, veritíque ne quod pronum erat vel Pechinum, vel ad inspectorem Prouinciæ quem proximè operiebantur, delata re, & exaggerata, infortunij aliquid Lincitano crearent, condicunt inter se Ruggerium honestè inde amouere, ac ne aut hospitem valdè omnibus earum, vel affectos ad eum Literatos offenderent; confingunt literas quibus de Riccij, & Sandis graui periculo monebantur, nec dubitabant Ruggerium ad opem accursurum, quod iis regno pulsis non posset in eo consistere. Sed nec ita mendacium adornarunt, vt homini acuto verum appareret; nec se doli conscium indicauit, sed mora quærendi quo se reciperet, illos tamdiu

11. Duo illic bapt. eorum alter sanitatem recup.

diu circumduxit, quoad denique non dissimulanter ab iis pulsus est. Vrgente commodùm Gubernatoris Sciaochinensis ex aula reditu, qui & ipse tam denso attonitus ad Ruggerium concursu, incitatúsque ab consanguineis Lincitani, iussit illũ Cantonem remigrare; terruere insuper eundẽ Lincitanum tam olim amicum, & beneficum, eiusmodi literis, vt nec aditi iam à nobis vellet; nec in diplomatis quibus domum nostram & templum munierat, nec in Geographica Riccij tabula nomen suum extare. Sciaochinum reuersus Ruggerius Almeidam Macaum remisit, quòd peregrinationis impetrasset comitem, non domus inquilinum, & ne inimicis Sinarum oculis, nostrorum illic afficeret numerus, commeatum ipse libenter accepit ad interiores regno Prouincias; eò ipsi sat vili pretio diploma curatum est à Tansiao, Lincitani necessario, vt in Prouincia Quancensi templum viseret, magno Sinarum vndique affluxu & religione celebratum. Profectus itaque spe nouæ stationis procul alicubi ab infensissima Cantonensi Prouincia figendæ. Queilinum peruenerat Prouinciæ vrbem primariam, vbi de stirpe regia, Rex titulo tenus imperabat; eius gratiam munere aliquo raritatis inuisæ captans reiectus est à custodibus eunuchis vt homo agrestis, qui Regum aditus nescisset tentari non prius oportere, quàm faciliores explorasset, quare Mandarino, & Prouinciæ Proregi coactus se sistere, iniquo vultu & animo ab iis exceptus est, iussúsque cœpto itinere quamprimùm pergere, seque vrbe auferre: hinc regressus ad Regem, inductúsque in capacem aulam, ab eo visus est, sed prope iuuiso ex clathrata densè fenestella spectante; accepit quoque Rex ab eo munus nouitate vna grauissimum, idque illi argento sanè liberali reposuit. Quin & Eunuchus qui argenti lamellas ad eum detulit, siue illius affatu captus, seu cupiditate rerum longinquarum, quibus deinde referendis Regem oblectaret, eum ad cœnam adhibuit: quibus Prorex per exploratores sigillatim perspectis & suspicionibus æstuans, Pucensio mandat summo Prouinciæ Ministro, eum vrbe pellat, extruditúrque extra portas à satellitibus mortem comminatis, si occultè aut palam pedem vnquam in eas immitteret. Sed is quem dixi Eunuchus, humanitate exhibita nequaquam abstitit; apertas illi & solennes ab Rege domino suo obtinuit literas, ad Ministros Pasciui ditionis suæ oppido in Prouincia Huguancnsi, quibus imperabat illum & excipi, & sumptu publico tamdiu ali, quamdiu illic hærere libuisset. Erat illuc iter dierum viginti, & magnis animis eo pertendebat, vt illud oppidum pedetentim, Pechino denique mutaret, ciuitatísque ius, peregrinitate abolita, ab Imperatore impetraret. Sed fortia magis quàm tuta consilia P. Sandes qui Sciaochini præerat abrupit, & post quadrimestre Pasciui exactum eum reuocauit.

13. Quansiens. Prou. frustra adit Rugg.

14. Expellitur, Sciaochinũ redit.

Sciaochini de more inter hominum odia & amorem, aduersis & prosperis iactabamur. Proregis Scriba homo sceleratissimus diem Riccio dixit quasi Plagiario, qui tres Sinas clam raptos Macaum vendendos

dos deportari curasset. Diem dictum obibat Riccius, cum inexpectato tres Sinæ prodeunt, suo quodam ex negotio, sed longè à Macao reuersi. Vulgarem illic aduersus Lusitanos calumniam de rapiendis in seruitutem Sinis, Scribæ illius morte adeò subita, & horrenda inhibuit Deus, vt etiam Ethnici diuinam in eo vindictam agnoscerent. Nostri damnis licet iniuriisque affecti enormibus, neminem accusare, culpare neminem, ne latentes quidem earum auctores rogati detegere, illatas quoque ab iis molestias & detrimenta eleuare, vt caritatis illius tam nouæ documento Christianam insinuarent sanctitatem. Hic, scribit Riccius, tàm vili sumus, vt quamuis maiores Mandarini, nihil omittant erga nos honoris, adeantque nos non solum officij gratia, Sed diuinis de rebus colloquendi, plebs è contrario nihil probri furtorum & ignominiæ prætermittat: ne tamen gens vt mendicissima sic furacissima, ædes penitus exhauriret Macao missi sunt qui eas seruarent Indi duo Mauri, & vnus Cafer lacertoso & grandi corpore, quodque ad vsum præsentem commodum, dæmone nigrior, Sinas enim vt sunt muliebris animi, etiam armatos; colore in fugam vertebat, posse tamen plus decuit ad cicurandam suburbani illius populi feritatem, effusus, & strenuus nostrorum labor in miserabili eius clade; turtim enim amnis præterfluens cum restagnatione subita, gregatim animantes, & domos ligneas, ipsósque homines in præceps raperet, progressi domo Patres, quàm contignatio paulo editior aquis eximebat, quoscumque datum est, postremo subductos exitio, domi collegerunt, sustentarunt victu, iuuerunt ad reficiendas domunculas, cum stupore vrbis vniuersæ, homines externos, pessimè habitos, pepetuis odiis & iniuriis vexatos, tàm piam, & misericordem inimicis vicem reponere. Hanc tamen plebs barbara sic rependit vt aliquanto post eluuionem minante fluuio, arbores nostras succisuri venirent, non tam vt aquis opponerent, quàm vt suam explerent contumeliosam barbariem; sed à Cafro fugatos, armauit denuo ignauiæ pudor; cantu cornuum & peluium strepitu collecti domum nostram velut obsidione, sed procul cingunt, hoc solo securi quod bonus Riccius neminem passus est in eos prodire, nec multum abfuit, dum eos tentat de fenestris allocutione placida delinire, quin obtereretur ab iis saxorum grandine. Dei tamen securus, seque illi committens, domo exit, furentes affatur, ea oris & linguæ mansuetudine percellit, vt tanquam stupidi nihil contra mutirent, sed incondito vocum, & cornuum strepitu abirent. Hæc tamen quis credat? secuta est accusatio Riccij, quasi armatorum immissa manu, illorum rabiem incendisset; quod etsi facile dilui poterat, sed præiudicio peregrinitatis, semper eius causa periclitabatur. Constanter nihilo seciùs animarum saluti castam operam dabat, parui pendens grati ex iis animi præmium vel ingrati referret. Latam in suburbio & trans flumen verbi Dei sementem fecerat, respondebátque operæ fructus in frequentatione templi nostri, diuinorum vsu, & concionibus Riccij

15. PP. caritas erga insectatores.

in

in quibus rerum inaudita majestas, & momentum, etiam infideles vehementer mouebat; quo tempore mirificè aucta est Religionis veræ existimatio, beneficio desperatæ prolis Lincitano cœlitùs indultæ. Rogabat is nostros sibi vt filium à Deo impetrarent, suadebant vicissim, à Matre Regina vt illum peteret, cuius illi ad hoc effigiem dederant, ratas vtrinque hoc anno preces fecit Deus: prole mascula donatus, nec ipse, nec statim vulgata rei tantæ fama dubitauit quisquam quin Deiparæ Virginis donum esset: quare ad senem quendam Christianum, liberorum quatuor parentem Ethnici plurimi adire, orbitatem dolere, rogare senem vt sibi liberos à Matre Domini cœli exoraret, cuius etiam ipse acceptam à Patribus penes se imaginem haberet, pecunias etiam addere postulatis vt senem ad ea inflecterent, quibus ille reiectis negauit Christianos Dei beneficia vendere; irent sanè ad Patres & ab iis discerent vnum illum, verum cœli, & omnium Dominum cuius dum beneficia poscebant, auersabantur cultum & religionem, in quo etiam Lincitanus ingratum animum prodidit dum totam suam in Patres beneuolentiam ad caducas suas, & abiectas attemperauit rationes.

Occinentibus illi vetus carmen Quanceensibus Mandarinis, prædæ fore quandoque Sinas extraneis; illos in regni viscera progressos; ipsius assensu, sedem, ædes, & templum in iis obtinere; hæsuram ipsius nomini æternam maculam, si conscensurus propediem in gradum altiorem, nullis potuisset monitis adduci vt Cantonienſem Prouinciam sibi tantoperè addictam virulento germine liberaret; aliud deinceps ad pellendos Patres nihil expectabat nisi, vt iure necessario videretur, non inconstantia, & metu pepulisse. Nec longum Iulij vigesimo septimo anni 87. redit è Prouincia Huguanensi Ruggerius, cuius Queilini, vrbe primaria commorationem, questi erant multis calumniis Mandarini apud Lincitanum vltro iis credulum; sub hæc nuntiatur Quansiensis Prorex, à quo Ruggerium ignominiosè Queilino eiectum diximus, Cantonienſi Proregi successor venire. Hoc rerum articulo vsus Lincitanus, Patribus vrbanè admodum per Ministrum mandat, Macaum reciperent se se; ac dolere id sibi vehementer quod eos amaret plurimum, verum & hoc ipso se iis consulere, cum instaret Prorex, quem iam essent experti, omnes inde pulsurus cum certa nominis, & domus iactura; ipse pretium domus legitimum iis refunderet: tàm improuiso, & acerbo mandato, quo exhantlati tot annis labores redibant in nihilum, & Sinarum portis excludebatur in perpetuum Christus, consternati Patres & consilij inopes, responsum quale tunc potuit dedere; consulto dehinc intimis precibus & lachrimis cœlo inter se conueniunt, de adeundo rationibus & deprecatione tam duri iudicij Lincitano. Rationes libello exposuit Riccius, Lincitanus deinde vt satisfaceret populo vulgauit; Patres de gemibus ad pedes Lincitani eo animi dolore, iis gemitibus, & lachrimis supplices iacuere, vt emollitus hæreret apud se aliquandiu, moxque se acturum cum Tansiao responderet, ad quem

6 Nostris exil. indicitur extra Sinas.

Patrum libellum iussit illicò perferri. Hic siue precibus, seu Riccij libello, aut spe demerendi homines vtiles, & fortè potius argento expugnatus (nundinabatur enim beneficia Lincitani) obtinuit denique vt permitterentur aduentui & arbitrio Proregis noui, sic dato munere, acceptóque rescripto, Sanden continuo remittunt Macaum, quod ab iis quam prouidè fuisset sapientérque cogitatum, docuit edictum Lincitani, quod tunc publicè pependit cum vix nauim conscendissent Sandes. In eo Edicto legebatur [Patres suo ære ædificasse sibi domum; turrim publico sumptu Sciaochini, & subiectarum illi vrbium construi, totam illius fabricæ gloriâ ad illas, nullam eius partem ad Patres pertinere: Quod prope turrim habitarent, hoc iis à Prorege indultum, & ab se propterea toleratum, sed cum accitis Macao sociis numerum augerent, indixisse vtrisque tum veteribus, tum accitis, regno facesserent. Verum illos ab se cum miserabili specie multísque lachrimis, audiri tandem impetrassent, Proregum duorum protulisse diplomata quibus sibi potestas fiebat illic habitandi; nemini se vnquam nocuisse; nihil in leges peccasse; abesse à patria, milliarium viginti millibus; per infestissima procellis maria, immensis sumptibus Sinarum amore, & æstimatione magnifica venisse; nunc se post insontem annorum quatuor in regno habitationem, ne culpæ quidem leuissimæ suspectam, per eadem maria, pericula, & mortes remitti, & extrudi, hac se lamentabili querela motum, quam sciret esse verissimam, & sibi constaret, homines esse valdè probos, & dignos ob religiosam quam profitebantur vitam quorum peculiaris ratio haberetur; edicere se vt ij duo qui principio venerant, in regno manerent; qui superuenerant abirent; duobus in posterum si quis tertius accessisset, tunc verò omnes pellerentur, velut rerum nouarum in regno molitores; designabantur edicto altero ex regionariis præfectis qui eos obseruarent, deferrentque illorum nomina, si quid ab iis quieti publicæ aduersum moueri comperissent.] Libuit has minutias persequi vt de infinitis & ærumnosis difficultatibus inferendi Sinis Euangelij, infinitam quandam Patrum prudentiam, & patientiam metiremur, potissimum Riccij, ad hoc cœlitus lecti, vt illud Nanchinum induceret.

16. Duo tamen retinentur nostri.

Defunctos proxima tempestate, duorum numerus tam seuero sibi edicto præscriptus; & noui Proregis notus olim Quansei animus habebat sollicitos. Nisi Deo placitum fuisset Xauerij sui labores vltimos pensare inducenda per eius fratres in Sinas intimos Christi cruce, res erat profecto millies desperanda. Nam etsi edictis etiam quibus exilij damnabamur, ornaremur perhonorificis titulis virtutum, integritatis, doctrinæ mirabilis, & obseruantiæ erga leges, vnum reos vbique faciebat crimen, vitium peregrinitatis, quæ suspiciones Sinarum de Lusitanis nimium vicinis, mittebat in sera posteritatis pericula, etsi tunc quod posset metui nihil viderent: has contra si Riccius aduersa fronte isset, foraque vrbium implesset terrore ignium æternorum,

17. Cunctatio Riccij sancta & sapiens.

æternorum, quod quidam in longinqua fortes Apostolicum iactabant spiritum; perierat funditus Sinarum salus, vno edicto Christum & eius præcones sempiterno damnabant exilio; tolerantia cunctatricè, & cœptis centies disiectis, centies reparandis euicit Riccius paulatim quod omnium maximè optabatur; lucro in præsens laborioso, tenui, & obscuro contentus lucris in futurum immensis, & splendidis sanctè consuluit: dissimulata propemodum quam vnam ardebat Christi causa, Mandarinos sibi quà capturæ patebant aggressus, comitate prudenti, & placida deuinxit, eámque apud illos adeptus est gratiam & famam vt quocumque in Prouincias mitterentur, ope illi adessent, & auctoritate ad figendas illic Euangelij Ministris sedes tametsi peregrinis. Iam discrimen nostrorum maximè capitale, si primo loco narrari oporteat, ex Loyola quodam ortum duxit, S. Ignatij propinquo, sed Societatis inimicissimo, vt quam scriptis famosis pessimè lacerarit. Is Goa dum solueret, seuerè iussus est à Prorege, abstinere se penitus à toto negotio Sinensi. Macaum vt venit spreto, quod illi tunc etiam inculcatum, Proregis imperio; Lusitanos Quanceum comitatur sterica in Iaponiam empturos; libellum porrigit Mandarinis, habitandi ven am in regno postulans; Repulsus, at cœpti pertinax, comminiscitur apud se Legationem à Rege Hispaniæ, Sinarum Regi offerendam, stultè nimium tatus, quod erat tam nouum, fore item multùm plausibile. Hic verò Lusitani, transactorum haud pridem memores, angi animo vehementer; quærere à quo, & qua potestate, tanto hiatu tanta promitteret, nihilque præter effrontem captandi quæstus audaciam nacti, temeritatem hominis, quod vnum licebat grauiter obiurgarunt. Verum enim verò, externorum iudex Aitaus, Loyolæ libello vltra verba respondit, & legationes retractans quondam fictas quibus extranei velle timebantur sine sensu pedem in Sinas inijcere, vt arma etiam processu temporum inijcerent, Loyolam cum socio differt; eius interea productum interpretem, coram indicta causa, sed neque rogatum, cædi iubet crudelem in modum, tanquam artificem legationis eius fabulosæ, cuius nulla ex Indiis, neque ab Europa proferebatur auctoritas; & fuit in lucro ponendum, quod insons plagas solus exsoluerit; iram certè Aitaus effudit longius, legationis promissorem, eiúsque socios, omnésque Lusitanos Quanceum ingredi vetuit nisi ad hoc rescriptum ab eo accepissent: at qui Sciaochinijè nostris degebant, grauius periclitati sunt, velut enim extrarij, vnam omnes conflarent Rempublicam, induxere animum Mandarini, Loyolam & suos à nostris, quamuis alterius professionis, & habitus, fuisse in Sinas inuitatos, & primum futorem in nostrum exilium accenderunt; nec vlla nos satis purgasset defensio, si Mandarinorùm etiam infimum afflasset Loyolæ stulta iactatio, conuersionem Sinarum suscepturos, oportere manu altera gladium, Euangelium altera præferre, hoc est armis primum, illos Hispaniæ; postmodum prædicatione Christo subiicere: temeritate hac stoli-

18. Ab Europæo Sinen. missio prope euertitur.

da imbutus Macao discessit, tabulis munitus ad suum ingenium confictis, quibus nostros vexaret; quod fuit homini palmare tot orbe ab vno in alterum, errorum decus, & pretium: nam illud ridiculum quod sibi passim arrogabat, ne nihil egisse tot itineribus videretur, ante se mortalium neminem, sacrificium diuinum in regno Sinarum obtulisse; cum illic nostri multis inde ab annis, & sacrificarent, & agerent. Verum duæ illi apud Pontificem, Macao intentatæ sunt causæ, eæque conatu non irrito, & Madritum reuersus sua exposuit meditata diu mysteria de subdendis Hispaniæ Sinis, quorum erat caput vt ea missio auferretur ab Societate, & sui Ordinis hominibus iisque solum Hispanis crederetur, quorum ipse Dux esset futurus. Philippus III. pro singulari sua æquitate & sapientia, mandauit hominem turbulentum cœnobio claudi, Clemens verò Octauus, eiusdem itinerum comitem, & consortem. Mandarini autem Quanceenses dum arrecti pendent in occasionem Societatis expellendæ, Sciaochini dæmon atrocem architectatus est quæ nisi Deus eius Administros excæcasset, in peius aliquid exilio, & infamia, erat desitura. Die quodam affixis per compita libellis grandi charactere, accusabatur adulterij Ruggerius, & nominabatur clarè socia criminis, & dies; sistit se publicè Lincitano sub serum diei maritus confitentis, fictæque adulteræ, & miserabili querela flens, eiulans, singultans, legum iura, & pœnas implorat: aduertendum hic calumnias quaslibet, etiam immanes, apud Sinas fructum esse felicis ingenij, & vice gladiorum quos ad vindictam non exerunt, in famam, & vitam eorum armari, quos perdere destinant; ea quidem furendi rabie, vt inimicorum interdum se foribus suspendant, quo velut crudelibus eorum iniuriis adacti ad laqueum, extremi supplicij præiudicio illos damnent. Venales vbique triobolo, periuri testes; vtque sunt fingendis, texendisque dolis natura vaferrimi, sic ijs malignè adhibendis, adeò se vertunt in omnia, omnésque ad verum personas induunt, hæc tamen illos ad tribunal cautè meditatos afferre opus est vbi terribilis Radamantus manu cinctus ferorum carnificum, dirè illos cædi coram iussurus sit, si coloris, audaciæ, aut verborum immutatione, visi fuerint titubare, & calumniæ inditium prodere. Iam hæc Ruggerio intenta calumnia auctorem habuit Martinum nomine Sinensem, fictè an verè Macai baptizatum, solutis moribus hominem, proinde solitum à Ruggerio blandè & seriò admoneri; ex quo flagitiosus Sycophanta vitæ laruam emendatioris, pietatisque cœpit induere vt factus Ruggerio carior, stipe aliqua illum emungeret, cui vertendæ strophæ commodùm accidit Christianos duos, patrem & filium ei occurrere qui cum excoquendis in aurum metallis omnia decoxissent, nihilo mitius (quod Sinis commune) pergebant delirio eodem spebúsque insanire conficiendi auri: quare iis facilè persuasit ex Philosophis Occidentalibus artem Ruggerio promptam esse, qua viuum argentum cogeretur; & colorem mendacio dabant Lusitani, qui viuo argento nau-

19. Atrox calumn. adulterij contra Ruggerium detecta.

nes

ues onerabant, magnis lucris in Iaponia vendendo ; verum, aiebat fur sceleſtiſſimus, coagulando in argentum cocturæ legitimæ, quò Macaum vrbem opulentam, Sciaochini turrim conſtruxiſſent : artis huius vim omnem, herbæ cuidam ineſſe, quam iureiurando, ſibi Ruggerius indicaturum promiſiſſet, Chriſtiano ſcilicet, familiari, & intimo ; ipſiſque pariter vtpotè Chriſtianis, dumtaxat illam ſecreto premerent ; aliud ex ipſis herbæ pretium nolle præterquam ſecretum. His capti nugis ſimpliciſſimi Chimiſtæ, captatorem ſuum paraſiticè reluctantem, ſecum domum abducunt, menſa, hoſpitio, veſtitu, pecuniis etiam liberaliter excipiunt toto quadrimeſtri, donec illos non valens improbus verbis vlterius ducere, noua fraude triangulum vitrum à Ruggerio mutuum emulſit, & Quanceum aufugit grandem eo pecuniam facturus. Lincitanus haud multò poſt domi noſtræ vitrum poſcens videndum, de furto cognouit ; grauitérque iratus, Præfecto Quanceenſi mandat hominem rapi, & vinctum perduci Sciaochinum, Patribus in caſſum, iacturæ leuitatem, vt reo parcerent obiicientibus, nam vtcumque ſit, apud vos vitrum, gemma eſt apud Sinas pretioſiſſima, nec adeò veſtra, vt eius priuate aſpectu liceat, Mandarinorum lectiſſimos qui eius viſendæ ſtudio crebri huc veniunt, cámque ſuſpiciunt. Cauſis duabus capitalibus preſſus ſycophanta, alterum ſedauit dato Chimiſtis quos luſerat duobus vitro ; alteram ſe quoque luſurum putauit, ſi cuius auctorem credebat Ruggerium delatione inuolueret tàm atroci, vt eum quàm longiſſimè auerteret à negotio ſibi faceſſendo. Accuſationem in eum eiuſmodi conſtruit, cuius, ſi valeret, minima pœna, futurum erat exilium : homuncionem circumuenit, viliſſimum & mendiciſſimum, vt ſuam venderet, & coniugis famam ; Ruggerio crimen adulterij inferret ; vxorem daret confitentem ; libellis per vrbem affixis facinus quereretur, abſque vlla dubitatione Ruggerium ad redimendam infamiam, ei quantùm optaſſet argenti daturum ; iamque homo impuriſſimus de argento tentarat cum Ruggerio pacifci. Sed occæcauit perditos ſuum crimen : mariti, vxoris, libellorum criminationes, patrato ſceleri tempus aſſignabant, quo in Prouincia Honanenſi diuerſabatur Ruggerius, bimeſtris itinere Sciaochino diſiuncta. Hic accuſatores animo cadere, maritus cum vxore, ſolum fuga & exilio vertere ; Martinus è carcere huius fugæ præiudicio obtutus, & falſi, furtique conuictus, ad Gubernatorem rapi à quo plagis cæſus eſt viginti, ſæuis illis, & prope lethalibus ; pœna inſuper damnatus quæ noſtris reſpondet triremibus, & mulctæ obſtrictus cuius vel quarta pars exſolui ab eo non poſſet, etſi venum ſe in mancipium daret. Ruggerij contra publicè probata laudatáque innocentia ; & reſtitutum ex calumnia, innocentiæ nomen bonum. At enim Lincitano cuius erat datam ſententiam ſuo firmare Chirographo, viſa eſt pœna ſceleri nimis impar, Martino plagas adiungi voluit ſexaginta, ex quibus duorum ſpatio menſium tabeſcens periit, noſtris interea defoſſo in imum

carceris, curam omnem opemque ferentibus. Alchimistæ duo, furis supplitio territi triangulare vitrum, sponte ad Ruggerium retulere. Irati nihilominus quod illatum sibi à fure damnum, ementito ipsius nomine non sarcitet, & recederet Sciaochino, furorem in Sanden acuerunt qui suffectus Ruggerio fuerat.

Præteruectos hunc scopulum Patres, mox alius terruit longè illo formidabilior Tutanus seu Prorex datus Prouinciæ, ille idem, qui ex Quansiana Metropoli: valdè inhumanè Ruggerium haud pridem ejecerat; sed assiduis eorum precibus annuit Dei benignitas vt mutato animo barbarus salutantes videret exciperétque perhumanè, Ruggerium in primis cui præcipuè timebatur; Lincitani quoque ad maiora promoti, nostríque præ omnibus, & contra omnes, in regno patroni, successorem, nouum Lincitanum etiam solito experti sunt affabiliorem; consuerat enim quoties Sciaochino ex aliis Prouinciis transiret, officiosè illos inuisere: qua benignitate vtriusque vius opportunissime Riccius ad augendum nostrorum numerum, Sandem obtinuit Macao reuocari, addíque illi Ruggerium comitem, censuit tamen qui Macai præerat, solus absque socio iret Sandes. Vix applicuerat, Sciaochinum cum duo quos diximus mali Chymici, peiores Christiani, cum interpretibus aliquot, & familiaribus Ruggerij coniurant ad exterminandum Sandem, vt recuperarent Ruggerium, amicum, beneuolum, suis obstrictum obsequiis, parcè sibi ab eo cum adesset ob inopiam persolutis. Die inter se dicto centum locis libellos proponunt, quibus noui Patris externi aduentum vulgabant, factum id aduersus rescriptum defuncti officio Lincitani; nisi vrbem quamprimum purgaret, Siuzaiorum Collegio ratum esse (qui postremi sunt inter Literatos) queri apud Proregem, quibus etsi confictis fraudulentorum minis, existimauit Sandes tutiùs cedere, paulóque post Macaum reuertit, neque propterea Macao renauigauit Ruggerius, sed in alia omnia tractúsque Sinis planè oppositos profectionem instituit. Inspector Prouinciæ Indicæ Valignanus, inde appulerat Macaum Iulio exeunte anno 1588. Legatos quatuor Iaponum à summo Pontifice reduces, patriæ redditurus. Illic à Ruggerio edoctus posse faciliùs quam ferret opinio laxari Euangelio in Sinas aditus, pandíque latos ad Sementem campos, vt erat capacis animi, & cœptorum tenax ingentium quæ ad Præpositum Generalem ante decennium scripserat, vrgere nunc acrius instituit. Monuerat autem Sinensi expeditione nullam fore toto oriente lucris animarum quæstuosiorem; paratiorè nullam excipiendis Euangelij satibus; nullam cuius gratia minus esset mittendis operatiis parcendum; sed nec vllam ingressu difficiliorem, ob innatum genti odium peregrinitatis; alia omninò tentandum via, quàm quæ missionibus aliis ex voto processerat, & hanc ipse viam quam exposuerat, & præterquam omnia cassis conatibus motum iri censebat, eandem repetiit, certúsque longa experientia nullo personæ Sinensis indumento dissimulari posse Europæos, è con-

10. De Legatis in Sinas à Pontifice mittendis.

trario

trario suspectos fieri proditionis alicuius, studiosa illa cultus transformatione meditatæ; ex Mandarinis, animo, Magistratúque mobilibus, mobilia in ruinam omnia incertáque pendere, annorum labores complurium momento secum in præceps tractura; nimirum esse à suspicionibus, calumniis, & delationibus securum, restare vnum idque solum denique statuit vt ipsomet ab Rege, Sinarum Monarcha, solemni diplomate exoraretur facultas Christi præconibus liberæ inter Sinas commorationis: sed ob incessam tanti Principis maiestatem, non posse id aliter obtineri, nisi legatione aliqua illustri, & splendida, cuiusmodi foret ab summo Pontifice quem non dedeceret res tanti ad Dei gloriam incomparabilem nominis, & momenti. Suspectos enim à vicinis Principibus legatos fore, ditionum præsertim confinio auctis, gentem ingenio præstantem; insitarum virtutum, & moralium studio cultam, religioni veræ subiici facilem; numero, Europæ vix imparem, à sempiterno exitio seruare, dignum esse opus Christi Vicario, Christianorum Patre. Quem porrò mitteret circumspicienti, ad hæc insinuanda idoneum, nullus aptior occurrit Michaële Ruggerio experientissimo rerum, & regionum Sinensium, nullus quo minùs ægrè Sinensis missio careret; cum deuectam ætatem, & labantem retro memoriam, illa iam fugeret caracterum symbolicorum infinitas, & varietas sonorum quibus Sinici sermonis elegantia continetur. Monito igitur de profectione adornanda, paranit ipsemet quæ ad felicem illius exitum conducere visa sunt, atque ante omnia literas quas posset ad Regem Sinarum, Legatis suis tradere Pontifex, quarum inter apices duos tantæ dignitatis cum esset ratio castigatissimi decori admodum lubrica, in iis componendis Riccij, Mandarinorum opera Riccius vsus est, idémque illas Italicè reddidit ea fide vt ne vis quidem vnius literæ interiret vel obscurior lateret, quanquam nulla satis par lingua sit quæ Mandarinorum dictatis respondeat. Exinc summo Pontifici, & Regi Catholico dona, ob longinquitatem in Europa nouam gratius ventura, Mandarinorum supremorum duplicem suo cum ornatu & insignibus cultum. Vestem qua solent Sinarum Reges; & coronam figuræ admodum insolentis. Descriptionem Sinensis imperij Gueipinio opere, hoc est ex commissis ad latera tabellis minoribus, maiorem tabulam, iisque cum lubet in cubum cogendis, singulari artificio flexilem. Profectionis huius expectationes quò demum euaserint tribus possum lineis edere, nam in nihilum reciderunt, Macai Nouembris vicesimo anni 1588. Sinense nauigium conscendit Ruggerius carioſum & quassum; Malacæ Deo prouidente nauim offendit sublatis iam anchoris ventos in Europam poscentem, sed ita confertam vectorum, & mercium onere, vt supra rudentes conuolutos sub dio, imbre & frigore, locum sibi ægrè inueniret, ex quo illum nauta paulo humanior, post mensem, sub tecto locauit. Proximanti ad cornu bonæ spei sex naues occurrunt fœderatæ, millione aureo singulæ diuites, quem ex negotio Lusitani

21. Ad hoc in Europ. nauigat Ruggerius.

Lusitani Cocino Vlyssiponem referebant; eas tam fera corripuit tempestas, vt earum vnam cum sexcentis vectoribus hauserit; alias diu multúmque vexatas in S. Elenæ tandem dimiserit. Ea est tenuis in vasto circumquáque Oceano insula, milliarium vix trium ambitu, sed nautis cariſſima, reficiendis nauigantibus, & aquationibus opportuniſſima, cœlo peramœno, verè perpetuo, ferarum & fructuum locuples, denique leuandis vectorum ærumnis peculiari Dei beneficio parata, cui & hanc reponunt hospitij gratiam, vt nouæ arboris alius surculum; plantæ alius granum in ea depangat; noua quidam relinquant animalia, quæ illic omnia læto prouentu soboleſcunt. Eam incolebat spontaneus extra mundum exul eremita, qui tamen Dragum piratam Anglum minimè vitauit; narrabátque Ruggerio abductum sibi ab eo fidelem socium; de se idem futurum fuisse, niſi subterraneo cauo latuisset; diſiectam crucem marmoream, cum sacra ædicula, & glorioſi nimirum facinoris monumentum, inscripta corticibus arborum, prædonum illius nomina. Hinc autem reuicta de Drago fama mendax quæ illum tota India cantabat per luſtratas Sinarum plagas Septentrionem versus, nouum iter circum Tartariam nauibus pandere, perque recens apertam Zemblam, & glacialem Oceanum suæ se Angliæ reddere. Post dierum viginti stationem, & celebratam diuino epulo à vectoribus omnibus Pentecoſtem, ex S. Helenæ ad Corui insulas feliciter nauigant. Sed illic à nauibus Anglorum, acerrima tridui impugnatione fatigantur vt in altum propulſi inuoluerentur media ipsorum acie quæ illic prædæ inhiabat, institere nihilominus tuto itineri aduersus crebros tormentorum iactus quoad portum Terzera in insula subirent, vbi grauiſſimè pereclitati sunt, vento immani iactarum anchorarum rumpente cannaba. Sed nauis tandem exitio qua Ruggerius vehebatur, reliquarum periculum deſiit; fractis hæc anchorariis quinque funibus, & relictis in fundo quibus firmabatur anchoris, in saxum impacta diſſiliit; emersis nautis, & paucis mercibus; eorum pars quæ tradiderat Ruggerio Valignanus ad littus enatauit: inde superſtitum nauium vna Ruggerius Vlyssiponem denique tenuit ad decimum tertium Septembris anno 1589. Illic eum Albertus Austriacus Cardinalis, humaniſſimè habuit, Madriti verò Theotonius Archiepiscopus Eborensis; Bragantiæ Dux; Demum ipſe Philippus duarum horarum spatio de Sinis audiuit enarrantem, & Valignani consilium de legatione maximè probauit, ad quam suis in vrbe Oratoribus mandauit suam Ruggerio operam commodarent. Romæ dies egerat quindecim, cum Sixtus V. è viuis abit; paucis inde diebus Vrbanus VII. post etiam Gregorius XIV. & Innocentius huius nominis nonus, nec erant hæc funerum impediti ſſima, & breuiſſima interualla rebus agendis propitia, sed neque ad clauum Eccleſiæ sedentem post Innocentium, Clementem octauum interpellari hac legatione tunc satis probabat Aquauiua Societatis Generalis, qui dum aliud affulgeret, seceſſum Ruggerio suasit Neapolim ex qua natus erat. Illinc

non

21. S. Helenæ insula.

23. Legationis negotium euaneſcit.

non multo post à summo Pontifice, à quo non pridem Cardinali auditus fuerat, Romam accersitur: sed quibus de legatione mandata fuerat deliberatio tam multa visa sunt obstare, ipséque Pontifex tot ex disidio Principum distinebatur curis, vt de Sinis & legatione agi desitum sit; Salernum Ruggerius sese receperit vbi anno 1607. Maij vndecimo diem clausit extremum, senectute haudquaquam ingloria, cum etsi aditus Euangelij Ministris non patefecerit in Sinas, calles tamen recluserit aliquos, nec vlterius aliud ex eo Deus poposcerit.

24. Conatus ad extur è Sinis Ricciũ fortunati.

Riccio interim Sciaochini strenuam operam locanti, cum Almeida Socius Macao adueniisset, grauissima omnium tempestas à Seniorum Collegio statim incubuit: Est hic ordo Senum qui annos à puero virtute ardua, & perpetua æquarunt, cunctisque notissima; qui nec ipsi vnquam in ius vocati sunt, nec cuiusquam nomen vnquam detulerunt: qui raro denique vitæ innocentis, & constanti exemplo in id Collegium adsciti, etiam à Magistratibus obseruantur; gaudent cerimoniis, habitu, notáque dignitatis, Patres Patriæ habentur, eiúsque incolumitati, ea integritate inuigilant, vt tribunalia etiam suprema, contra sensum ipsorum vix vnquam pronuntient. Hi ergo nouum ex aula Pechinensi, Inspectorem Prouinciæ, Mandarinum prolixo libello Quancei conueniunt, quo Patrum exilium tam confidenter flagitabant, vt decretorio Rescripto statim crederent exportandos, quòd integritatis fama sibi multum placeret Inspector, & tenacitate iuris inexorabili; nullum autem ius esset sanctius immunitate regni ab omni Extrariorum contagio. Tradidit Riccius libelli totius apographum, quo religione officij præmissa qua obligari se aiebant, communibus periculis cauere, aduersum externos pro seueritate legum, & maiorum vehementissimè declamabant, & exaggerabant legationem illam nuperam Loyolæ fictam, & quotidianos vrbis Macai progressus, paulatímque succrescens ab Externis, totius imperij discrimen; Macaum vlcus esse in membrorum extremis; Sciaochinum abscessum in pectore, posse illius remedium differri; huius in cor ipsum grassantis, non posse. Expulsionem Patrum, toti Prouinciæ, non fore minus vita ipsa caram. Huic prope lethali exitio, à tantæ auctoritatis hominibus intento, nullum præsentius Valignano succurrit auxilium præter assiduas apud Deum preces, spontaneas pœnas, & sacrificia quæ nostris Macai indicta, Deus pro sua benignitate rata fecit. Inspector Prouinciæ Mandarinus iudicem in hac causa dixit, Prouinciæ eiusdem Aitaum, classi maritimæ, & Externis Præfectum; cognitionem causæ Aitaus Gubernatori Metropolis Quanceensis commisit; hic Gubernatori Sciaochinensi; qui tunc absens suo mandauit Vicario litem instrueret, singulisque obiectis suam curaret certam, veri, aut falsi lucem. Dies Riccio dicitur, & satisfecit quidem tunc verbis ad omnia; post verò defensione scripta & valida; cuius æquitatem iam per se tam claram habebat Vicarius, vt Senes Quanceenses acerbè incusaret, credulitatis ni-

S

miæ, & præfidentiæ qua se vltro in res Sciaochinenſium intruſiſſent; digeſta ſolennibus formulis omni lite, quæ præter noſtrorum commendationem, & innocentiam nihil potuerat probare, pronuntiatur in eorum laudem, explodunturque calumniæ aduerſariorum; Lincitanus ipſe Vicario iudex ſuperior, ſubſcribere ſententiæ voluit, adiuncta etiam noſtrorum laude, quos tantùm aberat vt pelli regno decerneret, vt etiam Patri Almeidæ, ſedem in eo ſtabilem confirmaret, vetaretque acta cauſæ huius illi Aitao vel Gubernatori exhiberi, quibus prætermiſſis, vt eſſet ægriùs aduerſariis noſtrorum, iuſſit recta ipſum ad Prouinciæ inſpectorem perferri qui ſuo illa Chirographo muniuit: quo euentu tàm ſuprà ſpem fauſto rependit Deus Riccio Quanceenſium odia, benefico affectu Mandarinorum Sciaochinenſium, & quotquot illac mutatis Prouinciis tranſibant; hinc eo tunc nihil minus aduertente conciliatus noſtris in alias Prouincias aditus, in quibus Pinpitaſos, Scilanos, Lincitanos, Proreges, aliósque ſupremæ notæ Magiſtratus experiebantur beneuolos & patronos, quod eſſent pridem Sciaochini Riccio addicti, eiúſque morum ſanctitatem, & eruditionem plurimùm adamaſſent, nec facilè apparet cum eum Schiaochini aduerſum perditos improborum conatus retinuerit tamdiù, niſi vt per eum præſidia fidei Chriſtianæ variis in Prouinciis ſtrueret, quibus bono demum numero paratis, laxauit rabidis inimicorum contentionibus habenas vt Sciaochino illum eiicerent.

25. Riccij virtus, comitas, Doctrina tranſeuntes illi conciliauit multorũ Prou. Mandarinos.

Riccij ædes amnis præterfluens inſternebatur continuo nauium vltro citroque commeatu, quibus Mandarini ad officia & negotia publica, vel capeſſendos, Magiſtratus vehebantur, horum nemo Riccium præteribat, prius etiam illum adibant nonnulli quam ipſum Proregem, cúmque illos vetaret dignitas priuatorum quemquam officij gratia viſere, niſi Magiſtratu alicubi functum, eiúſque inſignia retinentem, inſpiciendi templi cauſam (quod nulla vetabat ratio) conueniendo Riccio præterexebant, vbi opportunè ſub primos affatus, breuiter de Deo aliquid inferebat, ex quo illis ſemper magna de fide ac lege Chriſtiana ingenerabatur opinio, maximè cum illam noſtrorum moribus expreſſam cernerent; nec deerant qui ſoli ad eum poſtea redirent, vt de diuinis amplius cum eo agerent. His verò ſermonibus, anſam dabant quæſita de Phyſicis, Ethicis, & Mathematicis, in quibus audito Riccio optaſſent illi eſſe diſcipuli, cum ſibi antea de Magiſterio illarum plurimùm placerent: ex quo prudens hæc erat eorum coniectura, fortioribus quoque legem Chriſtianam argumentis fundari quam Sinarum ſectas; cum præ illorum ſcientiis, noſtræ adeò eminerent. Ac ne iſtas putarent dotes eſſe Riccij priuatas, ſed noſtri orbis ſapientibus communes, complura iis inde exhibebat, ſolerter laborata, & ingenioſius inuenta; tabulas doctæ manus, machinamenta horaria rotis intenta mobilibus, & eiuſmodi alia quæ liberalis amicorum, & pia caritas ad eum miſerat, vſus illic maiores vulgaribus habitura; ex

quibus

turriculæ horologium cum imposuisset, ære procul sonoro, horas populo indicans, eius tanquam miraculi prouincias vltimas impleuit fama; præter hæc ne sibi pergerent de principatu elegantiæ blandiri, omnémque barbariem in Occidentales reiicere, grandia coram pandebat volumina ex topographicis compacta tabulis, omníque genere nostratis architectonices cuius membratim partes in ædificiis Europæorum monstrabat attonitis, suáque iam licet auro illusa spernentibus velut puerilia & cassa maiestatis. Cessa igitur, nec solum ex nouis sed veris hausta de Deo, de religione, de rebus Europæorum opinione vaporati, cordatissimi homines cum Gubernationis suæ Prouincias attigissent, tam multa de iis tanta authoritate referebant, nemo vt esset quin vnum aliquem de nostris cuperet: eadem quoque occasio Christianitati in Regnú Cocinsinæ initiú dedit, quòd eius Legatos professionem clientelæ solenni munere instauraturos apud Regem Sinarum, excepisset de more Riccius, inuisentes, iisque Sinensis Catechismi de quo nuper est actum, exemplaria plurima donasset, quibus suus constitit deinceps fructus. Sciaochini verò Christiana res magnis accessionibus augebatur, baptismi solennibus publicis, & collatis de cœlo supra vim naturæ beneficiis; quodque omnem vicit expectationem matronæ illustres, seueriſſima custodia mortalium oculis subductæ profitebantur Christum, maritorum enim & filiorum ministerio eruditæ; vna supererat, & superabatur denique difficultas capitis detegendi quantum opus erat vt vitali aqua tingerentur. His & similibus reficiebatur Riccij labor assiduus, furente licet in eius exilium Quanceo Metropoli, quæ tandem aliquando ministrum nacta, votis nefariis obsequentem Sciaochino illum, quod tamdiù contenderat; expulit, sed feliciori exilio quàm desiderari ab eo potuisset, in regni videlicet mediterranea, & interiorem eiusdem Prouinciæ partem, quæ vberiori prouentu coleretur & fundendi se latiùs faciliores vias nostris aperiret Christíque nomen, vt postmodum factum est in vtramque Pechinensem, & Nanchinensem regiam portandi. Nouo itaque Proregi Cantonensis Prouinciæ breui viuis exempto subrogatus est Scezaius nomine, qui præfuerat Quansiensi, homo ambitiosus & auarus, inanitate honoris, & pecunia, omnia metiri solitus; quod prima Quanceum suo damno sensit ingrata ciuitas, quæ dum sibi læta de electo Riccio adplaudit, huius hirudinis inexpleta fame emuncta & exhausta, suas de Riccio inplacabiles querelas in Proregem sed frustra conuertit. Hic Prouinciam subiturus, Vcei in eius confinio constitit, quoad ipsi de fisco regio ædificatum esset palatium, quòd vetus aliúd decessoris morte sibi crederet ominosum: ad ornatum enim & supellectilem quod spectabat, noua semper ex eodem fisco nouis Gubernatoribus instruuntur. Vcei dum feruent salutatorum officia; Tansiaus ille Sciaochinensis de quo nuper, homo ad omnia venalis, incendit illum cupiditate templi in vrbe Sciaochino, immortalitati suæ consecrandi. Locum à Pa-

26. Protex nouus Riccium expellit vt domum eius possideat.

tribus incoli peramœnum, & turris publicæ vicinia celebrem; ædes eorum profanam, & sacram ex Europeæ architectonices canone constructas, quibusuis Sinensibus spectabiliores; posse de cœtero cum ædibus campum, magna vrbis approbatione iis eripi, quæ tàm pridem illorum exilium, tàm ardenter vrgebat, vt si hanc eorum liberaret odiosissimo pondere, vna & templi promeriturus honorem esset, & templum illic habiturus. Hæc scelestum Proregem, suo iam subactum genio, facilè sibi abstulerunt. Mandat Sciaochinensi Lincitano, multis sibi testibus compertum, religiosos exteros ad nouam turrim habitare complures, viros ingenio sagaces; miris quibusdam spectandis incantatum vulgus sibi obstringere; ædes ad flumen, & nauigiola possidere, quibus Macaum perferrent quicquid in regno moueretur. Sæpius in die ad confertas domi conciones verba facere, sustulisse in turrim cimbalum, pulsu horas spontaneo, tangente vt ferunt nemine stupenti populo nuncians, librorum expansa copia, & scientiarum omnium ostentatione, cerebro vertere adeuntes: nouis denique doctrinis, & regno ignotis religionibus imbuere homines, & initiare. Deiis ipse iure cognosceret, ac si ex veris relata comperisset, indiceret exilium Patribus Macaum, vel si mallent ad templum Nanhoa. Probè gnarus Proregis Lincitanus, illico intellexit demandari sibi examen causæ illius arbitrio contra ius damnatæ, proin cognitione omni abstinuit, quod certò videret in eorum absolutionem desituram quos volebat Prorex, sontes, insontes condemnari. Gubernatori, & Riccio significauit clarè de discessu. Dolere se grauiter, quod nec æquitati, nec suæ in Riccium beneuolentiæ re vlla obsequi valeret, vim se pati inuitum, quòd summo imperio non ratione ageretur; Nanhoam fidenter secederet; curæ sibi futurum (quod sanctè spondebat) vt Prorege, Magistratu defuncto reuocaretur Sciaochinum. His sibi amici fidelis visus officium explesse inflecti non potuit quantumuis rogante Riccio vt causam integrè ad finem perduceret; sed nec Mandarinis tametsi valdè volentibus, quicquam succurrebat quo solarentur acerbum casum, præter sterilem miserationem, cum execratione violenti, & iniusti Proregis, qui iam semityrannus in vrbe audiebat. Quare huius præcepto, licet iterato, negabant se vnquam subscripturos, ne communione apertæ iniuriæ manus polluerent, hoc illorum renisu, & necessitate potentis Piratæ à Prouincia auertendi, festinatio Proregis inhibita, tantum dedit Riccio temporis, quanto egebat vt excurreret Macaum, & consulto Valignano redux, octodecim Ethnicos tingeret sacro fonte, quæ fuit vltima nostro in templo baptismi celebritas.

Reuersus in vrbem à Piratis Prorex, instare illico Mandarinis, vt Patrum causam absoluerent; obstare illi, sed frustra; multis iam testibus & iudiciis de Patrum innocentia, & laude, constitisse, & pronuntiatum esse iuridicè; post omnia verò, denique addere, laturos perinquè etiam Sinenses, viros bonos, culpæ omnis expertes, & qui-

bus

bus nihil vnquam potuerit obiici, perinde vt reos damnati mulcta graui, domum iis, & templum auferri sexcentis (summa illic ingenti) ædificata nummis, ex legitima præcedentium Proregum facultate; iamque sexennio habitata; & causam pœnæ huius proterri nullam, præter cupiditatem domus illorum vsurpandæ. His & similibus querelis si ab Inspectore Prouinciæ in aulam deferrentur, obuiam ire se credidit scelestus, conficta specie æquitatis: templum aiens stipe collata constructum fuisse, nihil Patribus eripi, quod iure possent suum asserere; vtcumque res esset, ex iis emi velle; ducatos quinque supra quadraginta emptioni se pretium dicere, vtque illud sibi titulo aliquo vindicaret; iis se quindecim de suo ducatos addere. Posse Patres aureis sexaginta commodè in patriam redire, hoc est per biennium integrum, & interiectas tempestatum moras vastum Oceanum remetiri. Has ergo sibi pecunias Proregis nomine ferenti Riccius, ne faxit Deus, inquit, hoc crimen suscipiam, & templum eius vendam, aut meo assensu profanis vsibus addicatur; quod si posset mihi ratione aliqua licere satin' iusta hæc foret pretij ratio, quæ sextam pretij portionem vix æquat? nam de stipe quod fertur, tollant sanè Sinenses, sibique habeant si vel laterem vnum in id contulerint. Macaensium meorum liberalitas hæc fuit: Etsi autem Prorex repulsam hanc ægrè tulerit, putauit nihilominus, naufragorum more, hoc pecuniolæ potiùs, quàm nihil è sua eiectione collecturum, neque propterea, eius expellendi proposito abstitit; omitto tricas, dolos, & iniurias forenses reliquas, quorum partem idcircò libuit in Residentiæ huius ortu, & progressu repræsentare semel distinctiùs, ne cum fastidio lectoris cogerer sæpiùs in causis similibus deinceps ea' repetere. Augusti principio anno 1589. duo primaria eius Prouinciæ capita Inspector & Prorex, magna pompa, officij gratia Riccium cum adissent, en tibi præter, & Riccij, & Mandarinorum expectationem, exilij pœna in Patres exeritur, eam vrbis Præfecti Vicarius quòd distulisset aliquamdiù sic obiurgatus est à barbaro Prorege vt ad eum sibi demulcendum causam nostram fecerit peiorem, quam frustra iuuare tentauerat. Sententiam iniqui Exilij grandi conscriptam charactere per lictores duos misit ad Riccium, per quos illi triduum præfixit, ad purgandam vrbem, & discessum vellet nollet citiùs maturandum. Concepta his verbis sententia, Sinensi lingua legebatur, [Etsi P. Matthæus Riccius bona mente in Sinas venerit, & inculpatè in regno egerit vt constat ex tabulis de vita illius iuridice confectis, non debet tamen suam tantoperè negligere, patriam cum vita vbique religiosè duci possit, nec moris est exteros, vbi residet Prorex diù retineri. Ergo in patriam remittatur, nec pugnat cum humanitate, aut iure hoc rescriptum: esto enim ædium fabricam, sumptu ingenti absolueris, sed ex stipe, non ex se suffectum quem suum proinde dicere non potest. Quæsitæ tamen ad hunc reponendum à Mandarinis summæ, addantur de meis ducati quindecim, sintque nu-

mero sexaginta, quibus patriæ suæ, quo illum remittimus se reddat] oblatam Riccius post hoc rescriptum pecuniam, ne dignatus quidem aspectu est. Expectabat in ripa nauigium quo erat Quanceum deferendus; & quod erat in hoc discessu acerbissimum, circumsistebant illum Christiani tot lachrimis, gemitu, quodque ipsemet scripsit emulatibus, vt si Patrem quisque prosequeretur ad tumulum; at is quanquam & ipse afflictissimus, consolari omnes vt poterat, monere, hortari vt Dominicis & festis ad sacram tabulam conuenirent quam iis relinquebat in aula aliqua exponendam. Ipsis quin etiam Ethnicis, maximè Literatis amabilitas, Riccij electionem hanc fecerat inuisam, & probro sibi ducebant, eiusmodi hominem tam manifesta iniuria violari; imò stultè omninò rei Sinensis apprimè conscium, tantíque apud Sinas, & suos nominis, & auctoritatis offensum expelli, posséque ab illo effici, vt Sinæ verè dolerent aliqnando quod se metuere fingebant. Sed cum Almeida Riccius prudenter piéque condixerat, ne quid sibi elabi sinerent, quod minus deceret Euangelij Ministros, & quas docuerant virtutes reipsa præstarent: in iis itaque, nec diuersus color, nec vultus tristior, nec indignantis, aut turbati animi vllus index; ne querela quidem frigida & simplex, aut vlla Proregis vel Tansiai illius perfidi mentio qui telam hanc omnem texuerat: quæ virtus constantis animi firma & solida, Philosophis illis virtutum æstimatoribus, magnæ fuit admirationi. Sciaochinum ingressus Riccius, vt claues ædis sacræ Præfecti Vicario traderet, egit amicitiæ gratias, interpellatúsque ab illo denuo de admittenda pecunia, in proposito reiiciendæ firmus stetit, ac repulsæ huius roganti Vicario testem dedit, cartam sua conscriptam manu, recepítque ab eo vicissim, perhonorificum, & graue, innocentiæ suæ testimonium, & vitæ omni laudum genere cumulatæ; tandem impetrata ex eo fide, non commissurum (quoad in se foret) vt profanaretur templum communi vsu, beneuolè admodum est dimissus, literis munitus quibus maris Præfecto mandabatur de nauigio, illi & præsidio militum, vsque Macaum commodando. Quanceum prono fluuio venerat, & maris Præfectum absentem operiebatur, cum ecce tibi cimba postridie à Prorege, Sciaochinum regredi iubente, imperati causam cum nullam ederet, multas animo versabat Riccius, nec diuinabat veram; nempe ad hoc illum iubebat retrahi vt compelleretur ducatos, emptæ domus pretium capere, quos præter opinionem semper repulerat, ex quo Prorex minimè ambigebat delationibus in aula se dilacerandum tanquam raptorem alieni; suadebátque Vicarius Riccio, ne quid consuleretur in eum grauius, illos admitteret; sistit se tamen Proregi Riccius iusti tenax, suique contemptor, cui miris excepto delinitóque blanditiis eandem Prorex sua manu pecuniam obtulit. Vice versa Riccius pari modestia & constantia recusauit: obiicienti apud Sinas inurbanum haberi, munús recusare, offerente præsertim Prorege; qui verò infert repentè Riccius,

inter

inter se ista conueniunt, pellere Regno me tanquam sceleratum; simulque me donis afficere? cuius sensum responsi callidus barbarus nimis percipiens, lictoremiratus, & catenas poscit, huic flagitioso: designabátque oculis, adstantem interpretem, qui hæc extraneis consilia suggerit: tremens ille haudquaquam mi Domine non meo consilio hæc eduntur, sed acerbo dolore deserendi regni, atque idem pro illo excusans Riccius confirmauit, orauítque supplex si verè sibi, non specie tenus, sed ex animo benè vellet, ne se coniiceret in mare procellosissimum, milliaribus duodeuiginti millibus iterandum per suprema quot horis pericula. Terræ palmum sibi vbiuis indulgeret in quo quod vitæ supererat daretur tranquillè absoluere; si minus hac eius in Cantonien-si Prouincia; in Quansienſi saltem, seu Chiansenſi, aut quauis alia. His ille seu rationibus, seu miseratione supplicis mollitus, aut credibiliùs Deo interiùs mouente; negat benignè, suæ mentis fuisse, vt exterminaret illum regno; videret sanè, ac sibi legeret quem mallet in ea Prouincia locum, Sciaochino & Quanceo demptis; hac quia primaria ciuitas, illa quia Proregis sedes. Sciaoceum vrbem inspiceret, forsitan illi placituram: actis reuerenter gratiis Riccius, stipe aut dono admisit denique ducatos sexaginta, quos tanti fuit sæpius antea respuisse; adiecit Prorex argumentum beneuolentiæ, librorum fascem quibus sua aduersum Piratas expeditio cantabatur. Fuit porrò Dei beneficium singulare vt coram ibidem adstaret Lius, assessorum tertius quem Samsum nominant, in procinctu ad iter, Sciaoceum versus, & partes Præfecti vicarias ea in vrbe gesturus. Huic Patres sedulo commendauit Prorex; idémque præstitit Sciaochinensis Vicarius, qui catenas poscentem audiens Proregem, graue aliquid Riccio extimuerat, nunc eius pacatas gaudens molestias, diploma illi solenne perscripsit, nauímque attribuit ad iter, quod erat futurum dierum duodecim. Sic Almeida socio Riccius magno fidei sacræ compendio, iacturam passi Sciaochinensis stationis; proficiscuntur Sciaoceum, die scandentis in cœlum Deiparæ festo; ædis sacræ, ac domus raptam prædam glorioſus Prorex, immortalitati suæ in templum destinat, ac ne sibi latronis potius perpetuaret infamiam quàm Semidei decus, muro inseri saxum iussit cubitalibus literis ista incisum epigraphe *Deus Sceziius, Cantonienſis Prouincia Tutanus hanc fabricam ſuo ære numerata pecunia ab Externis emit.* Sed nulla est lapidi data fides; visus sibi prosperè à Deo eiusque famulis sua latrocinia inchoasse, ita deinceps Prouinciam miseram exhausit, vt templum sibi alterum poneret, emptóque potentium fauore in aulam acciretur, eò attollendus vnde grauius rueret. Vidit Sciaocei Riccium obiter, verbisque præter morem blandis æquasse se cum illo credidit accepti datique rationes. Sed enim restabant aliæ, quas nouus inierat Prouinciæ inspector, qui missa ad eum damnationis sententia, properantis ad nouos honores intercepit iter, eúmque lite contestata, multorum reum latrociniorum, Mandarini honore, notisque spoliauit; collato

17. Sciaoceum Riccio comed. ad habit.

collato recens, necdum inito deiecit gradu; nummorum millibus quadraginta damnauit; & thesaurum quem secum portabat, fisci regij exactoribus permisit: qua rei, & famæ iactura, seni auaro & ambitioso nihil potuit venire acerbius. Accessit tamen quod filios quinque paterna illustres pinguésque fortuna quos secum ducebat, vidit prope omnibus nudatos, ex quo illi primum vitalia, tum carnes absceſſu putruere; inde mors breui subsecuta, quanquam incertum morbus an rabies, præripuerit palmam occisi nefarij hominis; aiunt enim illum à seruis, & filiis dum toti sunt in subducendis sibi, addicti vasarij infaustis reliquiis, siti rabida pressum aquam petiisse, neque impetrasse, & hinc iterata desperabundi hominis quadam voce, animam eiecisse.

Sciaoceum Patres in conspectu habebant, breuique diario per aduersum amnem eò erant venturi, cum occurrit iis familiaris à Vicario præmissus qui Nanhoam illos deduceret; vix est toto imperio tanti nominis locus, & peregrinantium vndique concursu tàm frequens, ad Luzi sepulchrum, & iubilea quæ larga referunt à Luzi cultoribus: spectauit Riccius locum, cœnobium, & templum; sepulchrum item & Luzi cadauer integrum, scripsitque de illis quæ perperam attributa sunt eius interpreti, absque vlla auctoris mentione. Vallis est inter duos montes peramœna Limpidis aquis irrigua & ferax: montes vtrimque ad omnem voluptatem, & vbertatem cultissimi; ex iis præcipuè visendus, fontem dorso è medio eructat qui multos diuisus in ramos, subiecta fœcundat omnia, situmque ad montis radices oppidum. Hic mons sacer vocatur. Eminet eius è vertice cum templo cœnobium, seu magis cœnobia duodecies mille Monachis habitata. Cœnobiarcham singula suum habent; sed præest omnibus auctoritatis in omnes summæ communis Præfectus, quem suorum & loci reuerentia efficit venerandum; præter dominium totius circum regionis, donationibus antiquis in alimenta eorum attributum: sunt ij, sceleratissima, & fœdissima capita. Virginitatem profitentur, dæmone quolibet ab omni sensu longiorem; & habent Lupanaria feminarum, & sublatos ex iis liberorum greges, quos idoli sumptibus ipsi alunt, nisi quod industriæ fructum iis hunc addunt vt bona Præfecti cum venia, viatores, & peregrinos è sancto ipsorum loco redeuntes, deprædentur. Eratque id tam publicè notum, vt edicente Vicario Sciaocensi adfuturum illic postridie insignem Externum, pararent illum excipere, daréntque illi quam legeret ad habitandum sedem; arbitrati sint pro certo, illum à Prorege aut Prouinciæ inspectore mitti cum imperio Mandarini, ad corrigenda scelera, quorum sibi erant nimiùm conscij, & reformandam ipsorum regulam. Statuunt igitur communi consilio splendidè illi procedere obuiam, gestire illius aduentu, circumducere illum per omnia, iis exceptis quorum illi commoditas posset nimis placere, & persuadere figendam illic sedem: cætera, vt res irent, deliberaturos: vt consultum, sic factum. Aduentanti Riccio adest Mysteriarcha maior, sequebantur minores duodecim; longo

28. Monachorũ idololatr. sedes & Luzi cadauer.

longo ordine deinceps alij, ex primariis illis & grauissimis sycophantis; festa omnes in veste, & suorum sacrorum emblematis salutationis fabulam verbis & ritibus peragunt, qualem solebant viris eximiis, suámque reddit viciſſim Riccius, Sinensi stylo, & vrbanitate absolutam, dissimulata interim hominum flagitiosorum notitia. Deducitur ab iis in aulas, Mandarinis supremis destinatas, & magnifico prandio lautè recreatur. Monstratur illi cœnobium & templum, opulentia vtrumque famæ non dispari. Censuitque vna in templi ædicula pulchrè inauratas Deorum statuas quingentas. Vidit & turres suis instructas campanis æreis, vna potissimum qua vastiorem in Europa nullam spectauerat. Surgebat medio è templo machina quæ scalis fabre laboratis adscensum præbebat ad Luzi cadauer in fastigio collocatum. Fato functum aiebant quinquagesimo ab hinc anno supra octingentesimum; de crudeli eius in corpus suum sæuitia narrabant mira, & forsitan vera: suos enim habet cacodæmon vt in Iaponia, & Indis, ita in Sinis sui carnifices martyres, quos stultæ apud posteros gloriæ desiderio amenti ad discruciandum diris modis corpus suum inflammat; huic certè dicuntur inter alia multa imputruisse carnes sub ferrea catena quam à lateribus nunquam relaxabat, & fœdis vermibus scaturisse, horum si quis excideret, colligi ab eo solitum, & increpitari, malè feriate! non habes apud me ac de me quod rodas? extra me forte minimè reperturus; hac & simili sacrilegus histrio sanctimoniæ specie personatus, honores emit, quibus illic diuinis impiè colitur; vidit eum contemptim cum Almeida Riccius integrum, sed quadam gummitione incrustatum; nec apud Monachos offensionem contempti Luzi excusauit ignoratio Sinensium rituum quibus perpolitum notarant Riccium; Sinis enim solemnè id erat, vt quanquam simulachra, & Luzum nihili facerent, iis tamen honorem adhiberent, vt gratificarentur eorum cultoribus. Lustratis omnibus Almeida, nauim repetens Sciaoceum contendit; Riccius die insequenti Præfecto cœnobij comite illum eques præuertit, salutatúmque mox Lium Gubernatoris Vicarium emixè rogauit, ne se illa eremo Nanhoæ concluderet; aliam esse Luzi sequacibus, aliam sibi vitæ legem; adorari ab iis idola; præter dominum cœli nullum à se agnosci aut coli Deum; idola omnia contemni; denique homini Literato, & Mandarinorum honestari assueto consuetudine, vrbem melius concedi, quam solitariam illam sepulturam, admiranti Lio, vixque persuaso, ab religione idolorum diuersam aliquam toto orbe extare; protulit Riccius Diurnum sacrum, & hæc est, inquit, Doctrina quam sequimur, docet hic de vero Deo Liber, quid nos oporteat sentire, quibus illum honoribus prosequi. Libri formam, & Typos, & elegantiam suspiciens Lius longè Sinensibus excellentiorem, facile credidit, nihil eo nisi verum & præstans contineri; æquum respondit ab Riccio peti; non posse Dei legisque diuersæ Professores cum Oscianis vna esse; confirmauit libenter Præfectus cœ-

nobij responsum, vt cuius non minus quàm Riccij intererat ne simul degerent, addidit Riccium non diuersam modo profiteri legem, sed planè contrariam, nam neque idolis Nanhoæ, neque Luzo exhibuisse vmbram venerationis, quo cum parcus Deorum cultor insimulari tacitè videretur; suscepit eius defensionem Lius, & sunt, inquit, idolorum Dij in Sinis aduenæ, ab æuo prorsus, nec de nomine noti, nunc sparsi vbique velut alter è metallo & saxo populus. Dicenti annuit antistes, sed volens Theologum agere, neganque honorem idolis deberi, causam boni publici excepit; huic à maioribus sapienter cautum; præuidisse illam Regni plagam australem, extrariorum incursionibus esse obnoxiam; ingenia hominum refractaria & fera, posse hinc toti imperio grande aliquid mali, processu temporis conciri; frænandos putasse religionis metu, sed crassæ illorum intelligentiæ congruo; concretos illis ex materia Deos colendos finxisse, ita sacrilegium immane pius Præses temporariis regni compendiis excusauit. Post quæ decretum vt Sciaocei daretur Patribus certa sedes. Iacet hæc ciuitas sub arcto paulo plus gradibus quatuor & viginti; ædium claudit non nisi ad quinque millia; duobus enim arctatur fluuiis, & in confluenti eorum sita est, iisque pro fossa vtrimque munitur, & stringitur, sed in alas duas subvrbanas longè se porrigit, quarum occidentalem cum vrbe nectit barcarum pons onerariarum fortibus inter se consertarum catenis. Regio circum mirè ferax; cœlum insalubre & noxium, ad Decembrem, fermè pars quarta ciuium ab Octobri ægrotat; qui valent vultu sunt squallido, & cadaueroso; extranei maximè, qui vitæ vt plurimum finem illic citiùs faciunt, quam negotiorum pro quibus venerant.

29. Sciaocei sedem ponit Riccius dierum 12. itin. intra Sinas

Datus est Patribus in suburbano occiduo locus haud procul à templo Quanhiai attributáque illis pars amplissimæ areæ templo contiguæ, frustra obtinentibus Bonziis, quorum iuris hæc erant, & rescriptum Proregis ad hoc supplicibus literis Vicarius petiit. Interea Riccium Sciaocenses Mandarini statis salutationibus perfungentem, & sermone, omníque alio ciuilitatis more propemodum Sinensem, mirari, adamare, diù noctúque frequentare, quæ assiduitas adeundi, atque audiendi, tam operosam illi imposuit necessitatem iis satisfaciendi, vt succubuerit oneri; ac Almeidæ quidem prius ægrotantis cum valetudinem curasset solus incredibili labore, cœpit ipse post diem septimum quem credebat socio læthalem ægrotare, delatúsque est ab eodem in conclaue Bonzij cuiusdam, vbi omnibus defecto commodis, venit opportuna gratissimáque medicina; diploma Proregis quo designabatur Patribus in suburbano occiduo ad construendas ædes, & templum area Hanc occasionem, Vicarij beneficentia impetratam ne mora corrumperet, triduo post febris accessum vltimum, sat egit vt diploma effectum daretur. Hæc dum Sciaocei geruntur vrebat Macaenses tristis pro Riccio & acerbus dolor, primùm exule, spebúsque tot annos sudatis per summam iniuriam deiecto;

deiecto; mari, deindè vt verosimilius apparebat hausto, vel à Piratis capto; cum certò resciscent Quanceum fuisse deportatum, inde quid eo factum esset, ne missi quidem illuc nuntij, referre quicquam potuissent. Erat tunc Macai P. Ferdinandus Martinez pietatis fama venerandus, qui precum suarum, & asperitatum subsidio missioni Sinensi prodesse plurimum credebatur. Negabat is quicquam Riccio, aut Almeidæ infaustum contigisse, negabat & Macaum venturos, sed habitaturos inter Sinas; quæ tametsi vir prudens, & verborum parcus videretur non humanitus affirmare, ne id quidem obstitit quo minus alij nuntij nitterentur, qui Sciaoceo Macaum Riccij literas cum tulissent nostros in festas lætitias, gratiarum actiones, sacrificia, spontaneas sui afflictationes pro beneficij magnitudine effuderunt. Dedit vicissim Sciaoceum Valignanus gratulatoriam ad Patres epistolam qua illos magnoperè hortabatur, vt per quicquid agendum & ferendum foret, cœptis insisterent, quoad illa in Dei gloriam fine optato coronassent; misit & pecunias ad victum, & ædium templique fabricam; acciuit quoque ab India Macaum recentes ex Europa duos, vt cum iis qui iam erant ad manum, Sinensi linguæ, morique assuescerent, ac præsto essent in occasiones supplendi operarios, & augendi: consilio ad hæc in posterum prouido, duos ad Riccium Sinenses misit ex eius fingendos disciplina, iuuenes egregiis dotibus, nostris in scholis Macai educatos, & Societatis ardentissimos candidatos: sumptis de Lusitano nominibus, Sebastiano Fernandez vni, Francisco Martinez alteri nomen erat, exercendi dabantur à Riccio, vt si post annum expectationi respondissent, admitterentur ab eo ad ponendum in Societate tirocinium inciperéntque Sinæ de suis habere, religiosos simul, & operarios agri eorum infelicis. Probante igitur Aquauiua Societati Præpositio Ianuariis Calendis probationem iniere anno 1591. His domi exceptis Riccius, suos statim dimisit interpretes, quòd satis iam ipse commodè lingua Sinensi vteretur, & interesset plurimum iis carere, nam Patrum odio, vtpote externorum, & lucri fame, clandestino cum aduersariis nostris commercio, proditiones suas iis vendebant, nostris operam mendacem, & perfidiosam, nihilque contra nos mouebatur, cui non tacitam manum admouerent. Sub hæc ædificauit ædem sacram eámque, spe frequentis concursus, amplissimam; post etiam domum, sed ex modo, & regula Sinarum, in plano extentam, ne si ex Canone Europæo, aliquem demùm cupido inuaderet, eius sibi violenter vsurpandæ; aut sua illic Maiores Mandarini, vt olim Sciaochini, vellent prandia celebrare ad fruendam aperti, longique prospectus voluptatem. Quanquam illo ipso in quod diuerterat tugurio vili, adibatur magna Literatorum frequentia, sed multo maiori, postquam viri cuiusdam familiaritas fecit eius famam omnibus clariorem, qui licet alia, planéque contraria spectaret, Dei tamen instinctu, grandi multorum bono in eius intimam amicitiam se dedit. Chiutaisus huic nomen fuit, cognomen Chiusian-

30. Primi ex Sinis in Soc. excepti.

31. Celeberr. Literatus fit Riccij discipulus.

con. Sucei natus, sublimitate ingenij toto imperio celeber; Patrem habuerat inter illos trecentos præcipuum, qui Pechini in aula ex quinque millibus selecti, inaugurantur Doctorum notis, & honore. Cuius excelsitatem gloriæ hic fratres inter proximè sequebatur, erátque iam omnibus præstantia indolis admirationi; cum patre demortuo, ætate & opibus abreptus, tamdiù vitam egit solutam & improbam, quoad in chemicam denique insaniam deuolutus, suas omnes in fumum difflauit diuitias; egens deinceps & per vrbes vagus, paternis amicitiis, quotidiani victus subsidia quæritabat, versabatúrque potissimum in causis litigantium ad varia tribunalia iuuandis, hoc est Mandarinorum gratiam qua ob ingenium excellens pollebat maxima, nundinabatur in sua commoda. Contigit autem vt Sciaochinum sub discessum Riccij appulsus eum inuiseret, audirétque de illo tàm magnifica, vt eum postea Sciaoceum sequeretur, & Magistrum sibi solenni ritu, donisque adsciisceret; quibus respuendis nolens videri agrestis, & rusticus, nec venalis doctrinæ Magister admittendis; dono pretij maioris pannos illi sericos rependit; iure sibi plurimum gratulans quod tam prodigiosi ingenij (quæ summa est gloria inter Literatos) nactus esset discipulum. Sed eum quod sequitur, longè affecit iucundiùs: vidit hominem statim, tam altè in nostras penetrare se doctrinas, mathematicas præsertim, & speculatrices; mechanicas item cudendis ex ære & argento, delineandísque planisphæriis & similibus, tam accuratè scientérque tractare, vt eam ad rerum nouitatem, eiúsque solertiam Literatissimi quique stuperent attoniti; maximè verò cum diceret, legenti auctores scientiarum Sinensium Principes, videri sibi speciem hominis, vocémque præferre, rationibus carere; plusque auctoris Europæi vel vni paginæ, inesse doctrinæ ac solidi quam centum codicibus scriptorum Sinensium. Deprædicabat autem magnificè Riccium, sibique magnoperè de suo plaudebat errore quàm riduculo tam beato, putasse nimirum Riccio promptum esse, Mercurium figere, & in optimum argentum durare, quòd Philosophis Europæis familiaris esse ars illa iactaretur; ridebátque se ipse, mirificè gestiens thesauris se locupletatum absque vlla comparatione maioribus, quos nunquam esset suspicatus extra fines Sinarum reperiri; & significabat diuinorum scientiam quæ posset sola homines beare; huius sigillatim exceptos articulos, secum ipse apud se attentè, & acriter disputabat, referebátque ad Riccium quos offenderat in iis nodos, planè illos eosdem quos nectunt in scholis nostri Theologi, quibus tamen, quod magis mirere, solutiones excogitabat ita idoneas & acutas, vt duorum vnus personas egregiè ageret, insignis discipuli, & præstantis Magistri. Suo igitur qua subtili & acri iudicio; qua Riccij eruditione, de Christiana veritate perspicuè certus, Baptismi moras impatientissimè ferebat; verum interea, quascumque in vrbes intulisset pedem, Riccij nomen in suprema ponebat æstimatione, fiebátque vt multi summis fungentes

honoribus

honoribus eius amicitiam prensarent, magno tunc variisque deinceps occasionibus religionis bono quibus in præsens missis; liceat mihi Patri Almeidæ olim Ruggerij, nunc Riccij socio parentare. Ortus est Transcoso P. Antonius Almeida, Visei in Lusitania oppido; Societatem impetrauit initio anni 1576. nono post etiam Indias, vbi ministerio animarum strenuè insistens, ardebat nihilominus desiderio Sinarum, inter quos magnoperè confidebat pronum sibi fore, agere fortia & pati. Sed hanc ignis diuini flammam premebat tacitus, & vni Deo integrè committebat, huic solum intentus precando assiduè, corpúsque cruciando, vt corroboraret animum, seque diuinis dignum muneribus præstaret; Deo ita fuisse affixum narrant etiam iuuenem, maximè in augustissimo Euchatistiæ Sacramento, vt nisi violenter ab eo abstrahi non posset, vltro verò ad illum, quasi spontè naturæ rediret. Hinc sermo illi, nisi de Deo ac diuinis nullus, sed prudens, & multum amabilis, cuiusmodi esse oportebat ad pelliciendas voluntates, à Deo nobisque alienas; hæc illi virtus interior, & affabilitas, cum facili ad peregrinas linguas ingenio conciliauit missionem in Sinas apud Valignanum. Ergo ex India Macaum appulsus, moras non ferens dilati sibi ad eos transitus, licere per Præsides petiit, Sinensi se cuipiam in mancipium tradere, postquam verò Ruggerio comes, bimestri itinere, regni mediterranea peruasisset, vix inde potuit retrahi, deliberata illic in omnem egestatem, & quoduis periculum animi firmitate, nisi qui præerant eius ardori obstitissent. Tandem Riccio socius iuncta ærumnosis laboribus infesti cœli grauitate in morbum incidit, missúsque Macaum ad curationem, reportandus fuit paulo post Sciaoceum; cum eius reditus iniecta mentione visus esset reuiuiscere, & absentiam Sinarum morbo ægrius perferre: quo facto Deus mortem ipsi lenire voluit, venturam alioqui extra Sinas acerbam. Paucis enim à regressu diebus, tam repentè ac validè morbus incruduit, vt septiduo illum extinxerit. Cuius septidui seriem memoratu dignam suis ad Odoardum Sandem Præpositum Macai literis descripsit Martinez, alter nouitiorum Sinensium, [qui magno in primis beneficio sibi ducit, quod viro tàm sancto ægrotanti, postremam operam dedisset; subdit autem tametsi exemplo feruidæ sanctæque virtutis semper claruisset, supremis his vitæ diebus, cœli donis cumulatiùs à Deo auctum. Morbum statim sensisse ab initio lethalem, quanquam ipsi nihil maioris in eo periculi notarent, quàm quibus sæpiùs laborarat. Excruciatum dirè acerbissimis doloribus, velut reuellerentur maxillis dentes, perpetuam ferè septem dierum insomniam crebra cum Deo, cum Matre Virgine, cum Sanctis collocutione occupasse, amando, admissa deflendo, inuocando, cruciatuum mensuram Dei nutibus permittendo, dumtaxat rogasse ne corpus eo vsque torquerent, vt distraherent à Deo mentem; quam in rem egisse vt cubiculi circum parietes, Christi, & Virginis imaginibus ornarentur, missum ab illo se in templum ad supplicandum Deipa-

32. P. Almeidæ virtutes & mors.

ræ, vt sibi à filio mortem exoraret in actu amoris peccata dolentis vehementissimo. Confessionem ad hæc frequentissimè iterasse, consolantíque Riccio quod in Societate Iesu, & conuertendorum Ethnicorum duris molestiis obiret; respondisse, id quidem magnæ sibi esse consolationi; sed quæ non tolleret dolorem, quo propter offensum aliquando Deum acerbissimo figebatur; sibi præterea ægrè admodum esse, quod solum inter medios infideles eum relinqueret. Pridie quàm obiret Sebastianum Mendez, qui & ipse iacebat ægrotus voluisse accitum complecti, eique & socio tironibus Sinis, tenacitatem sancti Propositi intimè commendasse. Post sumpta in manus Christi pendentis effigie audisse Riccium, Psalmum quinquagesimum recitantem, aptasséque sibi singulos Psalmi versus cum magna copia lacrimarum. Ex quo (pergit Martinez in sua epistola) patet quantas radices in eo egisset pietas, quam ne vltimæ quidem arctabant angustiæ, cum ea diceret quibus nemo sanus & valens meliora, expressiúsve dixisset: qua nocte efflauit animam, suggerebam illi subinde aliqua, sed audiebam multo libentiùs, cum secum ipse loqueretur solus, eáque proferret, ex quibus facilè videor libellum confecturus, qui meditandi argumenta in omnem vitam mihi suppediter. Quæsiuit ex me suis illis cruciatibus tàm sæuis, ecquid remedij haberem? Christi patientis memoriam, respondi; & votorum illorum quibus tamdiù tàm pridem arserat, tolerandi pro Christo atrocia, videri nunc votorum compoti gaudendum. Sub quæ ille Deo immensas gratias agere, rogare doloris incrementa, & ex M. Auila iterare, plus doloris, plus simul & amoris. Hic ego veritus ne contentione animi acceleraret mortem, suggessi nec sacrum Viaticum quod efflagitabat sumpturum: sed nec fore ad ortum diei superstitem, nisi paulum interquieisceret. Erumpebat tamen identidem vel inuitus in affectus voceíque diuini amoris, & morti iam proximus, deponi se humi postulauit (illic aiebat dulcius moriturus) lustralem deinde cereum, dúmque mox Deo Riccius commendat morientem, etiam crucifixum admoueri sibi ad osculum petiit, & Iesu ac Mariæ suauissima implorans nomina placidè viuendi finem fecit. Libellos eius septem in capsula inuenit Riccius in quibus pios quotidie sensus notauerat; horum duos legentem mei me valdè puduit, cum viderem quanta mente destinaret, desideraret, & ageret; quam multis & variis auxiliis, & inuentis ad perfectam virtutem diù noctúque anhelaret. Ex his R. Vestra coniiciet cætera, quæ longiùs fuerit referre. Luximus illius à nobis discessum quamuis sancti; ego potissimum cui adhuc tironi, cohortationum, collationum, & omnium loco erat, vt nullis essem præterea virtutum exemplis incitandus. Conuenere ad funus amici hoc est vt R. V. nouit, omnes ferè vrbis Primarij, pulati, tàm alto comploratu ac si quisque patrem elaturus veniisset, præ cæteris autem, decrepitus licet optimus senex Leulautius, Mandarinorum vestitus funebribus, dici non potest quantum doluerit; adfuere quoque suo cum Mandarino Primores Bonziorum;

ziorum ; opúſque fuit Prudentia non vulgari ad prohibendos ab eo funere Sinarum ritus , excuſauit enim modeſtè Riccius , non eſſe in vſu apud Europæos. Corpus domi ſeruamus quoad illi humando emamus ſepulchretum , quod erecta cruce conſecremus , id ille multum cupiuerat, vt figendæ inter Sinas crucis ipſemet cauſa eſſet : in templo noſtro ſi foret conditus, certum erat exinde neminem , intro pedem fuiſſe miſſurum. Hæc de fuſiori tironis Sinenſis epiſtola] Defuncto Almeidæ ſucceſſit P. Franciſcus de Petris Italus ſub anni finem 1592. hunc ab Europa excolendis Iaponibus donatum , & cum eorum ad Pontif. Legatis peruectum ad Indos , miſſioni Sinenſi Valignanus dedit , quòd prærogatiua ingenij , ætatis , & virtutum , non diſſimilis eſſet Almeidæ : ſed in hoc etiam nimium ſimilis , quod etſi robuſtior breui tamen Sciaocei obiit. Ibidem Riccius fundatæ Chriſtianitatis , ſub hæc Deo fructus primitiuos obtulit , quanquam inde tranſlatos quò Chriſti fides coloniam miſerat , priuſquam Sciaocei populum faceret. Diſtat Nanhion Sciaoceo quatridui ſpatio ad Septentrionem ; Chianſenſis Prouinciæ frons , & porta decumana , proin cuſtoditè ſeruata , & mercatorum vndique affluxu opulentiſſima. Vrbem duo flumina coarctant , quæ duo vtrimque producta ſuburbia , ponte duplici cum vrbe committunt. Erat ea in vrbe ciuis ſexagenario grandior , integritate vitæ, diuitiis , modeſtia , & candore vniuerſis carus. Totus de cœtero in animi ſalute per quicquid ſumptuum , & aſperitatum eſſet inquirenda; quibus addebat duriſſimum à carne ouis , lacticiniis , & piſce , per omnem vitam ieiunium ſua ſibi vnius miſera pietate , non ſectæ ſuæ præceptis iniunctum , herbis ſolis , & oriza contentus , magno in Sene & diuite , abſtinentiæ documento. Suorum præterea Myſtarum , & Bonziorum arcanas doctrinas meditabatur ſolitarius perattentè , ſed incerto ſemper , & dubio ex iis animo , quem non ambigebat ſe habere, beatæ capacem immortalitatis , ſed non occurrebat exerranti quam iniret via ad felicitatem illam ſecurior. Degebat Nanhione tunc Chiutaiſus , inſignis ille Diſcipulus Riccij , ex quo tanta de Riccio eiuſque ſcientia , religione , & ſanctimonia didicit , vt Sciaoceum confeſtim adiolarit cum Chiutaiſi commendatitiis. Excepto comiter domi noſtræ, cum myſteria fidei articulatim Riccius explanaret , geſtire ſenex gaudio ſuo impar , fronte ſolum de genibus verrere , agere gratias , tàm nouorum & ſublimium dogmatum, quibus accuratiùs imbutus , ritè luſtratus eſt , & Ioſephi nomen è baptiſmo tulit. verum primis illis fidei rudimentis inflammatus ad introſpiciendam illam penitiùs , fingendámque ex illa vitam omnem ; contemplationes S. Ignatij primas à Riccio impetrauit , progeſſurus iiſdem in exercitiis , niſi negotiis grauibus coactus eſſet domum repetere , ſed ventitabat identidem Sciaoceum , vt de animo & æternis rebus , nominatímque de vita Chriſti Ieſu eruditetur à Riccio , qui perlibenter in nobili , fidelique diſcipulo , plurimorum formabat præceptorem , vt quem beneficij accepti

grata

33. Nanhion vrbs primæ illic conuersiones.

grata erga Deum conscientia perurgeret, ad quamplurimos in eiusdem boni Societatem pertrahendos; in hanc primum venere propinqui, & familiares numero quadraginta; deinde amici, à quibus & alij absterſa cæcitate, veram lucem edocti, frequentem Ioſepho conflabant Nanhione ſcholam. Quæ cauſa Riccio extitit, eò excurrendi, præter amiciſſimum ſibi Gubernatoris Vicarium, & vrbis Literatos à quibus tùm expetebatur, tùm intererat plurimum præſentem agnoſci, vt ex vrbis illius difficili tranſitu, viam ſibi maturè in regni intima expediret; accedente demum Chiutaiſi ſuaſu, menſe Martio itineri ſe dat anno 1592. proculque adhuc Nanhione, occurrentem ſibi aſpicit Ioſephum, ambientem tam caro hoſpite domi fuæ frui. Sequebatur Ioſephum honorarius multorum comitatus, ad ſuſcipiendum Chriſtum, generoſitate incredibili paratus, qua illos Ioſephus piè ſed falsò putarat imbuendos, poſſe videlicet Chriſtianum agere neminem, niſi, rebus omnibus valere iuſſis, Deo totum ſe daret: quæ inductio animi, de Riccij exemplo perperam concepta, plurimos auertit qui ægrè ſibi poterant imperare, vt omiſſa vxore, domo, & omnibus, vni Deo ſibique attenderent, Nempe bonus ſenex nondum didicerat religioſam vitam à Chriſtiana ſecernere. Ingreſſus vrbem Riccius obſtare non potuit quin ad Chiutaiſum diuerteret, inculcantem non fore ex Mandarinorum dignitate ſubire Mercatoris ædes ad eum ſalutandum, neque illas omnino ſuo aditu dignaturos, quod probè conſultum, patuit, cum vrbis Vicarius ſupremo tunc Magiſtratu fungens, excepta Riccij ſalutatione cum iis honoribus quibus nefas erat vti maioribus; die inſequenti ea pompa Riccium inuiſit qua ſolent maxima vrbium Præfecti, quos Regis etiam cognati non alloquuntur niſi de genibus. Hoc ſupremi honoris in Externum ſolenne officium, Mandarinos omnes ad eum traxit, quibusdum vices obſequij neceſſariò rependit, tàm conferto vici ad ſpectandum illum populo ſtipabantur, vt niſi geſtatorio concluſus progredi non valeret. His tandem ſalutationum, & reuerentiæ ſolutis nominibus, ab Chiutaiſo ad Ioſephum ſuum ſe retulit, vbi quamuis labor ex adeuntium numero, & inſtitutione duplo maior, verum ex eo iucundior, quòd totus ad Deum proximè attineret. Albente vix cœlo ſacris operatus, expectabatur in auditorio ex aliis maximè Prouinciis frequenti; agi enim ſe animi ſalute præferebant, quem certò crederent immortalem, quod in Cantonienſi Prouincia rati credunt: à prima diei ad occaſum ſolis, interdum & ad multam noctem erudiebantur à Riccio, audiebatúrque tàm cupidè vt cum ad nouam concionem, repetenda eſſent quæ primis iam explicuerat, multi loco hærerent, audita iterum excepturi; noctem illic nonnulli gaudente Ioſepho traducerent, ne manè proximo excluderentur multitudine concionis: at ille Sinenſis genij opprimè conſcius, baptiſmo illorum ſuperſedit, quoad eorum viuendi ratio proderet, quantis ſectæ Sinarum, & pictæ virtutes ab lege Chriſtiana eiuſque virtu te

virtute spatiis aberrarent : ad hæc necessaria cum essent verbi Dei, & Sacramentorum præsidia, quæ Sciaocei affixus, suppeditare illis non poterat, dilata complurium expectatione, paucos præ cæteris fide ac moribus cultiores sacro fonte lustrauit, in quibus Iosephi filium, singulari parentis voluptate. Post hæc suam Sciaocei repet.turus stationem, multorum relatu cognouit in regni Prouinciis interioribus, de Literatis Europæis in Sinas aduenis, & grandia magnifice iactari, eósque, ac legem quam docebant beatæ ducem immortalitatis, à supremis quoque Mandarinis enixè expeti, qui fructus erat consuetudinis assiduæ, atque in speciem otiosæ, qua Literatos deuinxerat Riccius, ostentatione primum curiosa scientiarum nostratium, diuinatum deinde, salutem & æternitatem spectantium.

Sciaocei deinceps Riccius crescenti paulatim concioni diuina prædicans, selectam collegit Christianitatem, sed pristinæ suæ cæcitati, & idolis adeo iratam, vt plena periculi odia in ea exerceret : nam & soli nonnunquam, & condictò plures, templa furtim ingressi, trunca capite, membrisque simulachra deturbare, comminuere, cremare; quæ deformari, & frangi non poterant, in terram defodere, atque ad eadem variis in templis iteranda parati & alacres gaudere, velut ea idolorum strage Deo feliciter litassent, futura omnino authoribus capitali & legi Christianæ, si Christianorum manibus patrata resciretur : quare vt hæc ad Riccium sunt delata, seueriſſimo interdicto ægrè quidem, sed tandem inhibuit. Hanc suorum idolorum iniuriam dæmon, in Patres vltus est, etsi longe diuerso quam machinatus fuerat euentu. Erat in eodem nobilcum suburbio, aleatorum contubernium, idémque in furta & latrocinia expeditum; hos rei suæ Bonzij, multique alij censuere opportunissimos vt Patres sua vicinia exturbarent; ad hoc per se vltro ardentes incitant, vt eorum ædes spoliarent, data fide nec opem clamantibus laturos, nec prospecturos de fenestris. Hac lege inter se coniurati, ex iis viginti qua Literati, qua Bonzij post traductam alea noctis partem, domum nostram inuadunt armati, & reuulsis vectibus intro se penetrant, quod tanta in turba, ita clam esse non potuit quin strepitu excitus ex familiaribus aliquis, ad fures inclamaret, Patres & Domestici prodirent cum facibus, rati, deprehensos extemplo in fugam se daturos; at enim ij quod furto non poterant, aggressi rapto asportare, aditum sibi securibus faciunt in conclauia intima, familiares plagis excipiunt; Franciscum de Petris in fronte securi vulnerant; Riccio manum tantum non amputant, qui vt opem rogaret, & vitam seruaret, in viam publicam fenestra se misit, ex qua fallente vestigium spatio, pede male luxato, semper deinceps laborauit. Magnis tamen illius tum vocibus frustra auxilium, nempe sceleris conscios poscentis, tum lapidum grandine quibus ex edito famulus strenuè rem gerebat, fuga se in cœnobium Quanhiaum ex quo exierant, omissa præda fures recipiunt. Delato ad capitalium Iudicem crimine cum indicia reo-

34. Sciaocei] nimius Christ. feruo.e.

35. Fures 20.do. mum inuadunt, & PP. vulnerant.

rum, pertinax contra nos odium, taceret; sagax iudicis assessor catè illa expiscatus est de facto viciniæ, quæ ad clamores vocantium, vt mos erat minimè accurrisset: ex ea nonnullos, inter quos, & Bonzij in quæstionem dat, qui tormentis subacti totam latrocinij seriem eiúsque conscios & authores manifestant; hinc magna suburbij ex dedecorata fama turbatio, quod suburbium latronum vulgo iam audiebat; maior agnatorum, quos ignominia & mulcta tangebat propius. Adsunt, & infimis precibus veniam à Patribus rogant, quam vsque adeò liberalem ab iis vltro acceperunt, vt magno prudentum iudicum stupore Patres etiam vulnerati pro reis supplicarent, nec reorum affines sistere se tribunalibus audebant nisi secum haberent Riccium, vt qui causam ipsorum, patrono quolibet fortius peroraret. Imo ratò insignis patientiæ documento, vulnere vt erat deformatus Sciaoc hinum contendit, quo illic absentem ex supremis causæ Iudicibus vnum anteuerteret placare, quod iter diebus constitit sedecim, haud alio quidem operæ pretio, quam magnæ virtutis exemplo, & merito; suorúmque illic in Christo filiorum voluptate fructúque singulari. Redux enim causam reorum comperit à decem tribunalibus damnatam morte quosdam; triremibus alios; pecunia Bonzios multari: at ingratissima, & perfidiosissima capita, suburbanorum primarij quinquaginta in fanum conueniunt, sacrificio dæmoni se obstringunt, nihil omissuros, vt regno Patres expellerent; accusationis capita in exilium conscribunt, decantata illa de odio in Sinas, de commercio cum externis in regni pernitiem, de viris quadraginta, quos domum Macao euocassent & similibus, quæ singulorum firmata chirographis per omnes Mandarinos, & Magistratus circumferunt, abiguntúrque ab omnibus tanquam scelerati, & apertæ fictores calumniæ; vnus solum ex iis assessorum alter nobis perinfensus, quod collegam haberet inimicissimum, sed nobis peramicum, calumnias auidè bibebat. Verum Riccius per certos homines quæri ex accusatoribus mandauit, hanccine redderent beneficij gratiam? Igitur quando vim sibi facerent vt ex defensore aduersarius fieret, aduersarium experturos, quibus exterriti, denuo ipsi cum metu & lacrimis procedunt, illámque sibi condonari suam perfidiam flagitant: restabat videlicet quo Riccij opera egerent apud Inspectorem, cuius erat dictas sententias, supremo iudicio vel corrigere vel firmare, quanquam idem cum esset omnium consensus, non sinebat mos aliud expectari præter earum confirmationem. Dixit tamen Riccius publicè pro reis, tot rationibus vt miratus Inspector causam illi adiudicauerit, & reorum quidem existimationi hoc dederit, vt aleatores, non tamen fures scriberentur; crimen verò confessis, mors, & triremes in pœnam mutarentur plagarum viginti: quibus contra spem certo exitio redempti, rectà è Prætorio domum ad Riccium veniunt, immensis, & demississimis gratiis illius beneficium prædicant, spondéntque se die postero, omnes templum nostrum adituros, ad Saluatoris effigiem adorandam.

Post

Post hæc tamen quis credat, vel possit animo fingere, quàm diris in Externos Sinensis populus, & ingratis odiis rumperetur? Ducenti condicunt de instauranda quam diximus accusatione, idque ad supremum Inspectoris tribunal à quo prouocatio non esset: tempus sceleri legunt discessum inspectoris, tunc se dato libello, conclamaturos omnes & magnis vocibus, imploraturos eius æquitatem; motum iri videlicet populi saltem miseratione; cognitione iuris quam tempus negabat prætermissa, ex qua nihil potuissent sperare, pronuntiaturum statim aduersus Patres exilium, ne cum mala tanti populi gratia abiret. Absente igitur amico nobis consiliario, sed duce altero ex Assessoribus, clamores tollunt, audiri postulant, & habere se magna in bonum commune, Inspector quanto illa fœx stultè, tanto is prudenter, magna, inquit illa in bonum commune, non fuere in hunc profectionis meæ articulum differenda; nec illos pluribus dignatus suam frustra coquentes rabiem reliquit: qui casus Patres coram Deo, de auertendo tunc malo satagentes mirè confirmauit, fecitque peculiaris eius fiduciæ securos: at hoc luculentiùs paulo post, cum Pechinum in aulam elapso triennio de more iturus Gubernator, vrbem Assessori regendam credidit, furioso illi Christianorum, & Patrum hosti, à quo nihil poterat præter calamitates vltimas expectari. Verum is biduo quàm possessionem iniret Magistratus, repentina morte, prostratus est, & regendi vices collegæ reliquit, ardentissimo illi Patrum defensori, Guansufvo nomine. Porro Sinarum sapientes nihil ita rapuit vt illā Patrum constantia, qua manifesta, & sæua professos odia, tùm priorem illum assessorem, tùm Ciues suburbanos ingenti numero, prosecuti sunt semper omni officij, & obsequij genere, nec vlla vnquam inditia offensi, aut contractioris animi præbuere. Riccium quin imo de nocturni illius latrocinij auctoribus cum interrogaret iuridicè Gubernator, versarétque in omnem partem ad inuestigandum aliquid ex quo reorum inditium fieret; responsione vel reis commoda, vel minimè noxia, sagacitatem viri sapientis semper declinauit: quamobrem is denique generatim ex eo quærit num quos sibi haberent inimicos? cui Riccius omnino neminem, sed omnes tum vrbis, tum suburbij Ciues nobis esse amicos, & officiosos, quod sic ingenuè, atque ex animo visus est affirmare, vt ei subridens Gubernator, palam ergo est ait nescire vos quam capitales vobiscum inimicitias Bonzij vicini vestri gerant (Quanhiaensis nempe cœnobij) quot dolos; & machinas in vestram perniciem intendant, quoad ab se vos procul amouerint, fœx nimirum est, & sentina capitum flagitiosorum, nihili facienda. Sic ille; at Patres grandi suo damno experti nimis norant, quicquid in se malorum conciretur in eo cœnobio construi, verum instinctu illius excellentissimæ sed Sinis ignotæ caritatis, illatas iniurias omni officio & humanitate reponebant, quos multi dum cernerent redimendis à morte & pœna triremium hostibus fatigari, ad alia omnia illam refe-

rebant infensæ sibimet beneficentiæ sollicitudinem, adeo iis nouam. Suspiciebant tamen illam Mandarini & conceptos de Patrum virtute, & lege Christiana sensus heroos & sublimes prosequebantur inter se miris encomiis, præsertim Gubernator, fateri solitus, pridem sibi compertum, Christianorum fas esse nemini odisse odientes; bene autem illis facere ac velle, religione præceptum Christiana, id verò penitus ignorasse, addenique præclarum de caritate Riccij iusiurandum, iurabat ab eo tanta pro reis hostibus efficacitate peroratum, vt si foret ab iis illa defensio emenda, nullo satis argento emi posset; defensioni quoque verborum additas amicorum apud se aduocationes, & patrocinia, quibus tamen ipse pro causæ æquitate implacabilis obstitisset, deprecantique Riccio satisfeciisset hac admonitione, pulchrè tuas religiosi Europæi partes functus es hactenus, sine meas quoque non insciè Sinensis Iudicis partes agam. Certè Riccius non vnis literis gratias Deo agit ob impressam Sinarum animis Christianæ legis pretiosam æstimationem ex eius quam tenebat, & profitebatur excellentia caritatis; cúmque omnium vbique in ore versarentur Sacerdotes, ex magno vt vocant Occidente in Sinas aduenæ, prædicabatur hoc item in Prouinciis maximè dissitis inter eorum laudes quod latronibus viginti, plagis quas ab iis acceperant adhuc hiantibus, remissionem pœnarum exorassent, non minus anxiè per amicos & tribunalia, operosèque procuratam, quam si de vita germanorum fratrum quæstio verteretur. Atque hinc etiam contigit, vt Guanciunminus, Hainanæ Insulæ Mandarinus Sciaoceo transiens Riccium nosse voluerit, cuius esset latè illustris existimatio, sed audita ex Gubernatore latronum causa eiúsque exitu, Riccium hominem virtutis heroicæ dignúmque honore singulari reipsa censuit, proin licet Nanchinum Præses Rituum mitteretur, & prohiberetur dignitate officij quenquam inuisere; Riccium tamen bis adiit: multas cum eo noctis horas egit; promisit in aulam cum primum venisset, acciturum se illuc ad emendandos Sinensium Calendarios abacos, in quo velut ad scopulum, eorum Mathematici hærebant. Et verò promissis non stetit modò fideliter, sed quod erat momenti grauioris, hinc etiam factum vt ad Insulam Hainan Euangelio excolendam nostri operarij mitterentur, de quo suus erit scribendi locus. Nondum ij motus posuerant, quibus vsque ad annum proximè sequentem exagitatus est Riccius, cum illi durior vt doloris, & patientiæ, ita meriti seges exoritur P. Francisci de Petris obitus magno suo, ac diuturno labore ad illam Sinarum impeditissimam, & summè arduam missionem formati: nunc enim tertio sudandum sibi cernebat biennio, ad succidaneum quempiam doctrinis, Sinensibus, ritibus, & characteribus instruendum, cum duos docendo Almeidæ, totidem Francisco à Petris annos insumpsisset. Hunc cœli vitio contracta febris vehementissima, paucis diebus ad extrema redegit, & Nouembris quinto, anno 1593. è medio sustulit; quod in sequentem quartum,

36. Caritas erga inimicos benefica, Sinis admirationi.

37. Mors & virtutes P. Fr. de Petris.

quartum, & nonagesimum, contra Riccij literas quidam dum differunt, multis quæ postea gesta sunt difficultatibus inuoluerunt. Erat P. Franciscus de Petris ex Monte S Mariæ oriundus, Farfaensis Abbatiæ pago milliaribus Roma quinque & viginti, dabat Philosophiæ operam in Collegio Rom. cum Societatis desiderio cœpit vehementius accendi; atque interea dum ad finem curriculi differtur, sui arbiter inuenis, religiosi tironis vitam sponte præuertere. Suas studio literarum; pietati suas, maximè erga Deiparam sibi descripserat tenebátque horas; quàm porro carus Deiparæ iam tum esset, latuit vsque ad obitum; quod Sanctis fermè solenne est, singularia Dei dona silentio humili sepelire assuetis: diebus quàm vita excederet perpaucis, cum altero colloquens ex Sinensibus Sociis de beneficio Religiosi instituti, hortatúsque illum ad durandum constanter in eius proposito, sub diuinæ Matris secura fiducia & tutela; narrauit [se olim annorum septemdecim de vitæ delectu ambiguum: cogitasse quæ foret Deo gratissima; sensisse verò se ad Societatem vehementer impelli; librandis nihilominus in vtrumque huius consilij rationibus hærentem, fuisse voce hac disserta & clara animatum *Societatem fili mei securus ingredere, in eáque constanter perseuera.* Inopino perculsum monito, illúc oculos vertisse, vnde vox mitti videbatur; nihil autem vidisse præter pridem affixam parieti Virginis tabulam] quæ quidem ab eo de se dicta, confirmat ingressus in Societatem ipso exceptæ in cœlum Deiparæ festo, anni 1583. cum annum ageret ætatis vicesimum, & Philosophiam cum laude ingenij optimi propugnasset. Quantos verò progressus edidisset in magnarum virtutum exquisito paratu intelligi potuit, cum tiro etiam tum destinatus est Iaponiæ à Præposito Aquauiua, quæ Prouincia nisi emeritis diúque perspectis haudquaquam credebatur; in hanc Iulio mense, anno 8. profectus est. Queritur Riccius, humilitate illius nimia effectum ne quid eorum foras erumperet quibus illum interiùs supra modum communem, ornari à Deo sentiebat, duo ponit velut in specimen; alterum quod mortem sanus, bellè ac robustè valens, certò sibi prædixit imminere; emptum enim domestico vsui solitæ carnis nescio quid, cum forte obiter vidisset; abruptè, planéque extra rem; Prius, inquit, viuere desinam, quam absumptæ fuerint hæ carnes; quod ioco habitum, & adhuc valenti cum carnes defecissent iocosè obiectum, nihilo seciùs affirmauit, & quærite, ait, (locúmque nominabat) illic supersit etiam iisdem de carnibus, & certè supererat, quod non prius vsu consumptum est, quàm is febri maligna interiret. Alterum quod morbo correptus, cum lectulo residens, vitam omnem confessione sacra apud Riccium expiasset, humi desiliens, & iniectis in collum brachiis, Pax, inquit, tibi, Pater mi, & suauissime sodalis! ego enim discedo: quibus dolore fletúque obrutus Riccius, diù nihil reponere valuit; post verò spes illi faciens peruincendi morbi, ex ætatis, & indolis vigore, & necessaria illi missioni Deo cariissimæ illius opera; Nequaquam, inquit, nam cer-

tò moriar, & consolatur me, quod non sim tamdiù, futurus vobis molestiæ quam optimus Pater Almeida] cuius eatenus cadauer domi seruabatur, quòd biennio integro nullus ei humando, nisi parum decens reperiretur locus. Vix morte illius Macaum perlata, en adest barca illinc à Valignano missa, ad vtrumque cadauer Macaum in nostrorum sepulchra transferendum, mortem eius dolenter prosequitur Riccius suis ad Aquauiuam, mœstissimis literis, præsentibus scilicet, & magnis ad Dei gloriam, missionis illius occasionibus valdè importunam, quibus linguæ, librorum Sinensium, literarum, morúmque peritia maximo erat vsui futurus. Cœterum corpus vtriusque pompa quam posset maximè splendida Riccius consulto censuit in scapham efferendum, tùm ne in functorum honoribus superiores se Europæis arbitrarentur Sinæ; tùm de nostratibus veri Dei Ministris, & Sacerdotibus ne perinde sentirent, vt de Bonziis suis, & sacrificulis idolorum, quos vt viuentes sic mortuos pro carcinomatis execrantur, & abominantur. Dum ergo spectarunt Riccium duobus illis magnificentius parentare, quàm suis ipsorum parentibus Sinæ; missam à popularibus ipsorum scapham, dierum septemdecim nauigatione, ad recipienda eorum cadauera; nullum ad hæc conferre cognati amoris, aut sanguinis titulum, sed Sacerdotij dumtaxat, & Religionis, censuere omnino Europæ Sacerdotes, & Euangelij præcones, esse à Bonziis, quam longissimè diuersos, summóque in pretio haberi, quibus tanti honores haberentur, aitque Riccius, mussitantes audisse, futurum etiam vt transueherentur in magnum Occidentem, adeò nobis Sacerdotum Dei eiúsque Ministrorum cineres esse pretiosos, sed honorificè Macao excepti, solenni funere apud nos conditi sunt.

Francisci de Petris locum, & mensuram suppleuit Lazarus Cattaneus, Sciaoceum ex ora Piscaria, à Valignano missus, quem annos sex & quadraginta spectabimus regnum illud Apostolica opera excolentem: accepit illum Riccius mense Maio, æui anno quarto, & nonagesimo, non semirudem, & incultum, sed Sinensibus literis, & sermone pluspuam mediocriter expolitum. Huic visum non vltra differre quod cum Valignano pridem conuenerat, de cultu nostrorum & habitu quam maximo posset discrimine ab Oscianis, seu mystis idolorum & Bonziis secernendo. Nam cum essent vbique contemptui; & Oscianus, ac Bonzius idem foret vt facinorosus, & ex flagitiis omnibus & luto proletario concretus, necessarium prorsus erat, etiam à vulgo, nedum à Literatis intelligi nostros ab iis esse penitus alios. Quod enim aliqua nobis essent cum iis communia, iidem propemodum censebamur cum nusquam gentium Religiones alias esse putarent Sinæ præter geminas illis quas cernebant apud se idola colere. Tunc ergo si vnquam, præstandum aiebat iis vt videremur quam dissimillimi, cum nos longè in regni mediterranea proximè vocandos speraremus, sedésque illic perpetuas nacturos, quæ fructuosius sudoribus nostris respon-

38. Literatorum habitum assumunt Patres.

derent,

sponderent, quam Prouinciæ Cantonensis dura barbaries; sed in iis si conspiceremur, vestitu, oreque Bonziorum, hæsuram nobis illorum infamiam, & probrosi nominis fœditatem nullis rectè factis eluendam. Fuit hic idem Ludouici Secheiræ Iaponum Episcopi, & Valignani sensus; in quo nec Societatis Præpositus quicquam reprehendit, nec summus Pontifex, nisi quod serò id fieret quod factum pridem debuisset. Professi ergo se Literatos sacros, & legis diuinæ præcones & Magistros, Literatorum cultum induunt, & cum raso capite ac mento incederent Bonzij; barbam ipsi promittunt; promissos capillos subiecto reticulo ad summum verticis, in repandum tutulum colligant, Literatorum vestes varij generis, variisque ritibus solennes assumunt, ne Sinas à se velut à barbaris arcerent, si quid in iis officiosis ritibus peccassent, quibus Sinæ nihil habent religiosius; si quem forte delectet Riccium cernere eo schemate subornatum, sua ad Præpositum Aquauiuam epistola quadam se ipse depingens; Literatum, ait, indutus incedo; veste vtor coloris violacei pinguioris, amplissimis & laxissimis manicis, vestem & manicas ipsúmque ad renes demissum collare, prætexit fascia dilutioris ianthimi; Zona plana, ex parte vesti assuitur, eiusdem cum fascia tum materiæ tum coloris, nisi quod à nodo vtrimque ad pedes subtili elice variatur, è serico calcei, decorantur symbolicis fimbriis Literatorum gradui propriis, tegmen capitis à nostro in Europa colore distinguitur & proceritate, & habet aliquid à Præsulum mitris haud valdè absimile.] Addit Manuel Diaz senior qui posteriùs inter Sinas fuit, zonariam ad media crura sub veste pallulam; quadrangulum, nigro ex serico contextum pileum, Lusitanicis rotundis duplo altiorem. Mutationem hanc, & sibi & nostris gratulati sunt maximè, Sciaocenses Mandarini, quod exinde iam possent ab iis illa excipere, iisque reponere cerimoniarum obsequia quibus solent inuicem Literati; sed hinc nobis voluptas solidior quod nos ab hominum flagitiosorum probrosa colluuie clarè distingueret. Quam vestitus, & habitus formam à Riccio primum, & Cattaneo acceptam, nostris hodiéque vsus propriam fecit cum priuilegio, vt quamuis in Sinas recens aduenerint, eorum literis minimè exculti Literatorum tamen existimatione, & obseruantia gaudeant. Et Cattanei quidem inuentioni hoc debetur, verum haud paulo iustiùs Riccij merito, qui non ante Sinensem Literatum profiteri exteriùs voluit; quàm esset reipsa eiusmodi, & Mandarinorum doctissimo tentatus iudicio, Doctoratu dignus haberetur qui nisi pauciſſimis & Rege coram in aula defertur. Et verò illud de moribus cuius pridem meminimus Confusij tetrabilion, anno iam 1593. Latinè reddiderat & glossematis, elucidauerat demta solum aliqua libri quarti parte; sex verò Doctrinas quibus negabatur hominis vita sufficere, sed earum quisque optabat quam mallet profiteri, & in ea de se periculum fieri; habebat omnes animo comprehensas, recitabat ex iis prolixas

paginas,

paginas, & interrogatis subindè Mandarinis gradu suo donatis ecquam illarum profiteri legissent, ita ex singulis, & de singulis disserebat, vt peritior omnium vnus censeretur, quam quisque singularum; cúmque antehac Sinis nihil ad aures veniret acerbiùs, quàm nostrum hunc orbem Literatorum regnum esse, longéque alia esse illius ingenia, & sublimiores scientias; nunc subdit idemmet Riccius, illos sui pudebat, dum viderent Externum, non modo complecti libros omnes quos venerantur pro canone, verum & lucem iis afferre egregiam, & quod perperam interpretabantur, intelligenter explanare; hinc dici non potest quanta in Riccium eorum obsequia procul inuidia, & superbo fastu; quam se falsos viderent, dum esse in humanis præter Sinas nihil dignum aspectu cogitarant, mortales cœteros, cauerant tanquam hostes, aspernati fuerant veluti barbaros. Nec errem opinor si dicam Riccium in Cantonensis Prouinciæ solo ingrato & sterili retentum fuisse diuinitus, vt dum prodesse aliis non potest, elaboraret semetipsum, talémque fingeret, vt doctrinæ suæ concitata admiratione in Prouincia Chiansensi Doctorum hominum parente, vtramque deindè in Regiam Nanchinensem veterem, & Pechinensem vocaretur, aliisque in vrbibus Societati sedes, & Religioni veræ statueret.

39. Doctrinarũ Sinensium peritior Riccius, quam Sinæ.

Subiit itaque interiores regni Prouincias Riccius, & Nanciani sedem fixit anno 1595. ducebat illum Scilan supremo ex ordine Mandarinus Assessor consilij bellici apud Regem, Pechinum accitus ad parandam expeditionem auxiliariam Caraio Sinis vectigali, aduersus Taicosamam Iaponiæ Regem. Sperabat Mandarinus à Riccio de cuius sanctitate & scientia audierat restituendam filio sanam mentem à qua illum infausti pudor examinis & probrosa repulsa dimouerat; vix potuit agere cum iuuene Riccius, ob infelices eatus, quibus conflictatum est id iter quod suis ad Aquauiuam Præpositum, & eum qui nostris Macai præerat literis describit, illáque potissimum quæ sibi Nanchini accidere, & fundatam in vrbe Nanciano Societati domum. Profectus Sciaoceo Nanhionem Aprili exeunte, consolatus est illic veteres suos Christianos, nominatim Iosephum sanctum senem. Inde viam iniuit milliarium triginta, perpetuis vtrimque arboribus opacam, amœnam villis, hospitiis commodam, militaribus præsidiis aduersus grassatores tutam; illac enim Sinis Europa, India, Malaca, Iaponia, Molucum, suas merces transmittit; illac Sinæ Quancum suas, quibus Indiam, australes insulas, & Occidentem ditant. Hoc vltro citróque, diù noctúque commeatu tàm denso ftipatur via, vt conficiendis eius septem leucis P. Palmerius scribat se die integro equisse. Quod autem viæ caput transuerso monte Muilino occupatum, assensus præberet difficiles, ingentis animi Mandarinus per medium montem viuo in saxo iter aperuit trium milliarium spatio, qua sua in publicum munificentia, templum promeritus est in montis vertice,

40. Mandat Riccium suscipit, Pechinũ ducendum, & deserit.

41. Via mirabilis.

&

& qua viæ vtrimque cæsa rupes de se murum facit, passim programmata encomiastica grandibus literis quibus literatorum clara ingenia, opus Mandarini beneficum immortalitati tradidere. Iacet vrbs Nangana ad montis radices, clausstrum Prouinciæ Chiancensis; ab ea haud procul oritur fluuius, in quem alij succedunt amnes, & cursu aquarum ingentium prono, Nanchinum vsque naues ferunt, medio semper inter duas Prouincias alueo. Habemus vrbium in eo itinere sitarum delineatos Riccij manu gradus, & singularia, quæ otiosum fuerit referre; aduersorum autem discrimina per quæ illum diuina bonitas, ad tranquillos labores traduxit, & lectu iucundos: ab vrbe Canceo cœpere; illic fluuij duo, dum se tertio immergunt præcipites, vndarum torrentibus, tam violentis atque enormibus, naues in scopulos rapiunt, vt quotidianis naufragiis infamentur, loco nomen hinc datum Sciepatanum, quod decem & octo torrentes indicat: sed horum funestissimus Hoancun, quamobrem vectores, illum inituri, fluminis genio, seu idolo cuius est illic fanum magnificum, stipe, ac precibus supplicant, & nautæ se cuipiam indigenæ credunt, docto notum, & familiare periculum exire. Has tot voragines multorum mortibus famosas præteruectum se scribit Riccius, aliquantò inferius Canceo, mitatúrque amnem eatenus placidum, & æqualiter stratum, repentè in fluctus, & æstus assurgere, quorum mihi causa in promptu videtur, moles latentium rupium immanes, quæ contracto alueo aquas cogunt rapiditate cursus supplere spatium quod iis solito lapsu sedatè explicandis eripitur. Hos ergo inter æstus Mandarini nauis pulcherrima, qua vxor, & filij vehebantur, impacta in scopulum, rupto penitus fundo amnem hausit, sed cum eius depressæ superior emineret ex aquis domus, in ea mulieres & alij euaserunt. Postridie Riccius inter angusta riparum dum nauigat, subitus velis incubuit ventus, quæ iusto serius contracta; nauim suo pondere euerterunt. Hanc secuta est quæ Mandarini vasarium pretiosissimum vehebat, & cum eo pariter periit. Hæsit in fundo Riccius aliquamdiu, & incertus quo modo, emersit tamen cum aquæ plurimum bibisset, correptísque mali rudentibus à præsenti morte ereptus est; sed eius socium Ioannem Barradium virtutis egregiæ iuuenem sic amnis sorbuit, vt nec apparuerit viuus, nec potuerit recipi mortuus. Paucis inde post Chingan vrbem milliaribus ventorum turbine naues propè omnes, tantumnon clades extrema perdidit. Hic verò timori permisit se penitus, Scilan Mandarinus, auguratúsque itineris infelicitatem, tam inauspicata principia secuturam, gestatoriis sellis cum vxore & & filiis deinceps vectus est, equitante post illum numerosa familia; gazæ resiuum nautis per obliqua fluminum lentè portantibus. Siue autem sibi ominosum putauit Riccij comitatum, seu sibi diffisus, non est ausus Regi extraneum sistere; humanissimè rogatum voluit vt retro Sciaoceum rediret, fuitque Riccio dexteritate admodum solerti, precibus, & donis exprimenda facultas

41. Riccij naufrag.

pertexendi Nanchinum itineris, vbi domum sibi omni industria moliebatur impetrare; sed illi melius auguratus est Mandarinus, suadens Nanciani potius habitaret Chiansensis Prouinciæ vrbe primaria, doctis hominibus referta, quibus pro suo merito & sapientia futurus esset gratissimus. Amplo nihilominus Rescripto munitus Præfecti Chinganensis ad liberum per Cechianensem, & Nanceli Prouincias transitum, iunxit se famulis comitem quibus Mandarinus supellectilem suam vehendam dederat, & secundis semper amnibus, Nanchinum attigit mensis fermè vnius nauigatione, vbi tres solum moratus hebdomadas expulsus quidem tunc inde est, sed honorificè postea reuocatus. Eiecit illum is à quo præ omnibus retinendum se illic confidebat, Sciaocei olim peramicus, integritate vitæ priuata & publica, pro sancto à Mandarinis celebratus; reipsa homo angusti pectoris, & rationum suarum & lucrorum totus; qui primo aspectu Riccij quasi sideratus; metu mox visus extra se abripi, ne proditionis idcircò insimularetur quòd Nanchini suspicioſa vrbe extraneum, sibi notum hærere pateretur. Comiter itaque veniam præfatus, quod ex nuper amico, præferre nunc aduersarium cogeretur; in eo extrudendo, non tantùm imperio sed seueritate, suam Regi fidem probare se credidit. Timiditatem sordidam detestabantur aliqui Mandarini, suadebántque Riccio suburbiis tantisper se abderet, regressum in vrbem se illi curaturos; sed posse plus gnarus ad nocendum, Mandarini vnius supremi vim, quam complurium minorum defensionem ad seruandum, aduerso Iantio nauigat Nancianum futuri anxius, cum pelli se Nanchino præsentem cerneret abillomet qui se illuc olim è longinquo ducere voluisset, æstuantem his curis, & incertos earum euentus reputantem consolatus est Deus hoc somnio. Nanciano iam factus propior, inquit ipsemet de se, sub serum diei, sistit se mihi per somnum homo nunquam antea notus, & interroganti; similis regna hæc ait, eo consilio oberras, vt extirpatis religionibus auitis, nouam substituas? Miratus arcani conscium quod modis omnibus premebam; tu verò, inquam, omnino vel Deus es, vel diabolus, qui noris quæ cunctos mortales celare satago; non sum, refert ille, diabolus, sed Deus; hic ego ardens laxandi pectoris videbar ad pedes loquentis procidere, & queri; & nosti hæc, inquam, domine, nec ad ea fers operam? Simul in fletus effusos erupi; at is proiectum, ad pedes consolari, spondere facturum; adfuturumque mihi vtraque in Regia quibus ego corroboratus, & alacer visus sum habere præ oculis vrbem quandam primariam; & in eam liberè confidenterque iam subire, securus neminem impedimento mihi fore: sub quæ somno excussus, & madens lachrymis quas dormiens fuderam, socio meo Dominico Fernandio somnium recito, vt partem mœroris abstergerem, quo mecum pariter afflictus eiectionem illam Nanchinensem ferebat grauissimè, mihi quidem hoc pro mero somnio nunquam censui habendum; vidi enim haud diù postea dormienti promissa, rebus ipsis

41. Somnium Riccij ominatissimum.

ipsis præstari, cum Pechino reuersus, Nanchinum intraui, eáque iam illic oculis conspexi quæ mihi in somnis obiecta fuerant, ignoranti tunc vrbs illa primaria, quænam esset quæ dormienti repræsentabatur; Nanchini constiti; mansionem ibidem; perpetuam posui; Pechini deinde spebus omnium inuitis, Regis exceptus palatio, cuius mandato accitus fueram, fundaui alteram Societati stationem; & supremos aulæ Mandarinos, mirè beneuolos, & propitios habui. Vtrobique demum Nanchini & Pechini nostris diuina liberalitas impensè fauit, eorúmque labores, multorum ad Christum conuersione fortunauit. Hæc de se Riccius, paucis ante obitum suum annis iucundè repetens, suum illud semper memorandum iter Nancianum, de quo huius æui vnde quadragesimo anno traditum reperi, promissione illa seu fortuiti, seu missi potius de cœlo somnij, semper adeò confisum Riccium, faustos fore progressus Pechinensis commorationis, nomènque Christianum longè inde in Prouincias spargendum, vt ea fiducia, nostrorum mœrorem erigeret, quoties à Mandarinis vexabantur. Macti aiebat, & fortes! Dei promissi freti, certique adfuturum tempus vt qui vos modo exagitant Mandarinelli minorum gentium, cernant vos a Præsidibus Tribunalium supremorum, ipsisque in administrando imperio Regum Assessoribus, Collais expeti, obseruarique, & diligi, quæ vti prædixerat euenere.

42. Nancianum vrbs Literatorum.

Inter Sinas Australes mediterranea Chiansensis Prouincia, quinque aliis coronatur; eius caput, & Proregis sedes Nancianum, vrbs amœnissima, duplici amne cincta, quorum maximus in locum desinit commodum, & sparsum minoribus insulis; præter hunc duo sunt intra vrbem angustiores lacus ad publicam voluptatem. Ciuitatis ambitus Florentiæ duplus; densa ciuium multitudo, qui spreto mercimonio, toti sunt in scientiis quærendis, & Literatorum gradibus atque honoribus, quo illos sublimis ingenii, eximia indoles vltro rapit; nulla toto regno ciuitas doctior; nulla Mandarinorum feracior; arcuum proinde splendore, ac numero tam frequens vt scribat Riccius nouis erigendis locum in vrbe defuisse. Felicitas hæc ingeniorum præstantium Sinarum more, florem honorum, & diuitiarum in vrbem trahit; & accedunt è sanguine regio tàm multi, vt tradat Riccius eorum palatia quintam vrbis partem occupasse, ciues de cœtero progignit ad pietatem mirificè dociles, vt potest pietas Dei veri ignara constare, idola venerantur incredibili reuerentia, censent animos esse immortales; pœnas & præmia defunctos æternùm manere; ad stabiliendum salutis negotium quam iis Bonzij depingunt, prorsus nihil omittunt, gnari licet id suis legibus minimè præcipi. Quare vitam omnem in summa plerique asperitate viuunt; quotidianum ieiunium nisi legumine, & oleribus non soluunt; piscem, lacticinia, & oua respuunt, ea delitias arbitrati à ieiunio alienas, in quo legem eandem sibi Riccius indixit quibus diebus Ecclesia carnibus abstinet, ne sibi Ethni-

43. Idololatrarum aspera pietas.

ci viderentur Christianis esse sanctiores. Iam suo quem colunt Deo, tot prodigialiter patrata tribuunt, vt possint stolidi ad ea stupere, inter quæ illud est quod subterraneum infinitorum voluminum draconem, Nanciano, & Prouinciæ minantem exitium, catenis duabus ad columnas ferreas ligauit (ex quibus inditum superbissimo eius templo nomen) tum profundis emersus specubus, sua cum domo & talpis in ea nidificantibus momento in cœlum raptus est. Cuius portenti admirabilitas quàm religiosos Chiansensi Prouinciæ motus, tam latos Prouinciis cœteris risus parit. Verum Literatis Paradisus & inferi, Elisij sunt, & Orcus, Poëtarum commenta, excogitata continuendæ plebi, damno magis & vtili quam honesto frænari assuetæ, incumbunt nihilo segnius Philosophicæ virtuti, habentur prælectiones de illa publicæ, & academiæ frequentes vbi tractantur officia viri boni, boni patris familias, boni Ciuis, & boni Rectoris ad felicitatem priuatam, domesticam, patriam, & regni totius spectantia, aduertítque Riccius hos Academicos, maiorem cœteris ostentasse modestiam, grauitatem, & linguæ prudentiam.

43. Nanciani optatissimè Riccius nesciens.

Vrbem hanc sibi tantoperè laudatam ingressus Riccius Iunio anni 1595. & spes inter metúsque adhuc anceps, mense integro insistit apud Deum, vt sibi adesset, & conciliaret gratiam tot Mandarinorum, quorum nemo erat à quo non posset vrbe pelli; vnus à quo posset retineri: & hanc sui quam sibi precabatur peculiarem Deo curam esse, statim animaduertit cum ex iis quos Sciaochini & Sciaocei per annos duodecim tam multos sibi deuinxerat Mandarinos ne vnum quidem nanciscí valuit cuius auxilio vel ope iuuaretur. Quare per se coactus rem suam agere, dum dissimulanter de iis inquirit, qui sibi plurimum obstituri, vel profuturi videbantur, audiuit magnoperè laudari medicum nomine Guanchileum artis, & ingenij gloria celebrem, & apud omnes Mandarinos gratia pollentem Per hunc sibi putauit præuertendas accusationes peregrinitatis, quibus minimè dubitabat se delatum iri ad tribunalia; optabátque viri gratiosissimi commendatione, instructum iis dotibus agnosci ob quas desiderandus esset potius, quàm fugandus ob notam ortus peregrini: at enim quantumuis illic de facie ignotus; expetebatur cupidè & celebrabatur incomparabili apud proceres fama sanctimoniæ & doctrinæ, quam vbi didicit, fatetur se perculsum grauiter quòd eam factis æquare diffideret, Guanchileum interea medicum, honore quam potuit maximo adiit, quo congressu primùm singularis reuerentiæ mutuæ significatio, tum de literis, & diuinis sermo vtrumque inter se arctissimo fœdere copulauit; ac dum satisfaceret Riccius rogitanti, & nunquam priùs audita detegeret, annus medico erat quæuis mora, donec miraculum hoc hominis vt quidem appellabat, amicis indicaret, qui Sinenses doctrinas Sinis ipsis callebat peritius; & Occidentis sui proprias, Sinis hactenus ignoratas complectebatur animo, & verbis mirabiliter explanabat; quare

43. Egregiè iuuatur à medico, & deprædicatur.

illa

illa viri præclari ornamenta, quæ apud alias nationes inuidentiæ fomes sunt, pro sapientum Sinarum genio in amorem, & reuerentiam conuertit, totúmque se Riccio, eiúsque obsequiis ita mancipauit, vt rebus etiam promissa vinceret: ad impetrandam igitur illi à Magistratibus, Nanciani habitationem, per se & amicos omnem lapidem mouit; eiúsque ad hoc supremi Mandarini (à quo diximus cœptum in aulam perduci Riccium) auctoritatem, & fictas literas non dubitauit interponere, quibus iubebatur, impetrare Nanciani sedem tanto viro, cuius excellentiam vno illo dignam, & attollendam theatro; ipsa eius vsus, & consuetudinis experientia factura esset omnibus notiorem: ac primum aggredi placuit Literatum senem annorum sexaginta, Teuciunum nomine, Ciana ortum familia, scriptorem voluminum triginta, & æui sui oraculum; cui, licet affectu literarum abstinuisset Magistratuum gestione, & professione Mandarini, profitebantur tamen Mandarini se esse discipulos; & Academiam habebat auditorum mille quos sibi virtute consimiles fingere nec frustra nitebatur, nam illos, vt dixi, à vulgo reliquorum, probitas, & morum grauitas pulchrè discernebat. Audiens itaque præclarus senex, medicum de Riccio mira, & insolita referentem, complosis repentè manibus, interpellans; Est hic prorsus, ille ipse, ait, extraneus de quo mihi etiam maiora Chiutaisus, narrauit; is nempe ingenio præcellens discipulus Ricci, cui persuaserat Nancianum vrbem fore illi, eiusque doctrinæ præ quauis alia fauentem, & de viri virtute ac meritis tàm multa docto seni, eiusque academicis prædicarat vt quàm illic optato, tàm læto aduentu illos recrearet. Certatum exinde obsequiis inter senem & Riccium, quem ille adeuntem haudquaquam ea excepit majestate quam excipiendis Mandarinis retinebat nihilominus integram, sed longè affabiliori, & attemperata velut non imparem: auditis verò quæ percontari ex eo libuit, sic eius sermone, & amore est captus vt haberi ab eo fratris loco deinceps rogauerit, cóque se titulo, ac iure illi obtulerit, sanctè pollicitus quæcumque ad illum pertinerent, pari cum suis sollicitudine curaturum; pro obtinendo domicilio Nanciani & Magistratuum gratia optimis inuit consiliis; suos demum ad Academicos immensis laudibus cumulauit, magnoperè suadens, vt in eius amicitiam se darent ex qua fore spondebat vt doctiores euaderent, & bonis moribus cultiores: vagari exinde tota Nanciano peregrini hospitis fama ingens; & quod erat necesse nomen eius deferri, quodque illi maximè optandum ad Proregem, cui pridem nesciens & præsentia ignotus, magno erat in pretio, & desiderio; sed nondum sat certus, esset ne is ipse, de quo tàm mira olim acceperat, ita causæ iussit initium fieri, ne quid in illum ageretur quod ipse postea factum nollet, si comperisset illum esse quem propè diuinabat ab Occidenti orbe insignem aduenam. Mandarino regioni vrbis in qua degebat præposito mandat, externum quendam inquireret, agnosceret, ex ipsomet resciret, quis? vnde? qua causa?

43. Et à sene Doctore Academicorum.

43. A Proregemirè honoratur, & inuitatur ad figèdam Nanciani sedem.

quid profiteretur? caueret tamen ne quid asperiusculè, aut minus comiter. Paret ad vnguem Mandarinus, libello excusat per famulum quod eum vt eruperet non audiebat; expectare se illum posticidie, vt ex ipso disceret quis esset, hoc sibi à Prorege mandatum boni consuleret; adit Riccius Mandarinum solenni cultu, & habitu, respondet ad omnia sigillatim, & responsiones scripto illi tradit: quibus Riccij hospes, velut capitalibus prænuntiis territus, nihil celerius habuit, quàm vt eum domo turpiter fugaret, ne ob tecto receptum extraneum pœnæ illi socius fieret: quin imò & Riccius valdè anceps Proregi parabat se sistere, haud satis ab eo se valens expedire quod diuturnus habitator hæsisset Nanciani, cum nisi obiter eò diuertendi, concessam diplomate haberet facultatem. Teuciunum quoque, clarum illum senem angebat idem pro amico metus, memorque promissæ fidei, medicum Guanchileum ad Prorègem submittit, vt præoccuparet illius animum, magnifica Riccij commendatione. Sed eam Proregis erga illum, etsi nunquam visum, affectus præuerterat; quare anxie adeunti processit ad aulæ medium, nec passus sibi de genibus loqui (a quo nec maiores Mandarini, nec regum propinqui eximuntur) adstantem proximè prior ipse compellans, pridem sibi optatum adesse gratulatur, magna se de singularibus virtutum illius & ingenij laudibus accepisse: at sui præsentia & conspectu ipso, famæ illi tantæ videri æqualem; quoad suam modestiam tam nouo insperatóque ad præsentem causam encomio cum erubescere Riccius repeteretque sæpius vocem illam qua Sinæ ab se velut ab indignis consueuere laudes deprecari; imò retulit gaudens Prorex, hoc illas æquiùs promereris, quò tibi putas iniquè tribui, & hoc ipsum magnæ virtutis est, tantus cum sis, videri te talem omnibus, præterquam vni tibi. Secutúsque in frequenti cœtu summa cum laude de illo dicere, spectabat subindè & oblectabatur veraci eius modestia, laudes suas dolenti animo iustinente. Hora cum eo variis sermonibus transacta, sub discessum quæsiuit quò tenderet? Riccius leui suam in rem flexu Sciaoceum, respondit; vbi socios illi duos, vitos egregios cœli grauitas extinxisset, ipsis quoque indigenis infesta, cui obiecta Prorex, Nanciani vrbis, à Prouinciæ primatu, ingeniorum flore, Literatorum numero, & salubritate cœli, præstantia; cur, inquit, Sciaoceum Nanciano præponis, & illuc moriturus redis? hic sensit Riccius Dei nutu rem agi, cum id sibi vltro deferretur, quod nec ipse per se, neque per amicos satis confideret obtinendum. Gratiis itaque beneficij collati reuerentes actis, delineandum ipsi Solarium cupide recepit, perfecítque in marmorea tabula, transuersis in lineas horarum, Zodiaci lineis quatuor, & viginti, tot enim Sinæ statuunt in Zodiaco characteres.

Tàm inusitatus à Prorege honor Externo habitus, totam illi deuinxit Nancianum; visere illum omnes Magistratus, omnésque Mandarini, solenni paratu, & vrbanitate; nec satis vidisse, officij gratia, redire quà soli, quà plures; adesse similiter, summis olim honorum perfuncti gradibus,

dibus, tàm multi denique, vt iis non posset tot obsequiis vrbicis vicem reponere, nisi gestatorio circumuectus, ac ne sic quidem nisi magno labore, ob plebem curiosam, eius quacumque deferretur spectandi prurigine vicos, & compita stipantem: cuius studij causas attingit ipse semet lepidè nempe vt aduenam cernerent, valdè illic nouo & insolenti spectaculo, ex orbe aduectum quem sibi à suo abesse longiùs fingebant quam re vera distet. Ad hæc Sinensium literarum peritiorem quam ipsi Literati; tùm quod naso cum essent, vt in Europa mediocri, vti & oculis; iudicarent illos comparatione sui enormiter extare. Barbam autem satis mirari non poterant densis passam crinibus, & inferius pectore dimissam cum eorum plerisque barbæ pilos ægrè duodecim natura indulserit, quos facit iis paucitas pretiosos: hæc de se Riccius. Verum sapientes multo digniorum admiratio detinebat, eius præsertim memoriæ quæ locis, & imaginibus continetur, quamque post annos duodecim habebat adeo expeditam, vt insitam magis naturâ diceres, quàm arte constructam: linguam enim Sinensem aggressus discere, formarat animo theatrum ingens in quo tot millia perplexissimorum characterum suis aptè sedibus locarat, significato cuiusque addito, quæ legenti deinde Sinenses libros, recurrebant vltro velut in vsum repositæ & absque interprete sensum librorum suggerebant, figuras verò characterum scribere volenti: vnde ab se putabat Riccius non temerè coniici; hanc artem memoriæ ab aliquo inuentam, quem ad condiscendam Sinarum linguam necessitas adegisset. Certatim igitur ad cœnas à Mandarinis vocabatur, eruditas illas magis quam esculentas, à quibus liceat bis terve in die leui stomacho redire; his sibi Riccius testatur opportunius nihil fuisse ad insinuandam Christi fidem, nam cum incideret doctrinæ meminisse quam quisque conuiuarum inter sex illas Sinis canonicas sibi delegisset, depromptis inde sententiis Deum vnum, immortalitatem animi, pœnas & præmia post vitam fortiter probabat; eius verba doctrinæ non posse in sensus alios torqueri; confirmari eadem textu aliarum doctrinarum quas reuerebantur pro diuinis, quos textus ad verbum citabat, infigebatque conuiuis aculeos quibus acti priuatim ad eum redibāt de summa salutis amplius audituri, in quo præterea cum memoriam stuperent, sex illarum capacem doctrinarum, subridens, aiebat, posse quemuis eandem sibi comparare. Id cum prodigio simile, & nullo sat auro emendum iis videretur, vt liquido tandem perciperent non esse totius vniuersi scientias atque ingenia in Sinas eliquata, sed eos ab Europæis vinci; verborum seriem absque serie dissolutam coram iussit temerè conscribi, dein charta semel oculis decursa, recto, retrogrado, & vndeuis ducto initio illa recitauit, quo portensæ memoriæ ostento nihil propius abfuit, quàm vt omnes statim Literatos haberet discipulos, nisi visendi, ac reuisendi mos tam legitimus quàm molestas, ab eo munere illum excusasset. Prorex ipse rogatum misit; vt filios suos scripto saltem, quòd iis non liceret palatio egredi, prout commodum

43 Localis memoria, quantum ei profit.

44. Quanta Sinarũ ignor. in Philosophicis.

commodum esset eam artem doceret. Sed cum palam iis fecit quantùm in Physicis, & Mathematicis errarent, incredibile est quanta in eum beneuolentia conceptæ accesserit admirationi. Horum hæc erant principia indubitatæ veritatis, vacuum esse ab octaua sphæra in terras spatium; grande id nihilum septem stellas errantes pari omnes altitudine peruagari; solem esse pilam, ad summum bipalmarem, eius occubitum, iecessu fieri vltra vastam rupem, quam in occidente statuebant; de ortu nihil, quòd comminisci de illo nihil nossent: Lunam laborare, quod eius oculos radiis suis Sol recta perstringeret, & stupefaceret immoderata luce. Inter elementa loco aëris quem semper ignorarant, metallum adscribebant, & lignum, haud quidem rerum principia, sed Vniuerso vtilia, Terram planam docebant; antipodas cogitarant nunquam. Omnes regni vrbes eodem sub Arcto constituebant gradu; in his & talibus, euidenter errores eorum arguentem, & modestissimè dedocentem, suspiciebant pariter, & amabant, futurum alioqui odio & pudori, nisi adiecisset, grauioribus illos philosophicarum

45. Chiegani Regis cum Riccio congres.

studiis virtutum altius immersos, physica neglectim habuisse, cunctis denique in optatum finem Riccio mirè fauentibus, accessit à Chieganí Rege nobilis aulicus cum muneribus à Domino suo Chiensaio, quibus illum ad se humanissimè inuitabat. Erat hic de tribus vnus è Regio sanguine qui tunc Nanciani, iure ac titulo Reges habitabant, corona, & syrmate venerandus. Prodiit adeunti, iussit sibi ad latus assidere; Chiæ sorbitiunculam porrexit, detinuitque per horam vario de rebus animi sermone, gaudente plurimum apud se Riccio bonitatem illius indolis in qua nec regiæ quibus affluebat delitiæ, nec Literatorum qualis idem erat de vanitate futurorum Epicuri error, curam salutis extinxerat; post hæc à Principe filio adhiberi ad mensam voluit, & nexu amicitiæ tam arcto cum eo coaluit, vt eiusdem in Riccium intimi amoris hæredem relinqueret filium. Petenti verò vt vellet secum in palatio degere, excusauit liberalitatem honoris immodici, ne loci reuerentia primores, metus & pudor plebeios, & tenues ab suo congressu arceret. Quod ergo restabat conductæ domus locarium, & gestatorum quibus vrebatur persoluit operam, & adiri ab eo sæpius voluit, & diù noctúque multas horas dicenti aures dare, semperque tunc illum cœna Regia dignari. Nulla hebdomas abibat quin eum aliquo afficeret munere, subinde quoque ab se laborato quo genere interdum recreabat sese; libro illum donauit cuius aperti frons, vtrumque Regem, & Riccium colloquentes, ad natiui oris depictos speciem exhibebat; sequebatur eleganti stylo dissertatio quædam inter ipsos haud dudum habita; claudebat lucubrationem, laudum cumulus ingens quibus pro suo affectu Rex eum ornabat. Rependit his Pater, vt potuit, digna Principe Literato, inter quæ fuit liber à se compositus ex omnium flore quæ tùm Græci Patres, & Latini, tùm Philosophi veteres de honesta amicitia dixere, Sinensis eloquij

quij explicationem noſtrati lingua, alternæ paginæ ſubdebant; contexebatur dialogo Regem inter & Patrem; Sinenſem, & Europæum inſiſtebat tamen quoad licuerat antiquis Sinarum auctoribus quibus nihil penſi eſt, niſi vt graues ſententias, & præceptiones veterum Sapientum veluti canones nullo inter ſe ordine in libros colligant; verum ethicæ noſtræ ſpecimen edebat, Sinenſi multo vberiùs, & ordinatiùs, ſeu acumine ſenſuum, ſeu regularum ſanctitate: quo quidem opere nullum Riccio ceſſit felicius, nullum eius famam & Philoſophiæ Europææ, magnificentiùs, latiùs, crebriùs toto imperio illuſtrauit, illud enim Riccio neſciente Chiegani Rex nomine Riccij vulgauit quem & propterea *Domini Magiſtri* appellatione inſigniuit, & miſit qui ſignificaret velle ſe illi ſociari, hoc eſt eſſe doctrinæ diſcipulum & ſequacem.

Nomen Riccij Sinas omnes quanto ſplendore peruaderet explicant literæ quas à Chiutaiſo eius diſcipulo accepit & P. Nicolaus Longobardus; ad verbum Italicè reddidit, ego pari fide, hic reddo. [Taiſu, inquit, frater natu minor (vox eſt legitima inferioris ad ſuperiorem) docendus tibi ad latus adſto (hoc item ad latus adſtare obſequij forma eſt filij ad patrem, diſcipuli ad magiſtrum) fronte humum ferio, & fratrem maiorem P. Matthæum Riccium Illuſtrem Baronem, magnæ legis magiſtrum lectiſſimum reuerenter ſaluto, eiúſque ad pulpitum procido: ſequitur narrare quàm cupidè potentiſſimi Mandarini eum in ſuis Prouinciis expetant, agántque inter ſe ſollicitè de modo illius eo traducendi; de ſe vero ait, per certum hominem Suceo ſe librum mittere: (itinere ſcilicet dierum decem) à ſe compilatum, rogare, vt liberè magiſtra cenſura configat, adiungat, corrigat, vtcumque illi probabitur aut minus placuerit: complexus autem fuerat eo libro eorum ſummam quæ illi Riccius quadriennio ante tradiderat. Hunc ego (pergit) Literatorum Collegio viris Doctrinæ præcellentis, nonnullis etiam ex conſilio Regio Pechinenſi, cum exhibuiſſem perlegendum, omnibus fuit admirationi, omnes victi manus dedere veritati, te verò Seinginum, noſtri huius æui nominarunt: quod interpretatur Longobardus, hominem ſuo ab ortu ſanctum, & omni ex parte ſapientiſſimum, qui poſſit omnium vniuerſalis Magiſter eſſe, qualis fuit olim Confuſius. Porro eiuſmodi hominem quingenteſimo quoque anno naſci, vaticinantur Sinarum libri; taliſque haberi hoc ſolo gaudebat Riccius, quod opinionis huius præiudicio muneri ſibi ſenſim via in aulam videbatur ad obtinendam poteſtatem, Chriſti toto regno prædicandi, futuram vndecumque niſi ab aula veniſſet, vel Europei alicuius imprudenter pij, ardore præcipiti; vel Mandarini cuiuſpiam metu aut auaritia ſemper ambiguam, & nutantem. Cordati ſanè fructuosè agendi iudices, lentam illam patientiam annorum tredecim in præſens ſpecie ſterilem, in futurum reuera conſultam, & vberem, aduerſáque interim omnia coquentem Dei ſemper in Riccium beneficio aſſignabunt, quem ſuis tamdiù aptabat conſiliis ad aperienda Chriſti præconio latifundia terrarum in

44. Epiſtola celebris Literati ad Riccium per totos iam Sinas celebrē

quas nisi per aulam nullus erat sat liber, & constans accessus. Ego, scribit ad quendam in hoc regno vnum id ago, præterea nihil, vt dumetis aditus liberem, & quò passum proferre externi non poterant, post me campos ad culturam inueniant dociles, alicubi etiam subactos, & Sementi paratos. Cuius sui voti propiorem hoc anno concepit fiduciam quo Iaponiæ Rex Taicosama victricibus copiis populabatur Coraium Sinis vectigale, ducebat copias Tzunocamidonus Augustinus, ille religioni sacrosanctæ & Societati addictissimus; ad hunc Sinarum Rex interceſſores de pace legatos miserat, auctor eidem fuerat P. Organtinus, vt pacis conditionibus illam insereret, qua facultas daretur veri Dei legem toto Sinarum imperio prædicandi. Ad conditiones cœteras patum æquas, metu Taicosamæ imminentis victoris, & armati adigebatur Sinensis, natura vsúque imbellis; hanc de Christi lege Sinis inferenda tàm certo putabat expressurum ab eo Augustinus, vt de hac tanquam confecta re, darentur hilares ad Riccium literæ: At belli vtile, pacis honesto anteponens Taicosama, retruditur primum ad confinia Iaponum littora; sed illic ad nouam expeditionem instaurans exercitum, tamo Sinas horrore externorum metúque siderauit, vt profectione Pechinensi omissa Riccius in lucro posuerit tacere, & figere Nanciani pedem. Parta dudum Primorum beneuolentia, breui obtinuit vt discipuli nomine accerseret socium P. Ioannem Soerium, duobus cum fratribus natione Sinis. Aliquanto post ibidem magna vrbis & Prouinciæ Præsidum voluntate, Cifui & Tutani, domicilium emit in media vrbis frequentia, Gubernatoris palatio proximum; die Petro, & Paulo Apostolis sacro: adire volentibus illud aperuit anno 1596. inscripto fronti programmate *Domus vbi habentur conciones*, Nec ferebant illa initia templi aut nomen, aut fabricam, ne Osciani & Bonzij haberemur, homines sceleratissimi, & detestatæ inter Sinas famæ, quæ præiudicata de nobis opinio, magnam partem laborum, & annorum, inanem hactenus & cassam, Riccio teste nobis effecerat; qui & natales Sinensis Missionis censendos hinc statuit, & Cathechismi sui exemplaribus, & typis igni traditis, noua editione in lucem eum dedit in qua nihil esset quod Bonzium oleret, vel à Literati professione dissentiret. Et his velim tardari præcipitata de longinquis, & immeditatis iudicia, proiectè damnantium quæ finis, agendorum amussis, & longa sumptuosáque experientia, non modo permiserit, verum etiam imperarit. Ne porro hæc domus apertio interpellaretur à vicinis externorum viciniam exosis, perfectam prius conspici exhibuit Riccius quàm cœptam, sed eam Literati & Mandarini, communi gratulatione, lætitiis intimis & salutationum solemnium vrbanitatibus omnibus celebrarunt, plurimum gauisi se tanti hospitis possessionem nactos non dubiam; cui se quoque nnnnulli cum discipulos darent, prolixè illis docendi officium detulit, sed modestè reiecto munerum, & adorationis stipendio; quæ abstinentia & moderatio illic singularis, quam vitabat reuerentiam eius

45. Tentata humanitùs facultas Sinis prædicandi, in contrariũ euanescit.

46. Natalis verus Sinensis missionis.

46. Domum aperit Riccius, cum incredib. gratulat. & concursu dd.

eius auxit. Post autem reposita singulis visendi obsequia, cum nullas haberet diei horas ab adeuntibus vacuas, & producentibus varios de scientiis sermones; statuit noctium partem iis tribuere qui de animi rebus ad eum venirent, iisque in vnum coactis fidei arcana tradere: nec memoratus nuper Teucianus clarus senex auditorio deerat, disputabátque acriter de animorum immortalitate, meritis, beatitate, damnatione, pœnis quas esse fabulas, & opinatus fuerat, & suos docuerat, quòd probari posse vero saltem similes non caperet. Sed euidentibus librorum Sinensium tabulis, & argumentorum vi valida cum eas adstrui, audisset à Riccio, persuasus exinde penitus, tùm ipse assentiri, tum suos ad eũ academicos destinare, doctrinis Sinensium melius, & solidius imbuendos, qua occasione incidit quiddam prima fronte leue, quod omnes illos ciuitatis, & Philosophiæ Principes mitis modis affecit; nam cum expostularet familiariter Riccius apud bonum senem, tam crebris ritibus & prolixis mutuarum salutationum, nihil sibi temporis residuum fieri. Nescis, retulit senex, regni morem, tacito omnium assensu, sed vsu omnibus trito, & perpetuo stabilitum ad eludendam hanc importunitatem; constituitur ad ianuam famulus qui respondeat te domi non esse; nec id quisquam deterius accipit, nec possint alioqui rebus publicis occupati, debitam suis muneribus operam, & tempus reddere, quod vultu Riccius abhorrens, ne faxit Deus, inquit, priùs mihi centuplicato accrescat iactura temporis, & quietis, quam vt verbo factóve mentiar, vetat enim lex Christiana mendacium quodlibet, quantumvis dicenti commodum, & nemini nocens. Quo effato perstrictus, ille virtutis Nancianæ coripheus, hæsit attonitus ad veri amorem generosum, & innocentiam exquisitam, refugientis in re leuissima, quod ipse sibi, & sequaces sui in grauioribus licenter indulgebant. Ars enim est Sinis à puero, mentiri; nec offendi deceptos mendacio; nec deprehensos mendacij pudere; sed vltro veniam alternis accipere, & dare. Quo nouo dogmate initiatus senex vrbem totam eius impleuit admiratione, audire ergo deinceps Riccius *Magister qui non mentitur*; & domus illius *aduenarum domus qui non mentiuntur* & quæ docebat certissimæ fidei; si enim, aiebant, ad redimendam importunitatem molestiæ intolerabilis, sibi nec leue, & innocens mendaciolum permittit; quanto minus de Deo, de anima, de futuris post mortem pœnis, & præmiis, rerum tantarum grauitatem mendacio violabit? quam opinionem per se veram, iuuabat maximé, singularis eius docendo modestia, procul fastu honoris, & ingenij pompa, solo veri docendi expresso studio condita, tametsi sæpè de scientiis tantùm naturalibus ageretur. Cuius modestiæ occasionem hoc anno claram dedit error Pechinensium mathematicorum, prædictione falsa defecturi solis, cuius cum omnes puderet Mandarinos, & indignarentur apud Riccium, erratum tàm turpiter in re tanti, (iis enim vt diximus defectionibus prænoscendis, Regis & regni salutem agi putant) ad ea Riccius tranquilla moderatione,

46. Veracitatis ignari, & admiratores Sinæ.

47. Defectio solis Riccium inducit ad iter Pechin.

aulæ vtriusque Astrologos purgans, erroris causam eiusmodi esse respondebat, quam laudabile admodum fuisset cognouisse, culpa tamen vacaret ignorasse, simul causam iis ita exponebat vt intelligerent se aliquo egere qui Calendarias ipsorum tabulas emendaret, supplerétque multis regulis vacillantem defectionum computationem, quod adeo illis non frustra persuasum, vt æquè tunc ei nihil profuerit ad profectionem Pechinensem; post vero ad suam & nostrorum ibidem perpetuam habitationem, inserendámque quod vnum agebatur Christi fidem.

Iam quod temporibus tàm aduersis, mouentibus denuo in Coraium & Sinas Externis Iaponibus cogitationem illius itineris resumpserit Riccius, obedientiæ vis fuit Valignano præstandæ, à quo recens præfectus Sinensi missioni, iussus est, quæ prima eius itineris se daret occasio, velut optimam, solámque inuadere; & cum nefas esset tantum Regem libello supplici adire nisi cum muneribus coniuncto, quæ ab Generali aliisque Præpositis ex Europa, India, & Philippinis ad hoc habuerat, picturas sacras elegantes, rotata horaria, & similia ad eum misit; & quibus venalem Eunuchorum gratiam emeret.

Deliberatus itaque Riccius in rem tantam contentiones omnes experiri, & libertatem si quà posset Euangelij perferendi expungere, amicos reperit, & quicquid erat Mandarinorum & Literatorum, in hoc ipsum propensissimis studiis conspirantes; qui vel breui suo chirographo iuuare auderet, neminem; suspicionum metus, omnes auertebat, & erant Regi etiam Chiegani, in cuius amicitia multum reponebat, grauiùs quàm cæteris timendæ; ob bellum præsertim Iaponicum, & exasperatum ferocius solito in externos Sinarum rabiem. Verum enim vero sua Riccio alibi pepererant merita quod Nanciani frustra mendicabat. Sed suo dum instat proposito, Sciaocei Cattaneum vehemens turbo agitauit. Iuuenes ebrij professione Literati, vicino ex pago descenderant, & in cœnobio Quanhiao insolenter bacchati, eadem licentia templum nostrum fœdare attentant, fores effringunt, obstantes famulos vulnerant, occisuri omnino, nisi subitus timor vini & iræ impetum frænasset; suorum vnius caput tinctum cruore cum cernerent, dant se illico in fugam, arbitrati se omnes iam semimortuos; rei tamen aduersus insontes (vt mos illic sceleratissimus) vociferari, flere, expostulare atrociter iniuriam barbarorum occidentalium apud duos Præfecti vrbis assessores, à quibus, vt sæpè fit, indictam se causam victuros putabant; quod primi eam detulissent, falsóque omnia quæ patrarant anteuertissent læsis & innocentibus imponere. Reiecti, terrium adeunt assessorem nobis pridem immaniter iratum, qui occasione hac crudeliter gestiens, sisti sibi omnes qui domi erant Cataneo excepto imperat; præsentes coram sæuum in modum cædi; Fratri nostro Sebastiano Fernandio quòd honoratior cæteris videretur, ad plagas infamiam addidit; & cauatis conclusum tabulis extante capite (numellæ genus)

48. P. Cataneus Vexat? F. Fernand. cæsus.

genus) ad palatij sui fores iniuriis omnium & sannis illum exposuit. Sed voluptatem hanc iniquissimi odij proborum supplitio saturati, perfidus iudex statim luit; mox enim omnium execratione deuoueri; exprobari impio suum nefas; instare timor, & diseruciare, iniquæ sententiæ conscium, ne ad inspectorem Prouinciæ perlata, absque nulla prouocatione damnaretur. Cuius illi metus & odij publici causa fuit, nec volens nec sciens Cataneus: cum enim, vt scripsimus, nisi idola & templa sint Bonziis, Literatis, aulæ potius & theatra quàm templa; Bonziorum hi templis ad omnem aleæ, comœdiæ mensarum licentiam, & lasciuiam vtuntur, habentque ad hæc hortatores, & socios sceleſtissimos Bonzios; quorum vt probrosam fidei Christianæ similitudinem, nonénque vitaret Cataneus; & ab sacra æde illud prohiberet Literatorum diurnum & nocturnum bacchanal, ædem sacram euertit, & quæ domi erant peregrina, & spectatu digna, oculis subduxit, querentibúsque Mandarinis subtractam sibi singularem, delectationem, & vrbi famam, quæ viros nobiles ad visenda tam rara procul aduocabat; Excusauit Cataneus, grande nostrum periculum à violentis, & ebriis, quibus si obstaret, præter vulnera, necísque discrimen, quod cum suis subibat; supplitium etiam sibi à iudicibus imminere. His indignatio ciuitatis aduersus impium & iniquissimum Assessorem vehementer accensa hominem adegit, vt latam ab se sententiam, præcipitantiæ damnaret; accusatores ebrios, se malè deceptum Patrem sua cum domo profiteretur innocentem, à quo & gestorum veniam rogauit, & restituendo in integrum illius honori, misit ad eum appendendam nostris foribus tabulam, innocentiæ illius disertam, & iuridicam testem. Post quæ Cataneus Sciaocensis cœli maligno ingenio vectigal exsoluit pertinacissimæ ægrotationis, ob quam Sciaoceum mutauit Macao, suffecto sibi P. Ioanne Rocca, ad quem non diù post valetudine recepta renauigauit cum P. Longobardo, cuius ab hoc 1597. Decembri mense in consequentes octo, & quinquaginta annos præclaram operam, suo tempore relegemus.

49. Riccium, & Cataneum potens Mandarini Pechinum ducendos suscipit, sed frustra.

Reuerso Sciaoceum Cataneo mandauit Riccius opperiretur illic transitum Guani, seu Guanciumini (erat hic apud Regem potens, totúsque in ambitu Collaorum gradus, & iam rituum tribunali à Rege Præses dictas) appulsum inuiseret, gratularetur ei suo nomine nouam dignitatem, reuocaret in mentem quod constituerat cum in Hainanum nauigaret, de mittendo se Pechinum, ad Calendarium indicem corrigendum, cui sat esse non poterant paucæ illæ siderum obseruationes quibus solis Mathematici Regij nitebantur, & verò promissi & Riccij fuit adeò memor vt cum Sciaoceum attigisset, percontaretur de illo statim, gauderet sibi Nanciani fore cum illo agendi copiam, promissi fidem iteraret de profectione Pechinensi, concederétque petenti Cataneo vt in ea Riccio comes esset. Nanchinum ad suum tribunal tendebat, sed iteraturus breui Pechinum iter milliaribus octingentis, ve

Regis natalem luna Septembris decima septima celebraret vbi se Colai munere ornandum expectabat; hac fiducia hilaris, & horologio rotato quo illum donauit Riccius facilè induxit animum vt stipatoribus domesticis illum adscriberet, ac polliceretur, quam sedulo contulit suam opem, ad captandam in aula porentiam Eunuchorum. Mouit quoque illum aspectus munerum quæ Regi ferebat Riccius, quorum illic inuisa admirabilitas, & nullo sat pretio, vt quidem rebatur, æstimabilis, Regi talium auido videbatur maximè placitura, séque illorum conciliatorem, fore duplo quam esset gratiosiorem, numerum porro excellentia duobus constabat triangulis vitreis, quæ de magnitudine, & colorum scena, gemmas opinabatur thesauro æquandas. Nanciani conscendit Riccius magnum sui nomen & desiderium relinquens, cum P. Cataneo, & fratribus Sebastiano Fernandio, & Manuele Pereira Sinensibus, Nanchinum pronis fluminibus venerant confectis milliaribus ducentis octoginta, cum ominosa vndique repulsa omni hospitio sunt excluſi; tectum nec prece, nec pretio impetrare ab vllo potuerunt; terrebat vniuersos seuera edictio quæ nuper vetitum, ne cui priuatim aut publicè hospitium daretur, nisi ex habitu, orísque ac linguæ conformatione certo Sinensis probaretur; & ausam edicto præbuerant exploratores à Taicosama armato & Sinis minante, simulato Sinarum, schemate subornati. Ergo Riccius quem tota Extraneum corporis species loquebatur, sua se barca recondere, Guanus Mandarinus, sibi quoque timere; in omnem euentum prospicere; apud intimos amicorum, Magistratuum primores, commendatitias ad Regem pro Riccio quærere; ex quibus putabat clarum fore, hominem á se duci regno fidum, nulliúsque suspectum. Verum etsi tantus esset Guanus, tantique illic imperij, & auctoritatis; neminem reperit, qui Externum Regi laudare non perhorresceret, Externis bello Regem petentibus. Rara igitur, maximè inter Sinas, fidelis amici constantia, per se statuit præstare quod per alios nequibat, suscepítque in se trepidam aleam perducendi Pechinum Riccij, profectionis interea dum adesset tempus, audiebat illum iucundissimè, & auidissimè de nostratibus literis; præsertim de Geographicis, & contemplabatur summa voluptate, molem terræ globosam, in plana extensam tabula, cum explicationibus partium singularum, elegantissimo charactere, ac stilo Sinensi; hanc Regi donum elaborauerat Riccius.

Nanchini à nemine excip.

30. Singularia cum Prorege Nanchin. de *B. V.*

Erat Guano in paucis amicus Nanchinensis Prorex Ciaus Cotaius, eminebátque inter Literatos, sed vitandæ causa æmulationis, Chiunguini, diei itinere degebat, ne quid simultatis inter ipsum & Præsides tribunalium regiorum quandoque incideret, quorum maior est quam Proregum potestas. Is Guanum officij gratia per nobilem visens, donum illi, vt mos est, obtulit; descriptionem orbis vniuersi, quam elucubratis circum elogiis, cum eiusdem auctore, magnificentissimè laudabat, videbatúrque tacitè optare vt sibi attribueretur; hanc olim Sciaochini à Riccio delineatam & editam tanti fecerat

rat Ciaus, vt iussam denuò excudi, sua manu & stylo illustraret. Guanus mirè gaudens id Riccij opus ab tanto ingenio suspici, sciendi iuxta & regendi Magistro, prosperéque arduis in rebus, sæpè ab Rege adhibito, illi significat habere se domi Literatum illum eminentissimum, cuius esset inuentum illa Descriptio. Prorex moræ impatiens Mandarinum cum gestatoribus, & equitibus ex templo destinat rogans eius sibi præsentiam ad dies aliquot commodari, cuius pridem videndi summo desiderio tenebatur; erat postridie Riccius Pechinum discessurus, sed fuit Proregi omnino satisfaciendum; dies cum illo decem egit, de literis, & religione, tam cupido, & suspenso de loquentis ore animo audientis, vt pié crederes incantatum. Sub congressus huius initia cum Prorege solus in secreto conclaui, Saluatoris tabulam quam Regi ferebat ei aperuit solerti expressam penicillo, & nitidissima crystalli perspicuam glacie; huius aspectu colorem mutauit, visus tangi horrore, sed longè diuerso quàm suspicaretur Riccius, qui valdè attonitus, quod fori vtraque, sua manu reducta illam operiret, monuit haudquaquam pro idolo habendum, aut vultu mortali, sed eam esse effigiem terrarum, & cœli Domini; & hæc (intulit Prorex) seipsa, vel tacente te, talem prodit, quod primo intuitu sentiens illam clausi, vt loco digniori conuenientius spectaretur. Accitísque honorariis famulis, iussit aram in fano erigi, quod omni superbum ornatu insupremo extabat palatij vertice, ex quo ipse aliique Proreges venerabantur cœlum; quod idem retinent Literati, residuum infœlix illius adorationis quam eorum maiores cœli Domino exsoluebant. Dum instruitur altare, & seruatoris in eo locatur effigies, tota sua Prorex induitur cultus solennis maiestate, procedítque cum aulicis condigna etiam pompa fulgentibus; capacem artis eximiæ acerram iubet ad pedes imaginis statui, eámque iniecto ipsemet suffitu vaporat; tùm passus aliquot retrocedens, quater humi proiectus, & fronte solum tangens adorat; inde se ad latus venerabundus sistit, non ausus præ reuerentia coram aduersus consistere. Qui sensus homini dum vixit hæsit adeo impressus vt Pechini summo Magistratu fungens, gloriaretur illam imaginem se domi habuisse: secuta Proregem aula omnis, vrbisque nobilitas sacram effigiem pariter adorauit, datáque est vni eorum cura vt quotidiè foculum, & suffitum ad eam instauraret. Fuit tandem Riccio abeundum, vt assequeretur comites qui Pechinum versus iam anteuerterant. Prorex discessu illo dolens, copioso illum argento donauit; sanè tunc perneccssario, iter enim leucarum susceperat ad plures trecentis sumptu Collegij Macaensis; at dono quouis æstimabiliùs, quòd rerum, & aulæ peritus, propositum Riccij sagacissimis iuuit consiliis, vt si non posset iis belli tumultibus ad Regem introduci, & Pechini manere; saltem in posterum non excluderetur, sed eam sui famam & desiderium illic relinqueret, vt cessante armorum strepitu, reuocaretur illuc pronis omnium votis quod vti præuiderat

contigit.

contigit. Salutatum hinc suis credidit gestatione ad ripam fluminis portandum, vbi eum expectans Proregis famulus celeritate summa nocturni diurnique remigij suis denique sociis illum iunxit.

Menses fermè duos cum dimidio id iter Nanciano Pechinum tenuit, nec ante pridie natalis Deiparæ in conspectum venere ciuitatis; & lentam hanc nauigationem, æstus caniculæ fecere propè intolerabilem, etsi enim liburna vehebantur quam Barcacaballum Riccius ex Sinensi vocabulo explicat, ob celeritatem eius nauigij, sed onerariis lentisque nauibus fœderatam, nefas erat relictas præcedere, hinc malignitate caloris immodici, multi ægrotarunt; Riccij vnius sani ac valentis prolixa caritas, sedulitate, industria, & quibus poterat, ac norat remediis omnes restituit; nec eo minus accuratè perrexit cum ad vrbes singulas applicaret, quibus amnis ille prætenditur, gradus earum sub polo metiri. Tiencinum denique appulit vrbem egregiè munitam, ad quam procul Pechino amnis nauibus portum facit, sed cum ducto inde in vrbem alueo ferri non liceat nisi nauigiis in Regis obsequia deputatis, terra viæ reliquum exegit, quæ innumerabili mercium & annonæ comportatione stipabatur.

51. Pechinum sedes Regia.

Pechinum Sinarum Metropolim, toto orbe famosam, Imperatoris sedem, otiosiùs lustrabo, cum post biennium in eam Riccius meteducet, futurus eius perpetuus incola; nunc hospes magis propè fortuitus & mensis vnius, quàm aduena: quanquam id ex breui hospitio lucri fecit vt illuc postea inuitatus rediret, tunc verò tertiam Christi operariis stationem in Nanchinensi regia fundaret. Riccium lentè nauigantem Guanus Mandarinus terra præcesserat, iámque aduerterat se nimiùm blanda honorum expectatione fuisse delusum; verum, vt erat ingentis animi, ab suis promissoribus desertus, Riccium haudquaquam deseruit, recepit comiter salutantem, & suo palatio hospitem, & quod erat necesse vt per aliquem Eunuchorum qui magno eius aulæ probro in ea dominantur, innotesceret Regi saltem eius nomen, tantum egit vt talem ei reperiret: at vilissimus semivir, & Guano fidem, & spem Riccio fefellit. Sibi dona imprimis Regi destinata exponi voluit, quibus etiam spectandis ex Guani comitatu multi adfuere, Riccius eorum rationem, vtpotè inuisorum, editurus, reuerenter accedens ad Eunuchum; quocumque id tandem instinctu, salutatus est ab eo de genibus demisséque procliui, & significante optatum aduenisse. Inspecta vt expetierat munera, laudata cum stupore seorsum singula; & pro miraculis habita. In iis erat horaria machina, eleganti artificio fabrefacta quam acceperat à Præposito Aquauiua, triangulum ex vitro geminum; orbis quam diximus vniuersi docta & eximia tabula; tudiculare organum musicum, figuræ nouitate, & suauitate varia concinentium fidium, Sinis mirabile; imago illa Saluatoris Nanchinensi Proregi tanroperè honorata; Deiparæ altera, sed quæ vectatione improuida solutis asseribus quibus erat impressa, fore ad

sumptuosè

rem inepta videbatur, quod ita conseri nequiret vt comissuræ penitus laterent; sed diuinauit hoc ipso Riccius pluris decuplo æstimandam, quòd tribus ab sese disiunctis tabulis ars picturæ, figuram vnam tàm aptè indidisset; & quod erat erroris, & infortunij, artis caput euasit. His diu & sæpiùs inspectis, cum singulari commendatione, demum Patris in aurem Eunuchus, de cœtero? inquit, imo prorsus de summa innuens, reliquis iis quæ ostendebantur, alioqui in cassum futuris; adhuc enim hærenti Riccio quid vellet, clarè ait de mercurio figendo, durandóque in argentum probæ ac legitimæ coctura, quod vos occidentales Philosophi, fama teste, optimè tenetis: cui Riccius tàm longè à vero abesse occidentales Literatos, transformatione metallorum occupari, vt Chemista & fatuus apud nos idem esset, paucos sumptuosè in eo delirare, nemini vnquam processisse. Hic Eunuchus ex comi serius, mentum prensans imberbe, velútque nunc id primum reputans, cuius antea fuisset immemor; non poteras, ait, rebus tuis magis aduersum tempus eligere. Pugnant contra Externos Sinæ, pertinéque huc etiam armorum fragor; quis te nisi sibi inimicissimus Regi audeat nominare? quo tanquam proximo timore semianimis abscessit; expertus videlicet Eunuchos Regis imperio, vbicumque molesti fuissent, solitos fustibus ad necem contundi: at si Regi externum obtulisset, insatiabiliter argenti cupido, conficiendi argenti peritum artificem, nihil erat tàm cessæ inter Eunuchos gratiæ & honoris, quod sibi ab Rege non confideret tribuendum. Eunuchi responso Guanus Præses, & Riccij causa dolens, quem verè amabat; & sua, nam & sibi timebat, persuaderi tamen non potuit, quod multi suadebant, vt abiiceret Riccium, sibique ignotum simularet; euicere id solum vt eum reduceret Nanchinum, ac ne id quidem adeò seuerè, quin assentiretur facile roganti, vt se in omnes casus Pechini relinqueret, cumque Mandarinos gratulatione annua natalis Regij perfunctos oporteat intra mensem Pechino abire, at discedens ipse multas Riccio dedit ad potentes amicos epistolas quibus illum enixè commendabat. Verum nemo omnium ausus est vel consueti honoris salutationes ab eo admittere, nedum patrocinari eius negotio: quare mensis vnius repulsas passus continuas, Nanchinum remensus est iter, Pechino malens per se vltro abscedere quàm expelli, & discessus mœrorem spe bona sustentans redeundi, cum illic tam multos relinqueret admiratores sui, sibique peramicos, & donorum quæ Regi ferebat laudatores, quos vnus ab eo auerterat suspicionum timor, ne armis externorum, Sinas terrentibus, familiares externo crederentur. Cæterum illi clam per fidos homines significauerant, ponente belli Iaponici strepitu, curaturos eius in aulam reditum. Ferebatur Nanchinum aduerso flumine inepta naui, & ab remulcis, & remis tam malè instructa, vt Lincinum vsque (Scianthunæ Prouinciæ vrbem opulentam) mensem posuerit; quæ lentæ tædia nauigationis in otium vertit affecti pridem explendi

51. Eunuchus fidem fallit.

52. Sinensis amicitia fidelis.

52. Vocab. à Ric. cio Sinense eximium.

operis, quo nullum nostris in Sinas venturis suscepit vtilius. Lexicon erat Sinensi charactere tanta diligentia accurato vt nulla ei aut linea, aut apex, aut eorum situs, nexúsque varietas deesset variæ cuiusque significationi apta, prodigiosæ labor memoriæ: characteribus singulis sua erat adscripta notio, & pronuntiandi modus, literis Europæis. Iam character quiuis vocabulum integrum cum notet; sintque vocabula omnia vnius syllabæ; sæpè fit vt multa significet vna vox quæ nisi diuersè vocem eandem pronuntians accinat, distinctè intelligi nequeunt; isque accentus adeo est subtilis, & assuetis etiam auribus perceptu difficilis, vt cogantur quoque interdum periti, in vola manus, aut aëre certis characterem distinctum apicibus digito formare quo vocem æquiuocam, loquentis arbitrio adstringant. Excogitauit itaque Riccius notas quinque diuersas, & maximè simplices, sonis totidem congruas vocis vnius efferendæ; iisque vbi opus esset aspirandis, spiritum ex Græco asperum indidit. Pronuntiabat verba Riccius vernaculo sono, Cattaneus, musices non indoctus, sonum illum, dictis iam notis ad verba singula indicabat; & si poscerent aspirabat: quo tandem opere absoluto vetuit Riccius nostros alias sibi excogitare ad hoc & describere peculiares notas, sed his exscribendis insistere, quæ posteris communiter omnibus vsui esse possent; quod eæ non poterant, quas suo quisque priuatim arbitrio vtendas finxisset; Ex idiomatis præterea duobus, vulgari addiscendo primam operam dari iussit, quòd esset facilius, & clarius, passímque vsitatius; secundam alteri longè dissimili, culto, laborioso, minus necessario, nec ferè nisi Literatorum vsu trito, ne vtriusque confusa disciplina geminaretur labor, & minueretur fructus. Post mensem demùm quam lentæ, ac molestæ, tàm vtiliter occupatæ nauigationis Lincinum ventum est Decembris initio, vbi sub arctici, sesquiseptimo tantum gradu supra tregesimum, Iuni alueus in Gueium amnem influentis, glacie concretus, eorum nauigium fixit, quadrimestri solido minimè liberandum; quæ est illarum ad Septentrionem regionum natiua temperies vt prima hyeme conglaciati amnes iter præbeant equis & curribus secuturis: quare illic ne tamdiu hæreret otiosus, relicto ad Sarcinas cum fratre Fernande, P. Cataneo, paucisque aliis de quibus inferius, ipse cum duobus, terrestre iter arripuit, instinctu actus quem fuisse diuinum probauit exitus, tertiæ nimirum Euangelij Ministris locandæ stationis post Sciaoceam, & Nancianam: mente repetens Chiutaisum suum, in paucis fidelem discipulum, cuius assiduis literis fuerat stimulatus ad nostrorum sedem in Nanchinensi Prouincia fundãdam, maximè Suceì ipsius patria; eò iter intendit. Indeque Taniam Suceo haud multum dissitam in quam Chiutaisus tunc demorabatur; qui repentino illius aduentu in omnem effusus lætitiam; simul ãcerbo dolore ictus est, videns diuturni ærumna itineris confectum, & prope morientem. Quamuis autem angustè habitaret in cœnobio Bonziorum, lectulo suo

Docti & Neoph. amicitia sincera.

ſuo ægrotum excepit, ipſe deinceps humi cubans, eique tam ſedulam impendit, & liberalem curam, vt intra menſem reſtitueret illum priſtinis viribus, expeditúmque ad moleſtias quæ præſtolabantur illum Nanchini grauiores. Etſi verò mercedem tam obſequioſi hoſpitij Chiutaiſus ſpectaret nullam præter conſcientiam nobilis animi, erga Magiſtrum & amicum grati, duplo tamen ſibi factum ſatis putauit, cum trigonum ex vitro ſolidum quod dudum cupierat, donum à Riccio accepit, qui quanquam aſſereret vili eſſe apud nos, illic ſola pendendum raritate; facere nequiuit quin & nouitate, & illuminandis quoque deformibus varietate multiplicium colorum pulcherrima, margaritum incomparabile haberetur, capſellam igitur ei recondendo cutaui argenteam, & duos vtrimque vmbilicos, claudi catellis aureis duabus; nec diu poſt in eius pretium aureos renuit quinquentos qui pluris illic ſunt, quam bis, ter mille in Europa: quæ fuit eius generoſitas pectoris etſi tunc egeret, ne vitrum duplex quod Regi parauerat Riccius, minus illi veniret pretioſum, ſi fortè ab alio ſimile accepiſſet; poſtquam enim Regi duo illa Riccius obtulit, quæ ante Pechini oſtenderat, ſuum Chiutaiſus, quingentis plus aureis vendidit. Dum autem cum eo Riccium, nondum benè firmata moratur valetudo, & crebro inter ſe conferunt de nouis in Regnum foribus pandendis, Euangelicæ prædicationi, conueniunt denique nuſquam poſſe tunc id importunius quàm Nanchini, nuſquam commodiùs quam Sucei, quanquam ne hoc quidem, ſatis proceſſurum iudicabant, niſi Reſcripto Prætorij Regij Nanchinenſis, obtentu ſummè difficili. Nanchinum ergo ſoluto iuſtitio appellunt Februarij ſexto anno 1599. poſt celebritatem lunæ nouæ vertentem annum inchoantis.

54. Nanchinum quidem omnium ſumma voluntate Riccius ilic excip.

Nanchini vox Sinis, aulam ſonat Auſtralem; Pechinum Borealem. Cataio iſta continetur, ſex trans amnem Chianum complexo prouincias. Mangino illa in nouem alias ad auſtrum porrecta: qualem vidit Riccius hic pono, cuius nunc à Tartaris proſtratæ cadauer informe ſupereſt. Multis olim ſeculis Regum ſedes; poſt eadem ſemper illuſtris dignitate, ac prærogatiuo omni iure, dempta ſolum Regis præſentia, qui thronum ſuum Pechinum tranſtulit. Cœlo fruitur ſalubri, amœna planitie, alluuione ingentis fluuij Chiani, cuius immiſſus in vrbem Sinus onerariis quoque non impar nauibus, commeatuum florem, & mercium, per fora, & compita circumportat frequentia Ciuium abſque vlla comparatione Pechino maior, & nunc etiam poſt ſtragem à Tartaris editam, capitum cenſet millionem, murorum triplici diuiditur cinctu, quem tres vrbes facilè dixeris, niſi intimam totam Regis palatium occuparet, hortis, viuariis, Eurippis, venationibus omnique ad delitias inuento ingenij, & manus ſpectabile. Vrbis mediam partem, præcipuam, & curioſiùs munitam, murus ambit milliarium viginti, ea craſſitie vt poſſint tres currus æquatis frontibus ſuper illum agi; Fabricæ illius materiatio, ſaltem exterior ſectura

marmor; soliditas quibusvis machinarum quassationibus infracta; custodia, milites quinquagies mille; portæ duodecim ferreis obductæ laminis; sed longis ab ingressu spatiis obliquæ, cæterum tormentis ad defensionem, & militari præsidio egregiè armatæ. Murorum vltimus suburbia includit, quanquam sua etiam habet suburbana, eaque ampliſſima; intercipitur flumine hic murus quod latus vrbis alterum ita vallat, vt propugnaculis aliis non sit opus. Iactant Sinæ ambitum huius muri si duo equites summo mane aduerso itinere incipiant radere non occursuros sibi nisi sub vesperam; putauit Riccius milliaria Italica complecti quadraginta, sed eius non exigua pars habitatoribus vacua, in hortos, syluosa, & lacus extenditur, ædium magnificentiam prohibet, quod in plano depressæ nullis gradibus assurgant, nec putent decere regni primaria capita, vt illic splendore ædificiorum honorentur, & sese ostentent, vbi Regis est sedes aut esse fingitur; turres itaque, & arcus & templa, in aliis vrbibus tam crebra; Nanchini, & Pechini nulla. Sed Regum sepulcris, fulgebant augustiùs quàm reliquæ vbivis ciuitates, alia quavis ædificiorum superbâ. Vocatum se scripsit Riccius in templum, seu theatrum potius inter sepulchra illasitum, ad symphoniam Regiam qua Confusij memoria quot annis, Regis nomine colebatur; Regum illic vacui splendebant throni. Conflabant musicam Taosij asceta idolorum, quos penes id iuris & muneris; omnes simul ingenti numero, instrumentis, & vocibus carmen idem, prius mente conceptum sonabant. Instrumenta ex metallo quædam campanulæ instar aut peluium; ex ligno & lapide quædam eiusdem figuræ; fides vario cordarum numero, sed omnes ex torto serico, nonnullæ digitis, aliquæ barbito pulsabantur, tympana corpore tam enormi, vt fulcris imponi oporteret; paulò gratior erat tibiarum sonus, & fistulatorium organum. Postremò Riccius indicat magis quàm exprimit instrumentorum formas quasdam, diuersorum animalium specie, quæ sonum percussis dentibus edebant. Verum enim vero, aures conduceret Sinensium qui vellet hanc sibi musicam placere; nostras in modulis odere minutias gutturis, vt leue ac stultum redolentes; nos contra illorum, vno se tractu portantem symphoniam, nullius aut artis aut varietatis illicio, & episodio conditam. Dolent tamen illam sibi periisse veterem musicam qua Reges, Philosophi, ipseque Confusius benè regendi leges carmine digestas decantabant, miserúmque id quod ex ea restat ad Bonzios, fœcem hominum deuolutum. Cinhoo id factum memorant, hoc est incendio Cin qui muro illo decumano ab Sinis Tartaros excluſit, & iussis cremari toto imperio Musicorum & Literatorum libris, maluit suos ad pugnam & ferrum contra hostes parari, quàm philosophari domi de bona imperij moderatione. Sed hæc de musica plus satis: templum illud describit Riccius sepulchris cinctum regalibus, ea magnificentia operum, materiæ, sumptuum, vt possit non temerè inter Sinarum miracula censeri, sed parum hic

hic ad meam rem facit, ire per singulos scalprorum, & pictorum ductus; tantarum rerum dedisse inditium sit satis ad æstimandam stragem à Tartaris toti regno, Nanchino maximè, & Pechino illatam: ab iis læuitam vtrobique Pechini in mortuos gentis Taminiæ cuius fundator Cius, cognomento Humuus seu Bellator, qui septuageno demum anno Sinas ab Tartaris in libertatem vindicarat; multo minus Regum palatiis parcitum, omnia in flammas & tudera iere. Nanchini quoque nomen abolitum, restituta Chianam veteri appellatione qua Rege Iuenio Tartaro vocabatur; Regum sepulchra cum templo siue aula, funditus eruta

Quærendum hic esset, Nanchinum ciuitas, an sit eadem cum illa tantoperè iactata, & disputata Quinsaio: vnam putauit M. Polus illius inspector Venetus. Ricius Hanceum veram esse asserit Quinsaium; suis vtrique nituntur argumentis, quibus tàm procul non possum certiora, quàm qui in rem præsentem venerant comminisci, proin litem subiudice vt fuit hactenus relinquo.

Nanchinum subierat Ricius, cum fidissimo sibi Chiutaiso, pacti sedem in ea, ne quidem admittere, nedum ambire aut quærere, vtpote aduenis inimicissima, licet alioqui omnibus præferenda. Sed vlque adeò ab ea quæ fuerat mutatam reperiunt, vt propositum pariter mutarint. Gestiebat vrbs insanis lætitiis de sancita cum Iaponibus pace; blandiebatur sibi exaggeratis mendaciis de Taicosama cruento prælio ab Sinis, debellato, necato, cum suis æternùm profligato, & mortem ægroti, & decrepiti barbari quam morbo & senio debebat, suis armis debitam celebrabat. Riccius verò tam se illic optatum adesse, tanta sui nominis præuentum fama, statim deprehendit, vt non ambigeret, Deo agente id fieri, cum & præiudicium repulsæ Pechinensis verterent Nanchinenses in eius commendationem, quasi nihil ei apud Regem ad summam gratiam obstitisset præter innocens nomen peregrini, sed bello instante odiosi. Chiutaisus pro virili sua velificabatur in vota Riccij. & aspirantes secutus fauonios deprædicabat vbique Riccium; lumen sapientiæ Sinensis, eiúsque totius scrutatorem feliciſſimum, & interpretem ineluctabilem; præter alias opes doctrinarum, de matheſi, natura, moribus, & sacris quas omnes in promptu haberet: idcirco illum certatim expeti & ambiri ab iis potissimum vrbibus, quæ literarum gloria florerent. His & similibus cò Guanum adduxit aduenarum & rituum Præsidem, vt retineret Nanchini Riccium, hortaretúrque ad legendam in ea domum; & verò mox prudentes è suis duos, iussit decentem illi, & idoneam quærere. Hic ille est Guanus qui Riccium non ita pridem in aulam duxerat, nunc in cœnobio Bonziorum cum Chiutaiso hospitantem visit, omni tum veteri affabilitate, tum præsentis suæ apparatu, & pompa dignitatis: Chiæ illis sorbitiunculam de genibus obtulit Præfectus cœnobij. Guanus inde Riccium habere in suo

palatio triduum voluit, spectatorem Sinensis solertiæ in compositione, ac ludis festorum ignium varietate mirabili ex aëre, machinis, domibúsque lucentium, quæ celebritas luminum, redeuntis anni plena luna vniuerso regno communis est, tantúmque in eam abit tormentarij pulueris vna nocte, vnáque in vrbe; quantum apud nos vnius anni bello. Vt vero cognitum per vrbem, quæri Riccio ædes, adesse illico permulti, suásque illi emendas proponere: quod ipse dum refert, merito gratias Deo immensas agit, suum hunc alterum cum priori Nanchinum ingressu comparans; infelici illo, exoso etiam amicis, omnibus execrato nisi quibus foret ignotus, electione demum ignominiosa infamato, idque ab amico, amicitiæ ius suis commodis posthabente; hunc è contrario lætum, optatum, gratum vniuersis; procerum omnium gratulatione & beneuolentia exceptum, in quo manifestam agnoscens Dei manum, nefas sibi putauit restitare, sed omisso quod prensatum venerat Rescripto, ad habitationem Succi obtinendam; totus deinceps in eo fuit, vt Christi nunciis mansionem in Nanchinensi Regia stabilem collocaret. Nec tamen propterea festinandam putauit ædium emptionem, quòd præter inopiam, doctus dudum vereri Sinarum ingenium Nanchini maximè, aura quauis aduersus externos mobile, certo sumptui, parum adhuc certum negotium credere noluit. Conduxit ergo domum, velut interea consilij dubius, & si res poscerent abiturus, donec tempus in lucem proferret, esset cuipiam ex summis proceribus suspectus, aut inuisus. Emptioni autem ædium vt resciuit Guanus nequaquam eum sufficere; tribunalis sui habitandum palatium ei tam liberaliter detulit vt etiam locario parceret. Sed eius contentus parietinis aliquot, statim illic cœpit tam continuato Literatorum & Magistratuum accursu frequentari, vt cibo aliquo illorum aduentum maturè præuertens, cogeretur diem iis excipiendis in multam noctem protendere. Accedebant vices mutui honoris ex lege singulis reponendæ, in quibus adeuntem inusitatis colebant obsequijs, & qui arrogantia maiestatis, nec leui aspectu inferiores dignabantur, erant cum Riccio à seipsis omninò diuersi, comitabantur abeuntem extra palatij primas fores, & in omnium oculis defungebantur illa omni quam pridem diximus salutantium proclinatione; sequebantur munerum de more missitationes, sed longè supra morem plurium & maiorum. Inter illos quos suis notat nominibus, excellentia literarum, & Magistratuum insignes ad se officiosè adiisse (quorum minus grata legentibus venerint, sonantia barbarum nomina) fuere sex tribunalium totidem Præsides, vniuersi Regni Administratores; alij tres honorem priuilegio iis superiores; supremus militum quinquaginta millium Præfectus. Eunuchorum item palatij Regij supremus (quo animante nihil glorioſiùs) caput talium numero ingenti semivirûm, sed fastum, & malignitatem supra hominem spirantium. Multi denique sanctimonia virtutum Sinensium inter suos illustres in quibus fuit Licicus quidam,

dam, annorum iam septuaginta; qui studiorum, & Reipublicæ ad nauseam satur; contulerat animum ad sectæ fabricam, cuius dogma fas sit ex eo colligere quòd præter summarum vertices dignitatum, adiri se sinebat à nemine, quibus tamen honoris mutui vrbanitate solita minimè respondebat; visumque miraculo simile quod Riccium adiret, ac profiteretur solenni ritu eius discipulum, habuisséque illum pro Magistro ex quo eius de amicitia legisset librum, quem & Philosophis omnibus Sinarum prætulisset, & procul in amicos multis sparsisset apographis. Adiecit, & donum Riccio flabellum duplex; vulgare inter Sinas; sed decatessero carmine pretiosum, quod in Riccij laudem ingenio & manu tam celsi inter Literatos apicis inscriptum legebatur, cuius tanquam Poëtici canonis, certatim multi exemplum poposcere. Huius tamen congressus sit præcipua laus, si tamen sincera, quòd ille omnium protodidascalus Riccium audiens in Deo, anima, immortalitate quantùm Sinæ errarent demonstrantem, seu veri iam conscius ad assentiendum, seu tenuitatis suæ ad repugnandum, fassus est vera esse quæcumque à Riccio dicta essent. Postremò par quoque, apud Sinas quam faliax, tam diuinum; mangones duo recoquendæ in annos iuuenum senectutis, visendi obsequium Riccio detulere ætate vterque florida, sed hic annos vitæ professus nonaginta, liberalior alius trecentos. Horum ars vendere immortalitatem huius vitæ, præter quam Sinæ præsertim Literati beatitatem nullam sciunt: hi ergo tam blandæ mandinatores stultitiæ, Riccij dotibus, omnium laudatis admiratione, in rem suam vsi, vulgarunt prorsus illum esse eiusdem secum arcani conscium, nec potuisse hominis vnius, tot comparandis scientiis vitam sufficere, nisi partam primo æuo doctrinam & sapientiam senilem in æui alterius iuueniles annos sibi conseruasset. Hi ergo omnes, & absque numero alij, voce votisque communibus Riccio plurimum instabant vt vellet Nanchini manere; & summus Chiansensis Prouinciæ Præfectus dictitabat palam, iniquè ac perperam cum Riccio agi, quod annis viginti, lingua, moribus, scientia, legibus Sinensis, & cui parem Sinæ in omni virtutum genere ac scientiarum haberent neminem, etiam tum pro peregrino haberetur, dùm interea Saracenorum fœx barbara, è Persida, Mogore, vnde non? Sinas falli volentes deciperet, & cultu nonnihil simulato, mentito tributarij nomine inter Sinas quieta degeret. Sed lenti negotij moras omnes præcidit, quòd Patres Guani Præsidis tutela septos, cum existimarent tribunalium omnium Magistratus; nunquam sibi Pechini culpæ dandum putabant quod tanti viri præisset auctoritas, contra ille ipsorum apertis, & publicis studiis, desideriis, precibus, approbatione tam concordi nixus, fieri non putabat posse vt sibi de hac habitatione controuersia moueretur: sic partium altera de facultate alterius secura potiùs quam certa, certam Riccio tribuit habitationis facultatem. Quare dum socios Licino, vbi substiterant, ad emendam domum præstolatur, academicam

§4. Ignorantia stolida Sin. in Philosoph.

demicam scholam Nanchini aperit physicam & sacram, compellitúrque mox de turba auditorum quorum opprimebatur multitudine paucos seligere; nisi quod neminem excluſit ab errorum confutatione, quibus licet admodum: crassis tenebantur, & velut effatis ex tripode antiquo, fidem cæcam deberi credebant, in Mathematicis præsertim quorum falsitatem, rationibus validè ad mentem; manifestè ad sensum Geometricis organis persuasi, non tàm noui, quàm veri voluptate mirificè afficiebantur, confluebántque auidissima curiositate ad inauditam illam falsorum expugnationem, & vinci gaudebant oculorum suorum iudicio, cum planisphæriis, quadrantibus graduum, mensoriis radiis oppositum, certámque speculationem in sensus ipsos ingereret. His, vt nominabant ingenij fabrilibus prodigiis capti, primùm optimates, post etiam alij; certatim eorum exempla poscebant: quod in illa item contigerat Geographica tabula, quam duplo editis illustrationem, atque ampliorem Vzohaij rogatu descripserat. Vzohaius illam supremæ vir auctoritatis, in Typos dedit, editæque in lucem exemplaribus infinitis Sinas, Coraium, ipsamque Iaponiam recreauit. Idem quoque de hac ipsa factum, sed in plures discreta tabulas, ex quibus Queicej Prouinciæ Prorex librum composuit, suis cuique Regnorum tributis finibus, & conditione, præmissáque operis & auctoris elegantissima commendatione: tantorum virorum panegyricis Riccius euasit toto imperio celebris. Nanchini verò (quod scripsit ipsemet, & post hunc Cataneus) plus nobis aliquot mensibus auctoritatis & gratiæ accessit, quàm foret cunctis retro annis partum; stabilitáque ex eo firmiùs Societatis inter Sinas iam triplex statio, viáque ad plures complanata: quod enim Nanchinum regia probasset, nulli minorum vrbium, frons esset improbandi. Scripsit & varia deinceps, pleniùs, de elementis, de vacuo, de cœlo, de moribus quæ vt in manus Literatorum peruenerant, in Typos illico mittebantur; ipsáque adeo quotidiana prælectio in suas digesta peculiares materias voluminibus seiunctis ab auditoribus edebatur, quæ nec poterat vitare Riccius, nec si posset debebat, cum cò denique spectarent omnia, vt Dei vnius, omnibus insinuaretur notitia: quantùm autem ad hoc per se quoque conferrent scientiæ, quibus interea Literatorum animos distinebat, ementis patuit minimè obscuris; verum id etiam iuuenis Literatus ætate confidentior longè ante acutè viderat Ciamianues vocabatur; hunc discipulum Riccio miserat Guansungar ex Collegio Hanlino Doctor, Est Collegium hoc in aula Pechinensi cœtus hominum sexaginta, ex Literatorum medulla vndique delibatus ad componenda quæ Regis nomine prodeunt, nec debent nisi styli quadam maiestate concipi tam sublimis, vt eum assequantur pauci; & præter illos vsurpet nemo. Audiens itaque perspicax iuuenis, assiduè Riccium fidei nostræ principia inculcantem, ad euertendam idololatriam, & cate hinc statuens haudquaquam illum venisse tam procul, hoc vno laborum pretio, vt Sinis, Europæ scien-

§6. Scientiæ natur. quantopere ad fidem contul

tias

tias traderet; sed eò tendere, vt extirpatis religionibus Sinarum falsis, substitueret suam; cogitatum hoc suum aliquando ingenuè illi aperuit, multúmque hortatus vt pergeret, negauit superstitiones conuelli fortius potuisse quàm præsidio naturalium doctrinarum. Oscianorum enim antistites & Taosiorum, præter Theologica placita quibus suos sequaces tanquam oraculis obligarunt, inseruisse suis libris, de Philosophia naturæ, falsa palam, & deridicula; de solis ortu, occubitu, defectu; Holoano Deo solem dextra tegente; sinistra lunam; & istiusmodi deliria stolida; in quibus mediocri studio atque ingenio capiendis, cum tam stolidè, turpiter & mendaciter errasse communicantur; facilè aiebat in diuinis ab sensu longius, vsuque hominum remotis multo ineptiùs, stultiùs, & periculosiùs errasse; quibus nihilominus volumina implerunt innumera, tam partim insulsis, incredibilibus, insanis; partim etiam fœdis, vt nullus validè insaniens ægrotus tam aliena fingat & pernitiosa: quod rectè ab illo prospectum Riccius asserit, illósque errorum, & ignorantiæ in Philosophicis damnatos; auctoritate omni fidéque in diuinis cum inexpiabili rubore excidisse. Sed inter communes Doctorum plausus, vni dolebant Mathematici regij, & quòd aliud nequirent, peruerso aspectu, & ira oculorum vlciscebantur vt competitorem honoris sui, & lucri Riccium. Dixi aliàs horum munus, in quo inter cætera, de futuris luminum maiorum deliquiis cum enormiter exerrarint; iurati negant artis esse, aut negligentiæ errorem; sed cœli arcanum, prænuntiantis nescio quid noui, tarditate insolita consueti cursus, aut celeritate; quid autem illud? fortunatum an secus? diuinandum relinquunt: at enim hos sibi à Riccio valdè metuentes, sedarunt eius discipuli; nempe illum tanti apud suos fuisse, vt non essent illi transmittenda tot vasta maria, ad emendicandum ab Sinis tantulum id fumi & lucelli, cuius metu perdendi angebantur: hic non ægrè placati, honoris gratia Riccium adiere, nunquam tamen eò adducti sunt vt vellent quicquam ex illo discere, gentis, opinor, verecundati probrum, si Regis Archiastronomi, aduenæ vnius discipuli fierent. Plus fuit negotij tractanda cum Ethnicis pace, quorum geminas sectas exagitauerat, ipsisque illarum ex auctoribus, & Magistris, mendaces probauerat: non potuit ea res Ligiucinum latere, annorum septuaginta Mandarinum; multis olim regendis vrbibus Præfectum, quodque iuris & officij lex poscebat Confusio obstrictum; sed hæc æui lex melioris, processu annorum, decentiæ cuiusdam nomen acceperat; degenerauítque tandem in arbitrariam doctrinam; multíque inter Literatos etsi Confusium profiterentur in Philosophicis; in diuinis idola sectabantur, & de illorum erroribus, quod cuique libuerat adamarat: horum vnus fuit Ligiucinus, numerosæ scholæ nominatissimus academus & accessione continua crescentis; cui tunc per ætatem impar, nisi statis solum in mense diebus in auditorium non prodibat. Aucbat autem is, & nosse Riccium, de quo multa cum laude mira; in dies maiora ferebantur; &

57. Mathem. Regij infensi Riccio placantur.

58. Cum idolol. Literato solenne colloquium.

cum eo amicitia coniungi ; communem ad hoc amicum adhibuit Chiutaisum vtrique intimum qui facile à Patre obtinuit vt eum viseret. Præsto fuit adeunti senex in corona suorum, lecta illa, nimiúmque ardenti ad spectandum par nobile in docto puluere sui specimen daturum. Nec verò diu suspensi hæserant, cum illos sui puduit Præceptoris : idque Riccius vnum agens vt lucrifieret Deo vir auctoritatis pestiferæ ; post vrbanitates consueras, sensim de Dei vnitate posuit quæstionem, eóque hominem adegit, vt fateretur idolorum sectam, putridum pomum esse, addens tamen ex putrido illo superesse nescio quid sani, quod ipse proiecto putrido secretum legeret : qua responsione sibi eatenus inaudita, erubuere illius discipuli vehementer ; ipse contra quam ex illa commissione expetita futurum iactauerat, dolore simul non consolabili & stupore afflictus siluit, videns sectam suam tanta vi expugnatam. Cœterùm fuit sua ipsi cæcitas carior quàm vt notæ iam cederet veritati, vellétque senex & Magister, sub extraneo Præceptore discipulorum condiscipulus fieri : ne igitur alius ab eo qui ante fuerat videretur dum cœtui interest, quales passim cogunt Literati ad quæstiones de moribus versandas ; aduersus Confusium, pro idolorum deliris somniis effrons inuehitur : aderat fortè tunc Leutesius Mandarinus, dignitate præstans, defensione veri libera & fideli vbicumque res ferret præstantior ; indignatus ergo proiectam aduersus Confusium disputatoris audaciam, acerrimè illum reprehendit, publicæ offensionis accusauit ; damnatisque illius assertionibus ; fortè illum ait, non audisti, magnum ex plaga occidentali Literatum Dominum Mattheum Riccium toto regno clarum ; sed non potes nescire libris Sinensium omnibus, in quibus est versatissimus Confusium nostrum ab eo anteponi ; Philosophiam verò Bonziorum, & simulachrorum adoratores, soliditate rationum ineuitabili, monstrosæ amentiæ conuinci ; offendi verò illum magnoperè desertione Confusij à quo Sinenses Literati ad futua dogmata deciscunt, non modo tenenda, sed etiam aliis tradenda ; cultores porrò idolorum in Occidente, raros esse, viles, incultos, barbaros, nullis literis tinctos. Et verò Riccius magnis de causis laudabat Confusium, tùm quòd is & Deum agnosceret eundem quem Sinis Riccius prædicabat, quemque ante inuectam idolomaniam semper coluissent ; tum quòd præclarè sentiret de moribus, Confusij denique commendatione, conciliabat sibi Literatos vt dociliores haberet ad Christi legem audiretúrque ab iis tanquam beneuolus, & veri amans non tanquam aduersarius, & Confusij exsecrator.

59. Ex Confusij doctrina idolol. expugnatur.

Ac viri quidem sapientis acri perstrictus reprehensione Ligiucinus, nihil quod hisceret habuit, nihil quod defenderet ; dumtaxat intulit cultum idolorum idcirco à Riccio damnari quòd eum latarent quamplurima quæ suscipiebat se illi fusius dissertarum, sic Leutesio indignante ; muto Ligiucino, attonitis reliquis huius libertate, & illius amentia, cœtus solutus est.

Sed

Sed (quod Sinis solenne diximus, quæstionibus tractandis, etiam grauibus conuiuiorum vti opportunitate;) Riccium Liguicinus ad cœnam vocat, ignarum quidem proximæ disputationis, sed persuasum altercandi causa non discendi, se vocari à sene suarum tenaci fabularum: quamobrem excusat occupationes, & diem ieiunio sacratum; nolens inimicare sibi hominem factiosum vi tota concertandi, spe nulla eius dimouendi à pertinacia erroris: at is iterata inuitatione, ac precibus, & religiosis cibis ieiunio cauens, adhibito insuper hortatore Chiutaiso, id demum extorsit, vt sumpto habitu cultúque Doctoris Riccius ad conuiuium iret. Venienti obuiat Ligiucinus in cœtu nobili virorum, Magistratibus, & doctrina illustrium, quos pariter numero triginta vocauerat: quin & contra regni decorum, & legem, aderant feminæ, seu curiositas spectandi peregrini, ore vrbis totius celebrati eas adduxerat; seu fortè vt ferrent etiam de futura pugna iudicium. Verum in se omnium oculos expectatione ingenij, & insulsitate cultus aduertebat Sanoaius quidam idolorum Minister fama notissimus, quem sibi nimis quàm cuperet Riccium experto, Liguicinus subsidiarium, in pugnam prouiderat priori difficiliorem. Erat hic Oscianus secta, non tamen quod ferè alij, stoliditate, & ignorantia asinus, sed omnibus sectarum ethnicarum, suæ potissimum Oscianæ mysteriis eruditus, magnus de reliquo ex pulpito declamator, exæquo Poëta, fastu, audendique licentia centies tantum maior, vtpote Bonzius*, hoc est, pessime natus, peiùs educatus. Mutuas vrbani obsequij & prolixas vices Pater expleuerat, cum hic illi statim ad latus assidet, & prouocatoris gloriam ambiens, quærere incipit de religione. Callentissimus sectarum Sinensium Riccius, quæ sunt delirum quoddam spurcarum turpitudinum inuolucrum, non est passus vafrum nebulon m loquaciter & vagè fabulari, ne quà manum prementis sentiret, aliò inde suffugeret. Sed hærere in vno compulit quoad esset exhaustum, & ante omnia profiteri quid opinaretur de primo rerum conditore, cœli & terræ domino, Tieneiu nomine. Frustra enim quæri de religione, nisi prius de illo constaret, qui si desit, constare vlla religio non potest. Assumpto Sanoaius scholæ suæ supercilio, frigidè respondet, Deum esse, non qualem fingebant homines, maximum, incomparabilem, cui par nulla res esset; nam Deum inter, & hominem quod intererat discrimen nullum esse; ac se quidem; hic aposiopæsi cætera, quassans caput absoluit, innuensque se sua contentum fortuna nihil Deo inuidere; nam si quisque hoc ipso quod homo est non impar Deo est; se inter homines, doctrinæ præstantia homine maiorem, maius aliquid Deo esse. Indignatus superbum, & bardum animal Riccius, videnſque non esse subtilioribus hic locum; sumptis de triuio, eius & boum stercore argumentis cœpit hominem lapidare; & si nullum est, ait, inter te Deumque discrimen, potes igitur idem omne quod Deus, mundúmque adeò si voles alium condere; nam si non vales tantumdem

60. Disput. Riccij cũ *Bonz.*

præstare quantum Deus, vanè illi omnino æqualem te facis. Ego verò infert Sanoaius, crearc mè posse mundum nouum aio: ast ego; refert subridens Riccius tantum tibi laboris libenter condono; quod facilius est solum peto, vt prunis ardentem foculum, huic (qui forte illic repositus fuerat) per omnia similem coram hic nobis spectantibus & admirantibus nunc crees: ad hæc multa in Patrem furiosè bacchanti, & vociferanti accitum se ad concertationem ingenij & Philosophiæ non ad mechanicam; iniectum est frænum etiam ab suis; dictum est Patrem æqua postulare; præstaret quæ posse se dixerat; sin autem, causam ederet cur nollet. His sese recipiens Bonzius, & prima inuoluens maiestate. Astrologus es? ait conuersus ad Riccium; sim sanè si ita vis respondet Riccius; cœlum ergo & stellas, subdit, dum mente & oculis metiris, in cœlum ascendis, aut descendit in te cum stellis suis cœlum? Neutrum, inquit Riccius: sed imaginibus rerum vtor, quas mente concipio & gero. Fatere igitur te victum exclamat Bonzius, arrectúsque in pedes, hic ingenij tui labor quid est nisi solis & lunæ, stellarum & cœli in mente tua creatio; quod potes in iis partibus idem præsto in orbe vniuersum apud me cogito, & mente pertracto. Hac Dei laponum, & Magistri Xachæ doctrina impia, creami Deo, imaginantem animam æquantis, quàm stultè putaret Sanoaius se petitionem exiuisse, sic appositè explicuit Riccius, vt exploderetur ab omnibus error sacrilegus, quo in hominibus, imò & in brutis, imaginatio Creatori Deo æquabatur, quin & speculi glacies obiectas reddens imagines, diuini Ordinis fiebat. Tumultuabatur nihilo segnius Sanoaius contendens victoriam clamore; doctrinæ nomen impudenter emereri; furebátque tam belluina feritate, vt veritus Ligu cinus ne quam Riccio inferret iniuriam, seductum placidè foras amouerit. Inde positis cuique mensis discumbunt Literati, paucáque inter se hilariter locuti, quæstionem inducunt grauissimam, semper agitatam, nunquam satis liquidò diremptam, ex qua constabit Literati quàm sint ab Ethnicis disputando diuersi. Quærebatur autem natura hominis quam esset in classem referenda, rerúmne per sese bonarum? malarumi mediarum & vtramvis in partem ductilium? Nam si bona est per se, vnde tot illa quæ perpetrat mala? è contrario si per se mala, vnde tam multa quæ operatur bona? si ad vtrumque indifferens, & prompta, quis illam in vtrumvis trahit? ipsáne? at si tantum valet, cur non semper bonam in partem rapitur? at extrinsecus fortassis ab alio: duos ergo decerni opus est à quibus agatur; probum vnum, alterum improbum: quos porrò hos esse decernemus? factionum trium sui singulis propugnatores erant, eámque ingeniosè tuebantur, sed cum dialectica ignorent quæ filatim ex datis, aut certis, dubia decernit, nunquam sic aduersarium stringebant vt cogeretur se victum fateri; nunquam de partis vllius constabat veritate, domum quisque infecto prælio, & re integra redibat. Multo minus subibat de vitiatæ naturæ auctore

61. De bonitate Dei disput

ctore Adamo dubitare, sed nec eò quidem lumen iis insitum pertingebat, vt naturæ bona à bonis moribus; opus liberum à violento secernerent; sed impulsi animi affectus, & propensiones eius in varia, necessitatem interpretabantur: ex quo factum vt horæ vnius disputatione, quæstionem versando magis inuoluerent, quàm ex ea sese extricarent. Audiebat tacens dicentes Riccius, dissimulato prorsus vtramvis in partem iudicio: at ipsi cupidè quis esset eius de illa sensus nosse voluissent, nisi quædam illos suspicio tenuisset vel grauitate quæstionis absterritum, vel dum dicerent, animo vagatum. Verum iterandis sæpius iam dictis cum velle viderentur aliquid ab eo adiungi, conuersus ad eos Riccius exporrecta & vrbana fronte audientiam sibi fecit; ac resumptis primum sententiis omnium, singulis, probationibus earum ac depulsionibus suam vnicuique, laudem & pondus attribuit, ostenditque se non vti putarant otiosum, aut minus intelligentem siluisse; tum de suo adiunxit quod minus expectabant, decumani phalaricam impetus ad dispuluerandum errorem nefarium quem Liguicini, & Sanoaij veteratoria impietas, semper ante damnatum reuocabat in auctoritatem, de vna scilicet eadémque Dei & hominum natura; quod erat dissertationi super mensam habitæ affine. Si Deus, inquit, supremum bonum est, nec potest aliquid cogitando inueniri aut fingi melius; animus verò ex mente Magistri Sanoaij eiusdem planè est cum Deo substantiæ ac naturæ; quì potest in controuersiam deduci maláne an bona sit? Si porrò ea est de cuius malitia, & bonitate toto tampridem imperio certatur, & ruptis vbique clamore certantium exedris, pendet tamen causa incerto sub iudice, nec liquet hactenus de illa quid sentiendum sit, nec vllo vel tot sapientum suffragio, vel pronuntiato iudicum vtramvis in partem profligata, in integro semper est qua fronte potest vel doceri, vel credi eiusdem anima cum Deo esse substantiæ, quem nemo, si modo homo sit, dubitat esse summè bonum? visa hoc laqueo adstringi Sinoaio gula; qui tamen Riccio aduersus sedebat vir eximiè doctus, vel dictum censeret, breuitate sua minus perspicuum, vel defigendum altiùs proteruo capiti Liguicini eiusque sequacium, copiosius idem eleganterque explicuit; tum ex Sanoaio, in mensam reducto rogauit quid sentiret? cogitabat homo vaferrimus silendo, & fastidientis vultu deridentisque proposita, tanquam suo indigna responso, solutum iri se tam implexo nodo. Verum huic omnes conuiuæ incumbere, responsionem ex eo vrgere claram; negaret, cederet, propugnaret; non esse illi rem cum homine cuius robur ingenij ludi posset; ratione cum illo non sanis & contemptu agi oportere: accersita ergo in subsidium causæ memoria, scriptorum suorum loca ad nauseam edere plurima quasi error idem de communi nostra cum Deo, substantia plurimorum ore, mendaciúsque satis firmaretur. At his millies tantum oppositurum se intulit Riccius, si memoria non rationibus pugnaretur, in defensione veritatis, argumentorum vi agendum, pergensque ac pre-

mens, eò tandem Bonzium adegit, vt desperabundus euomeret, nec bonum per se, Deum esse, nec malum; sed ἀδιάφορον, & in vtrumvis ancipitem; nihil enim posse bonum esse, nisi posset etiam malum esse; statimque exiliens ficta lætitia insanire, triumphare, assensum omnium plausumque sibi arrogare: at enim impium Sannionem non passus Riccius diu insulsè bacchari, responsionem eius quàm stolidam, tàm sacrilegam, & detestabilem rationum vi tanta, & pondere obtriuit, vt qui aderant vniuersi, ac ipse forsitan Liguicinus, negarent solem de medio die lucere clarius quàm eius responsi falsitatem: eam vt pluribus prodesset peculiari opusculo digestam, suo adiecit catechismo; audituri de illa fusius conuenere illum postea nonnulli; eius demum præcones effecti conuiuæ qui de Riccij ore illam exceperant, magna gloria fidei sacrosanctæ, & incredibili Mandarinorum voluptate, ob cineratam exitiabilem machinam, qua Liguicinus, & Sanovius Literatos cum summo dedecore pertrahebant in cultum idolorum.

Rebus In spes apertas fidei propagandæ tam secundo consensu progredientibus, adest, cum sociis P. Cataneus quem conglaciato amne Lincini detentum diximus; moxque Riccius ad emendam Societati domum curam omnem sed frustra contulit, Deo illi domum abiudicatam possessione cuiusvis alterius ita reseruante vt eius desertæ solitudo in decus fidei Christianæ, & Patrum commodum cederet. Leuteuius Mandarinus egregius ille Liguicini ethnici carminator, & encomiastes Riccij, editiore loco domum posuerat collegij sui Ministris habitandam, penes quod ædificiorum est præfectura: domum ex opificum manibus recentem Dæmones inuadunt, fragore ac monstris ab ea omnes arcent, quosdam temerè incredulos, & inconsultè animosos grandi suo malo faciunt cautiores. Adhibentur Taosij & Bonzij qui rabioso vlulatu, & dæmonum artibus dæmones expellant, sed ij punctim cæsim sacris suis dum tentant ensibus occursantes figere, aut diuidere spiritus, columnas scilicet, & parietes gnauiter vulnerant. Cœterum domus inhospita, inaccessa, monstris lemurum famosa remanet: hancergo Leuteuius ipsemet, mercem vltroneam Riccio obtulit, nec eius infestæ vitium tacuit, nec cassas in ea expianda Taosiorum nugas tragicas; nec esse demum tam formidabilem vt eam nec dono quisquam vellet, nedum pecunia. Sed in te, aiebat, virum sanctum, aduerto dæmones nihil ausuros, imo raptim fenestris euasuros vbi ædium limen contigeris, & eiusdem tecum impatientes tecti domum tibi fruendam relicturos, hoc si fore confidis; & si domus placet, bonis auibus tua sit, refusa dumtaxat parte sumptuum ferè dimidia quos in extruenda illa feci. Cui Riccius, dæmones nequaquam metuant Christiani, etsi totis pugnent, & sæuiant inferis, nam qui Deo seruiunt præpotenti, & summè erga suos pio, qui paterno illos complexu tuetur; nec mora domum adit, compertámque habitationi decem Patrum valdè idoneam

61. Infesta lemuribus domus Patribus venditur, & sanatur.

neam, præsenti condicti pretij parte illam emit, partem alteram in annum distulit. Die eodem Mandarinus generosa planè munificentia cum emptionis tabulis Edictum sponte ad eum misit, Magistratus sui sigillo munitum, & pro foribus appendendum, quo seuerissima interdictione, vetabatur quisquam litem pro illa domo Patribus mouere; suo ac suorum, assensu Collegarum, dicebantur eam legitime possidere, ac iure perpetuo domus ad illos pertinere: quo beneficio vltra quam sperari poterat attributa est nobis & domus, & ciuitas auctoritate in posterum firma & stabili, Aprili exeunte anno 1599. ex quo nostræ huius stationis eximiæ deinceps anni censebuntur; hæc votis tam dudum irritis oprata; tam præter morem legémque imperij inexorabilem, nec petentibus nec cogitantibus obuenisse, ne Ethnici quidem paulo cultiores Deo factum auctore negarunt, Guanus Præses Riccio intimus, insigni miraculo deputauit; & crassioribus etiam palpandum Deus exhibuit. Expectabant omnes quo nox euaderet quam primam Riccius ducturus erat in ædibus in quibus dæmones nullos secum volebant inquilinos. Domum ingressus aulam instruxit, altare composuit, preces aliquot fudit, sacratæ aquæ aspergine cubicula omnia lustrauit. Exin mira ædibus quies, mirum silentium; secura crebro, & placida in multam noctem cum Literatis confabulatio; quod post tam infamem, & diuturnam lemurum infestationem, támque in Bonzios & Taosios irrisos pertinacem, primo statim ingressu Riccij repentè patratum, adeo excelsam vrbi vniuersæ ingenerauit mentem de lege Christiana vt nullæ æquè tantam potuerint nostrorum conciones. Leuteuius ædium venditor asserebat à Deo Riccij adactos dæmones infestas habuisse, quòd eas se maximè augurato, punctíque cœli ac temporum summè beneficis extructas, non potuissent alioqui per se occupare; sed Riccij Deum ad hoc illis dedisse incolendas, vt desertæ tandem, & habitabiles nemini, vilissimo pretio illi venumdarentur cui eas designarat. Vexationem dæmonum difflatam, secuta est ab hominibus alia, sed breuis & honorifica. Recepta fuerant ex naui quæ anni post hiemem soluto, Licino appulerat, dona Regi Sinarum destinata: eorum raritas, nouitas & insolentia operis peregrini, summorum inprimis tribunalium proceres Mandarinos, deinde alios, denique priuatos omnis ordinis, & conditionis tàm confertini, & diu ad videndum traxit, vt decem totos dies perpetuus fieret domum nostram, ad noctem mediam concursus, quo demum nostri consuetis ritibus excipiendo fracti, concluserè se domi vt cui iam ferendæ nequibant sufficere, molestiam vitarent. Sed enim stipata ante fores turba, aliis alios densè trudentibus non semel eas effringere; tum sese intro penetrare, & petita demisse venia curiositatis importunæ, velle sibi quoque illa miracula ostendi: cui vrbanitati cum negari nihil posset, meliori consilio dona illa transferri placuit in palatium Colij Cioselini, qui Magistratus id habet muneris, vt quæ ad Regem pertinent conseruet:

seruet: illic dum custodiuntur sollicitè pauci ad ea spectanda, & sacras imagines prostratione corporis, & odorum vaporatione honorandas admissi sunt. Fauit tamen sententiæ Riccij maiorem in modum tam frequens Nanchini eorum spectaculum, & admiratio? ita enim supremis aulæ illius Mandarinis probata sunt, vt affirmarent Regi placitum, hortarenturque Riccium ad iterandum iter, nec fore illi, tametsi externo, Pechini difficiles ad Regem accessus, cessante iam belli tapouci quæ olim eum excluserat suspicioſa causa, quibus ille ardenter instinctus, metúque insuper, ne quem Nanchienſium Eunuchorum, vt est genus id auarum & perfidum subiret cupido, Regis gratiæ exclusi Patribus delatione munerum captandæ proficiſci Pechinum maturauit; ac dum Cataneus rediret quem Macaum mittebat curando sibi viatico, & aliquibus ex Europa donis ad parandum sibi ad Regem aditum; nefas sibi putauit otiari, sed procerum vsus beneuolentiæ, & securitate habitationis, Christum cœpit apertè prædicare ac frequentari ab auditoribus, eius claritudine exempli doctrinæque excitus. In iis digni sunt mandandæ in posteros prærogatiua memoriæ, qui ius primigenium Sinenſis Ecclesiæ susceptо baptismo occuparunt. Erant ij ex familia Cin, inter militares factis & maioribus insigni; familiæ caput annorum septuaginta senex, cum filiis, nepotibus, eorum vxoribus, & affinium turba idolis pertinaciſſimè addictus. Verum vbi Deo misericorde in Riccium incedit, audiuítque de Deo perpauca suos omnes ad eum ampliùs audiendum, & percipiendum intelligentius deduxit, demptis feminis, quas vetat mos patrius ab vllo virorum præterquam a maritis, & parentibus conſpici, à quibus fidei arcana edoctis, cum essent eruditæ, omnes simul, eorúmque famuli solenni baptismo tincti sunt. Senex Cin Paulus sacro ex fonte nomen duxit; maximus natu filiorum Martinus, tantis diuinitùs vniuerſi virtutum opibus cumulati vt earum magis quam temporis titulo primas in illa Christianitate promeriti fuerint. Saluatoris effigiem qua illos donauerat Riccius, eleganti ornatu decorarunt, & metati sunt ei sacellum domi, vbi sacris operabatur sæpius, ad piam mulierum consolationem, quæ secessu perpetuo tenentur: viciſſim illi Riccium, simulachrorum numero sane grandi donarunt flammis absumendo, quorum partem monstrosa vel pulchra specie singularem, Macaum transmiſit, vbi cum multa gratulatione, & lachrimis iucundo spectaculo fuere tanquam primitiua spolia subactæ Nanchini idololatriæ. Secuti sunt nascentis illic Ecclesiæ partus primos, Riccij opera complures, quos Pechinum iturus, in Christo educandos sociis reliquit, cum illustri existimatione Christianarum rerum, maximè apud Literatos vt qui nossent illas iusto pretio æstimare. Ad hoc illis prolixè ac sæpiùs narrabat de Xenodochiis, publicis pauperum domibus, nosocomiis etiam insanabilium, imo & peste & elephantia ictorum: de pædotrophiis, ad alendos matrum inopum fœtus; de peregrinorum, vndecumque nati, hospitiis largóque ad hæc, &

62. Pechinum redire parat Riccius videns dona sua Regi plac.

63. Nanchini apertè Christum præd.

63. Christianæ Eccl. mores Magno fructu Sinis enarrat.

& talia Christianorum, non modo sumptu, verum & benigna piáque opera etiam procerum, summéque nobilium, commodantium per se tam sanctis Ministeriis famulam sine fastu, & nausea manum: addebat de Ordinum religiosorum, sanctimonia & virtute, opponebátque illos cum gente impurissima Bonziorum. Postremò censebat animorum opes Christianis omnibus communes, dies per annum multos Dei cultui festos; conciones à doctis, & sanctis hominibus ad omnem virtutem, psalmos, precationes, sacrorum celebrationem, noxiorum dogmatum cautionem sagacem & sedulam, vt fas nemini esset quicquam in Typos & lucem mittere nisi ab eruditis censoribus publicè approbatum. Habebant & loco prodigij Sinenses Monogamiam Christianam, qua Reges quoque vellent nollent oportebat, vna esse vxore contentos, sterili licet, & prolis defectu regnum aut sanguinem Regium extinctura: qua lege Literati nullam ægrius concoquunt, nulla (quod crebro meminit Riccius) à Christi fide, sibi alioqui maximè probata, violentiùs auertuntur. Putant enim naturæ præcipientis effatum esse quod iis Mentius, ipsorum post Confusium Princeps Philosophus tradidit, perpetuandam vnicuique maiorum suorum memoriam in successione posterorum, esseque ingratissimum parricidam, qui nolens susciperе liberos, maiores suos in seipso extinguit vniuersos, quorum nulla est vita nisi quam erant in suis nepotibus victuri: in quibus tota iterum gignitur, renascitúrque familia. Prætervectis hunc scopulum, supereſt haud minus difficilis; publicæ nimirum infamiæ, cum prolem optatam consecuti, si Christo dare nomen volunt, vxores dempta vna coguntur ad suos remittere, nullius culpæ reas. Admirationi denique Sinis erat, Sacerdotum innumerabilium castitas, Hierarchici Ordinis compositissima series, & suis ab summo distincta gradibus Dei vnius in terris Vicario, cuius illis supremam dignitatem maiestatémque Riccius explicabit, nullo cuiquam, nisi electionis diuinæ titulo possidendam, in quo sibi fuisse propositum significat, vt compararet eorum animos ad legationem à summo Pontifice optandam, & scirent quanta veneratione deceret illam excipere. Sic ait, vtraque in aula tam assidua est in ore omnium etiam Ethnicorum summi Pontificis excellentia & potestas, vix vt in Europa credi possit, Sinis certò certiùs persuasis, tam sacra hominem suffragatione ad eam potentiam euectum, non posse esse nisi sanctum, & sunt ab iis editi de hac re libri, cum subiimi laude. ontificiæ maiestatis, quæ in Cosmographica item à Patre (seipso videlicet) descripta tabula, multis locis ex occasione celebratur. Ita Riccius ipse.

64. Mentij Philosophia de polygam. pestilens.

Iam ad Cataneum redeamus quem anteuerterant Macaum literæ, de felicissimo Nanchinum vrbem regiam ingressu fidei, & expectatio in futurum ingens: subsidij tamen cuius causa Cataneus Macaum ierat, euersa naufragiis Lusitanorum re colligi ferè nihil potuit, nec sinebat sancta operariorum prudentia, obolum aut orizæ granum à Sinis

65. Riccij iter Pechinum.

quæri. Nummi vero annui trecenti à Rege sereniſſimo imperati vix ſemel quarto quoque anno extorquebantur à fiſci adminiſtris; quare pondus omne petiti ſubſidij Macaenſi Collegio incubuit, de quo Nicolaus Longobardus Sciaoceo ſcribens, Rector Macaenſis, inquit (regebat vero tunc P. Manuel Dias) cum ſuis collegis, ipſa quoque libenter vitalia exprimant, vt noſtris Sinenſibus neceſſaria ſuppeditent. Præter aureos nongentos tribus illorum domibus partim diuidendos, partim Riccio in iter Pechinene, horarum indicem miſere campanam, vaſcula vitrea, & eiuſcemodi reculas nouitatis inuiſæ exotica ſpecie viſendas quibus munus regium decoraret, eiuſque demum itineris ſocium Iacobum Pantoiam natione hiſpanum cum quo, cadente Octobri Macao diſcedens, anno 1600. & nouo ſæculo Nanchinum appulit. Dum autem cum hyeme concreti amnes & nauigia ſoluerentur, dona Regi ferenda Riccius manu quam poterat exquiſitiſſima doctorum artificum ornabat, aureis præſertim draconibus (quod eſt Regis inſigne) & ſolis quam vocant alite, miris coloribus picturata. Cúmque illum æquè nihil angeret vt Reſcripti cura quod extra miraculum impetrari vix ac ne vix quidem eo deſtitutum, aditus in aulam reperturum ſe apprimè nouerat; En tibi, Deo mirabiliter adſpirante Colius Cioſcelinus ad cuius tribunal ea res propriè ſpectabat, magna voluntate Reſcriptum vltro ad eum mittit quo ſignificabat [Matthæum Riccium, externum genere, annorum viginti habitatione vſuque Sinenſem, fidelitatis eſſe adeò exploratæ, tam probis puriſque moribus, vt cum eſſet de illo ſæpius quæſitum iuridice, compertus vbique ac ſemper fuiſſet cuiuſvis expers mendacij. Memorem verò beneficiorum quibus ſe illic obſtrictum ſentiebat, dona quædam ad Regem peregrinæ nouitatis ex patria deferre. Se dignum putaſſe cuius iter eo diplomate muniret; eiúſque in aula meritum teſtaretur] Inſtabat eius profectio, cum à Superioribus Mandarinis tam incredibili affectu frequentatus eſt, ſalutationibus, aditu, commendatitiis, ad potentes amicos plurimis, nec non largis muneribus, adeo vt magnas Deo ageret gratias, quod ſolo minimè ſterili labores ab ſe creditos cerneret, vt olim in Prouincia Cantonenſi: acceſſere amabiles nouorum Chriſtianorum lachrimæ, & comprecationes felicis itineris, ſenis præcipuè optimi Cin Pauli eiúſque familiæ, quos P. Cataneo illic notiſſimo, & quem Nanciano acerſiit Patri Rocca commiſit, Chriſtianis fouendos, augendóſque præſidiis: ipſe cum Pantoia linguæ prorſus ignaro, & F. Sebaſtiano Sinenſi ad Maij octauum & decimum, Pechinum ſoluit. Ibant pondere apud nos pretioſiſſimo, apud Sinas vili Sericis onuſtæ ſex naues inter ſe fœderatæ, ex iis quos barcacaballos vocari diximus. Ducebantur in Regis tributum ab Eunucho; vt autem expeditiùs pergerent pendebat à Coliorum tribunali, vbi Cioſclinus in gratiam Riccij non leuem Eunucho condonarat quæſtum, is ergo Riccium in nauium vnam humaniſſimè collegit, totóque itinere perhonorificè habuit. Iantium enim,

enim, & Hoanum amnes iungit alueus leucarum ad ducentas, opus vnius ex Priſcis Regibus; & quæ naues Pechinum annonas comportant eo ſunt numero, & prærogatiua lege, vt cogantur aliæ ad ripas dies quinque interdum ne curſum earum morentur ſubſiſtere. Eunuchus annonæ Præfectos ſpectaculo munerum demulcens quæ Regi ferebat Riccius, magno ſumptuum & moræ compendio pergebat: quamcumque ad vrbem, quibus paſſim prætenditur alueus, applicuiſſent Eunuchi nauigia, fiebat ad Riccium, vbique celebrem, concurſus doctorum hominum, vt horas cum eo aliquot, ſermone non vacuo tererent, quibus ſui huius ad aulam acceſſus, & donorum quæ Regi deſtinarat vnam hanc edens rationem, vt diuinæ legis promulgandæ libertatem ab eo impetraret, Regnique in viam inducendi beatitatis ſempiternæ; relinquebat vbique nonnullam religionis veræ notitiam, & deſiderium de illa fuſiùs audiendi, quandoque ſi Deus annueret profuturum, fuit Mandarinus nomine Leuſintunus cui animi cura, & cultu idolorum nihil erat antiquius; is vbi Riccium cognouit Zininum appuliſſe, vrbem Sciantunenſis Prouinciæ in qua Proregis officium gerebat, miſit illicò ſuos cum geſtatoriis rogans ne grauaretur ad palatium deferri, & occurrit intranti, eo beneuolentiæ & honoris paratu, quo mortalium neminem dignantur Proreges. Degebat ibidem Licious, qui raſo capite, publicorum profeſſus abdicationem, ſcribendis libris & morum præceptionibus ſenile otium occupabat. Cúmque eſſet Riccio in paucis addictus, famulum pridem ad ripam præmiſerat qui aduentantem ſibi nunciaret. Cum his aliquot horas de rebus animi collocutus, à Prorege diſceſſit, ſpem magnam teſtante, potiundæ cum eo aliquando cœleſtis gloriæ. Vix ſe in nauim retulerat, moxque vrbs omnis commoueri, Proregis ad eum aditu improuiſo, qualem ex more olim deſcripſimus aulico ſtrepitu, & ſatellitio, terribilem ſimul, & honorarium. Præiuit vt ſolet cum libello nuncius à Prorege, qui adfuturum indicaret. Secutus eſt nobilis ab eodem, argenti pondus non modicum dono ferens. Prorex denique paulo poſt in nauim exceptus à Riccio iis rituum legibus quæ tantum decebant Magiſtratum: quibus attonitus Leupuſieus Eunuchus, & Mandarinorum multitudo; apud ſe multa & inter ſe verſare ac loqui, de excellentia illius Peregrini quem Prorex tantis honoribus dignaretur. Poſtridiè Riccio viſendi obſequia referenti, adfuit cum filiis Prorex, & ſapiens Licious, beneuolentia tam familiari & domeſtica, vt deinde ſcriberet Riccius viſum ſibi apud amiciſſimos Chriſtianos non apud Ethnicos agere. Probarunt magnopere profectionem eius Pechinenſem, laudarunt excelſitatem propoſiti quo ad eam impulſus fuerat, libellum quoque Regi exhibendum poposcerunt, quem haud ſatis doctè compoſitum, ex difficili, ſoliſque Regibus peculiari forma emendarunt. Denique abeuntem comitati ſunt literis ad amicos, quibus vnis tot inter alias magnum pondus ineſſe expertus eſt. Poſt moleſtam dierum quadraginta nauigationem Lincinum

Habiti Riccio honores à Proreg.

sex naues peruenerant, vbi pendunt vectigal merces omnes quæ in dictum antiquitus Cataium portantur; hoc est in borcales Prouincias. Vectigalium illic redemptores, Rex vltra omnem modum pecuniæ appetens, alios esse non patitur præter rapacissimos exactores, cuiusmodi tunc fuit nescio quis ex primariis Palatij Eunuchis Mathanus, pessimæ gentis & nocentissimæ pessimus, & rapacissimus: non erant ser naues vectigali obnoxiæ quæ tributum serici Pechinum, Prouinciarum nomine ad Regem perferebant; coëgit tamen Leupusieum Eunuchum earum ductorem, grandi pretio transitum emere, donisque minime vulgaribus, quæ ingluuiem barbari cum parum explerent, sustinebat interim discessum festinantis, certo capitis eius periculo, si Pechini tributum non potuisset tempori sistere. Necessitate igitur ad innatam, & incoctam malignitatem accedente; erat enim & ipse Eunuchus, pernitie Riccij statuit sibi consulere. Mathanum adit, indicium facit de Externo Nanchini sibi concredito, summis vbique honoribus affecto. Deferri ab eo ad Regem munera ex orbe altero quæ theatrum admirationis omnibus exhiberent. Maius tamen esse gemmarum pretium quas celaret: ac dona quidem omni iure posse ex eo capi, Regique offerri, & fore illi, si vnquam aliud gratissima, & acceptissima exploraret hæc indicia per suos, mitterétque in nauim, certò de iis cognituros mittitur illicò Eunuchorum turba, rimantur, & introspiciunt omnia, & pulchritudine donorum stupefacti, Mathanum in prædam ardentiùs narrando incendunt, quamobrem Riccio per eos denuntiat velle se in naui secum illum habere. At nimium doctus harpyarum eiusmodi natio quid possit & soleat, Ciunuanloum consulit Mandarinum, seueritatis antiquæ virum, proin tantò exosum Mathano, quantò formidatum; sibi autem sic pridem addictum vt suum appulsum per seruum præuerteret, qui se domi haberet hospitem: indoluit grauiter Mandarinus, vt qui prospiceret Riccio calamitosiùs nihil potuisse contingere; nam si proritaret Harpyam impotentem, vellet modo scelestus, illius manibus erat pereundum; si verò se illi permitteret, versatum iri ab eo quocumque commoda, & lucra raperent. Cæterum ne millies quidem iurato crederet; quo fideliorem se fingeret, hoc fraudentiùs fidem proditurum. Hæc dum consilia miscerent adest anhelus è naui famulus vrgens Riccium festinaret ad honestandum Mathani visentis ad nauim accessum. portabatur ingenti octophoro, pone & ante agmen carnificum quibus id pensi est tumultu horribili, vlulatibus, rugitu, & confuso peluium fragore terrorem bestiæ quam gestabant occurrentibus augere: se tamen Riccio mirè affabilem præbuit, dona regia prosecutus est singulari laude; sua officia opémque detulit enim verò sua, qui posset omnia apud Regem, dignum esse tutela qui tam illustri obsequio, & tam liberali veneraturus Regem tam procul aduenisset, suscipere se illam curam vt allata dona in Regis manus peruenirent; tantùm ipse optaret inter multa magnáque præmia quod mallet, vel ipsam si placeret Mandarini, cum censu perpetuo dignitatem:

64. Perfidia Eunuch. ad perdendum Riccium.

sub quæ missis duabus lachrimulis semivir, in Deiparæ tabulam se conuertit, eius apographum quæ Romæ ad S. Mariæ Maioris colitur, cuius eundem & Dei filium esse audierat quem illa brachiis sustinebat, & voce teneriter inflexa, per me inquit, Domine, ad Regem, accessum inuenies. Comem sui ac suæ operæ delationem Riccius, paribus Eunucho gratiis, & comitatibus rependit, sed eam suffugere nisus est comitate nihilo rusticius compta: in aula multos esse auctoritatis summæ qui se amicitia dignarentur; offensurum se grauiter apud illos, si respueret eorum officia; velut ambigeret de illorum in aula potestate, cui vrbanum sed falsum renidens; aliorum, ait, quid possint & valeant dicta, rebus ipsis probabis, libellos quoties in aulam mitto, postridie confectum negotium ex aula recipio: nec verbis vlterius lusum, ne iubens magis, quàm inuitans spado, proritaretur delati officij reiectione pertinaci; ergo res suas, & socios Riccius transfert in vnam ex nauibus regiis, quæ illic plurimæ Mathano parebant: atque hic ille alter Spado Leupusius proditor, deuectum Nanchino Riccium, celeritate transitus, & immunitate portorij venditum reliquit. Inter vngues Mathani, ærumnosissimum semestre durasse se scribit Riccius, tanti erat fidem in aula Sinarum & regis oculis fundare, nec immensæ solum nauigationis emendum periculis, sed perpessionum semimartyrio. Sui tamen spado gaudij impotens, ob apicem gratiæ apud Regem quem sibi ex donis Riccij, velut à se oblatis, non dubitabat polliceri, per dies aliquot insolentius comis & officiosus in eum se præbuit, captans sibi priuatim gemmis illis eum emungere, quarum illi mendacissimus Leupusius, mendacissimum inditium fecerat. Munusculo igitur hominem affecit, quod ab superbissimo, & auarissimo, & Mandarinorum etiam contemptore, nihil vetat magnum nuncupare; sed humanitatis beneficæ caput fuit, quod eum habere conuiuam voluerit mensis tot musices, & ludorum admirabilium varietatibus conditis, tot prodigiis robusti corporis, saltuum chorearum manuum arrectos fallentium oculos, & indeprehensa neruorum anima, certantium viuis automatum, vt essent portentis magicis quàm arte constructis propiora. Erantque horum artifices, omnes de familia Spadonis, in suas vnius delitias prodigi, ad quas academiam alebat ex istiusmodi comœdorum, & ludionum colluuie constantem, sub hæc libellum supplicem ad Regem designat, cuius componendi nullum audacius facinus Sinæ putant; tradendi verò in aulam perlaturo, tam scrupulosi ritus, vt ne confecti videantur, expediat illos ex ipsomet Riccio discere. Daturi, ait, libellos ad Regem supplices Mandarini, triduo ante sua Prætoria occludunt, nec ad vllum negotium prodeunt, secessum illum excusat apud omnes compositio libelli ad Regem: concepti, & dictati geminum ducunt apographum: charactere sic Regis proprio vt ab omni alio discreper, prostántque ad hunc in singulis vrbibus scripturariorum manus venales & caræ, tanta enim in iis exigitur obse-

quiorum religiositas, & tam graui si erres luenda pœna, vt ipsi sibi non fidant Literati, sed versatiores in iis exscribendis adhibeant. tam scripto libello, notatur ad calcem eius numerus characterum; complicatur certo plexuum numero, & forma; tabellis duabus croceis medius stringitur; serico crocco tabellæ inuoluuntur. Mandarinus solemni cultu ad fores palatij famulum sequitur qui perlaturus est Pechinum, redditurúsque stato tribunali libellum supplicem, & si fuerit excelsi nominis inter Mandarinos, explosione bombardæ maioris quod absit agitur cunctis significat: libellos eiusmodi multos (sequitur Riccius hæc narrans) Mathanus Spado in aulam dedit, Patres cum donis & sarcinis cogimur illum sequi Tienzinum, octo dierum itinere, obsequabar in naui diu noctúque à quatuor excubitoribus, vt mos est seruari qui vel dant libellos, vel pro quibus dantur, ne se fuga subducant, priusquam motum negotium absoluatur] hactenus Riccius: at libelli quidem ad Regem peruenerant, sed inanes hactenus, & Rescripto cassi; quòd Rescripti suadendi deliberatio ad supremum spectaret Rituum tribunal; Mathan per suos conspadones agi vellet, vt sibi res tota crederetur, eiusque gratiam, & lucrum solus ferret: explorabant Spadones, Regis vultus ambiguos trimestri iam toto, vt si quod notassent in eo momentum Mathano ominatum, illud occuparent, suderéntque id illi honoris à Rege deferri. Rumpebatur Mathanus pudore iactantiæ qua se in aula solum die vno plus posse affirmarat, quàm centum annis, centum Mandarinos. Æstuabat anxiè Riccius loco fixus, ex quo nec pedem valebat retro ferre, nec proferre, metuebátque vehementer ne si potentissimo Eunucho negaretur honos introducendi se ad Regem, eius in posterum tentandi accessus, sat fiduciæ aut frontis suppeteret nemini, tàm diuersis vterque dum anguntur curis, adest inopinum à Rege Rescriptum. Inspiciat Mathanus extranei donum; descriptionem eius fidelem, & distinctam ad Regem transmittat. Repentini mandati gaudio reuixit barbarus, & trimpho tumidus suæ in aula potentiæ Tienzinum mox Lincino vehitur, suo illo aquatili magis palatio quàm naui, nulli regalium nauium amplitudine, auro, picturis, artificio secunda; pone nauium pompa non multo inferior, & musicorum organorum ad pulsus remorum voluptarius concentus applicuerat Tienzini, & Mandarinos omnes communi programmate inuitat, sibi vt adessent cultu maximè venerando; ipse thronum in aula Prætorij cum sua illa trabeatæ anus maiestate conscendit. Procul ad aulæ ianuam Riccius tela simplici tunicatus, pileatúsque rotundo tegmine; nam qui Regum responsa apud Sinas reddunt, omni se magnificentia attollunt; qui recipiunt vice versa, modis omnibus sese abiiciunt. Audito de genibus cernuus, rescripto & præ reuerentia quasi tremens, assurgit Riccius, & quam poposcerat Mathanus, munerum seriem, sua manu descriptam illi offert. Tres erant tabulæ, doctæ manus, Saluatoris minor; maiores, Deiparæ cum Iesu inter brachia infante,

fante, quarum altera item Baptistam puerum referebat. (Visuri sumus, sed paulo tardiùs, impensam iis adorationem ab Rege Sinarum, huiusce nepote, quamuis minimè Christiano.) Horarium geminum elateriis rotarum & chordis mobile, vnum minimæ molis; alterum grandius & ponderibus agendum: trigonale vitrum pariter geminum, adicititio ornatu elegans. Breuiarium sacrum concinnitate pretiosa pulcherrimè structum, & excultum: quod inscriptis fronti aureis literis præferebat, contineri eo codice doctrinam veri Dei, cuius referebant imaginem tabulæ tres, & beatissimæ eius Matris. Sed volens Mathanus de alieno splendidior & Regi acceptior fieri, Riccium compulit Geographicum theatrum, iis addere cum tudiculari organo maiori, grauioribus intento fidibus; omniúmque suis digestum nominibus ordinem, & excellentiam nouo codicillo Regi indicauit, perlaturus illa Pechinum cum primum iuberetur. Sed longas illius expectationes fallente responso, pro reiecto negotio Regis silentium habuit; solet enim illic & munerum, & scribentium repulsa significari silentio. Sibi ergo in primis, tùm Riccio furiosè iratus, terram huic optasset dehiscere, horrebátque ipsius non modo affatum, verum etiam mentionem; quoad medio Octobri minantibus gelu propinquum fluuiis Lincinum reuersurus, finxit naui egere, in qua non ita incommodè Riccius habitabat, mandauítque per vilem seruulum vt cum sociis in arcem migraret, & vetus tugurium, partem Monasterij Bonziorum desertam, & nudam pro hospitio teneret excubante intus & foris perpetuo custodia militari: quas illic miserias sunt perpessi, & qua illos biduo quàm abiret indignitate vexauit barbarus, quotidiani Sacri consolatio leniebat. Ficto enim visendi officio illuc venit, cum Pinpitao viro inter Præfectos eius ditionis conspicuo, & ducentis armatis; procedenti obuiam Riccio caperatus, & indignabundus; cui negotio tot illi quos domi occultas? quid cum iis molitis alienus, & inter Sinas, & aulæ tàm propinquus? dehinc, vbi quas premis margaritæ, ne Regi dono cedant? noui certis ab aula literis, quàm multæ sint, & quanti pretij: post quæ obfirmatus, nihil nisi oculis credere, cum satellitibus innuisset, confestim illi omnes domus angulos scrutati, indagare illos quos Spado improbus ad terrendum Riccium finxerat abscondi, neminem reperire; capsas inde quatuor aut quinque grandiores foras protrahere, quibus tota inerat supellex quam statuendæ Pechini ædi sacræ, & domesticis vsibus destinarat: illis aperta in area reclusis rimari singula minutim, ne quid forte in iis gemmarum lateret quas potissimum vestigabat Mathanus; cui quod supererat, pro se quisque alij, habiles furari; ipse quæ gratius arriderent sibi seponere; cæteri; velut ea Riccio donaret parcere, nummos tamen ducentos nostris Pechini alendis paratos, delatorum metu non attigit, sed cupidis oculis diu perlustratos restituit. Plus fuit negotij in recipiendo ex eo calice. Frustra obsecrauerat Riccius cum sibi aut liberaliter donari, aut permutatione duplo cariori; vas esse deuotum sacrificio diuino; ne-

fas

fas exaugurare illud profanis vsibus; ne tangi quidem ob sanctitatem posse; potest, imo, aiebat sacrilegus Sannio, impuris illud manibus volutans & ridens, potest; quando, vt vides, illud tango, & verso. Perstabátque in proposito eius retinendi, cum afflictissimo famulo, & dolenti se rei sacræ priuandum facultate suggessit Deus, ducentos ab barbarum aureos referret, rogarétque inde argentei calicis pondus argenti duplum accipere; quod ea intimi doloris significatione ab eo est præstitum, vt inflexus Spado, & Pinpitaum contuens, hoc forte, ait, non falsò contestatur ad legis suæ instrumentum sacrum pertinere, cum redempturus duplo eius materiam illud petat, statimque gratuitò, supplicanti remisit: ac ferri vtcumque damna hæc poterant, quæ rei denique pauperis iactura constabant; præ criminosa rabie, & si vlla vnquam maximè capitali, perfidiosissimi Spadonis ad sacram Saluatoris de cruce pendentis effigiem, spinis coronati, & plagis cruentati, quæ inter alia cum in eius aspectum incurrisset; furore amens, & iactans brachia exclamare, incantamenta, & veneficia in caput Regis comparata! Extraneorum hanc esse artem ad hoc illos Sinarum ingressum ambire, statuendum in iis exemplum; exterminandam illorum memoriam; sibi semper illos fuisse suspectos; & quasi teneret manifestè reos capitis regij, vociferari, manus complodere, nec vllas depulsioni aures dare, Hanc esse imaginem Redemptoris pro salute mortalium in crucem suffixi docebat Riccius, quoad poterat ab idololatra, tanti nodus arcani percipi. At insaniebat validius Spado velut ad conflatum, repente mendacium, quo maleficium immane, religione velaretur, nunquam se Riccius in tantas coniectum angustias senserat, donec multas eiusdem Crucifixi, fictas, & pictas imagines iisdem è cistis proferrent famuli, ex quibus agnoscens hominis vultus esse in summa habiti veneratione, furori mitius indulsit. Sed Patres nihilo mitius suis ad Regis Spadonis literis lacerauit, quo factum postea, vt metu illius opem iis præbere auderet nemo. Quare illam à Deo, à quo vno spes erat, pœnis suppliciis, votisque flagitabant, haud quidem pro Regis gratia vel obtinenda Pechini sede, sed ne saltem annorum septemdecim parta sudoribus, momento amitterent, quod in manu sceleſtissimi Spadonis, & potentissimi positum videbatur.

65. Crucifixus pro incantamento, &c.

Has inter angustias, & excubias militum, aliquot fluebant hebdomadæ, imminebátque amnibus primum gelu, cum Riccio libuit scribilibus literis tentare animum crudelis semiviri aliqua miseratione, Lucinum alteras ad illum mittit; ad Cunuanlum alteras à quo sibi in paucis benevolo consilij aliquid exquirebat. Admissum publicè Mathaeus tabellarium vix audierat vnde? & à quo missus, cum mille conuitiis, & dirâ in illum Patremque imprecatione verba illius intercipit; Satellites miserum pugnis, & calcibus contusum extrudunt; Ciunuanlus ab eo literas nisi clam non ausus accipere, iussit Patri referre, quod erat ipsemet reddendis ad eum literis inserturus. Causam eius pessimo loco esse; fixum

fixum esse Mathano, illum veneficij damnare in Regis vitam comparati; ad hoc vt prima se daret occasio, proritaturam Regis indignationem acerbissimo codicillo, euicturúmque id saltem vt catenis onustus deportaretur extra regnum; imo quantum poterat augurari grauius aliquid in eum consciturum; se quidem ipsi non posse vlla re, nisi consilio adesse; fugam igitur illi dissimulato habitu suadere, iactura qualibet benè vitam emi. Verum ante discessum ita Crucifixi comminueret iconem, vt ne puluueris quidem atomus supereesset; id nisi faceret renuntiare se illi amicitiam penitus, suspicionem enim læsæ maiestatis qui nolit purgare, seipsum velle, sibíque amicos perdere; his à Mandarino acrius editis tabellarius Sinensis, & præcedenti iniuria mœstus; auertat, inquit, Deus à Patrum animis tantum nefas; sunt illæ de cruce pendentis icones, Christi filij Dei effigies, vitam hominum hac morte redimentis; adorari debent, non conteri; lege ipsius viuimus, extra quam desperanda est animi salus omnis. Ego vna cum Patribus mente, pro illa mortem libenter opperam. Tantum voti huius ne bono indignus sim! hæc de ore Sinensis generositas tam sublimis, visa est Mandarino diuinum sapere, solo enim mortis audito nomine inhorrescunt Sinæ; professúsque est postea, magnum quid esse, regnóque ignotum, Deum Patrum, & legem illius, quæ tam altos in vitæ contemptum etiam seruulis, afflaret spiritus; tunc verò ab se iuuenem dimittens, lenire conatus quæ dixerat de infringendo Crucifixo; à me saltem, ait, Patrem roga, sic absconditum asseruet ne possit ab iis inueniri, qui eius arcanum quod ignorant, interpretatione criminosa in maleficium detorquent. Vtrumque consilium flocci habuit Riccius; fugæ vllem animum olebat, & sceleris conscium, cuius à Mathano insimulabatur. Crucifixi latebræ, causam ab oculis amouebant ob quam volebat intelligi se mortem cupidè excepturum. Scribit de se Pantoia Mathanum cum cerneret, tumultuantem, furentem, rabie percitum, & linguæ ignarus voces non caperet, existimasse extrema omnia imminere, sed exuberasse immensa quadam animi voluptate sensúque pietatis ac præ se Riccium, qui præcipuas illic agebat partes; familiares item, in quibus duo vix tum Cathecumeni pueri, alter annorum haud plus duodecim, quem Leupusius Eunuchus Riccio donarat in Sinensi sermone Pantoiæ Magistrum; alter nummis ferè quatuor ne Deo periret potius, quam vt nobis seruiret emptus; ambo Sinæ ambo supra quam ex Sinis ætate ac per se natura timidis sperari poterat, incredibili affectu nobiscum viuere ac mori quibuscumque tandem conditionibus ardebant, fructu sanè præclaro institutionis qua F. Sebastianus Fernandes, Sinensis illos imbuerat, qui & ipse præsentis, vt putabat martyrij fiducia lætus, vehementer doluit se Pechinum mitti, veritúsque tanta occasio ne sibi excideret, quæsiuit ex Riccio num sibi fas foret confestim regredi, si quid certi resciisset de illorum tormentis, aut carcere; seque coram Mathano, Crucifixi seruum & Patrum socium profiteri? Cœterum li-

66. Sinensis recens conuersi fides exim.

teris Mandarinorum Nanchinenſium ad Pechinenſes, nihil aſſecutus eſt pro Riccio Fernandes, præter verba, & conſilia in rem inania. Iis contra Patres, & minis Mathani, palatium tumere; fruſtra fore quicumque ex feræ vnguibus occupatam prædam tentaſſet eximere; ſibi exitio nulli auxilio futurum; mancipaſſe ſe Regem penitus Eunuchorum poteſtati; cederent neceſſitati Patres; iactura omnium, vectores, & nauim ſeruarent, relicta Mathano rapina donorum regiorum, quam primum abſcederent, & vitam, illius ereptam ex manibus in lucro ponerent: hæc illi tùm coram Fernandio, tùm per literas Riccio. Verum deſperatis in omnem modum rebus, diuina bonitas mœſtiſſimum Riccium, & ſe diu noctúque pro Regni illius infeliciſſimi ſalute, flendo, obſecrando, dolendo affligentem, denique reſpexit, & de præcipiti ruina illius expectationes, in ſummum erexit votorum faſtigium conuerſione quidem adeò repentina, vt quo fuit ſuperſtes decennio, fructus illius vberrimos conuerſionibus animarum cum ea conferens, tanti artificem operis Dei manum ſuauiſſimis lachrimis irrigaret. Hanc autem expertus fatebatur Spadone vſam inimiciſſimo per quem in proprios intentum ambitus & in exitium Riccij, notus Regi fieret Riccius, eiúſque munera Regi experenda, quod præter Mathanum mortalium nemo fine optato præſtitiſſet: ærumnoſiſſimum ſemeſtre Riccio exibat, Tienzini nec clauſo nec libero; cum adeſt Licino à Mathano curſor; adfuturum propediem nuntians; habere ab Rege in mandatis, vt eum cum donis in aulam mitteret; terra iter agendum ob congliaciantes iam fluuios; præſto illi, & ſociis fore, miniſteria ſeruorum, & equorum, & quotidiana in Mandarinorum palatiis, publico ære hoſpitia: imperatis tàm nouis, & ſubitis quæ tandem occaſio extitiſſet, præter Dei Optimi Maximi bonitatem, inueſtigando, & diuinando Patres nullam aſſequi potuerunt, actíſque illi immenſis gratiis animati ſunt ad fiduciam meliorum in poſterum: iis autem diu poſt liberè Pechini riuentibus, ipſóque in palatio aſſiduis narratum eſt, Regi aliquando otioſo & ſoli ſuccurriſſe de Mathani libello; & tintinnabulo, quod per ſe ſonitum tangente nemine ederet; ſuiſque inſolito impetu, & voce attonitis, quam obeſus, & ſagina grauis ægrè alias mittebat, exclamaſſe; campanam illam ſuopte ingenio ſonantem, pridem mihi promiſſam, quid tandiu moratur? cui tunc pro foribus excubans Eunuchorum vnus; qui vero Domine tantum auſit Externus, à quo illa defertur, vt ſe tuo iniuſſu huc penetret? veniat, intulit, & ad me hanc ferat. Intelligebat autem horariam machinam quam illi Mathanus eo charactere deſignarat. Statim ergo Riccij munera Tribunali Rituum mandantur ſolenni lege exploranda, ſintne tanti Regis congrua Maieſtati. Redux interim Tienzinum Mathanus, & fraudum ſuarum euerſione inopina proſtratus animo, vt eſt femineus timor in peius credulus, non dubitanit Riccium & donis & ſapientia Mandarinorum amorem, & admirationem promeritum, fore apud Regem gratioſum, & de illatis ſibi iniuriis

67. Vocatur à Rege Riccius, inuito Eunucho, & ſibi metuente.

expoſtu

expostulaturum : quare quicquid illi aut à se ablatum fuerat, aut à suis, diligentissimè collectum ei restituit ; triginta homines ad iter commodum, & equos octo attribuit, Eunuchis duobus sibi fidis paritérque scelestis credidit honoris specie deducendum, reipsa prodendum ; sed flagitiosa Spadorum consilia Deus in sententiam Riccij deflexit. Iamque hic multum in via promouerat, cum grandi suo damno erratum à se Mathanus aduertit ; cui vt occurreret, seruum iubet citatissimo cursu Riccium assequi, & cistam librorum ab eo recipi, vel si res poscceret extorqueri. Lex erat vt diximus, sed annorum retro longinquitate desuета, vt Mathematicis nemo operam daret, præter duo Collegia Regis nomine sumptúque instituta ; qua lege bellis ciuilibus, seditionibus populorum, & Regum saluti cauebatur, quòd Genethliaci promissores de astrorum fato, in postremum discrimen sæpè omnia coniecissent. Cartas Riccij reuoluens Mathanus, & Geometricas figuras arbitratus esse Astrologorum iudiciarias, capsam iis implerat, & hi'co seruandam commiserat cum donis Regi destinatis ; sed hac inustam Epigraphe, [Mathanus Eunuchus vectigalium redemptor Regalium, inter Extranei sarcinas Matthæi Riccij nomine, magnam hanc inuenit librorum copiam, lege vetitorum, proin à se in fiscum redactam ; seruetur interea, quoad reum dato ad Regem libello accuset] putarat latro sceleros'us se Riccij gulam hoc laqueo stringere, si quid contra se tentasset apud Regem mutire, habereque se in promptu vnde illum damnaret. Sed enim Deo Spadonis perfidiam mirabiliter dispensante, cura puero data est literas nescienti, vt restitueret Riccio quæcumque illius fuerant ; nihil moratus puer exceptionem epigraphes quam legere non norat, librorum capsam cum reliquis nullo discrimine illi tradit : comperto serius errore Spado nequissimus, præreptas sibi de manibus probationes perdendi Riccij ; & Riccio traditum cruenti sui in illum odij testimonium euidens, timore ac rabie amens eundem famulum ire præcipitem & libros referre minis horrendis adegerat ; qui de barbarie Mathani certus ; de Riccio & libris dubius, vitam maluit tuto fugæ committere, quam tanto periculo, Spadoni parere. Sic libris instructus Riccius pretioso vsui futuris, fauente cœlo toties vocatam, toties suspiratam Pechinum attigit, sub anni Sinensis exitum, qui tunc in diem vigesimum quartum Ianuarij nostri, & anni 1601. incidit. Exceptus palatio ad vrbis pomœrium in diem posterum ingressum distulit ; dum regia munera recensentur, digeruntúrque solenni pompa in regiam deferenda. Nunc ergo Riccius Pechini pedem cum gradu stabili, fixerit, stationem in ea perpetuam locaturus, eámque aliarum firmamentum & caput quas eo in regno Societas obtinet ; hic ego vel pro historici munere, vel contentionis historicæ laxamento, Pechinum quid sit breuiter narrabo.

68. Dei bonitas consilium pessimum in eius auth. conuertens.

Ac nominis quidem geminæ syllabæ *Pe*, & *Chin*, apud Sinas, aulam sonant Septemtrionalem ; vt Nanchin Australem. Nanchino enim Pechinum

69. Pechin quid sign.

Taizunus sedem regiam transtulit, ille fama & armis celebratissimus Humunus, qui ex coquo dux primum factionis, dein potentis exercitus, de Tartarorum tyrannide exemptos Sinas, imperio suo asseruit fecitque familiæ suæ Taminiæ hæreditarios anno 1368. retrusis Tartaris intra suos fines, post regnatos annis septuaginta Sinas, nouem Canis ex familia Iuena: quibus vt aditus ad recuperandam tyrannidem clauderetur; prouidè admodum imperij robur obiectum est, translata regia in confinia Tartarorum, muro illo ingenti antea præmunita: quam Humuni Regis prudentiam hoc æuo eluſit Tartarus sibique denuo Sinas omnes subiecit; demptis aliquot angustæ Prouinciæ montanis quæ stetere in fide Regis è gente Taminia postremi. Datur & aliud Pechino nomen, sed vnis tritum Geographis, nimirum Cambalu magni Cataij Metropolis à Paulo Veneto descripti; à Poëtis pro ficto, pro vero à Geographis accepti; & plagis quidem in Asia diuersis, sed semper extra Sinas adscripti; nec vagus de illius situ eorum error sua caret excusatione. Lusitanos scriptores cum legerent de Sinis, Pechino, Nanchino, Cambalu, Cataio tam variè loqui, arbitrati sunt duo Regna, & aulas duas esse, nec potuerant Lusitani situs, loca, & amnes designare quæ Pauli Veneti descriptionibus rectè concinerent cum eorum aspectu quod essent Externi arcerentur; & Paulus Venetus de Sinis egerat Tartaro dominante; Lusitani de iisdem longo post tempore, rebus, vsu, Regibus, vocibus valdè immutatis. Primus quæ coram in oculis erant, & quæ lustrabat accuratè, cum Pauli Veneti historia contulit Riccius, ex quo alij tacito nomine, & honore, tanquam sua miscre in publicum: interrogatis ergo Sinis res suas apprimè callentibus; & consuetudine Tartarorum, Mogoris, & Maurorum, subinde illic tum matim negotiantium, aliena etiam edoctis; verò que ad purum in lucem expuncto scripsit in Indiam & Europam, Manginum aliud non esse præter nouem Sinarum Prouincias Australes; Cataium sex ad Septentrionem, medium vtrasque diuidere Chianum amnem, aliis tantum Cambalu, seu quod potius scribendum videtur Campelu, tria esse monosyllaba nomina; primum ex Tartaris, quod Grandem significat; duo Sinensia *Pe*; borealem sonans, *Lu* Tartarum, nec esse aliud Cambalu nisi Pechin; nec vero hanc vrbem ad gradum arcticum quinquagesimum pertinere quò illam Geographi efferunt, sed quadragesimum, adiectis duobus ad vsque decumanum murum, inter Sinas & Tartaros limitem. Visus in India Riccius adoxa referre, vt qui conuelleret inueteratum errorem de Cataio, quod per se regnum ingens, distinctum à cæteris credebatur. Prorege Aries de Saldagna, & aliis certius aliquid desiderantibus, proficiscitur F. Benedictus Goes ad indagationem magni illius Cataij, & mense tertio supra trigesimum ad illud pertigit hoc est ad murum à Septentrione Sinas à Tartaris separantem; Sinas ingressus, suóque in Indiam, testis oculati chirographo confirmatis quæ de Cataio scripserat Riccius, Succi obiit, quod quinto ab hinc anno videbimus.

70. An sit idem cum Cambalu & Sinæ idem cum Cataio.

videbimus. Iam verò Pechinum gradui subiacet quadragesimo boreali; & a Palma ex Canariis vna interiacet graduum longitudo centum quadraginta cum minutis octo & triginta, quod probe congruit Alemj tabulis qui gradibus quinque statuit illam orienti Macao propiorem: constat vero de Macai situ, defectionibus luminum diligentissime asserto. Nanchino cedit aliqua ex parte vrbs Pechinum amplitudine, fabricis, viarum maiestate, sed immensum præcellit dignitate, Regis præsentia, supremo iure tribunalium, Regni totius Gubernatione, (& quæ Sinarum est summa beatitas) fructu graduum omnium Magistratuum, & officiorum; & quicquid est in aliis Prouincijs maxime optandum in eam confluit: illuc ad decem millia nauium annonas conuehunt, & maris instar flumina omnia sorbentis, nec vnquam est satura nec egens. Hinc vulgo solum Pechinense aridum, & Pingue dicitur; nihil proferre, omnia possidere: nam per se sterile, Regni totius & bonis abundat; & delitiis luxuriat; & appulsu quotannis perpetuo & ambitioso procerum omnium superbit: naues regias numerat millenas, quarum singulæ apud nos, pro magnificentiæ ostento facilè habeantur.

Tota in planum, & quadrum porrigitur longius, duo tendunt in occasum & ortum latera, & antiquam Pechinum producto ad vnum milliare tum circumducto muro tantum amplificant, quantum integræ vrbi sufficiat, quæ illo in spatio ædificata est. Suburbia vndique immensa sed noua, & vetus quæ muro clauditur ciuitas milliaria octo supra decem Italica suo ambitu comprehendit, quem hac mensura æstimauit P. Iacobus Rho, cum anno 1637. Sinis ob Tartaros propius accedentes periculoso, supra muros circumduceretur à capitibus consilij bellici. Ex eo, & Riccio, & Palmeiro, tribus diuersi temporis magna consensione idem testantibus quod per se spectarant, fidem faciam opinor eorum quæ refero. Mira ij tradunt de murorum illorum amplitudine, magnificentia, & arte ad defensionem optimè consulta. [Nituntur fundamentis quadrati lapidis paulum extantibus & surgunt latericia structura multo altius quam apud nos: anno æui huius octauo Riccius, cum eos ducibus Eunuchis regiis duobus conscendisset, & inambulasset, equitibus censuit non tantum decem æquata fronte, sed octo curribus posse vbiquè stadium præbere; vtrimque pinnati; iaculatoriis vtrimque speculis muniuntur ad defendendam vim inteſtinam simul, & externam; suas habent humi præsidiarij milites in quibus pernoctent, ad iactus lapidis singulos, commodas stationes, & eminentia ex arbore ibidem vexilla, cum Laterna seu Pharo. Crebriores vero vndique aceruos missilium lapidum; & congruis spatiis propugnacula turrium nisi quod ad portas gemina: hæc de mœnibus Riccius, nullum iis aut ætas laterem, aut casus detrahit, quin statim reparetur, & vnius ex tribunalibus supremis propria cura est, firmare illa, si qua labent; instaurare si qua rimas agant; ad hoc &

71. Pechini situs, muri naues, splēdor.

palatij Regij sarta tecta, Lincino ingentium laterum millia ducenta supra millionem annua pensitantur, quod ex præfectis operum retulit Palmerius, addens se item in propugnaculo cœteris altius in vrbem imminenti, sphæram vidisse magnitudine enormem, & molis eiusdem Astronomicum quadrantem, ex ære vtraque, eximio opere, nec indocto, quodque mirere, trecentos post annos, auro fulgentia tam viuo, vt si de manu artificis prodirent; etsi videantur ab Arabe cusa dum Sinis Tartari imperabant: pro muris Nanchini excubant armatorum millia quinquaginta; Pechini multo plura ob viciniam Tartarorum; præterquam quod ciues vt magis borcales, sic aptiores armis quàm literis, pari se sollicitudine tuentur, vt si hostem ad portas cernerent. Faustitati vrbis duo officiunt; iis tamen vtcumque succurritur. Duobus gradibus antarctico propior quam Roma, sed hyemes patitur absque vlla comparatione longè sæuiores, latétque hactenus eius rei causa; præsertim cum borealium incommodis carens, cómodis minimè perfruatur, syluis enim egere regionem licet iis abundet, non temerè dixeris, si attendatur lignorum infinitas, ad ædificandum necessaria; quod nisi ex ligno domos non construant; & videt Riccius aliquando ratim lignariam longam milliaribus duobus, ad restituendam solum palatij Regij ex incendio partem, verum ad ignem non vruntur nisi lapide fossili, bituminoso, ardere facili, sed mordacis, & diuturni caloris cuius noxius vapor tubis foras proiectis expiratur, dum aura interior eius tepore recreatur; & lectos adhibent ad somnum lateritios, & cauos, incluso eiusmodi carbone, contra vim nocturni frigoris: alterum vrbis incommodum, ex vicis oritur nusquam ferè instratis, proin si pluit, quod rarum est, per altum ceroma calcandis; si sicca & arens vt sæpius, terra; per densam continui pulueris nebulam, quæ innumerabilis populi discursu excitata, incurrit in oculos, & domorum quoque intima subtili velut illuuie deturpat. Prostant huius molestiæ leuamentum, equi ad certa viarum compita, tùm multi tùm viles, qui sessore susceptо habenis trahuntur à famulo quocumque sessor innuerit, vtpote locorum, & domorum perito; at qui sibi dux esse mauult, libro insistit viatorio, passim illic venali, quo vrbis regiones, prætoria, domus, palatia norantur adiectis Magistratuum, & dominorum nominibus à quibus incoluntur: omnes verò, nisi cui præplacet puluerem liberè, velo nigri coloris tenuissimo obnubunt caput, quo illud etiam assequuntur vt tanquam ignoti, molestiora quantouis puluere, deuitent officia mutuæ salutationis quibus alioqui ad perpetuos occursus procerum delumbari miseros oporteret, exscensionibus ex equo, proclinationibus corporis, & dejectione frontis in lutum, aut puluerem: sed idem capitis inuolucrum in rem suam, feliciter adhibuit Riccius; celata Externi persona liberè commeans quocumque illum sua negotia vocarent, quod à Præfecto Externorum, Regis iniussu, nec vnquam exorasset; nec perrumpere

71. Duo summè incom. Pechini frigus, & puluis.

pere valuisset stipantem se populum ad spectaculum hominis externi, promisse barbati, peregrini vultus & vulgi theatro digni. Palatij regij admirabilitas a Paulo Veneto descripta, cum recentiorum narrationibus nihil famæ amiserit; obiter dico illius ambitum ad quinque milliaria complecti; inhabitari quindecim millibus hominum Eunuchorum feminarum, & militum qui portarum custodiam ad quinque millia agitant cum elephantis quadraginta; nec muri complexum sola ædificia occupant. Suus illic hortis, collibus, planis, viuariis, suus fluuio, lacubus, piscinis, & syluis locus est; & quicquid toto demum regno delitiarum parit aut simplex natura, aut adulterat ars naturæ æmula, inuestigatur ab Eunuchis curiosissimè, & accuratissimè accersitur, ipsæque adeo ingentes arbores suis cum radicibus, & fibris, terráque natali, procul explantatæ, illuc transferuntur, denuo conserendæ. Palatium porro, multa longis inter se dissita spatiis componunt palatia, eiusdem omnia architectonices regulæ, & altitudinis; constat ex lignis pretiosissimis illius fabrica, syluæ incumbit columnarum immanium, quarum singulis sua materia, & moles, laborque operis, & longinquitas patriæ, ex qua excisæ aduehuntur pretium faciunt marmore quouis præstantius, refertque Riccius, per se quamque suo statutam loco mille sumptu nummorum Regi stare; basi etiam secluſa, eiusque stylobate ex solido marmore, cui trahendæ paria mulorum quinquaginta vidit ipsemet iungi; partis denique illius instaurationi quæ incendio conflagrarat, præfectum operi tribunal, tres auri taxauit milliones. Domus interior in Regis habitationem adornata vndique auro, fulget varietati florum, & gummitioni colorum superfuso; & miraculis operum eminenti quæcumque possunt anaglypho toreumate, scalpri magisteria fingere, in quo Sinæ maximè excellunt; ne tegulæ quidem elegantia sua carent; soli radios suos reddunt, Sandaracino croceo, qui regiæ tesseræ color est, exceptos; & clauis figuntur capite inauratis. Omnis ædificij ordo in plano est, surgitque ex lapideo fundamento, non altius quàm tectum postulet laqueatum, aborrent enim Sinæ à duplici contignatione tanquam à vitio architectonicæ, Rexque ipse vt vidit Typis ingressum legitimis S. Marci palatium quod Venetiis est, temeritatem risit habitationis in vacuo suspensæ plenam aiebat periculi velut ambularetur in aëre, aut solo vitreo; accedit errori mollities hominum scandendi laborem, fugiens, colligendis per gradus talaribus molestum, cum semper incedant tunicati. Duplex est præter hanc intimam valido cinctam muro, palatij regio in quadrum; earum in altera patet area capax militum triginta millium; quatuor vtrobique palatia; sed interiora Eunuchis maioribus habitata, & Regi familiaribus, multo reliquis sumptuosiora; nefas cuiuis etiam Colais regni totius administratoribus, hanc vltra progredi secundam domus portionem; in hac regiæ fores dum præteruehuntur, exscensione illas venerantur. Portarum quatuor, cardines cœli spectantium, australem sor-

miant

niant ominatissimam; reliquarum trium media nunquam patet, nisi ad Regis exitum aut ingressum: & hæc de Regia Pechinensi pro instituto pauca.

Postridie aduentus Riccij qui fuit Ianuarij 25. cum suis in vrbem muneribus inducitur; munera splendido comitatu ad Regem portantur; quæ res rituum Magistratus, eosdemque Externis, & Legatis, eorúmque probandis muneribus Præfectos grauiter affecit aduersus insontem Riccium; nimirum scelestus Mathanus, conscleratis suis duobus Eunuchis modum dictauerat, totam huius obsequij gratiam ab eo Magistratu ad se vnum trahendi. Visa sunt Regi munera Riccij, quibus Sinæ par nihil haberent: tabularum aspectu consternatus quibus dicerat referri Saluatorem, eiúsque augustissimam parentem, exclamauit. Iste Deus viuit, & addunt aliqui, proiecto vt solent corpore, & thure posito adorasse. Certum quidem hos vultus proinde vt viuos cum metu ferentem, retinuisse minorem tabulam Saluatoris; maiores duas ad matrem misisse simulachris impensè addictam, quæ & ipsa illarum obiectu territa, in Regis thesaurum iussit eas recondi; & Regis ad eas attoniti, vulgatus clamor, nouum Patribus cognomentum fecit, dictíque sunt exinde, *Patres qui Regi Deum viuum donarunt*; thesauri custodes Eunuchi, earum conspectu viros tantum primores dignabantur. Ex aula intima, quatuor Eunuchos eosdémque collegas Mathematicorum, iussit Rex discere, quo artificio horologia regerentur, & præscriptum iis ab eo triduum incredibile est quàm sollicito metu occuparint, ne quid eos omnino præteriret, cuius malè percepti pœnas luerent, aut neglecti; cumque rem antea ignotam, nulla explicarent nota vocabula, fingebat iis Riccius nouos characteres, hoc est nouas voces, quod soli possunt in lingua Magistri & iis præsidiis commodè instituti: cum scitè Regi fecissent satis, gradu altiori ab eo ornati sunt. Verum ex horariis duobus grandius cum agi non posset nisi longo ponderum descensu, quem tectum regiæ demissum, & nullis assurgens gradibus negabat. Fabricarum Præfectis scisscentibus in præcelsam turrim sublatum est, quam in secundo palatij septo Riccius designauit; artificum Principes omni operis, colorum; gummitionis, & scalpri varietate decoratunt, quæ Regem oblectaret, suis illic in hortis frequenter animum laxare solitum: peculiaris elegantiæ in ea laudabatur quod auis illa quam solis nominant, horas rostro indice notaret. Dum autem Riccius horologiis librandis Mathematicos cum Pantoia in palatio erudiret, aderant crebrius ab Rege ex Eunuchis familiarius apud eum assuetis, qui requiritarent, quicquid illi venisset in mentem de orbe nostro cognoscere; referrent etiam de ipsis minutias omnes, adeóque quo modo, & quantum ederent, quasi mundi alterius homines, naturæ alterius esse oporteret. Atenim Riccium præter os & barbam, cæterà Sinensem ardebat videre, nisi sui auara maiestas obstitisset, suis quoque Colais, & Regum Legatis vultus sui copiam facere dedignata;

73. Dona Riccij Regi gratissima.

dedignata; quod vnum licebat, iussit illum cum socio in palatium interius induci vbi ab Eunuchis pictoribus, vera vt poterant, redderetur eorum species; inspectis iis cum subisset item de Regum nostrorum habitu quærere, contigit Riccio in promptu esse sanctum Iesu nomen, triplici coram adorantium Ordine venerandum *Cœlestium, terrestrium, & infernorum*, cuius mysterium elegantissima scriptione à Riccio explicatum, idcirco Regi minus satisfecit, quòd esset insuetus spectandis figuris suo appositè lumine vmbráque frequentatis, nam vtrumque sculptura Sinensis simplicibus lineis peius supplet quàm rudiariæ apud nos graphides, in quibus saltem ex eo quod ponitur, intelligitur quod deest: eadémque Sinæ laborant inopia in vestium sinubus, & nudorum corporum figuratione. Suis ergo Rex iisdem pictoribus iussit in tabula illos Iesu adoratores coloribus reddere, adeséque pingentibus Riccium, quoad opus integrè absoluissent. Hinc domum conductam palatio proximam vix intrarat, cum Regis nomine fidicines quatuor in eam subeunt rogántque tradi sibi artem tudicularis organi pulsandi: nam de obsoleta vt diximus veteri musica supersunt illic fidicines eorúmque in Regia Collegium nobile, Mathematicis censu, & dignitate præstantius. Commodum cecidit Pantoiæ, ex Cataneo Nanchini, cantus aliquot didicisse: illum quater Eunuchi summissis genibus professi discipulos venerati sunt pro Magistro; quater organo pariter flexere genua, ne se sibi ignotis præberet difficile; itabat quotidiè in palatium Pantoia, exercebátque illos patientissimè, sed mense plus vno iuniores ægrè cantum vnum vtcumque potuere pressis palmulis modulari, multo ægrius senex annorum iam septuaginta; huic tamen cantui aptari carmen enixè ab Riccio flagitarunt, qui occasionem ratus minimè negligendam odas octo, modis illis aptas composuit, ea nobilis styli & sententiarum grauitate vt sua quoque singulis venustas, & lepos non deesset, atque vt natæ viderentur cum ea manuum modulatione, nostro hinc descripsit inde Sinensi caractere, præfixitque iudicem, *Cantiones organi Europæi, Sinensi idiomate donatæ.* Iis breui Pechini, editis, breui aliæ vrbes impletæ sunt, magna cum laude Occidentalium, qui præceptiones morum, & soliditatem Philosophiæ cum cantu copulassent, vt suauius in sensus intimos cum aurium voluptate descenderent. Sed vero propius sagaciores quique iudicarunt, voluisse Riccium ab Rege, nunc Eunuchorum, & feminarum vocibus enerui, effata fortia delectabiliter audiri, quibus eum decebat ex virtutum imperio viuere & regnare.

74. Nostrorum effigies Regi petenti offeruntur, qui se nemini videndum præbet.

75. Cantiones morales à nostr. Regi. con.

Hæc de oblatis Regi muneribus scitu digna; sed planè dignius in eorum fructu diuinæ prouidentiæ arcanum, quæ sceleratissimi Mathani ad elationem sui & exterminandum Riccium irrisam perfidiam; in abiectionem Mathani, & firmandum in aula Riccium conuertit: quam suorum laborum summam, & præstantissimæ nationis ad Christum adducendæ postremum cardinem suis literis iucundè agnoscit, &

crebro recolit. Sinarum Reges vtcumque per se sint, facit Regni causa, in reponendis muneribus liberales; legationes veras, fictas, longinquas aut proximas à variis Regibus, nihil tale vtplurimum meditatis, sed neque conscijs idcirco prodigè munerantur, vt sibi obstrictos, & fidos habeant, nec in eos ad arma cogantur, aut eorum vexentur excursionibus. Mille interdum aut plures conueniunt ex colluuie hominum perditorum; vili singulorum contributione donum Regi Sinarum conflant, à Persa venire aliquando, à Mogore alias, & vndevis se fingunt; Legatorum splendore personati se sistunt, qui sunt in iis habitiores membris, & linguis expeditiores, & de illatis muneribus decuplũ quam æstimentur ipsi, & munera reportant: incidit quandoque Riccio interesse cum appulsi Pechinum, strophæ huiusmodi Legati sycophantæ, allata Regi proferrent munera, ferrum, inquit Riccius exesum rubigine, & frusta veterum ensium ineptè fabricata, quæ ipsi quoque ineptius ligni frusto, pro manubrio inserebant; commissas in thoraces funes sparteo lamellas tam debiles, vt teli cuiusvis punctionem non ferrent. Quodque omnia vincebat pretio, equos mala fame strigosos, quæ prius aliquos eorum necauit quam possent ad Regiam duci. Ferunt quidem turmæ ex Cabul, terrísque longinquioribus fœderatæ, lucis variæ margaritas sed venales; iaspides maximè quibus suas illas latiores zonas, vmbilicatas gestant, ad decorem simul, & propriam tesseram Magistratus, præstantissimæ quæque Regi emendæ deferuntur Cotani amnis è fundo erutæ, sed iis longè impares, quæ longitudine vlnarum duarum cæduntur ex monte Can, viginti ab hinc dierum itinere: Riccij munera præterquam quòd casta, ambitúsque omnis expertia, peregrinitate operis, & elegantia sic Regi placuerant, vt immenso quodam pensanda præmio crederentur: & verò illum à Rege adierat ex primoribus Eunuchis, & humanissimè rogarat; quid honorum, aut opum, aut officij publici, tam pretiosis & liberalibus prensasset donis? cui Riccius, profiteri nos vitam Dei vnius obsequio contentam, vltroque omnibus quæ mundus deperit religionis studio nuntium remisisse; sermones aulæ Regíque de nobis mirabiles præbuit, quam illic inaudita tàm insperata responsio præsertim toties iterata, quoties idem à Riccio quæsissent, qui summittebantur identidem à Rege ad eum introspiciendum, paucis tantum cõfisus qui se tùm crebriùs, tùm familiariùs adibant aperuit habiturum se gratiæ summæ loco, nedum cumulatissimi præmij, si quod sibi vitæ residuum erat, liceret Pechini exigere, seque id ab Rege, illorum beneficio sperare, qua in re profecto haudquaquam falsus est, Eunuchi certè Regij penetralis, negotium Riccij plurimum iuuerunt alioqui enim Mathano fixum erat exturbare Pechino Riccium ne quid apud Regem de acceptis ab se iniuriis quereretur; inde illum postea extra regni fines eiicere, verum suis Lincini ab emissariis thesauro spoliatum quo illum à Rege remuneratum iri statuerat, eam ob rem duo quibus ab eo creditum diximus, modis omnibus in aula vrgebat.

56. Legat. fictæ ad Reg. Sinar. & ridicula dona.

bant, vt dimitteretur quamprimum Pechino, sumptúque interea Mathani haud paruo alebant, sed leui ad largitiones quibus per eos accusationem redimebat venditi Riccio libelli ad Regem supplicis grandi pretio gemmarum; vnaque facultatem offerendorum Regi munerum, quæ nec probasset tribunal Externorum; sed neque vidisset: qua item ex causa domo pedem efferre vetabant Riccium ne apud amicos Mandarinos flagitiosi Mathani perfidiam proderet, & sedem in vrbe stabiliret. Cessit tamen in cassum tàm accurata improbitas; dum se Pantoiæ in palatium adiungit socium ad exercendos fidicines regios modulandis organi palmulis; subducebat enim se ab eo post tantillum viæ, obibatque amicos veteres capite obuoluto, nihil tamen ex quoquam referens præter bona verba, quod nemo se parem expugnando Mathano sentiret. Dei ergo manus sapientissimæ, scelestum hominem expugnando scelesto adhibuit; & admotis perdendo Riccio machinis Riccium fecit votorum compotem: fremebat in Mathanum tribunal Externorum, eiusque Præses Zaihiutaius ob ius in Externum eiusque munera superbè impudentérque vsurpatum; non ausus tamen cum potentissimo Eunucho vires conferere, Riccium inuadit, ratus eius vexati dolore rumpendum Mathanum, à quo illum foueri putabat in probrum sui tribunalis. Scire dissimulat quæ Regem inter, & Riccium acta; simulat quin imo Riccium dato supplici libello, fraudis, & falsi deprehensum latere, vt se clam fuga proriperet; turbam mittit lictorum cum accensis qui domum scrutentur; ingressi mox F. Sebastiano, & alteri, Patres solito comitari, faucibus laqueum iniiciunt; tribunalis decreto Riccium eiusque socios domi pro carcere concludunt, & cum accenso lictorum decuriam iis asseruandis pro foribus statuunt: adest paucis hinc horis ex Eunuchis alter eáque rabie indignationis, & lethalium minarum ob illatum patrono suo Mathano dedecus lictores obruit, vt velut siderati, quò quisque potuit latebras captaret. Cauens tamen Eunuchus ne qua vis maior ingrueret, euellerétque sibi commissum Riccium, moliebatur illum subducere aliò, sed is dexteritate qua valebat sic Eunuchi cerebrum interuertit vt persuaderet expedire sisti se ab eo, extrancorum tribunali; factum id die proximè consequenti; illic Eunucho arroganter plurima tumenti, responsum breuiter; quòd Præsidibus Externorum negaret licuisse, manum iniicere in causam à Domino suo Mathano susceptam; paulum secederet; de hoc se illico visuros, habitáque mox breui consultatione, reuocato indicit Præses, Regni statuta seruari oportere, ex eorum præscripto Patres in Castellum Externorum deduci, abiret ipse bonis auibus, seque ab gerenda illorum cura intelligeret absolutum: diris eos deuouens cum abisset auditus est publicè Riccius; flexisque genibus, de quæsito contra legum, & Regis placita patrocinio Eunuchi, ad declinandum tribunal Externorum ita se purgauit, vt eam fuisse Præses agnosceret Mathani violentiam ineluctabilem: totúsque iam affabilior spe bona illum

76. Vexatio Riccij duorum inter se inimico odio.

erexit, Pechinensi dumtaxat commorationi professus se nunquam assensurum; ipse interea in Externorum castellum reciperet sese vbi esset de fisco regio honorificè habendus, atque illuc à suis cum Pantoia deducendum curauit.

77. Externi vbi, & quo modo excip.

Ingens est fabrica Castellum externorum; muris, portis, custodia militum anxiè munita: illinc aduenæ omnes etiam Legati non prodeunt, nisi vt vacuo Regis throno, & tribunali Rituum se sistant, nec possunt aditi nisi gratia singulari Mandarinis interdum maioribus concessa, Præfectus Castello Mandarinus suum illic habet palatium cum extraordinaria potestate, magnifico splendidum instructus; legatis alia destinantur minora & inculta; reliquum spatij dissipata implent cubicula; fœtida, & vndique aperta stabulando pecori, quàm hominibus aptiora: & verò in illa fœx sola hominum & mendicabula se stipant. Patres Mandarinus hospitio nobili, in suo palatio excepit vbi sacello composito, quotidianis sacris Deo supplicabant, pro desperato alioqui, votorum suorum exitu. Biduo quàm illuc subierant in aulam inuitantur ad exsoluenda regiæ Maiestati venerationis officia quæ illi ab Externis omnibus præstantur. In fronte illius palatij areæ quam dixi militum triginta millium capacem; columnarum sublimium longis impositum pendet ædificium ingens, prodigæque omnino magnificentiæ, vti & palatij duplicis hinc & inde ala. Sub eo fores quinque reuerentiam habent singularem, quod contiguæ sint procoëtiis regij conclauis. Extat altè in medio Thronus materiæ pretio, & artis, digna tanto monarcha sedes. Tametsi enim ex gente Vanliè nunc quoque superstite nemo se in eo spectandum dederit; sed erat antiquis Regibus solenne ex eo quotidie audire Consiliarios, tribunalium capita, Legationes peregrinas, & suis demum ius dicere, & beneficia conferre; exinde aut rei publicæ tædio, aut necis metu, ne conspicitur quidem Rex è fenestris, soli enim vident Eunuchi, & feminæ, inter quos puer educatur, viuit semivir, quadrupes moritur. Mansit tamen Throno regio debitus Regi honor, quem diuturna prius meditatione condiscere opus est, ne si quid in tantis eius minutiis errare contigerit, aut festinantius, & rusticius exequi. Præfecto rituum fustibus luatur: ob id ex edito, quidam quas rituum momenilator, de libro quem habet præ oculis, dictat cuique singulos alta voce, motus, flexus, proclinationes, abiectiones frontis ad solum repetitas; quæ cum in longum protendi necesse sit; salutatores ad portas palatij aurorem præuertunt colore cultúque vestium ab vsitato Mandarinis multum absimili, eburneam laminam bipalmarem latam quatuor digitos ambabus manibus sic tenent, ne superiorem eius partem vlla prorsus ex causa ab ore dimoueant; forte olim veriti ne quem Rex de salutantium corpore halitum respiraret: albente cœlo, digestáque in suos ordines, militum & elephantorum custodia, panduntur palatij portæ, salutatores silatim incipiunt suis obsequiis defungi, & cum præter legationes extraneas,

77. Adoratio regij Throni.

primam

primam anni lunam, & Regis natalem; Magistratuum omnium Præsides, & auctos noua dignitate Pechinum quotannis euocet scrupulosa lex huiusmodi honoris, nullus abit dies quo nouas non videat is Thronus adoratorum vices, referuntúrque in tabulas tam seuerè illorum nomina, vt si quis ei officio desit, reus sit spretæ maiestatis, eo Patres reuerenter peracto, Externorum Præfectos, & rituum ex more venerantur, inter quos Præses dimissius Riccio se pronus inflexit quàm vlli maiorum procerum aut Regum Legatis, pollicitus quoque in castrum redeunti se ad causam illius maturandam, operam daturum, vna fermé illud quoddam carceris genus molestum illi faciebat Rescripti regij longa mora, qua tamen occultè Dei benignitas in optatos euentus, contra spem hominum Riccij vota promouebat: Frequentabatur magnorum virorum familiari aditu, & prolixo, qui suspicionem amicitiæ cum Externis adeo non timebant, vt ipse Castello Præfectus Mandarinus, eum ad mensam adhiberet, dum sibi octo qui tunc in aula erant, vectigalium Principum Legati, nunquam nisi de genibus adstarent. Ex his multa, vt fit scisitabatur Riccius de illorum itinere, patria, commerciorum genere; ex Sarracenis præcipuè Indiarum & Europæ ignaris qui cateruatim eduenerant ad permutandas Rheobarbaro lucris immanibus merces suas; (Pechini enim Rheobarbari optimi libræ sex) minoris sex assibus veneunt) & hinc tandem liquido compertum, certúmque habuit, Cataium aliud non esse præter Sinas; nullam præter Pechinum Cambalu; neutrum à Persis, & Mogore aliter vocari; nullam ad vsque magnum murum vrbem esse aut regnum cui attribuantur, aut possint competere illa vocabula præterquam Sinis & Pechino. Inter hæc regem de Patris carcere, & hac altera eius custodia certiorem; iratum Eunuchi dixisse retulerunt; ecquid in latrones potuisset conseiri crudelius? sollicitúmque in posterum, addidisse, expecto quid eo facturus sit Peregrinorum Mandarinus. At his iteratis sæpius ad eum Scribis sui tribunalis, interrogabat, quid in Sinas acturus, & cuius rei desiderio veniisset? quod cum iuridicè quæreretur; magna libertate professus est Riccius illuc se missum à suis Præsidibus ad annunciandam veri Dei legem, extra quam nulla spes cuiquam esset animi æternùm seruandi; se nec opum, nec rei cuiusvis alterius inter Sinas studio affici; fore vna Regis vocula contentum qua sibi annuat Pechini degere, aut hoc si nimium videtur, in regno saltem alicubi, cuius esset ferè viginti annorum incola, vitæ vltimum claudere. Sub hæc remisso ad eum Scriba Mandarinus, quæ sit ea lex exquirit quam afferret? cui Riccius Breuiarium eximiè editum, & pulcherrimè ornatum, per Scribam exhibuit, ita enim sunt Sinæ vt ambigere non possint de præstantia doctrinæ, quæ tàm splendido cultu decoratur; coniecturæ huic, fidei sacrosanctæ adiunxit summam, pridem à Sinensi charactere, ac lingua elegantissimè consinnatam quam iusso referri Breuiario Præses restituit. Præsidi Riccium doctrinæ præstantia, cum

78. Pechinum idem cum Cambalu Cataium idem cum Sinis.

magnis virtutum dotibus mirè commendabat, Mathani fauor exosum fecerat, quo in sui contemptum arbitrabatur illum niti : vtrique indulgens instinctui, ad Regem libellum composuit, extrema quæque tabellionibus minatus, si quod vlli de iis quæ scripserant indicium facerent, nolens videlicet addictos Riccio pulsare supremos aulæ Mandarinos. Libellus Mathanum dirè lacerabat, nominatim vsurpati per vim in externos iuris : Riccium accusabat iniussu Regis & Proregum in aulam venisse, obliquo Mathani patrocinio subuectum ; sed dignum venia, quòd magis ignorans quam volens peccasset ; cætera dignum quem Rex pileo, zona, & calceis ornatum, alióque Mandarinorum cultu ; donaret textis aliquot serici solidis ; munera illi supremo pretio taxata, tanto argento reponeret ; textis serici aliquot muneraretur illius socium ; vtrumque custodiæ militum fideli traderet, in Cantonienſem Prouinciam reducendum ; inde Macaensem Mandarinum, aut ablegaturum illos in patriam, aut ea in insula retenturum : quorum omnium sumptus, erant à fisco regio suggerendi. Non fuit tam potens apud Scribas Præsidis metus, & minarum, quàm amor in Riccium ; ex vno illorum didicit de libelli summa ; sed cum esset solenne. Rescribi quamprimum de Externis, nec fermè aliud quàm quod Præses sensisset illius tribunalis veterum legum obseruatissimi ; nullum huic libello Rescriptum venit, Rexque illum, Riccij probè memor inter petitiones reiectitias coniecit. Responsi expectatio præter morem omnem diuturna & irrita, multa dedit tacitè garrienda de dedecorata auctoritate illius tribunalis, aiebat vulgus egregiè vltum iniuriam Præsidis Riccium, qui se iniusto caeere damnasset ; probari Mathani acta apud Regem, & æmulorum in gratiis esse gratiosum ; falso vtrumque ; duo enim illa funesta capita Præses & Mathanus, inimicis inter se molitionibus, vnum exilium Riccij anhelabant ; sed inter Eunuchos palatij ratum erat Pechini Riccium omni arte, opéque defigere, ne si aliquo tristi casu, claudicasset horis imparibus, vel obmutuisset id horologium quod Regem tantopere oblectabat ; in restituenda tam subtilis, & morosi artificij machina ignari hærerent Rex in iras & minas, & pœnas ipsorum sæuiret, sed hæc inter aulæ penetralia arcana ; foris gaudebant Mandarini Zaihiutaio Præsidi eiusque Collegis eam ab Rege impactam maculam, qui virum iam anno viginti Sinensem, at qualem, & quantum ? & quem esset Rex ipse gratia & honore dignatus, pro externo, & reo habuissent, hæc tam multi tam crebro gratulatum Riccio ventitabant, vt rogauerit illum Præses, ne vltra necteret expediendo libello moras (quarum tamen causam Riccius omninò, & valdè anxiè ignorabat) iis modo absisteret, sanctè spondebat eius causa quicquid vellet acturum : vtque illum sibi beneficio exempli expertè deuincireti concessit in vrbem quo luberet exire, quatuor tamen custodibus stipatorum specie comitibus. Post hæc nouis literis Regem interpellant, sed longè aliis ; de Mathano quòd boni dicere nihil possent, silebant penitus ;

penitus; Riccium laudibus in cœlum ferebant, augebántque taxata illius meritis præmia; verum iis quos dabant subinde libellis supplicibus, cum id non peterent quod Rex potissimum auebat peti, de retinendo Pechini Riccio, ne ij quidem responsum tulere. Rogare sæpius Præsidem Riccius, id vnum libello inseri, reliqua omnia quantumuis magnifica deleri; ille immobilis in lege qua rem niti publicam censebat pertinaciter hærere; Rex velle Pechini Riccium, sed à Præside, eiusque Collegis postulatum; nolle Præses ab Rege hunc petere; nodum diu inextricabilem sic diuina sapientia euoluit vt Præses non caderet, Rex vinceret; campum Riccius obtineret in quo nunc fidei Christianæ, & crucis gloria triumphat. Erat Pechini Mandarinus nomine Ciaochiensus, post Colaos summus; qui visentis se Riccij affatu adeo captus est, vt vellet eum frequenter apud se, ad mensam, & prolixa colloquia hâbere, confirmatáque vsu familiari intima necessitudine, Zaihiutaium Præsidem non rogans, sed præter consuetum Sinarum, increpans, acriter reprehendit ob conclusum indignè Riccium; cuius vero, aiebat, reum? violatæ inquit Præses, legis; & elusi extraneorum tribunalis, vt suffragio Mathani ad Regem sese penetraret: hic Mandarinus, vehementius excandescens; vias, inquit, obsidet Mathanus, capit, latrocinatur, interficit, deprædatur ad satietatem, & pro libidine quoscumque sors Lincinum tulerit; nec tantùm nobis virium suppetit vt coherceamus eius manus, nedum (quod commeritus est) amputemus, & hoc videlicet poterit aduena infelix, quem dura necessitas inuitum, in vngues huius sicarij induit? & tibi propterea fit pœna dignus, quem miseratione prosequi debuisses? quibus dictis, indignans, ab eo se auertit. Præses huius aut metu (à quo prouectus in gradum fuerat) aut rationibus expugnatus, extemplò ad Riccium destinat, qui ei suggerat de postulanda supplici codicillo à Præside venia degendi extra castrum, eo quòd incommodaret eius valetudini non parum; cui petitioni rescripsit statim Præses, cum amplissima potestate legendi vbivis Pechini domum, in qua nihilominus cum sociis quatuor, continuarentur illi sumptus è fisco Regio; attribuit & seruum, qui vt vsus est Sinarum proceribus, ad eius fores excubaret. Liber igitur deinceps Riccius, per se ipsemet Deo inspirante, tentare aggressus est, quod nemo omnium quotquot in aula plurimum poterant tentasset. Regi per libellum pari modestia, & sapientia conceptum supplicauit vt sibi liceret Pechini habitare; amicissimo Mandarino (cuius id erat officij) offerendum Regi libellum credidit; hortantibus etiam Præfectis Externorum, quibus æquè cordi nihil erat quàm vt probrosam sibi causam absolui cernerent.

79. Eunuchi Regis contendunt ne Pechino abeat.

Suspenso animi Riccio in expectatione Rescripti regij, precibúsque ardenter apud Deum instanti vt datum libellum optato responso fortunaret; Ecce tibi ab Rege de nobilioribus Eunuchis, qui honorifica visendi specie, denuntiant Riccio, quanti Regis gratiam faceret, quantumque

tumque illius offensam caueret; tàm procul omnem à se abiiceret cogitationem Prouinciarum australium; sed securus in aula consisteret, certus perpetuæ Pechini habitationis: quam illi gratiam Rex ore maluit quàm scripto conferre quod Externis Præfecti quibus necessario erat exhibendum in contrarium obstinatissimi, non essent illud probaturi, & Rex salua per Præfectos lege, gratificari per se Riccio volebat. Hæc meta cursus ærumnosissimi, vitæ annos octodecim innumerabilibus tædiis, casibus, & curis exercitæ; ad quam tamen quicquid prudentiæ, & cunctationum, quicquid tolerantiæ & opis humanæ excogitari potuit, nunquam attigisset; nisi hunc Regi animum indidisset Deus vt Pechini Externum omnino vellet; & hoc qualecumque ingenium, vt quamuis præter leges, saluis tamen in legibus fieret. Quod tam perspicuè Riccio constitit, vt diuturnis suis in hanc rem contentionibus nihil plane, Deo omnia arrogaret; cuius in ea, & similibus, expertus præsentem & beneficam manum, ingenti fiducia deinceps audebat feliciter multa, quibus prudentia hominum augurabatur exitus infelices: hoc ipse suis aliquot post annos literis testatur. [Scriptum, inquit, Romam accepimus, de conuersione multorum in hoc regno, Regisque adeo ipsius ad Christum perducti, queruntúrque nos sibi aliqui, tam beati nuntij lætitiam inuidisse; nobis verò abundè est hactenus, quod tandem fiximus in aula sedem Rege maximè annuente; quod de illius ærario alimur; quod eius aduersum maleuolos, tutela fouemur; quod sacras imagines dono sibi à nobis oblatas, & alia munera magni facit; quod in regno ex nostris tredecim Sacerdotes, quatuor adiutores, quod in aula vtraque, & alibi liberè agimus, liberè ad Christum multos adducimus, frequentamur obseruamúrque à viris Principibus. Hæc, inquam, nobis, & cunctis Senarum ingenij aduersus Externos conscijs pro miraculo sunt, nec de iis aliter aut cogitamus aut loquimur, quàm de potentiæ diuinæ miraculis, quæ res tantos mihi animos facit, vt Deo confisus ea non dubitem aggredi, quæ vis alioqui, & humana ratio dissuade.] Hæc suis de rebus Riccius: firmatam nostris Pechini stationem cumulauit Rex annona liberali, quam exinde Macao expectare ob trimestre iter, remis longum; ob Lusitanorum rem argentariam labantem, incertum; ob communicationem cum externis suspectum; ab Sinis verò corrogare nihil foret aliud, nisi confirmare quod vulgo delirant, regiones omnes esse famelicas, suosque in Sinas mittere, vt victum ingenio, & nouitate doctrinæ sibi quærant. Annona regia non modo vsui sed honori quoque nostris fuit, quibus tanquam suis è palatio Rex sportulas designauit; ne quid autem ex iis, vt fiebat, Ministri decerperent, Mandarinus in gratiam Riccij quem habebat in paucis carum, summam in aduenas adeptus Præfecturam, illas aureis quindecim mensibus mutauit, qui apud Sinas triplum ferè pretium nostrorum æquant edictione iuridica, nostrorum Pechini habitationem liberam sanciuit; illicita crebro

79. Retentum Pechini Riccium miraculo simile.

crebro acciri, in palatium solitis (quod iniussu illius nefas erat intrare) concessit quoties lubitum iis foret vt aditent, nec annui numeri lege ad hoc præscripta tenerentur: quid multa? creditum, quàm falsò, tam latè, támque gloriosè Regem se Riccio conspiciendum dare, & longos cum eo sermones trahere, verum procul amoto tàm luculento mendacio (cuius veritatem nemo non sibi Mandarinorum emptam voluisset vtriusque luminis iactura) quæ Pechini palàm in luce omnium gerebantur abundè Riccium toti imperio commendabant. Illa in familiam aulicam eius adscriptio tàm extra ordinem à Rege impetrata sic omnes affecit Literatos etiam supremis honoribus, & potentia metuendos, vt velut instincti cœlitus ad eum certatim gratulatum venirent, solenni paratu festarum salutationum; & longo equorum, gestatorum, & satellitum tractu, vicum in quo degebat stipatent; cui perpetuus in aulam Mandarinorum appulsus, nullum finem dabat quod omnes Riccium velut ex officio videre, salutare, & alloqui ambirent, eiusque prensare beneuolentiam, ipsi quin etiam Regis Eunuchi gens per se vilis, sed confidentiæ regiæ abusu, & fastu proprio summos quoque vertices calcare impudens, prosecuti sunt illum magnis obsequiis. Imo Reginarum & Regis ipsius propinqui in assignatas sibi Prouincias discessuri: pauci retro stetere cultores idolorum, quos visuri sumus in Riccium imbelli conatu postmodum coniurare. Hoc tanto virorum principum ad domum Riccij concursu id assecuta est quod Mandarinorum illustrium palatia omnia, vt auderet nemo vilioris notæ in eam ingredi. Iam cœnæ ad quas vocabatur, & quas repulsæ offensio cogebat admittere, binæ interdum aut ternæ in die haudquaquam stomachum grauabant, & libatis ferè opsoniis leuibus famem integram domum referebat; sed quod iis cœnis à sapientibus consueuit, de rebus maximè seriis agebatur, de moribus, de religione, quibus magno Christianismi bono crescebat Riccij existimatio; apud Colaum præcipuè, duos Præsides, & alios notæ lectissimæ complures, quos inter doctas & sobrias epulas Christo partos, eius diu habuit præcones & propugnatores: quæstionibus præterea disputatis catechismum suum ita auxit, vt Mandarinorum nomina iis adiungeret qui difficultatibus agitandis vel interfuerant, vel eas ipsi agitarant, dederántque perspectæ veritati manus, & cum essent toto regno clari, multos magni exempli pondere ad eandem trahebant: ad hæc habitus illi honor ab iis aulæ proceribus qui se maiores externis Regibus ferebant, certò illum cum suis iubebat confidere, fore in posterum neminem qui litem peregrinitatis sibi intenderet; in quo vaticinium Riccij vetus, & sanè prudens, optatissimus probabat exitus, in cassum satagi & sudari, quamdiu Pechini vrbe imperij domina, tuta nobis non esset mansio, futurumque nostrum exilium in arbitrio cuiusvis triobolaris Mandarini, ab Rege verò in aulam ascitos, & in suam adlectos familiam, palatium, & annonam, summisque caros, & deprædicatos aulæ primatibus, ausu-

rum neminem vel digito pulsare. Prima Riccij de cœlo merces fuit Pechini stationis; fuit illustris Mandarini ad Deum conuersio: nomen illius Fummocamus; Magistratus, cognitio capitalium causarum, in administratione Prouinciæ Huguanensis; virtutes, animus ab alieno tam abstinens, vt de suo pauperibus, viduis, & miseris adesset; totus bono intentus publico, omnium parens præterquam improborum, præ cæteris tamen iuris, & æqui magnanimus, & ineluctabilis defensor. Igitur Eunuchi, Prouinciam illam contributionum nomine spoliantis, violentas deprædationes, cum Magistratus alij tacitè gemerent; ipse vnus non tulit & certus periculi quod extremum subibat, publico latroni fortiter obstitit; quare ad Regem auaritia æstuantem ab auarissimo, & rapacissimo exactore delatus, præcipitato mox Rescripto datur in compedes, Pechinum deportatur, indefensus, atque inauditus crudeliter cæditur, & in probrosum coniicitur ac perpetuum carcerem. E contrariò Prouincia Huguanensis, ignominioso carcere detenti vitam egregiam continua præstantium operum serie contextam in lucem edidit, & prosecuta est illius virtutem priuatis altaribus, suffitu, funalibus, imaginibus, templis, & statua, omnique glorioſæ memoriæ monumento. Huic viro statim Pechinum vt appulit, nihil fuit antiquius alloquio Riccij, vt experiretur satin' is famæ commendationem reipsa impleret: has vero sermonis breuissimi, horæ vix vnius angustias, dum vixit felices habuit & memorabiles; etsi enim virtutum Sinensium (quæ ad veram virtutem rudimenta sunt quædam & habilitates) sempec numeros omnes esset consectatus; sed vbi Riccium audiuit, de officiis virtutum supra metas naturæ positis; visus est sibi & nasci denuo, & tunc primum hominem viuere, iunctúsque illi est arctissimæ necessitudinis nexu tàm intimo, vt veterum annorum amicitia crederetur, cuius ipse studio ita postea semper arsit, vt quicquid Riccium tangeret, id sua qua multum pollebat gratia, auctoritate, prudentia, literis, precibus apud Mandarinos, velut rem propriam vrgeret. Riccij opera quæcumque nancisci potuit, edidit suo ære, cum excelsa auctoris prædicatione; Doctoris nomen primus Riccio tribuit, quod ille tametsi multorum Examinum tormento parctur, sed Fummocami auctoritas, atque integritas tam ratum illi ac debitum fecit, nemo vt Riccium exinde nisi Doctoris titulo appellarit. Verum hanc illi egregiam beneuolentiam haud paulò vberiùs rependit Riccius, cum eum agnitione veri Dei ad æternam salutem comparauit. Narratur de hoc viro, vnum iam inde à puero percepisse Deum; abhorruisse à multitudine Deorum, & eorum cultum, Ministros, Sectatores, dæmone peius exsecratum; post verò adultum, ex Sinensibus Scripturis collegisse, quæcumque illius Cœli Domini, quem vocabant, naturam maiestatémque assererent; quæ cum accepto in carcere Riccij Catechismo, inexpugnabili rationum momento legisset roborata; stylo manum illico admouit, scripsitque liberam idolorum detestationem, cum encomio fidei Christianæ catechismo Riccij præfigendam. Cuius deinceps fidei

80. Ethnici Mandar. fortiss. æquitas.

Doctoris titul. ab eo Riccio datus, mansit.

sacrosanctæ propria exploratione, & Riccij literis securus, iam catechumenus, Saluatoris venerabatur effigiem dono sibi à Riccio datam; qui vniuersam eius familiam sacro fonte lustrauit, erátque ipsum lustraturus nisi continuis Mandarinorum precibus eductum è carcere, Pechino abire dura necessitas coëgisset: triduum quo definitus est illius discessus vix in mutuas suffecit Literatorum salutationes quare Nanchinum Patribus mandauit Riccius, baptismo illum expiarent; sed videre illos non potuit, nam malis confectus, catechumenus obiit. Múltos alios Riccius homines acutos, in eandem induxerat mentem, nam eorum non nemo cum laude narrabat quicũque à quouis inferretur sermo, deflecti ab eo consueuisse absque sensu, in salutem animæ, & in Deum, cuius ipse notitia & amore plenus, implere omnes satagebat; sed terrebat viam Dei edoctos probéque persuasos scopulus, quem suscipiendæ prolis falsa necessitas obiectabat insuperabilem, & vnius vxoris, ablegatis ad suos aliis retinendæ; subducebant exin sacris vndis caput, quas flagitaturi aduenerant; suspiciebant legis Christianæ sanctimoniam sublimem; & cum familias ad Patrem tingendas adducerent, earúmque adessent lustrationibus, inuidebant iis bonum cum gemitu quod sibi negabant, vel differebant in euentus nunquam forte cernendos, susceptæ prolis, & defunctarum vxorum. Fuit in iis qui cum familia sacris initiata Christianis, Hanceum patriam Pechino reuersus Catechismum Riccij denuo edidit suo sumptu, & quàm multis potuit exemplis latissimè vulgauit, certò vt erat cordati celsique ingenij, persuasus neminem fore iudicio præditum quem eius doctrina non addiceret legi Christianæ, cuius interea professionem miser, vxoribus multis implicitus in longinquos mittebat, & incertos casus. Atque ex his iam crebris, iam deinceps con clam, & dissimulanter sed palam in aulæ theatro editis procurandæ salutis alienæ documentis; desiere suspectum habere Riccium Mandarini omnes, & publicæ rei supremi Senatores, & indubitanter grandi cum laude generositatis & sanctimoniæ, ab iis statui cœptum, contemptu opum, honoris, & Mandarinatus tam nobili per immensa laborum, & discriminum maria, literarum Sinensium sudores conatúsque aduersantium crudeles, viam ab eo quæsitam, adamatam & votis supplicibus petitam Pechinum, vt Dei sui venerationem legémque stabiliret: quod eos virtutis admiratione stupefecit, & suspicionibus discussis, tranquilo gaudio serænauit.

81. In conuers. anim. Riccius lab. cum plausu.

Sed longè aliter eadem ex causa Mandarinorum quendam manipulum affecit, iurati olim Confusij desertorem, à quo iubentur Literati Dominum cœli agnoscere, aut si minus illum comprehendant abstinere saltem ab eo negando; at hi transfugæ ad idola, multorum depravatione cum sectam augerent, intabescebant scilicet Riccij prosperis in quo sectam suam disputationibus & libris subrui cernebant, & impietatis ac dementiæ damnari. Fœderatis ergo in defensionem libuit primum tentare Riccium querela, & conditione pacis cum illo ineun-

Frustra illi obsistit idolatræ.

dæ; Enim verò ab eo Sinarum Deos iniquè proscribi, vt Deo vni suo locum daret; deorum quantum est, immensitate orbis facile capi posse; immensitatem quoque accurationis publicæ, ac priuatæ in gubernatione mortalium eam esse, vt suæ diis singulis sufficerent partes; non sufficeret tempus quo in aliorum officia sollicitudines suas diuerterent, Deus Riccij cœlique Dominus, suum sibi haberet cœlum; cœteris quos probat Riccius terrenos, terram permitteret, & quod fœlix faustúmque pace; mutua gauderent; ille conditione frueretur quanto cœlum & stellæ mundo infimo præstant meliori; aquas isti & ventos; montes; campos, & fortunas vitasque hominum regerent, hæc illi, siue ita sentirent, seu metuerent, ne deos suos omnibus spoliarent, si vellent omnia iis arrogare. Ast vbi Riccius hoc ipso eorum delirio errorem reuicit, contra sensum insitæ rationis philosophantem de diuinitate; & quibus optabant humana committi, non deos, sed homines Xacam & Amidam aut spiritus esse æternis addictos ignibus; tunc rabie acti in exitium Riccij cosulunt; crimen, vt sunt in iis vaferrimi confingunt, quo illum à Regis beneuolentia euulsum erant perdituri, nisi sceleста consilia de cœlo tacta corruissent. Erat in iis facinorosus senex, flagitiis grauior quàm annis; et Mandarino, Bonzium, & idola professus, nomine Tarquonus, vir loquacissimus, & scientissimus totius idololatriæ; arrogantia omnium virtutum ad vnguem sanctus, præterquam modesta suimet æstimatione quam ita non norat simulare vt apertè honores sanctimoniæ ambiret. Vrbanitatum vices lege vsúque fixas reddebat nemini, abunde visentibus reputans, si suo semidei aspectu stoliditatem eorum beasset misit quandoque ad Riccium expectare se illum domi excipiendum, sed saluo decoro, quo prohiberetur inflexione genuum, & corporis se cuiquam abiicere, rescripsit ad eum Riccius expectaret sanè, si & quamdiu luberet; cæterum non iturum, sibi nihil esse au discendum ab eo aut petendum; eius quidem videndi gratiam nec passu emporum; si tamen se adiret admissurum iisdem ritibus quibus Bonzios Literati. Sed æquè nihil senem stultissimum superbo spiritu dementabat vt Magisterium ethnicæ pietatis quo in Reginas, & Eunuchos per se suósque fungebatur, ex quo illi prouentus largitionum inæstimabilis; fanorum, frequentia, & cœnobiorum, quæ construebantur, Bonziorum detestabilium impurissimis gregibus; cúmque nulli fas esset, raso, quod Bonziis sanctum est, capite, limen palatij tangere; Reginarum Princeps, opinione ebria deliri senis, quem adorare præsentem non poterat, detrita illius tunicæ, & fœda illuuie squalidæ adgeniculata, quotidianum exhibebat piæ reuerentiæ honorem. At is grandi pulmone maius aliud spirans, Reginarum susurris perpetuis Regis aures tentabat, vt sibi Tacquonum eligeret in diuinis Magistrum, & animæ Patrem. Coniuratis porro in Riccium simulachrorum cultoribus, vt alia omnia deessent, instat omnium hic erat; sed

cum

cum articulus instaret dandi aduersus illum accusatorij libelli, libratam ab illis in eum perniciem, Deus in sectam refudit vniuersam.

Versare hanc cœpit antistrophen librorum editio quos publico dabat Licihous quidam olim Mandarinus, homo vanissimus nec vulgo laudatus: qui verecundatus Sinarum Magistrum Confusium, & tritam Literatorum vestigiis orbitam, eius doctrinam eiurare; dehinc noua quædamcomminisci de diuinitate; postremo aduolui simulachris, eáque pro diis colere, & quod erat ingenio consequens opinione sui superbè deliranti, fieri sectæ caput, libróique de illa impudentes in lucem protrudere quibus Iaum, Tum, Venum & Confusium, quatuor Sinarum lumina, & exempla, improbis adscribebat; contra inter heroas, cœlo inferebat adoratores idolorum, propudiosa memoria enormium scelerum infames; hos libros cum magna copia Pechinũ misisset diribẽdos affectatores idolorum auidè perlegunt, & lætitia insani auctorem inuitant iámque iter inibat, cum turma lictorum circumdatur, vincitur, Pechinum quo ibat, sed coniiciendus in compedes traducitur, & offensionis publicæ, pessimique exempli pœnam grauem suis cum libris luiturus, quam & dato ad Regem libello vnus de Regni admonitoribus decerni postularat, sed eam senex nequissimus sectis sibi faucibus præuertit. Visum hoc Præsidi Literatorum Funo vrgendæ rei momentum idoneum. De hac vehementes ad Regem dat literas quibus exsecrabatur Literatorum à Confusio ad idola defectiones impudentes, & professionem doctrinæ tùm falsæ, tùm impiæ, tùm regno exosæ. Propagari ab iis tàm latè hanc pestem, vt nisi præsens remedium eam abscinderet, breui esset Pechinum in Regiam Bonziorum, & simulachrorum templum degeneratura. Regem fama tàm constans idololatram loquebatur, vt suæ sectæ librum diceretur manu propria descripsisse. Regis mater, vxores, Eunuchi, vitæ illius priuatæ Ministri, Domini voluntatis, omnes pariter mancipia idololattriæ; ad hanc tamen Pechino exturbandam (cœlo arbitror motus) Rescriptum dictauit, dignum Imperatore Christiano, cuius erat hæc clausula; idolorum cultores procul abeunto; cum eorum Ministris deserta incolunto, nihil eis cum aula, nec decent illos Mandarinorum insignia. Rescriptum statim in mores induxit seuera Præsidis claráque edictio, ne quis Literatorum in posterum, verbo, scriptóve idola nominaret, nisi ad eorum detestationem; qui secus faceret, caritarum exinde spe omni ac iure augendæ dignitatis, & gradus altioris, edictione hac mutare scænam aula omnis; confidenter antea fastuosi obstipo incedere capite; nonnulli dedecus leuitatis in religione commutanda, voluntario exilio, & abdicatione dignitatum vitare maluerunt: in quibus tres erant in exilium Riccij malignè coniurati. Purgata ab idolis aula campum Bonzij retinebant, quòd edictio Præsidis vnos tangeret Literatos; triumphabat ferociùs solito Tacquonus, quod de sibi obiectis apud Regem nefariis enormibúsque flagitiis, Rex silentio respondisset, quasi hominem gra-

82 Idololatria, & Bonz. exterminantur Pechino.

tiosissimum ne sustineret quidem apud se accusari. At stupori fuit quàm procul huic eiúsque Bonziis, & ex causa quàm inopinata, & quàm aliena, tunc illis ruina incubuit, cum essent eius maximè securi: aduertitque etiam ethnicos, vt dictitarent hanc in cœlo compactam machinam, vt vlcisceretur Cœli Dominum, eiúsque hostes obrueret. Contigit proiectam in palatium schedam Regi probrosam deprehendi, qua perstringebatur amoris in filium minorem, quam in natu maximum maioris, quo prærogatiuam paterni imperij illi destinabat contra Regni & naturæ iura. Nec errabat à vero insimulatio, sed Rex doluit se in ordinem redigi, & nullo discrimine tanquam Plebeium accusari. Furere igitur in schedæ auctorem & conscios, Pechinum proscriptionibus, quæstionibus, tormentis, & carnificina perpetua in solitudinem vertere, nullo non publicum deuitante ne qua illum vmbra suspectum faceret, nec tamen vel auctor vel index vlla vi arteve coniici valuit, quoad eò causa deflecteret, quò instruxerat illam Deus. Missa vnde vnde repentè vox, sparsáque in populum repentè, vocem publicæ ac famæ præiudicium tulit; schedam nempè in Regem famosam à Bonzio, & idololatra esse compositam, qui de vno rumor omnes fecit suspicionis purgandæ reos, & suppliciis complures exquisitissimis cruciauit, nec iniustis tamen, etsi nec sceleris auctores comperirentur nec conscij; de iis enim dum quæritur, & vitam illorum scrutantur Cognitores tàm horrenda in lucem manifestam protrahebantur eorum scelera, vt ad sicam, & rogum populus conclamaret. Deprehensus est in iis vnus virginitatis inter Bonzios virgines notæ magnus qui meretrices duodecim, totidem alebat in vrbibus, vbi ero sacrilegissimus suas obibat stationes; Ex Tacquoni scriptis producta epistola qua Regi sceleste obtrectabat; aliæ ex quibus liquebat, operam suam Mandarinis magno venalem habuisse, vt eos deiectis aliis in Magistratus attolleret, à quibus propterea ignominiosè sunt amoti. His & similibus Regis æquitas indignata, properato rescripsit, ex legum seueritate puniendos, quod tam diligenter curatum est vt etiam summum ius iniuriam saperet. Dedit pœnis initium Tacquonus quem intoleranda superbia Mandarinis fecerat inuisum, iussus est cædi vltima fustuarij verberatione dum in carcerem duceretur expectaturus illic grauiora, sed prima hæc pœna hominem confecit, & sub ea extinctus, vulgo de se fabulam reliquit, fortes enim assuetus iactare sententias, & animum doloribus corporis & lacerationi carnium imperantem, eiulatu femineo & lamentis prius obtudit adstantes quàm à carnificibus tangeretur. Abiectum cadauer & leui humo tectum, refodi iudices mandarunt, ne vt erat fraudum mirabilis artifex, mortuum simulasset, & Regem aliquo exitiali veneficio peteret, Suis alij affecti supplitiis; pessima natio Pechino exterminata est penitùs, vbi delneeps nequibat conspici, nisi cum omnium exsecratione. Tnnc vero vrbe (quod à principio diuina prouidentia spectarat) à pestilenti colluuie liberata, in

in cassas incidit schedæ auctor in Regem compositæ; nisi fortè vi tormentorum crudelium horrenda, confessionem à misero falsam iudices extorsere, ne Regis furorem in se conuerterent, si nullum inuenissent reum: erat hic è Literatorum ordine, gradu Siuzaius, palam facinorosus, ex quo pronior fides habita confitenti; cæterum vera falsa confessus, sententiis iudicum, in frusta carnium sexcenta supra mille dissercus interiit; quam atrocitati quorundam scelerum Sinæ lanienam decernunt, & producunt illam aliquando ad frustillatim mille, intactis interim subtili catnificis examine illorum vitalibus quoad expleto vulnerum numero caput illi abscindat. Porro hæc Pechino expulsæ profligatæque idololatriæ victoria nobilis, peruagata est regnum vniuersum; & cum ea omnino sapiens Literatorum sensus, apertè philosophantium à Deo Riccij perfectam, cui fixum cum esset legem suam abeo in vrbem regiam inferi, prius à virulentis germinibus liberandum id solum censuerat, Bonziis scilicet, & idololatris eorum sequacibus, qui nouis quotidie simulachris vrbem incestabant, & erant denique pro ea qua perpetuo crescebant potentia inde Riccium expulsuri, quæ post hæc iecuta sint tantisper differo, vt suus hic detur Longobardo locus in opposita planè Cantonensi Prouincia laboranti. Nicolaum Longobardum Caltageronæ in Sicilia edidit annus superioris sæculi sexagesimus quintus; octogesimus secundus Societati dedit. Ætatis nonagesimus in cœlum, vt spes est, transmisit, post annos videlicet octo & quinquaginta in Euangelij opere Sudatos; Campum sanè illi haud imparem magnis quos gerebat animis, Apostolico ardori, & viribus corporis explicuit Christianitas Sciaocensis dùm eam fundat, cóque prouehit vbi post paulum illam mirabimur: Primi tamen laboris, & contentionum, diu fructus alios ex ea non tulit, quàm patientiæ. Literatorum ingenia explebat sublimitas professionis Christianæ, & eorum quæ sentit de Deo, de anima, & æternis rebus; sed exterrebat monogamiæ lex omni iure, ac tempore maior; & castimoniæ sanctitas, motus quoque damnans intimarum cogitationum. Mandarino insigni præcepta decem legenda cum dedisset, suspexit ille virtutis absolutissimæ dictata, sed ea restituens negauit posse à Mandarinis obseruari; rectè omnino, haud quidem pugnantia cum dignitate Mandarini, sed cum iis vitiis quibus vt plurimum inuoluuntur. Vulgus autem idolis pertinacissimè affixum, inferiore saltem gradu, cum cœli Domino, Deos suos colere voluisset, quos, etsi non semper petita concederent, aiebat tamen nocere nemini, nisi si contemptu aliquo violarentur: cuiuis porrò bonorum dando, vel auerruncando malorum generi, suum habebat peculiarem Deum, & quæ illius retinendi non parua erat illecebra, virtute olim clarum heroïca, nec vila earum maculosum labe quæ Græcorum Deos dedecorat. Præter statuas illorum quæ prostant in templis, adorantur priuatis in ædibus ingenti numero, & singulari veneratione, traditæque ab auis transmittuntur in filios, & nepotes hæreditariæ,

83. Sciaocei missis exig.

hæreditariæ, ac velut fata domestica, creduntur tam longo ex contubernio, in Deos penates euasisse, & familiarum tutelares: accedit cum circumferuntur, mos stipis idolo conferendæ ab singulis quas præteruehit domibus, cui nemo deesse absque offensione populi, & periculo tuo possit. His elisi cadebant conatus omnes Longobardi, & tolerantia, quod eò ferebat acerbius quod ciues mente præclarè affecta erga Christi legem, velut præcellentem, nimis tamen seueram causabantur, nec expedire se poterant à difficultate qua vna tenebantur, illi quidem multarum vxorum; hi vero multorum Deorum, & beneficorum. Longobardi cursum hæc remora tenuit ad annum 1599. quo illi suggestum diuinitùs vt in vicinis circum pagis experiretur qua fruge fieret Euangelij Sementis, Machia, Mochi, Cincum, Ianscianum, Cinten, Vancunum, & alij frequentes domibus, & habitatore, vtramque fluuij prætendebant ripam. Die Apostolorum Principibus sacro, iussit F. Franciscum Martinez in diem proximum populo vniuerso concionem indicere in qua essent de lege Domini cœli, præconem audituri ab Occidente vltimo in Sinas aduectum ad commonstrandum iter beatitatis sempiternæ: adfuturum die proximè subsequenti, adessent illi, excusaret nemo, de re tanti vel semel audirent; simul iis horam locumque condixit: incredibili concursu pagani ad hanc vocem postridie confluunt, scire auent apud nos quid fiat, qua lege viuatur; nam de religionis nouæ ritu minimùm laborabant, quam videbant Sciaocei in solo Doctorum non coalescere, multo minus foras extra vrbem diffundi: verum enim vero diuina bonitas eorum fefellit curiositatem, & veritati auditæ mancipauit. Imitabatur docens, Literatos, qui siue de Deo, & religione; seu de virtutibus sermonem instituant, posita coram tabula, sedentes dicunt. Mysteria fidei, prius data opera ponebat, quæ innata homini ratio, proniùs approbat; semper tamen in Christum desinebat, cuius dignitatem, & merita, munúsque hominis reparandi cum explicuisset, inter faces accensas adorandam illis eius effigiem exhibebat, quam venerabantur demissa corporis proclinatione, & grandis acerræ suffitu liberali: eruditis per aliquot dies libellum tradebat Doctrinæ Christianæ quem memoriæ mandarent; dabat iis statam quotidie horam, qua dum priuatis respondebat cuiusque dubiis, doctrinæ omnium consulebat. Post vero quam tales formarat discipulos, vt possent ipsi alios docere, celebri tingebat baptismate, cuius apparatum adeò non auersabantur ipsimet Ethnici, vt amicos & consanguineos è sacro fonte, pompa eadem, & symphonia sonorum domum reducerent, qua solent reduci qui gradu aliquo à Rege aucti sunt, eius familiam in perpetuum ornaturo, nec alia mente hunc iis honorem deberi censebant, nisi quod nobilem professi, cœli Domino seruitutem, eius deinceps legibus viuerent, in quibus id vnum displicebat, quod excellentia virtutis plus placerent, quàm posset humana tenuitas viuendo assequi. Pagorum exemplo in-

84. Vicinis in oppid. vberrima.

speratum

speratum euenit, vt ipsa quoque ciuitas caperetur, & ex mutatis eorum moribus qui Christo nomina dederant, de lege ipsius sentiret magnificentius, cúmque abluerentur vitali aqua cohonestaret illos in festo comitatu. Centena iam multa in vrbe & foris Longobardus baptismo expiarat, habuisséque facilè multò plures, si magis numeri speciem quam virtutis spectasset, quæ idcirco debebat in Neophytis eminere quod legis præstantiam, eorum ex moribus Ethnici metirentur. Fortunante his incrementis Deo conuersionem virorum, cœpit Longobardus apud se meditari, qua via posset idem bonum communicari cum feminis; suspiciosissimum negotium inter Sinas à quibus anxia seruantur scrupulositate, præsertim si susciperetur fide nondum magnopere diffusa, nec satis vulgo explorata. Quamobrem Riccium & reliquos Patres super eo prudenter consuluit, resciuítque ab ipsis, indultum Iaponibus & Sinis, à summo Pontif. vt in lustrandis baptismo feminis, abstineretur à tactu pectoris aurium, labiorum, & vnctionibus. Illarum vero institutionem ad tradenda illis scitu necessaria, tam seuerè, támque arctis sibi Longobardus lineis definiuit, vt honestatis Christianæ magis inde suspiceretur modestia. Cum enim pateret viros etiam ingenio acutos non posse satis Christiana doceri, nisi crebra de iis, & diuturna collocutione, disputatione, & illustratione dubiorum; sisti sibi feminas non sinebat nisi tantum semel, maritis eorum & Patribus; vbi fidei summam cum pronuntiassent, testarentúrque se illi firmiter assentiri, exerto modicè capite excipiebant aquam sacri baptismatis, & Sinæ plurimum laudabant in ritu illo Christiano sollicitudinem pudoris conseruandi mori suo, & diligentiæ congruentem. Ad hoc Longobardus accuratissima disciplina instituebat viros, vt ex parentibus filiæ, ex maritis vxores, necessario credenda, & seruanda condiscerent; illas vero non ante producebant baptismo expiandas, quàm plenè omnia tenerent. Patrique id vnum supererat, vt audiret ex iis articulos fidei cum eorum expositione, præcepta Decalogi, & precationes consuetas, cum solenni ad vitimum idolorum eiuratione, admissorúmque eatenus criminum; & promissione in posterum fidelis ad mortem, & inuiolatæ Christo seruitutis. Restabat aliud multo perplexiùs de confessionibus illarum audiendis; sed sperabat processu temporis, pietatis, & fidei futurum, vt sese id quoque expediret, quod & factum paulatim; & assecutus est etiam, vt se Deo nonnullæ dicarent, & suis in ædibus æmularentur cœnobiorum sanctitatem. Gaudebat interea Longobardus diuinæ prouidentiæ obseruatione quæ præter spem omnem, & velut fortuito ad se mitteret senes decrepitos, sacris initiandos aquis; pauloque interdum post in cœlum abituros; donorum ad hæc quibus Dei Mater, supra naturæ vim afficiebat Neophytos quæ sui admiratione quandoque integras pariebant Christo familias. Quid illa comminutis ab se referta simulachris, etiam antiquis familiarum penatibus, canistra,

85. Feminarum conuersio facilior euadit, cautio ad hoc ingens adhib.

86. Conuersi ardent studio alios conu.

quæ ad eius pedes Catechumeni deponebant; ille ignis teneri impatiens, & velox artifex sui propagandi, quo hausto cœlitus baptizati, incendebant mox animos Ethnicorum; & heri Christi præda, fiebant hodie prædatores, horum vnus, & primigenius Ecclesiæ illius fœtus, annos septuaginta natus, dictus Saluator in nominalibus, tanquam omen gerendi muneris; nam se totum confestim addixit procurandæ saluti idololatrarum, senum præcipuè quibus senex ipse persuadebat facilius, quod ægrè iuuenes potuissent; irretiebat autem eos nodo vicinæ mortis inextricabili, eiúsque sempiternæ; sed modum tradebat nascendi denuo in vitam immortalem. Audirent solum, & intelligerent quam vili, & nihili tantum bonorum iis proponeretur. His mysteria, & præcepta Christi attentis recitabat; vetabátque metuere iisdem memoria capiendis ne ineptos fecisset ætas prouectior; Christi discipulos interiori disciplina ab eo informari, & luce perfundi celeri intelligentiæ tam clara vt breui facilè capiant, quæ vix alioqui diuturnus labor callosæ memoriæ nunquam imprimeret; eadem se quoque tentatum fallacia, & diu auersum ab audiendo Longobardo, quod vel necessariis retinendis desperaret se posse sufficere; passum vero se illius precibus adduci ad audiendum saltem semel, quæcumque dixerat animo comprehensa domum retulisse, parique deinceps facilitate memoriæ, retinuisse omnia quæ doceret; captum quin imo quò plura de Christo cognosceret, desiderio legendi cuius fuerat planè rudis, tam breui autem cœpisse legere, vt ipse miraretur, & quidem merito cum ad hoc neque ingenio valeret, nec longam operam contulisset.

87. Conuersio illustriss. Literati.

Longè alterius tùm ingenij, & doctrinæ, tùm dignitatis & excellentiæ Literatus, cuius tandem ad Christum post annos quindecim accessu Christianitatis Sciaocei magnopere aucta est existimatio, & numerus, diuturnósque labores, quibus alij atque alij nostrorum infectati fuerant hanc prædam, consolatus est Deus illius captura, Ciuitatis Cato iis pridem audiebat; nec eius viuendi ratio, integritas, grauitas, & limatissimi acumen iudicij aberrabant ab eo cognomine. Quare publicis & arduis in rebus consulebatur semper, vnumque id sibi dicebat pensi benemereri de communi bono. Adamabat vero nostrorum consuetudinem quòd oblectaretur eorum virtute, & proficeret doctrina, solitus dicere de collectis simul in torculum Bonziis omnibus nunquam tantumdem extortum iri scientiæ, & virtutis, quantum vni de nostris inesset. Verum has dotes vir mundo, ac sibi sapiens haudquaquam altius naturæ modulo attollebat, iis è contrario, & seipso tumens, probro sibi putabat, sapientum florem, famæ suæ gloria calcanti, externi humuli, diuinis in rebus discipulus fieri; huius tamen illum denique pedibus Dei benignitas aduoluit, Protomartyris vt creditur Stephani patrocinio exorata, cuius illi nomen indituros se Patres vouerant, si eum efficeret Christianum. Obstinauerat animum solido iam quadriennio, aduersus quassantem & impugnantem se diuinum

spiritum,

spiritum, ne religionem amplexus nouam, & vulgo vilem, honore excideret cuius illic apicem obtinebat; cum illum officij ratio Pechinum euocauit, vbi erat Deo miserante, suauissimè sanandus. Nam vt vidit à summis Præsidibus, auláque vniuersa (ad quam Scioceum erat ad solem nitedula) coli Riccium supremis honoribus, frequentari, audiri, obseruari; quam tradebat legem, consentienti præconio deprædicari à Principibus Mandarinis, vnam solum virtutis quam iubebat nimium arduæ, difficultatem excusari, quo minus illi se subderent; supercilio posito, Scioceum rediit, superatísque ope Lucæ cuiusdam Literati obstaculis, quibus moliebatur Dæmon eius consilia intercipere, erudiendum se Longobardo dedit, à quo publica gratulatione, baptismo lustratus nomen Stephani accepit, omnibus exinde gloriosum sibi reputantibus eo sequi quò ille præcesserat,

88. Neophyt. virtutes heroicæ, in condon. iniuriis.

Et verò secuti sunt non pauci, quibus item vita nouorum Christianorum egregia stimulos addidit. Eius specimen sit, Mandarinus è Prosapia Ciuni, eius auia, & mater Christianam ab eo edoctæ disciplinam cum filio annorum nouem puerulo. Anna nomine auia annis rigens, mente Deo ardebat; missum assiduè à Patre innocentis ætatulæ seruulum ad repetendam illi prælectionem de officiis vitæ Christianæ audiebat incredibili voluptate, ac præter familiam, cogebat domum etiam vicinos, quodque Sinis penitus insolens, iussum coram sedere, reuerebatur tanquam Angelum cœlo lapsum; sed huius feminæ nepotem Georgium in atrocissimo iniuriæ casu, virtus magnanima fecit vrbe tota maximè illustrem. Fratrem illi arator venæno necauerat, vindicta hoc pronior, quò despicatior homicida. Vltrò Georgius publicam veniam ad eum misit, patrocinatus est apud iudices scelerato, quem vel eo tacente manebat aut sæua mors, aut voluntarium præcipitium, quo rei audaces illic non raro carnificem anteuertunt. Exercebat Neophytos Longobardus in accipiendis iniuriis (quod frequens apud Sinas) quid à Christiano fieri oporteret; imo etiam quid dicti, dum ergo pueri in vico rixantur socio alter colaphum impegit; at hic verborum memor quæ audierat à Patre in illud orationis dominicæ, *Dimitte nobis debita nostra, &c.* placidè admodum, Ego, inquit, tibi tàm lubens condono, quàm opto à Deo mihi condonari, & cum eo gratiam integrauit; aliquamdiu postea sororem natu se minorem iratus vt inter pueros, colapho petiit insontem; illa, tam lubens ait, hoc tibi condono, vt opto à Deo mihi veniam dari: quibus facti multum pœnitens puer se subduxit; Christiani quos id non latuit, virorum virtutem in pueris laudarunt.

Memorabatur & Agnes puella, Cincuni nata, tractus illius oppidi, Christianorum numero, & virtute insignis, cui primùm propterea datum est ædem sacram habere, quàm augustissimo sacrificio inauguravit Longobardus April. 20. anno huius seculi tertio, & quidem eo religiosæ lætitiæ, cantuum, concionis, & ornatus instructu, qui Eth-

nicos viginti, velut otiosi spectaculi studio aduectos, sic ab idolis ad Christum conuertit, vt suasore alio non egerent. Ædem quatuorviris commisit maturis, & inter Christianos primariis; horam, & signa designauit quibus quotidie ad preces cogerentur; lustralis aquæ in ea copiam reliquit, & Calendarium Riccij abacum, temporibus, festis, & ieiuniis distinctum. Cúmque ad eos crebro reuiseret, illic etiam sæpè ab Ethnicis & Christianis quærebatur & perducebatur in villas, & pagos, vnde lætos metebat animarum manipulos, nec raro senum, aut ægrotantium, qui ritè abluti, nouæ vitæ candorem cœlo inferebant: feruentior eo in oppido quam alibi pietas congregabat turmatim pueros ad domorum fores vt sacram doctrinam decantarent. In iis Agnes de qua cœperam, quinquennis puella, & præ iis docta, in ædes priuatorum accersebatur assiduè vt mysteria fidei traderet feminis, à quibus subinde adhuc nempe ignaris abstinentiæ Christianæ, cum inuitaretur ad carnes diebus vetitis edendas, auersabatur illas cum horrore; simulachra vero quam nihili faceret non semel, nec timidè, palam professa est. Portabatur de more in ferculo à supplicantibus simulachrum Dominatoris tenebrarum, cuius accessu aiunt Oscieni, maleficos spiritus & maleficia fugari, aurámque pestilentem; idolum pro ianuis Ethnicorum sistebant tantisper, dum suo illi modico venerationem stipem, Bonziis soluerent; excubabant ad suas ianuas Christiani, quæ illic semper patent, ne fœdarentur vel obiter idoli mora, & iam constiterat ante domum Agnetis, cum illa procedens ad bajulos facessite, ait, hinc, cum hac vestra lauua; habitat Deus in istis ædibus, nec auram noxiam, nec improbos spiritus patitur secum habitare: alias idolum similiter vici tutelare dum Oscieni circumferunt, & stipis aliquid grati animi ergo à patre Agnetis iurgando conantur extorquere, ille quod esset Christianus negat fortiter se daturum; ij negant propterea sanctam esse legem quæ officia æquitatis, & gratiæ vetaret, tumultum audiens accurrit Agnes; & tanquam expulpito Bonzios alloquens, audite, inquit, & veris acquiescite. Qui Deum, cœli dominum nobiscum colit, non potest sine sacrilegio terrenum idolum colere, aut bona huic accepta ferre, quæ ab illo vno nobis proueniunt; proin abite in bonam rem, quod enim negamus non est auaritiæ vitium, sed religionis officium, ad quæ illorum Doctorum præcipuus, hoc vero inquit ex ore innocentis decet nos pro vero credere esseque molestus desiit; fuisse vero id sacrilegij horrorem, non parsimoniæ auaræ studium eximiè claruit cum dicente ad populum Longobardo, Christiani ædes repentinum vorasset incendium, insanis interim præ gaudio Ethnicis nedum aquæ stilla flammas ab rebellis, quod aiebant, domo arcentibus; sub finem dicendi, Christianorum largitati, paucis miserum commendauit quem cum familia is casus, sine tecto & victu exposuerat ludibrio Ethnicorum, nec plura; postridie mane præsto sunt omnes Christiani cum trahis, iumentis,

In constantia fidei.

Fraterna caritate.

iumentis, carris, longuriis, trabibus, omnique materia, & necessariis ad restituendam domum quæ strenuis operis, breui perfecta est, multo melior quàm quæ deflagrarat, suáque commodè supellectili instructa, & habitatori reddita nouis etiam cum familia vestibus donato, & hæc gratuita vbique liberalitate, pronáque adeo vt si post incendium publicum consuleretur in commune, quod Ethnicorum petulantes iocos & impios pudore obruit: ac instabant frequenter Christiani eundem animum liberalem reipsa testari erga Longobardum, sed ne illa quidem munuscula sustinuit ab iis admittere quæ debent Magistris discipuli, aut si offensionis metu compelleretur admittere, remunerabatur non minori dono; nec infregit hoc eius propositum, piorum ratio cum obiicerent, eum procul ab suis & Externum non posse non multis egere, proinde oblata non debere ab eo recusari: sic enim Patres inter se condixerant, ne quæstum ex Euangelio captare viderentur vt ex idolis Osciani & Laosij. Iam inter fideles si quid dubij iutis verteretur, compromittebant Patris arbitrio eiusque sententiæ stabant; & in ius vocati ab idololatris defensiones suas tradebant Patri corrigendas ne quid fortè haberent à vero, & recto alienum. Solent enim Sinenses Patroni, æquè mendaciis, & dolis, vt veris clientes defendere & ingenij nomen ex falso, quàm iustitiæ ex æquo malle; sed malebant rei quam animæ damno causa cadere Christiani. Subsidij demum ad mores Christo dignos, tam sancta iis erant officia, vt si quid secus de quopiam audissent, denuntiarent illud Patri; amici & primores, admissa dolentem ab eo absolui priuatim peterent; publicè verò, emendationis fideiussores darent? Quendam in artes sacrilegas diuinationum identidem post sacra baptismi recidiuum; abstinuerat fidelium cœtu; cunctantem in suo scelere, morbus lecto affixit; periculo territus sponsores misit emendationis, & testes animi quoscumque habebat libros artium damnatarum, vt coram omnibus vrerentur; sic data pœnitenti fides, paxque cum Deo & cum Ecclesia. Nec leue id fuit criminum odium etiam eorum quæ lustrale lauacrum deleuerat, quod vellent ea nihilominus publicè accusare; & quidam de more confessuri, alta voce inciperent, iussique mox in aurem loqui, non paruum saltem ex errore meritum referrent, quod fuissent parati, homines quoslibet, arcanæ suæ miseriæ conscios facere. Fuere profecto qui vel in medio veteris, & cultissimæ Christianitatis potuissent esse admirationi. Senex (vt hunc solum nominem) Nicolaus, honesto loco natus, & decem parens liberorum, calamitates Iobi & Tobiæ prope omnes exhausit, dempta vxore Symphorosa, marito digna tam forti, & sancto erant sibi vicissim in aduersis consolationi, & imitamento, discebátque alter Magistro altero, quod non minori peritia docebat cœteros. Ac Nicolaum die vna prædones omnibus spoliarunt quæcumque ruri possidebat; post paulum sibi eius domos, eo exturbato, potentiores vsurparunt; inde calumniosè pro tribunalibus accusatus, op-

Confessionis sacræ studio

Patientia.

pressus, damnatus, fustuario tam dirè contusus est, vt diu membris fractus iaceret & hæc à ciuibus fidei odio in eum infensis; secuta non diu post primogeniti mors, quem sperabat fore senectutis, & familiæ columen. Nouem natu minores morbis conflictati, paternis ædibus speciem nosocomij indidere; cognatorum, & affinium turba, vsque adeo ab leuandis subsidio aliquo miselli calamitatibus aliena, vt ns etiam certarim illuderet, exprobarétque velut supplitio desertæ idolalatriæ; cruce aiebat te munito, & surget tibi viuus e tumulo filius; libera nos à malo, dicito; & morbos depelles ab superstitibus liberis, & abs te miserias quæ te viuum absumunt; ad hæc ille defixo in cœlum animo, & aspectu, *fiat*, aiebat, *voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*, huiusque precatiunculæ nectare, dolorum omnium amaritiem diluebat; Tobiæ in viuos liberalitatem, imitari egens non poterat, imitabatur pium in mortuos laborē, sepulchro condens eorum corpora; & animos religiosis auxiliis subleuans, in quo item vt esset Tobiæ similis, videndi vsum propemodum amisit; sed hoc ipso ad munus longè præstantius redactus est, nouisque quotidie à Patre, virtutum excultus ducumentis, ipse viris; feminis Symphorosa domesticatim illa repetebant, audiebantúrque hoc reuerentius, quòd essent potius agendo quam loquendo diserti. Mirum denique videbatur Christianæ rei tanta faustitate inertem iacere dæmonem, & has de se prædas otiosè spectare; Primum igitur Christum amplecti persuasos, debilitate, tremore manuum refugo, & horrore cum porrigeretur iis libellus doctrinæ Christianæ, velut porrigeretur aspis; deinde idola confracturos, ea formidine quatere, vt ad primos ictus, terræ hiatu sorbendos se crederent; ludos hos dæmonis discussit Longobardus, & strage idolorum etiam pueros ludere docuit. Periculosius Vancuni in pago stolidè sed non frustra iactatum, vbi omnes paganos feciſſet Pater Christianos oneraturum iis nauim, & repetiturum cum iis occidentem. Ad hæc enim bacchantes, & motæ cerebro

89. Persecutio à feminis.

feminæ, velut dato signo per pagum insanire, eiulatibus omnia miscere, implorare opem aduersus prædonem occidentis, incantatos maritos secum abducturum, & commodum aberat tunc pater, pessimè alioqui tot inter furias discrependus; quas ne mariti quidem nisi multo labore sic sedarunt vt desinerent insanire, suæque illas puderet stultitiæ, cum recogitarent denique, quàm paucæ ex tanto numero quæ Sciaoceum, eiusque confinia incolebant, quàm fatuè sua vltro solæ profectipsissent deliria, & acturas fuisse prudentius, si earum exemplo maritos imitatæ Christo nomen dediſſent. Hic dæmon femi-

89. Et h Ethn. defectu

nas, viros in eo quod sequitur in furorem egit. Squalebant segetes longa siccitate, indicta Ethnici abstinentia carnium, ieiuniis, & supplitiis idolorum pluuiam poscebant. Cihienus inter vrbis Præfectos cognomento pater, & mater populi, vrbem cum senioribus obibat pedes & cernuus, cœlúmque identidem adorantes pro aqua supplices procidebant; Bonzij alternis cantibus rumpebant latera, cœlum in dies

seræniis

serænius nitebar. Diis ergo vrbanis aquam negantibus, ad Luzum itur diei vnius itinere, ex templo Nanhoæ (de cuius magnificentia dictum superius) Sciaoceum eius statua portatur; supplicatione, sacrificiis, & fletu populi, cassis votis rogatus remittitur Luzus Saniorum sarcasmo excusatus, quod cæcutiret præ senio; ad miserias communes, & surdus preces audire non posset. Idololatræ Cincunenses, deorum suorum pertinaciam mirati scire auent in eos acquid ipsi peccassent, quod vellent siccitate illa implacabili vindicare; consultu super eo venefica respondet Deam Conin adustis toties dolentem humeris, ignem illum aquæ penuria vlcisci. Peculiarem Cincuni cultum habebat hæc Dea; proin Neophytorum primus ardor ad comburendas illius statuas proruebat, eratque hic scapularum dolor, ab igne profictus ob quam interpretati sunt Ethnici aquam sibi à Dea negari, pœnáque auctoris multorum in Deam expiaturi iniuriam, in templum Scechiæ confluunt, cuius ipsi ritum sectabantur; coram idolo in commune iurant de tollendo è viuis Longobardo, eiusque in piscatu animarum strenuo adiutore, Christiano nomine Mario. Cincunum tamen intrepidè aduolat, ne teneros adhuc Christianos destitueret sua ope, quos quidem reperit non constantes modo; sed Conin Deam falsè diridentes, quæ agris irata vbi vstulauerant eam Christiani; nihilo plus aquæ indulgebat cæteris qui nullos habebant Christianos, eius autem responsum ludibrio fuit etiam Ethnicis cum Patris ingressu obnubilatum cœlum agros imbre copiosissimo saturauit. Misit tamen Pater ad eos qui dicerent nihil obstare quo minus iurato sceleri condictam manum imponerent, sed dissimularunt barbari homicidæ, se in id fœdus conuenisse; Christiani apertè contestati, esse vnumquemque sui arbitrij, ac iuris in religione quam mallet capessenda, liberè Ethnicos à se mandarunt: idque audentius ab iis dictum quod proximo facto, non ita pridem consimili alio fuerant confirmati, cum Quanhiani cœnobij Bonzios eadem rabies ad exterminandum Patrem stimulasset. Videbant Bonzij stragem, suorum Deorum nostris in ædibus fano suo vicinis fieri, vi & fraude ad nostros ab se amouendos cum nihil egissent; tandem auarissimo homine Sciaocensem nacto Præfecturam, idoneum se nactos articulum putarunt emendi sceleris ab homine venali. Taolius igitur multarum vrbium in ea Prouincia Gubernator, in fano cœnobij, de more, populum affatus, concionem absoluerat, cum prouolutus in genua Præfectus vrbis; lamentabiliter iniurias questus est, diis, & eius cœnobij Bonziis illatas cum prolixa eorum commendatione; contra vero acerba declamatione insectatus est impietatem Patrum qui prædicabant Deum occidentis, peroranitque aiens deorum chorum qui adorabantur in eo fano adesse secum de genibus supplicem, vt Patres Sciaoceo pellerentur; noluit Deus famulum suum Longobardum suspensi iudicij expectatione anxia affligi; sed eo nihil horum sciente, apologiam nostrorum Taolio inspirauit qua efficacior nequibat à Christiano

89. Et à Bonziis.

stiano institui, & vrbis Præfecto, Bonziisque probrosior concluserque; Patres & Proregum rescriptis, & sumptu proprio in suo habitare, viros esse probatæ virtutis, & doctrinæ, dignos quibus vrbes quæ illis carebant, sedes apud se cupidè deferrent, nedum vt essent possessis priuandi: quod autem sequaces haberent quamplurimos, & potentes amicos, id illos debere vitæ quam agerent integritati eximiæ, & quæ esset illorum quæ docebant expressissima imago. Veritusque Taolius tam confecto ex auditorio ne multi quo spectaret, parum auctè perspicerent, orationis filium in auaritiam reduxit, quæ sensum euerteret, & Magistratuum ipsorum corruptis animis, venale eius apud illos auctionaretur, nundinatásque damnationes innocentem, ad quorum tutelam Magistratu ornati fuissent, hæc nemo non vidit in vrbis Præfectum recta ire, qui nullo non infortunio, hanc opprobrij publici maculam à se redemptam maluisset. Templo egressus Taolius domum nostram visit cum nobilitate vniuersa, ipsoque Præfecto; sacellum spectauit, bibliothecam, & si quid præterea Sinis exoticum; addiditque nostrorum laudibus iniquissimo animo se ferre quod vitam eorum innocentem, auderent nihilominus temerarij homines accusare. Magistratum porro tam excelsi gradus, officioso aditu priuatum dignari, tanti fuit, vt vel Regis ipsius consanguineis sat esset, quare multos consequentes dies tenuit Mandarinorum frequentia Longobardo gratulantium, nec ei obsequio, licet ictus pudore, defuit Præfectus; sed illic & postmodum Pechini, aut benevolentiam intimam nostris exhibuit, aut dissimulauit offensum animum, certè quidem Bonzij ex eo tempore, illam verecundati iuris emptionem, malè ac turpiter conciliatam muliere non sunt ausi. Plurimis præter hanc defunctus calumniis, delationibus & tempestatibus Longobardus, inuictum semper ex iis animum, & commodos exitus Deo propitio reportauit. Verum enim vero ingens illum metus tantumnon obruit cum auditum est Sinarum viginti millia inter Philippinas, non bello sed pace ab Hispanis cæsa; de quo aliud non dicam, nisi omnes qui erant in Sinis Europæos terrore perculsos vehementi, ne hanc stragem sanguine luerent. Ad hæc eam vlturi Batani Regi Sinarum spondebant exercitus quibus vastarent Philippinas, vectigalem ei Iaponiam facerent, & Lusitanis Macaum liberarent. Dumtaxat petebant amico reddere cum Sinis sociari, & commerciam sericorum sibi vnis permitti ex quo ipsi duplum, quàm ex Lusitanis solebat percipi deferebant. Cui consequens erat, quod nunc etiam luit Iaponia, vt rei politicæ parenda fieret Christiana religio; & iam Eunuchus, Fochinensis Præses Prouinciæ ab iis erat, libellumque ad Regem super conditionibus tàm opimis ardentem dederat; sed Hamum Rex magis sapit, quàm auarus non glutiit, ratus, opinor, tantos promissores hoc esse longius amouendos quò plus potentiæ iactabant, ne ad hostem debilem expellendum admitteretur domum potentior. Libello itaque re-

90 Bataborum postulata, & promissa recusat.

scripsit

scripsit nihil, & impugnatus est acriter à Prouinciæ præfectis, addictioribus communi bono, quam perditissimus Eunuchus proprio.

91. Sciocei falsus rumor nostros pæne perdid.

Verum inter pericula omnia & ærumnas Longobardum nihil æquè afflixit, vt vrbis vniuersæ contra se odium, & execratio: quam in eum mouerunt falsæ grauium hominum literæ de Riccio maiestatis reo ob deprehensum à Mathano in eius sarcinis fascinum crucifixi, ad Regem è medio tollendum. Data huic fabulæ certa fide expectabatur, in dies cruenta & atrox de Longobardo sententia, vitabatur interim ab amicis, deuouebatur diris à populo, væcordes Bonzij sannis, & plausibus, eius cruciamentis præludebant; cum ecce tibi Sciaoceum, redux ab aula Cium Mandarinus qui ex gratia Riccij apud Regem, & lege quam deprædicabat apud summos illos Magistratuum vertices gloriosa deierat de Christianismo sentire abiectè, & ab eo tanquam vili auerti, statimque post initiatus sacro fonte vt diximus, nomen Georgij optauit. Hic vrbem miratus criminosis in nos rumoribus, & funestis tumentem, ex iis quorum ipse spectator fuerat, eam illico sedauit, & pro auctoritate fidéque qua valebat, disiectis mendaciis Longobardum, eiusque Christianos è summis angustiis, in summas lætitias, gratulationes, amicitias, & honores momento restituit: quanquam is primum Longobardum visens vt instituendum se illi traderet, enixè rogauit, Christi effigiem è cruce pendentis ne palam proponeret, vt quæ tantum non causa Riccio extitisset supremi, & formidandi supplitij: sed enim Pater eam ipsam ob rem in lamentabili salutis vulgando, explicandóque mysterio, versatus est exinde crebrius, & quidem successu à timiditate Mandarini longè abhimili; stupebant enim etiam Primores Literati ad tanti amoris æterna consilia, & quamuis Ethnici, de cruce suspensum eius auctorem adorabant. Enauigatum feliciter discrimen, excepit aliud è re facili graue, damnique procliuis. Exprobrabant contemptim Bonzij Christianis, angustam eorum scientiam, ægrè quatuor folia implere, (contracta nimirum in pauca fuerat ad iuuandam memoriam Catechumenorum) se autem de suis idolis montes voluminum numerare: ac scitè quidem & pulchrè Christiani, præstare Veri quatuor paginas bibliothecis mendaciorum centum; ignorantiam hoc esse maiorem, quò plus haberet lucubrationum, & lucubratorum, hoc est deceptorum & deceptionum; sapientiam, librorum numero qui metitur, loquacissimos pro sapientissimis laudare: cæterum in Europa vbi Christi lex floret, absque numero legi præstantissimos illius interpretes. At hoc ipsum Neophytis stoliditati vertebant Bonzij, Externorum mendacia tam iucundè sorbenti, & sub oculos positis longinqua præponenti. Hac in speciem leui exprobratione fatetur Longobardus conturbatos validè Christianos, se vero magno affectum dolore, quod eorum supplici codicillo satisfacere non posset, quo librum iusti voluminis flagitabant ab eo in lucem edi, cum in tam ancipiti tot characterum significatu nondum posset absque metu erroris scribe-

re, præsertim de religione cui exponendæ multa Sinis deessent vocabula, multa essent ambigua, & periculosi ad res nostras vsus. In hoc æstu molestæ cogitationis suppeditauit illi Deus benignam operam Literati egregij, cum quo diu noctúque incumbens labori, libros ascetico complures lingua Sinensi elegantissima in publicum misit; quorum præter alios maiores, fructum quem potissimum volebat hunc legit, vt simulachrorum cultoribus os fatuè insolens, & in Christianos superbè impudens planè obstrueret. Atque vtinam æquè feliciter ab Sinensium animis prohibere maculam potuisset quam de Christianorum Macaensium moribus impresserunt circumforanei histriones (sunt enim, vt diximus, apud Sinas histrioniæ ludiones varij generis priuatim, & publicè innumeri) horum aliqui Macaum profecti, vt ex inutilis, & abhorrentibus à communi vsu, risus componerent, notant diligenter quicquid parum modestè à Christianis ageretur, quicquid alienius ab Sinarum more, tanto ridiculum quanto ab iis diuersum: hæc in corpus comœdiæ contexunt; in Sinas reuersi magna spe risus & plausuum, scenæ statim committunt. Spectasses illic diuino in sacrificio genu altero nixos crure altero indecorè & rustice protecto; nonnullos patrantibus oculis, & amatoriis nutibus adulteria in sacris meditantes; rixantes alios conuitiis mutuis; confabulantes alios inuerecundè cum feminis, & eiusmodi alia Sinis planè monstrosa, quæ gestu & verbis ad Archetypos expressa, otiosæ coronæ, risus latos, & altos tollebant cum ingenti contemptu Religionis sacrosanctæ: nec theatro contenti personas easdem & pictis & cusis designatas figuris traducebant vrbis vniuersim, & domorum priuatim venali ludibrio; quas inter personas spectaculo erant aliqui etiam de clero. Actores nihilominus seu Veri studio, seu ne moribus & præsentia nostrorum reuincentur aperti mendacij, eximebant semper ab suis dicteriis, & morsu Patres qui Sinas incolerent, affirmabántque illos morum sanctitate, esse cuiuspiam alterius generis, proin iure à Magistratibus diligi, & à Mandarinis merito obseruari; quæ testificatio inempta, planéque vltronea, vtcumque vulneri medicinam fecit Christianæ famæ sacrilegè inflicto, auxitque magnoperè Longobardi nomen, quod de missis in ridiculam hanc scenam Macaensium vitiis nullus ei nævus adhæsisset, (nec enim Sinæ discrimen nouerant, inter adstrictos religiosis votis, & liberos clericos, vnoque vocabulo vtrosque appellabant) quin & aliàs nunquam tantis honorum obsequiis prosecuti sunt illum ciues vrbisque Magistratus, quàm cum ista concursu populi ferueret Sannionum probrosa scurrilitas, incidítque non semel transeunti quâ hos ludos agebant moriones, & prostabant turpes Europæorum formæ, occurrere in equis, & gestatoriis maiores Mandarinos, exscendere, proclinari, obuiam prodire, quæ hominibus, maiestatis suæ vltra omnem modum tenacibus reuerentiæ ostenta, interpretatus est cœlitus inspirata, vt dedecoratam

9. Histriones traducunt in scena prauos Christ. mores.

infamibus

infamibus Europæorum spectaculis Christi fidem, restitueret in famæ suæ gradum.

His Sciaocensis Ecclesiæ incrementis, feliciter admodum succedebant profectus regiæ Nanchinensis, properante Deo labores Catanei, & Rocchæ; Lustrati diuino baptismate cum numerosis familiis Mandarini, comminuta absque numero simulachra, at non sine occulto gratiæ diuinæ prodigio, in depontanis potissimum seuibus, quos cum ad primam stragis huiusmodi indictionem horror inuaderet, & inueteratus auitorum Deorum cultus, atque amor abominaretur hanc eorum iniuriam; mox Dei gratia instincti; proculcabant illos per ipsa concisósque in frusta proiiciebant ex ædibus in quibus annos sexaginta, & plures, thure ac precibus illos quotidie adorarant: nec minus admirandum quod nostro in sacello pedibus Sacerdotis aduoluerentur Mandarini peccata confessuri, & promiscuè ibidem cum proletariis audirent, orarent, sacris interessent, quæ ab animante matura superbo, præter humilitatem Christianam vis nulla euicisset. Sed mirabilior quo insperatior & pronior facultas erudiendi feminas doctrina Christiana, etiam rogatu maritorum; & fuere quæ viros ad baptismum præirent, secúmque familiam traherent; adeoque Sinas mire Zelotypos iusta occuparat sanctimoniæ Christianæ existimatio, & fiducia nostrorum, vt facilè sinerent doceri eas non modo necessaria ad salutem; verum etiam audiri confitentes. Etsi autem Nanchini regia, immensum nostris explicabat campum, excursionibus tamen in vicina, regnum Christi multis locis obsecundante Dei auxilio fundarunt. Iámque vno in oppido sacellum publicè dedicarant, cui partem suarum ædium Martha tribuerat pietatis egregiæ matrona, quæ nouo prorsus inter Sinas exemplo cogebat illuc omnes Christianos ad repetitionem doctrinæ Christianæ, quæ illis instar concionum esset, Sed Patrum conatibus, Deique ipsius prodigiosæ gratiæ Paileum ingratè respondit, est hoc fermè ad Nanchini muros oppidum sanè diues, & frequens; illic mensem iam sextum iacebat idololatra membris captus, lectóque affixus, qui vt de Patribus resciuit, cœli dominum, eiusque adorationem tùm Pallei, tùm circumferentibus, misit qui efflictim rogarent ne grauarentur ad se accedere; auditis communibus salutis æternæ principiis, Christianum se statim profitetur; imbuitur plenius distincta fidei disciplina, & proluente animum vitali aqua, sentit nouo vigore membra emortua peruadi, & reuiuiscere, at fiduciam facere integræ qua paulo post valuit, sanitatis. Pallei vulgata res, magnitudine miraculi perculit vniuersos, ab iis præterea nihil extorsit, idololatris scilicet quantò melioribus tantò peioribus. Commune habent cum ceteris vaporare suffitu idola, & ea adorare; singulare autem ex quo Ieiunantes vocitantur, eadem simulachra votiuo in omnem vitam ieiunio colere, nulla aut festi; aut morbi, etiam lethalis excusatione, & exceptione; solis autem pomis, leguminibus &

92. Pailenses ieiunatores, vix vlli etiã miracul. conuersi.

oleribus, id ieiunium exigunt, sed quam multis, & quoties lubet, carne piscesque dumtaxat se abstinent. Conueniunt in sodalitia, vbi suam exercent superstitiosam pietatem, peregrinationibus se frangunt longinquis, & difficillimis ad varia idola, & optati summam ex iis præmij, in magnitudine suscepti periculi reponunt. Est vero id præmium admissorum venia scelerum, & mors æuo digna rediuiuo in familia nobili, & in corpore Literati ingenium gradúmque adepturo; sin minus in boue vtili, aut præstanti equo; sceleratos enim in tigres & lupos, serpentésque renasci somniant, aut in vermes, & pulices, & istiusmodi putres, viléque semiuitas. Quamobrem cauent diligentissimè, à nece viuentis cuiuslibet, ne fortè hominem in eo interimant: quem primum Patres ad Christum perduxere in suburbanis Nanchino pagis agricola fuit, vir simplicissimus, cui difficile non erat diuinis mysteriis assentiri, & legis diuinæ obseruatione sese obstringere, at vbi ventum est ad ieiunium soluendum quod triginta iam annos ducebat inuiolatum, hic vero diu operosè certatum; necdum enim satutum videbatur, teneræ illorum fidei credere vt continuarent ex amore Christi quod instituerant ex honore idoli. Hærebat attonitus ad sanationem nutus, & vxoris, quarum illa ex aqua intercute, ex alio morbo baptismi ope hæc conualuerat; imperare tamen sibi non poterat, vt suum illud ieiunium stolidum auelli sibi pateretur, nec sanioris animi spem vllam dabat quoad vnus ex Patribus ad hoc data opera cum eo accumbens ita hominem dicendo, precando, conuincendo versauit, vt carnis frustulum glutiret, quo stulti ieiunij tam repentè solutum discussumque est philtrum, vt si nunquam antea ieiunasset, vna igitur cum filio familiáque omni, absque mora expiatus est Christi baptismate, fecitque palam falsarum virtutum difficultates speciosas, plus idololatris interdum obesse ne Christiani fiant, quam licentiam vitiorum, dum ad laxiora vocari se somniant, malúntque salutis suæ summam in crudo dæmoniorum obsequio, quam in suaui Christi iugo reponere. Sic Pailensibus miseris euenit apud quos claro baptismi vnius prodigio soluta paralysis omnes mouit, neminem conuertit. Sed sterilitatem eius soli, aliorum pagorum pensauit feracitas, quam tamen auaram non timidè dixerim, si Mandarini Nanchinensis conuersioni comparetur, cui parem Ecclesia illa non habuit seu dignitate (erat enim Colaus) seu vitæ sanctimonia, & exemplo, rerumque gloria maximarum quas bono, ingenti Christianitatis annorum spatio triginta constanter gessit. Gentilis erat familiæ Siu, Schiambaij oriundus, dierum octo itinere ab vrbe Nanchino, inter Literatos eximius ingenio perspicax, bonam animam sortitus, & morum dotibus abundè præditus quas ambit Sinarum sanctitas, verum sectam amauerat eandem quam reliquus Literatorum ordo, qui seposita diuinorum, & æternorum cura, toti sunt in cultu politico, & se in angusta circuli eius infelicissimi inopia, magnificè vertunt. Sed is sensum tam vilem

93. Conuersio Mand Pauli.

nequibat

nequibat de se concipere, vt se sordidum animal & spurcum crederet, in duos impositum pedes, colandis cibis, & potionibus conditum crederet; præterea nihil; reclamabat huic præiudicio, animi vastitas, immensitatem desideriorum generosam mittens in vitæ alterius ab hac misera & breui, felicitatem absolutam, ex qua primùm obscurè philosophatus est de animæ immortalitate quam hæc beatitas maneret; deinc à tam sublimi, & recondita veritate intelligenda penitùs, obstantes nebulas, cum parùm liquidò philosopha ratio dissiparet, varios adiit idolorum Theologos, quos fama erat, de Deo & anima nihil ignorare; quibus auditis Literatos suos prudentius censuit de Deo silere, quàm cum iis impia, & monstrosa de illo comminisci. Duxit hinc iuuenem diu perplexum, & anxium Deus, per casus varios, quò destinuerat non passus interim illis irretiri vxoriis difficultatibus quæ tot Literatos, veri, sanctique optimè conscios, ab eo abstrahunt. Agone defunctus priorum in Sinis Examinum, palmam ex iis doctrinæ ac præmiorum tulit; tertium sæpius expertus, semper habuit infaustum; imo, quod prorsus inauditum, cum semel fauisset; sed supra trecentos lege definitos vnus casu extaret, re sorti commissa exclusus est, Deo arcanis & piis ambagibus salutem hominis pertexente. Nam si Zuiscij gradum (illic diuino proximum) attigisset, cum vnici tantum filij esset parens, ducturus erat vxores plurimas ad transmittendam numerosa prole in seros nepotes familiæ gloriam. Mœstus ergo repulsa Sius Pechino Sciaocum venit, consolaturus dolorem animi, cum affini suo, & necessario Mandarino: & fama Cattanei audita cuius celebrabatur virtus cum excellentia doctrinæ, statim arcta cum illo familiaritate coaluit, primósque ab eo salutis, & veræ fidei satus hausit, quos deinde Pechini promouit Riccius; ex quo id sibi iam firmum & perspicuum retulit, vnum esse supremum rerum omnium authorem, & conseruatorem, in quem desideria innata nos tacitè agerent, dum semper ardemus occulto igne beatitatis possidendæ, quam præstare non potest nisi bonum pretio infinitum, immutabili munere securum, duratione sempiternum. Hoc primo inductu ad suscipiendum Christum idoneo comparatus, & sanctissimæ Triados obscuro per somnum indicio, Nanchinum se contulit anno huius seculi tertio; Roccam de mysteriis fidei dicentem audiit, accepitque ab eo specimen doctrinæ pientioris Catechismi libellum, cui iudicis oculum nocte proxima perlegendo, excutiendo, discendo cum applicuisset, postridie totus illius discipulus ad Roccam reuersus est, ab eoque bina in diem catechesi aliquandiu perpolitus, sacrum fontem iniuit, incredibili suo, & Ecclesiæ illius gaudio, ex quo Pauli nomine insignitus, mensuram nomenclationis in propaganda Christi fide egregiè impleuit. Instabat annus huius ævi quartus, tertio illi, sub triennium quodlibet, creandorum Doctorum dicatus examini; & Paulo libuit eandem iterum aleam iacere, Pechinum profectus, nusquam enim is honos alibi confertur, Cin Mar-

tinum inuenit nobilem Christianum, Magistetij armorum candidatum; omisso vterque veteri, & semimagico ad commissionem illam apparatu, piis palam magnisque operibus inter Christianos, felicem periculosæ aleæ flagitarant casum, & cecidit prorsus ex animi sententia vtrique, ille Literatus; hic militaris doctor in Regiæ luce renuntiatus est, totóque vt moris est Imperio celebratus; ac Martino quidem noua semper afflauit faustitas qua illum postea de Christiana re præclarè merentem videbimus. Paulum tenuit Pechini ambitus celsior sublimioris dignitatis ad quam nisi magnis portentosi ingenij viribus accensus non datur: de trecentis quos dixi recens creatis Doctoribus; deri examinis inflexo suffragio leguntur quatuor, & viginti, vnus aut alter ex Prouinciis singulis; hi Magistro, si detur, Colao, siue alioqui literaturæ excellentissimæ sapiente, cursum iterant triennalem supremæ scientiæ in quo Examinum viginti quatuor cotè Lydia explorantur, qui prima ferunt inter paucos selectos suffragia in Collegium Hanlinum cooptantur quod constat ex Regis Doctoribus, & medulla sapientiæ Sinensis, nec adhiberentur nisi ad ardua, & summè splendida (vt antegisse alias memini) Præter mentem Paulus arenam hanc subiit hortante Riccij, cui erat perspectum, quàm esset doctrina, & ingenio potens, si fortunauit Deus parendi studium, præterquam quod enim paruo in numero excelluit, de prioribus quinque examinibus palmam primam sibi tulit; bis tertiam; quartam semel; post quæ triennio vertente, inter Regios Doctores, pompa solenni inscriptus est: ex throno illo supremæ dignitatis, toti regno latè cum eo auctoritas splenduit, & decus Christiani cultus; pace illa virtutum exempla edidit quibus iure posset Christianitas priscorum temporum inuidere; bello furiosi rabiem Mandarini fregit, in Christianorum pernitiem iuratam; sed hæc referent ann consequentes; nunc Sciamhaio è patria vxorem cum familia euocauit vidit ex filio nepotes propagaturos aui, & generis gloriam; patrem idolis pertinacissimè obstrictum, magna vi rationum & patientiæ ad sacrum baptisma septuagenarium perduxit, & cum eo patrem spiratus librum scripsit de professione Christiana, dignum sublimitate argument, & eloquenti auctoris pietate, quo se toto regno Christi sonum, & sequacem vulgauit, vtque parcius aliunde viri tanti laudem facta cumularent; Christianorum viginti millia, decem retrò ab anno in eius patria censebantur quæ cum illuc ab eo inducti, Societatis Patres Ecclesiæ adiunxerint, Doctorem Paulum satis magnificè commendant, probantque quod indicaueram, plus vno in Paulo Nanchinensi Ecclesiæ dedisse, quàm in mille Neophytis vicina oppida. Ibidem tolum notiora felici obitu nobilissimi ex familia Ciu Christiani, Neophytorum spem recreauit Deus. Tabe consumptus diuturna & beatitis expectatione dolores corporis diu eludens, sacro instructus viatico fuerat, & adstabat circum domus Christiana, cum ei nescio quis dixit suggerit abesse non procul resurgenti Christo, eo anno sacrum; ad quæ

94. Examina 24. Doctorum Reg.

ille cum breui sese collegisset; pro! inquit, erumpens; quàm bellè mihi, ea solennitas aduentat! Deo laus: moriar illo die: est ne huic comparabilis in anno dies? in quo mortis propriæ dolorem sorbeat immensa ex resurgente Christo lætitia? & vero sub ortum illius diei placidè animam efflauit, visúmque id illi prædictum diuinitus, haud tàm opinor ad morbi dolores vicinæ gloriæ promulside aliqua condiendos, quam ad Neophytos, certâ eius fiduciâ, in Christi obsequio confirmandos. Inter alios partus generosos quibus etsi raris sed multorum vicem æquantibus, Nanchinum præ aliis vrbibus nobilitauit, auxitque Christi fidem, nominatur Paulo non multum inferior, cui suus dabitur in sequentibus locus. Remisendum nunc nobis Pechini, Riccius & Pantoia, rem Christi quàm gnauiter, & emolumento quàm copioso gerant: vtrique deinceps in Sinensi lingua pariter expedito, diei nulla pars vacabat ab adeuntium concursu vel adeundorum inuitatu; cœtus vtrobique assidui, sermo perpetuus & disputatio de mathematicis, physicis, legibus, præceptis morum, & grauioribus de Deo, & immortali animo, & futurorum post hanc vitam expectatione: quocumque porro studio instincti, auidis auribus dicentem Riccium biberent; quem reuerebantur vt Magistrum, sermo eius omnis cuiuscumque fuisset argumenti, desinebat semper in decretoria & æterna religionis veræ principia, & effata, quibus apparebat illos vehementissimè commoueri ad gerendam omni contentione, dum viuerent, futurorum curam, & satagendum vt quod erat æternùm, atque immortale, post momentum hoc æui breuissimum beatum esset. Ac nisi expertum nationis illius, aulæ, nobilium & Literatorum conditio docuisset, ad stabiliendam Christi fidem præstare paucos inculpatæ vitæ, & censorij exempli, multis solutæ disciplinæ, & nomen Christianum priuato dedecore inficientibus; pronum illi erat ingenti numero lectam illam grauare Christianitatem: pergitque paucorum quos Christo adiunxerat censere nomina, titulos, dignitatem, & susceptæ vitæ rationes virtutum numeris perfectas, quibus mirè crescebat Christianæ legis existimatio: eorum vnum in specimen omnium hic pono. Nobilis Mandarinus, ex Tribunalibus Regiis Senator, cognomento Li, ardens aliquid certi de Deo, & animâ nosse, quicquid doctrinarum apud Literatos, Oscianos & Taosios est, versarat; ex eo multorum annorum operoso conatu, tàm densa illi adhæserat caligo multiplicium errorum, vt monstratum à Riccio solem non cerneret, esset que opus exquisita tùm errorum illorum peritia, tùm dexteritate ad deradendam ab eius oculis cæcam albuginem; igitur cum se ostentaret astrorum & cœli notitia, Riccius hàc illum domare aggressus est vt digito tangeret, quantoperè in iis allucinaretur, ex quo conficiendum illi dedit, quanto grauius in iis quæ super cœlum, & astra sunt, erraret quorum sibi magisterium vsurpabat. Ita effectus docilior, & demùm expugnatus, in procinctu erat vt Christo se dederet; sed restabat lethalis remora, cui amouendæ nisi

95. Pechini PP. fructuosè laborant.

95. E conuers. insignes.

nisi patientissimæ industriæ robur omne exercuisset Riccius, de salute illius actum erat. diuinandi artem, prædictionum tàm certo caluj tanto quæstu lucrorum; tanta potentiorum gratia, & fama populorum exercuerat tandiu, vt consuleretur tanquam oraculum; hinc ille animum obstinabat, meræ sagacitatis esse quicquid factitaret, nec transilire lineas Philosophiæ naturalis ex signis præsentibus ventura indicantis, cum tamen ad hoc superstitiosa, & semimagica adhiberet, fuco Astrologiæ obducta. Grandis meriti decus fuit Magistri sui rationibus cedentem, eiurare cum arte, summisque illius opibus, diuini hominis famam quandam longinqua, & futura, quod est Dei solius, velut præsentia cernentis. Exinde animo, vt mente ritè comparatus, die Matthæi Apostoli, nouam è sacro balneo vitam; nouum nomen ducit; Paulus nominatur; atque vt primam edat, & nobile fidelitatis suæ documentum, triduo integro bibliothecam suam purgat; libros omnes quà scriptos, quà typis excusos, damnatæ scientiæ arcana pacta, experimenta, & regulas complexos in capsas confercit (ingens annorum complurium, rarus, & sumptuosus labor) partem illorum alteram in domus area palam cremat; partem ad nos mittit in Christianorum oculis cremandam; illam vt intelligerent Ethnici nihil se in posterum interrogandum de occultis, quorum prædictiones vltro igni damnasset, hanc vt certiores faceret Christianos nunquam repetiturum illas artes, quas vt maximè vellet, actis in cinerem earum instrumentis, non posset. Sacrificij huius igne, & cariſſimarum sibi rerum, tantum est ignem promeritus diuini spiritus vt de Christi lauacro Christianus simul emergeret, & sanctus, alienæ mox salutis ardore inflammatus parentem decrepitam, vxorem, liberos duos professione Literatos, præceptorem illorum familiámque vniuersam cum mancipiis, Deo lucrifecit: in iis quidam seruus admonitus vt vel semel sacræ adesset catecheſi, correpto furiosè cultro, dextræ sibi digitum abscidit, vociferans, ante sibi carnes ex omni corpore sic frustatim vellendas, quam vt ritus antiquos extraneis mutaret; mutauit nihilominus, & serui duritiem, paulatim herus miseratione, suasu, lachrymis ita emolliuit, vt se denique cum vxore diuino lauacro subderet expiandum: ad hæc idem Paulus bonam ædium partem in sacellum dicauit, in quo cœtus sacros agebant Christiani, viam quoque ipse morosam & asperam confessionibus feminarum primus complanauit, publico coniugis, matronæ clarissimæ, & eius familiarium exemplo; quas præter necessaria obeundo ritè Sacramento, Latinam quoque precatiunculam scitè docuerat, quæ nostratium defectu literarum, atque accentuum iis perdifficilis, iuit tamen in vsum aliarum etiam feminarum, ne ab vsu communi Christianorum in Europa tantillum recederent. In sacro epulo liquescebat totus, paratúmque ad illud animum ieiunio pridiano, ieiunio item postridie ad agendas gratias occupabat. Ad quæstum vero animarum tàm incitato agebatur, vt fræno in multis egeret, & erat nostris eapropter intimè

96. Difficul. confess. femin. tollitur.

Confiteor Deo, &c.

timè addictus, quod ipsi hoc in vita profiterentur vnum,& agerent;aperiebat illis fraudes, & sensus belluinos sectarum Sinensium quibus penitus in conspiciendis tot annos studuerat; cúmque fortè audisset, qui ad Christi fidem, traduceret quempiam; huic plenam à summo Pontif. indulgentiam concedi; exarsit acrius in id opus, emerituras sibi pœnarum veniam dum Christo animas lucraretur.

Coactus denique Pechino in Prouinciam patriam Huguanensem redire, illic docendo, disputando, baptizando Apostolicum munus fine beato clausit, multis vt fas credere piorum animis stipatus, puerorum maximè, quos inuestigabat sagaci cura, & morti proximo attingebat, nihil ausis parentibus in eo ambigere, quod tantus apud eos vir factitaret.

Sub hæc Manuel Diaz salute Sinensium accensus, suffecto sibi Macai Rectore Caruallio, Sciaoceum, Nancianum, & Nanchinum inspexit opem nostris quam posset, ad amplificandam fidem & Neophytorum regimen collaturus; at ne quid rerum illic inexpertus, & locorum insuetus bona mente erraret, vocatur à Riccio Pechinum; auditur de tribus quas lustrarat stationibus nostrorum, & conuenienti præsidio, notatis ab eo occurritur; quæ maioris erant consilij, & auctoritatis, de iis Riccius ad Valignanum refert; sed hic firmus testimonio præsentis Riccij, & consilio opus esse, rogauit maiorem in modum ne molestè ferret Macaum venire; ignorans videlicet, iniussu Regis Pechino abesse non posse. Scripto igitur, quod vnum poterat, fusiori ac pleno, distinctè Riccius omnia illi explicuit quæ ad promouenda conuersionis magnæ cœpta ingentia, futura vsui, & consilio videbantur; quibus, vtcumque sufficerent, minus contentus Valignanus, statuit ipsemet, centum ferè dierum iter Pechinum conficere, vt publica de re Christiana cognosceret certius, & communicaret cum Riccio; sed viri senis, & laboribus exhausti fortè propositum mors elisit, cum in procinctu iam ad nauim esset. Prius tamen nouos Riccio in præsens transmisit socios, Lusitanos quinque, tres Italos, lectæ omnes notæ, prídemque Macai parãdo virtutum,& linguæ viatico intentos:de mittendis vero ex Europa & India in futurum probatissimos quosque ingenio, & religiosa pietate; Rectorem iis dixit Riccium, ab iure Rectoris Macaensis deinceps solutum, vt cui nimis locorum obesset longinquitas, Manuelem Diaz sub Riccio Prouinciarum Australium tribus domibus præfecit, cum potestate Præpositi Aquauiuæ ad cooptandos in Societatem Sinenses iuuenes, virtutis à puero, Macai excultæ, patrisque ingenij. Iam ex annua illa pensitatione quam vectigali Malacensi ad nostrorum in Sinis sustentationem Rex imperauerat, cum excuti obolus ex auidis Ministrorum vnguibus non posset, de amicorum pia largitate subsidia iis misit, & quidem manu tam obliqua ne suspicari possent Sinæ Macao venisse, nosque cum Externis communicare annuatim. Prospectum commodè in annos plurimos nostris erat, cum ex illa mi-

96. V. Ignani generos. pro Sinens. miss.

norum insularum sylua quæ Macaæ obiacent, improuisa erumpit Batauorum classis nauim aggreditur securam in portus faucibus, in Laponiam vela primo vento daturam cum onere mercium ad ducatorum millia octingenta, & spectantibus Lusitanis in altum pertractam, in prædam abducit: hic impar æri alieno lugere id forum; nostri in Laponia, & Sinis amissa sorte cuius censibus victitabant, omnibus defici, solus Valignanus, semper quidem in Dei negotiis animo infractus, nunquam tamen seipso maior quam in tristi hoc casu, cuius etiam damna generosæ ipsius fiduciæ sarciit Dei benignitas tam potens & præsens, vt hoc ipso anno 1604. Bartholomeum Tedeschium; Petrum Riberium; Gasparem Ferreiram; & Manuelem Diaz (de quo paulo ante) in Sinas miserit; sequenti anno Hieronymum Rodriguez; Alfonsum Vagnonium & Felicianum de Sylua, tum necessariis, tum sacræ quoque omni supellectile instructos ad sacras ædes splendidè ornandas, adiunxit iis Sinenses iuuenes Macai educatos vt si digni forent adscriberentur in Societatem. His porrò omnibus in stationes varias diuidendis, Riccij apud Regem fauor, apud aulæ Satrapas beneuolentia, apud omnes fama, tam expeditos præbuit aditus vt Proregum nemo scita auderet capitalem imperij legem de Externis qua potestate perrumperent. Nanchinum & Pechinum tanquam ciues, aut vocati ab Rege subierunt, quod diuina ostentum bonitatis prosecutum Riccium Pantoia scripsit actione mensa gratiarum, multisque lachrimis, cum Sacerdotes è nostris sedecim, admirans numeraret, suspecto præ omnibus aditu Macaensi, tranquille Sinas introgressos, & in regni visceribus securè degere.

96. Falsus rumor de conuers. Sinar. vnde?

Hinc illum grauior nostrorum ex literis admiratio perculit, quibus per nouam Hispaniam, Philippinos totámque Europam vulgatum rebatur Sinarum Regem sua cum aula, & imperio vniuerso Christiana complexum sacra, nec poterat cogitans fingere, ecquem nostri amore tàm insanus cepisset, vt tàm luculentis mendaciis orbe toto famam nostram ornaret, donec item nostrorum ex literis querelas didicit latentis mysterij indices, dolentium miserabiliter Prouinciis quindecim, Rege conuerso baptismi cupidis, nostrorum manum exiguam non posse sufficere, cum vix vni angulo sat essent; nos penuriam hanc silentio premere; nolle socios præclari operis; nec adimi nobis de solida illius gloria; si quæ in aliis diuinæ gloriæ micabat vena, id illos pati minime debere, & naturæ iura, potiora esse legibus regiis, quibus alij præter nostros excludebantur ab ea missione. Hæc libellorum præconio, & inconsultis rumoribus ventilata, multitudinem exciuere hominum religiosorum, maximè ex noua Hispania ad prensandam eandem Apostolici laboris palmam. Verum enim vero ad conspectum Sinarum, simulachrum ingens prodigiosæ in Christo faustitatis, à somniantibus confirmatum, apertis cœpit ab oculis discuti; tùm quo accederent propius difflari, & euanescere; ex eo denique in tantam exaggerato molem Sacerdotes restare sedecim, magisque à Deo inter Sinas quàm hominibus

hominibus retineri, fortunaríque piorum laborum aliquo prouentu; Regis quidem vmbram Riccium non vidisse, nedum conuersionem peregisse. Potestatem illam vastissimam proseminandi Euangelij, & Prouinciarum clamores luctuosos, flagitantium Magistros fidei, poscenda primum hæc à Deo esse, multa lachrymarum, & precum vi; paranda interim Sinensis linguæ præsidia ardua, sed necessaria; ac tum demum paratam operam ad hoc ministerium deferendam: quibus clarè compertis quà venerant remensi mare, sibi probæ mentis meritum retulere; nobis testes fuere minimè dubij, quantum inter iudicia intersit quæ ex præsentibus & longinquis formantur. Ex operariis quos dixi, Valignanus, Ferreiram destinauerat Pechinum, cum parte potissima instrumenti sacri, magni pretij libris, & commeatu familiæ satis numerosæ, quæ post mensium quatuor nauigationem in transuersum acta fluuius sorbuit; nec spes erat fratrem Fernandium iuuenem, quem terra prægressus Ferreira illorum custodem reliquerat, extorturum quicquam de vinatorum manibus, nisi Riccio intimus Fummocamus Mandarinus, Pechino suos illico expedisset, contestatus res Patrum suas esse, secum illi agendum qui eas attingeret; hinc amissorum pars saltem recepta est, sed non præcipua: causam naufragio præbuit, ripas suas transcendens, & operiens fluuius, ad quas cæco cursu allisa nauis dissiliit. Vbi iuuat obiter videre, Sinarum Reges quàm nihil barbarum erga suos populos habeant, nihil vile ac minus liberale quam maximi Principes in Europa (etsi rerum tunc potiens Vanlié auaritiæ esset insatiabilis.) Anno, scribit Riccius, præcedenti, eluuione imbrium Pechini multæ domus euersæ, magno omnium damno; aquis latè stagnantibus campi suis cum pagis obruti; secuta inde annonæ caritas, & fames, & ex morbo lethali mortalium strages; passimque parentes per vrbis compita, filios vendebant minoris assibus viginti aut triginta: restituendis pauperum ædibus, & inopiæ leuandæ, aureorum ducenta millia Rex dedit. Horrea orizæ publica iussit plebi vrbanæ & confinium pagorum vilissimo pretio diuidi; & multis locis diurnum demensum egenis qui eò concurrerent paratum distribui, & hæc quidem sub oculis Riccij, quibus etiam liberaliora Reges alij Sinarum nobis exhibebunt in leniendis populorum calamitatibus.

98. Riccius toto regno laudat. quo modo?

Iucundè opinor, sed breuiter suo loco hic redam, quod superiori libro coactus attigi cum sit Doctorum inter Sinas multitudo innumerabilis, & pro se quisque ingenij famam & doctrinæ cupidissimè ambiant, ferè illam solent lucubrationibus edendis captare, quibus angustiorem materiam cum scientiæ suggerant quas propemodum solas tractant politica nimirum & ethnica, quicquid aliud argumenti fors obiicit, modo splendidum aut nouum, in id auidè stylum iniiciunt. Vtrumque rati nostrorum in Sinas aduentui inesse, scriptionibus suis putarunt plausibilem; itaque de lege quam docebant; de nouo ad oc-

casum orbe sibi eatenus ignoto (hic enim iis erat Europa) de aduectis inde ingenij artisque miraculis; de incomparabili Doctoris Matthæi Riccij sanctimonia & doctrina, libri absquenumero historici, panegyrici styli omnis, ab literatis compositi, editi, in publicum totumque imperium ea multitudine dissipati; vt memoriæ nunquam defecturæ argumentum illorum traditum videatur. Paucis retro annis vnus lucem vidit cui narrationum admirabilitas, copia & varietas, simplicium iuxta & eruditorum conciliauit approbationem, cum summa voluptate. Fronte indicem hunc ferebat, *De rebus quas audiui.* Libri corpus farrago diuersarum enarrationum atque euentuum, nullo contexta vel nexu vel ordine, & ob hanc ipsam varietatem temerariam accepta. Vltimi capiti vltimo argumentum auctor indiderat *Lex, mores, opera, & quicquid potest sciu optabile narrari de Patribus Matthæo Riccio, & Lazaro Cattaneo,* At enim iis paucis quæ fortè viderat; vel, vt præ se ferebat, auditu acceperat; mentiendo, fingendo interseruerat quicquid inexpectatum adoxum, & atopum posse cogitarat, lectorem otiosum prodigiali varietate oblectare: venit is liber in manus Iudæi, habitantis Caifuni, Honanæ Prouinciæ vrbe primaria, qui Iudæos ratus de quibus agebatur quod vnum colerent dominum cœli Deum, nec tamen essent Sarraceni, magno sibi honori duxit tantorum hominum popularitatem; nam ad legem quod spectat, Mosem Confusio, Scripturas diuinas Philosophia Sinensi, Hebraicas literas charactere mutarat ordinis Literati, cui se adiunxerat, proinc à suis Caifuni Synagoga exclusus, legis desertor monstrabatur, quod eo arctius hominem, Riccio nectebat, quo desertionis suæ patrocinium in tanti viri sanctimonia & doctrina, se nactum putabat, qui potuisset Mosem amico fœdere, Confusio iungere & salua religione Iudæus & Sina esse. Eius ergo tùm desiderio tum honorifici alicuius captandi muneris Pechinum se contulit, vbi primò ad Riccium aditu salutans exclamauit fratres sumus, & eas amoris significationes dedit, vt eum Riccius arbitratus sit esse Christianum, parique benevolentia salutatum, in sacellum statim deduxerit, quod erga inuisentes constanter obseruabat; agebatur adhuc Beati Præcursoris natale octiduum, prostabátque tabula in altari, vbi manu solerti augustissima Dei parens expressa spectabatur; inde puer Iesus parte altera Ioannes; agni vt moris est depingi, vellere semitectus. Christiana ignorans Iudæus, & suorum rudis, Rebeccam interpretatus est Virginem; Iesum ex cutis lætore Iacobum; Ioannem Esau pilosum, ac licet, inquit, imagines non colo, non possum his nostris Patribus quin reuerenti proclinatione honorem exhibeam; inde quatuor intuens, quorum ex pariete pendebant icones, quæsiuit ad læuem an ad pilosum ij pertinerent? ad læuem Riccius cum dixisset, (nam erant quatuor sacri Euangelij Scriptores) Iudæus suo errori consonus, quatuor putauit ex duodecim Patriarchis. Hinc iam nimis apertè suspectum interrogat Riccius Christianus fit an

98. Iudæi infin.

an Iudæus? negat ille vtrumque; Israëlitam se nominat, Christiani ait se nec vocabulum nec Iudæi nosse. Adoratorem se Messiæ crucifixi Riccius profitetur, sanctitatem illorum explicat quorum effigies sacellum ornabant; & hac mutui erroris agnitione perspicua, mutui amoris prima illa teneritas marcuit. Pergens tamen Riccius, si posset, boni aliquid ex eo excudere, Biblia illi Regia ostendit octo voluminibus à Plantino Antuerpiæ edita; hæc de naufragio paulo ante narrato fures exemerant, qui nullo sibi compendio, extremum ab iis periculum veriti, F. Fernandio vendidere assibus circiter viginti per interpositum hominem petitis, & acceptis. Recuperatos in hunc modum diuinos codices Riccius Christianis admissæ sacrificium toactis, tunc primum ostendit, qui inter obsequia Ministrorum, odorum fragrantiam & luminum faces adorarunt pronis ad solum frontibus illorum scriptorem, & auctorem Deum summi, & æterni quod iis continebatur Veri fontem; quicquid præterea in aula fuit virorum illustrium, ad eosdem spectandos, cum crebri venissent, mirari satis non poterant excellentiam doctrinæ iis traditæ, quam ex voluminum suorum laciniis & maiestate istorum splendida æstimabant, vnum iis deesse vt lingua Sinensi (quam omnibus præferunt loquerentur, hortabantúrque Riccium, vt hoc eos idiomate donaret, si licuisset per tempus quod illi supererat ab necessario labore, de molis immensæ opere cogitare Iudæus quidem suos in iis dignouit characteres, syllabam nequiuit legere, quamuis de Abrahamo, Iuditha, Estere, Mardochæo, & similibus ex instrumento veteri memoraret, & de Hierusalem, quam Hieruſoloim nec non de Messia quem Mosciam appellabat. Fratres vero sibi duos Caifuni esse Hebrææ peritos, at posthabita diu lingua, se legem etiam facilè omissurum, si qua sibi sorsbona Zinsui grauem, hoc est Sinensis Magistri deferret. Riccio deinde rescire auenti quammultos Caifun Hebræos numeraret, solas decem inquit familias, antiquæ frequentiæ triste residuum; ædificatam tamen ab iis haud pridem synagogam decem millibus ducatorum, quæ apud Sinas enormis pretij summa est, in ea proseucha Mosis seruari quinque libros Lucernarum corona circumdatos; idque à multis supra quingentos annis; alios maiori numero Hanceum incolere Cechianensis tractus vrbem præcipuam, alios passim alibi pauciores, nullis vt plurimum synagogis, minuique numero in dies, & exsecrabilis Sinis esse, nec à Saracenis nisi ægrè discerni, quod suilla vtrique abstinerent. Obscurum ad hæc vnoque maiorum relatu traditum, eorum in Sinas aduentum, ex quo scilicet Tamerlanes, ante annos quingentos, domita Perside, Sinis arma victricia intulit ingressúmque illuc, Mauris Hebræis, & Crucis cultoribus patefecit hoc est Christianis. Hæc Iudæus in multis à vero aberrans, nam neque ad Sinas Tamerlanes accessit propiùs, nec qui Sinas subegit Rex Tartarorum occidentalium, eius aut nepos aut filius, quod scripsere nonnulli, fuit; nec Baiazetem caueam

98. Sacra Script. adoratur.

clauserat quod anno 1399. vel 1402. contigit, cum Sinarum fines anno iam 1206. perruperant Tartari, qua certa temporum designatione illi euanescunt anni quingenti aut circiter, quos ab ingressu Hebræorum cum Tartaris in Sinas numerabat. Multo gratius ex eodem cognouit Riccius Sincini, Scianſij, & Caifuni Christianitatem antiquam & nobilem vsque adhuc esse superstitem, sed à se nunc ita diuersam, vt ne scirent quidem Christiani quid esset Christus. Vulgo Terzanos aiebat nuncupari, & opinabatur Riccius, eo vocabulo significari regionem vnde in Sinas aduenissent; ex ritu vero quem consectabantur addebat Hæbræus homines Scezuuocitari, ex nota scilicet qua denarius numerus etiamnum signatur, quæ apud illos Crucis figura est. Circumscribunt aliter Sinenses eorum nomina & per eos qui porcinam non edunt Saracenos; qui neruos non edunt Hebræos intelligunt, Christianos, qui esu se abstinent animalium integræ vngulæ, haud quidem ab iis religione prohibiti, sed more patrio quem secum in Sinas allatum conseruarunt; cum Sinæ vescantur asinorum carnibus, & equorum. Caifuni templum hi Christiani habuere, floruitque illic eorum religio quoad Saraceni vel eorum in armis gloriæ inuidi, vel innato in Christum odio, in eorum exilia iurarunt, hac ipsa vsi armorum laude, vt eorum fidem in aula suspectam facerent; quare meta fracti, & posthabito Dei cultu suis inter Sinas bonis & commodis, alij ad Mosem, ad Mahometem, alij transfugere; magna pars ad vnam è tribus Sinensium sectis. Templum Osciania simulachro dicandum reliquerunt, ex antiqua demum religionis sanctitate, nihil sibi fecere reliquum præter sanctæ Crucis venerationem qua solent omnia signare, præsertim cibos, etsi causam rogati, aliam non norint, nisi se à maioribus ita doctos: Locis tamen quibusdam in filiorum infantium frontibus illam pingunt, velut auerruncum mali amoris fascini maximè amuletum: sed vnde vim illam traxerit ignorant.

Christiani antiqui inter Sin. prærer crucem nihil retin.

Post hunc faris prolixum cum Riccio sermonem, discedens Hebræus, familiarum aliquot, scripta illi dedit cognomina desolatæ Caifuni Christianitatis; misitque postridie ex iis vnum, quem publici quoque muneris ambitus in aulam pellexerat. Domo hic Cian opulenta, & illustri ortus cognatum habebat in Nanchinensi quæstura Præsidem, Riccio singulariter amicum; semper nihilominus dissimulantem apud illum, & nomen Externi & Crucis adorationem; hic è contrario Riccium inuisens & crucem in fronte forium aduertens, animo gestiit, pronúsque illam adorauit; inde aggressus à Riccio de illa scitari, auditóque illius & religionis auitæ mysterio, sibi prorsus ignoto magnam vultu lætitiam prætulit, simul acerbum manantibus lachrimis dolorem, ob tanti boni memoriam processu temporum in suis Caifunensibus obrutam, damnauítque maiores vehementer qui transmittere illam posteris neglegissent; tametsi vero Polygamus, sed quod

quod esset acri iudicio, & perfunderetur abundè cœlesti luce, credebatur facilè ad Christum accessurus, cum ad discessum festinandum adegit illum necessitas ineundi muneris quæstuosi, differendumque in incerta salutis negotium. Quid eo postea factum sit non inuenio. Polliciti quidem Riccio fuerat renunciaturum de Christianis qui trans marum magnum inter Sinas & Tartaros medium sedes habere dicebantur, vt qui ad Scinsem spectarent Prouinciam cui ipse præerat, quid autem egerit, à nemine proditur, famam tamen secutus Riccius numerosæ illius Christianitatis, exploratorem eò destinabat quò deinde audito statueret certius num quo modo posset ad salutem iuuari; sed nunquam tantum viatici habuit, quantum itineri tam longo opus erat: vnum ex nostris fratribus cum prudente doctóque Neophyto aliquanto post Caifunum misit, dedítque per eos literas quibus reliquos illic è Christianis veteribus, & Iudæis mouebat, si non grauarentur de lege veri Dei audire, præsto à se futurum qui hanc eos doceret. Ad hoc miseri Christiani, seu verecundati peregrinam originem, quam Sinensi vt poterant nomine tegebant, seu infortunij alicuius vmbra exterriti, beneficium delatum eiusque nuncios iniquis auribus accepere; Iudæi humaniùs; nam & dicentes audiere, illorumque Archisynagogus literas admisit, quibus significabat Riccius habere diuinæ Scripturæ libros omnes characteris Hebraici Typo eximio editos; quo nuntiò senex mirè gaudens, inuidere se illi aut thesaurum tam diuitem; sed cum perlegendis literis eo venit vbi Riccius de nouo testamento, & impleto dudum promissi Messiæ aduentu agebat; quassans caput sceleste, supersunt inquit, ad eius aduentum anni decies mille; cœtera flocci fecit. Erat hic ætate decrepitus; adeò natura vel legis suæ studio imprudens vt tyrannum magis quam Sacerdotem saperet: suos enim vetabat, nisi mallent perire, vesci aliis victimis, quàm quas ipse mactasset, quod verissimè ab eo cum fieret, intolerandum iis videbatur. Quamobrem hac vsi opportunitate, dignitatem Archisynagogi Riccio deferunt notæ vt aiebant sanctitatis & scientiæ viro, si modo vellet suilla abstinere. Fratri nostro synagogam, ostendunt & de sacris literis quem solum habebant Mosis pentateuchum antiquæ manus, & punctorum vocalibus carentem, ex quo librorum initia, & fines exscripsit, nec aliud constitit itineris illius compendium. Venere postea indidem Pechinum tres iuuenes eiusdem ritus, boni ingenij, & ad Veri intelligentiam procliuis, quos pro temporis breuitate summatim Riccius, de Messia & lege illius instituit, cuius etiam sibi exhibitam iconem; Christiano more adorarunt. Referebant autem Archisynagogum fato functum; munus illud in eius filium recidisse, non legis modo sed & linguæ Hebrææ imperitissimum, quæ res ab eo nonnullos ad idola, quosdam ad Mahometem auertebat; vltro etiam aliquos ad Christum, dummodo Circumcisionis durissimo onere infantes leuarentur, quam Sinenses aiebant

Literæ Riccij ad illos, & ad Iudd. irritæ.

bant intolerabilem & crudelem. Non potuit Riccius, quod tunc erat, iis opitulari, nisi tradito quem illic vulgarent Catechismo, & parare nt popularium animos, ad audiendum Patrem qui erat postmodum illos aditurus, nisi eum Præfectus Caifuno excluderet, Christianæ legi capitaliter infensus.

Crescere interea Pechini pietas inter Christianos; inter Ethnicos veneratio Christianarum rerum; festi dies maiores solenni apparatu coli, Christi natalibus sacra nox pronis studiis vigilari; & sacrificio diuino ter omnes adesse, quidam etiam nonies; omnes vitali epulo refici, nec defuere sacris soni cantusque Musicorum, communibus mundi gaudiis, & Angelorum vocibus succinentium. Augebatur quoque omnis generis Ethnicorum apud nos frequentia, qui primo ingressu inducebantur in sacellum, & positis genibus, fronte humi abiecta venerabantur sacras imagines, & Christi crucem, quibus visendi officiis præterquam quod nobis assuefiebant, & diuinis rebus suo pretio æstimandis; inerat aliud multo solidius, quod dum requiritant curiosius de cruce, de imaginibus, de iis quos eæ referebant, erudiebantur pænè absque sensu de Deo, de Christo, de felicitate, & sempiterno igne; quæ velut aliud agendo prompto, descendebant in mentem altius, retractabantur ab iis apud amicos, & familiares, & exstimulabant ad poscendam illorum certiorem plenámque expositionem, cui denique victi manus dabant porro huius concursus magna pars Proregum erat & Magistratuum, quos inuiolata lex statis temporibus, ex omni imperio Pechinum accersit, ad exsoluendos Regi, & throno regio honores; hos vero Riccij admiratione, & Regis in illum aulæque gratia mirè captos, nostri deinde Nanchini, Nanciani Sciaocei potentissimos habuere non solum defensores aduersus idololatras, verum & magnificos laudatores, cum negarent suspectos Externorum nomine habendos, quibus suæ dotes regiam gratiam, annonam, & familiam peperissent, aulæque vniuersæ beneuolentiam, & fauorem, iuuabat & falsus de Riccio sed constans rumor, confabulari cum eo familiariter & priuatim Regem, quare tùm is, tùm sui vbique vel metu, vel reuerentia obseruabantur ab omnibus: hinc ipse prudenter aduertit reuocatum se planè diuinitus à muneribus publicis, quæ Regi obtulerat, ingesta fuerant; futurum alioqui sub tribunalis eminentioris, arbitrio & censura, non sine iactura libertatis ad promouendam Christi rem necessariæ, qua tunc solo ab Rege suspensus integra gaudebat: non deerant tamen inter Magistratus qui ferrent ægrius illam potestatem, in iis Hupus, fisco regio Præfectus, cuius Minister quidam, cum censum Riccio assignatum à Rege mitteret, simul edixit sportulas Regias non præberi, nisi publicum, munus gerentibus promotari se statutis regni, deinceps à Rege illi obolum mittere; victum sibi ipse vndevis videret: cui Riccius, longè quàm expectarat audentius, ageret sanè sed serio & constans in proposito, & dicto staret

Nam,

Nam se iam tot annos à patria procul, facultatem ab Rege postridie demissè petiturum ad suos redeundi; quo responso attonitus, & sibi metuens ministèr, maluisset de suo priuatim demensum ei persoluere, quàm de ista regia obolum negare. Iam accedentibus ad fidem & plurimis, & conditione præstantibus, morem laudatissimum induxit, vt quisque pro animi affectu, contestaretur suo Chirographo, se in Christianæ fidei ac vitæ officio permansurum; idque Chirographum suscipiendo baptismo, coram omnibus prælectum constantiæ pignus Patri relinqueret, & probrosæ notam inconstantiæ, si quando ab eo deficeret, Vnum Riccius, specimen reliquorum, refert, ab illo editum Li Paulo, cuius nuper ardentem in Christo animum scripsimus, Ego discipulus Li, Insci (prius viri est nomen, familiæ alterum) toto animo, planéque sincero ad suscipiendam Christi legem me sisto. Quare tota mente, sublatis ad cœli dominum oculis, quem precor suo me auditu dignetur; fateor ego Insci, me in Regia Pechinensi natum, nihil vnquam de nouâ Dei lege audisse, cum sanctis & perfectis viris me nunquam egisse; Proin cæcum, & brutum animal, errasse perpetuo, viuendo, & loquendo; quoad non pridem feliciter incidi, in eminentes, vndique absolutos, & claros ab Europâ viros, Matthæum Riccium, & Iacobum Pantoiam qui doctrinam Dei sanctam mihi tradidere, & explicuere, cuius beneficio datum est illius effigiem cum reuerentia adorarem, & inciperem Patrem meum cœlestem agnoscere, qui legem salutis mundo tulit, ausimne igitur non toto animo legem illam sectari, & seruare? Verum recogitans me annos tres, & quadraginta, ex quo natus sum in hanc diem, in peccatis & erroribus perpetuò egisse, precor cœlestem Patrem, vt suam mihi impendat clementiam, & condonet latrocinia, furta, falsitates, dolos, luscinias, fœditates, auaritiam, tenacitatem, desideria nocendi, & meum quodlibet aliud grauius, leuius peccatum condonet. Ab hinc siquidem sancto lustratus baptismate, rediturus sum in nouum hominem; adoraturu te, instituras sacræ tuæ legi, doctrinæ; & præceptis decem, ac ne momentum quidem laxitatis interiecturus perpetuæ illorum obseruationi. Erasurus sum à me vitiosam omnem mundi consuetudinem, & abusum, & emendaturus vniuersa quibus malè assueui, & quicquid vitari sanctissima tua præcipit disciplina, æternúmque ab iis longè abfuturus. Tantum rogo pie & misericors Pater omnium conditor, quando hæc prima sunt conuersionis exordia, initiatúsque sum nuper auditione tuæ legis, nec possum tam breui in abditiores eius recessus penetrasse; eorum intelligentiâ me perfundas, docilémque ad ea efficias quæ sunt meis viribus maiora; vt perseueranter, efficaciter & fortiter cognoscam, & operer; viuensque ac moriens ab omni deceptione, & errore liber, tuâ quamprimùm in cœlo præsentia fruar. Nunc vero legis tuæ cultor, eius etiam toto orbe vulgandæ præco, cum tuis discipulis ex voto meo fiam, vt mortales

99. Chirographum quod ex baptizandis peteb.

omnes eam complectantur eique obediant. Omni ergo cum reuerentia obsecro, vt hoc meum votum fronte propitiâ videas, quod tibi demississimè nuncupo; his à me verbis scripto comprehensum, vt maiestati tuæ illud recitarem: sub imperio familiæ Tamin, anno Vanlè Regis trigesimo, Lunæ octauæ die sexto. Huic Pauli Chirographo alij fermè similia condebant, Christianâ in fide, vitáque constantiæ, monumenta & pignora; etsi rebus ipsis testati pridem illam essent, multitudine idolorum etiam pretiosa, suis proiecta ex ædibus, & ignominiosè confracta: horum vnus senex octogenarius, ad primam veri Dei lucem sibi à Patribus ostensi, mirificè alacer ad eos accurrit, & grandi numero idola (quorum erat doctissimus artifex) comminuenda iis dedit, cum singulorum absurdis fabulis igne abolendis. Fabij martyris ex baptismo nomen sibi optauit, eúmque mox prætulit in Dei obsequiis ardorem, vt in iuuenum vires rediisse videretur: laudabant Neophyti, leucam ab eo pedibus confici vt facto interesset; Patres conscij eius arcanorum, animi robur ingens, & duris exercitum malis; quibus illum Deus cœlo præparabat, toto quàm abiret triennio. Ex morbo iacens, & morti proximus, confessionis animum lustrauit, enixé à Patribus flagitans, vt se ad cumulum consolationis diuino viatico impertirent. Sed per mediam vrbem tertio milliari cum pompâ portari, non finebant illa fidei nascentis initia; multò verò minùs sine pompa, & veluti furtim, ne inde tanti sacramenti humilior sensus ingeneraretur Neophytis, ne domi quidem eius rem sacram facere, satis decorum censebant nonnulli, dumque id lentius consulunt, & die Epiphaniorum, Christiani sacrum apud nos præstolantur, En tibi in assere, qui erat eius domunculæ ianua, à quatuor baiulis in sacellum defertur, & voce, quantam potest edere moribundus. Date, inclamat, domini mei corpus; indignus sum qui ad me veniat, meum est illum requirere, poscere, suscipere; date domini mei corpus, quæ dum ingeminat, vehementer commouit Christianos. Adueniens Riccius, iussit suum in cubiculum lectumque componi, & arteriâ tentata vidit properè festinandum; sternit taperis à sacello viam, funalia & odores addit, supplicantium serie Christianos præmittit, Sacerdotis ingressu cœleste mysterium portantis, exhilaratus Fabius, clarâ voce primùm peccatorum veniam à Deo petiit; pòst iis à quibus vexatus fuerat, veniam ex animo tribuit. Catechumenæ vxori, & filio inculcauit, ne baptismum in longum differrent, cui fideliter vterque morem gessit. Refectus viatico bonus senex, & sancto linitus oleo, tantum virium resumpsit, vt reportari domum potuerit vbi paucos post dies, Deo plenus, & lætus, adstantibus nostris ad Deum transiit, qui crebris eiusmodi voluptatibus animi, reficiebat nostrorum tædia & labores. Illud perpetuum quod confessiones delictorum, etiam leuium, imo solâ peccati specie terrentium,

100. Sinis Christiani mors mirè pia.

prosequ[illegible]

prosequebantur vi magna lachrimarum. Vnus haud dudum baptismo lustratus, procidens ad pedes Sacerdotis flagellum protulit, rogánsque durè, & acriter eo verberari, vestes exuebat; negauit Pater moris esse pœnitentes cædi a Sacerdotibus; multo minus pœnas confessioni præmittere. Postquam verò, inquit Riccius, audiui confitentem, miratus sum innocentiam hominis, qui peccato enormi teneri dixerat, cùm solo innocentiæ amore scrupuloso, & metu peccati laboraret, quod multas mihi exciuit lachrimas, & nunc etiam crebrò in mentem rediens, magnoperè afficit. Augebat hanc Patrum consolationem, nobile multorum ardensque studium, eiusdem aliis procurandi boni, cuius facti compotes fuerant; horum è numero fuit Ignatius Tumi familiæ gentilis, summo Iuris Prætori propinquus; professione Magister scholæ quod munus Sinis Literatorum est atque illustrium. Christi effigiem in suo Gymnasio venerabatur intimo affectu; deprædicabat illum discipulis tam felici ore, non modò vt omnes ad eum adorandum, verum & multos Christianismum persuasos, ad Patres pertraheret amplius edocendos: eius tamen probæ ac piæ mentis fructus extitit non probus, cùm suum quendam discipulum, baptismi ardentissimum desiderio propterea repulit, quòd ingenio tardior ad percipienda Christiana non esset iis honori futurus, cum ne Sinenses quidem scientias caperet. Verum is aliquando è schola reuertens, tonante ac minante cœlo; afflatus est fulmine tam vicino, vt humi deiectus domum pro mortuo referretur, quo tempore vidit, quocumque tandem oculo viderit, Christum, inquam, vidit Seruatorem, suis Angelis cinctum, clementi se aspectu dignantem; & dicentem quod quidem nunc attinet, vitam ei dono: id visum Ignatio Magistro suo cum narrasset, intellexit Ignatius placere Deo vt is fieret Christianus, multoque certiùs, cùm recitata super eo precatione dominicâ & Virginis matris salutatione de lecto sanus, exiliit, & eruditus a Patribus de opportunis ad salutem, ritè ablutus est, & Michaël dictus; secuta est mater iuuenem, ad baptismum, pauloque post ad cœlum præiuit, sacris mysteriis optimè procurata: stetit alteri minoris, mira e cœlo defensio aduersus potentem calumniatorem, & emptum iudicem qui iam eum homicidij, & latrocinij damnarat, pronuntiaturus conceptam sententiam, vbi capitalium Præses eam confirmasset. Angebat grauiter Christianos insontis supplicium, & famæ suæ iactura communis Christi nomen & legem dedecoratura, & quantò sagacius inter se apud nos scrutabantur de innocente liberando, tanto magis causam desperabant; sola in precibus ad Deum restabat eius fiducia; & verò Deus hanc ad suum tribunal vocatam absoluit. Dies aderat quo iudex nefarius, cum crudeli actore, oblaturus erat sententiam perfidam Præsidis suffragio firmandam; cùm Præsidi nondum experrecto: obiicitur somnium, altá que adeo hæret mente vt visum potius censeretur. Putabat coram adesse Saluatorem quem ex effigie apud nos sæpius inspecta pro-

101. Confitentis insignis dolor.

Christ. à calumn. & morte liber. diuinitus.

bè agnoscebat, mirabatúrque attonitus, cui Christus, vni ergo ex meis tuâ ope egenti, & periclitanti auxilium non feres? post quæ verba euanuit somnium. Excitatus Præses; & concinnati sceleris omnino ignarus, centum animo curas in cassum voluebat; cum sedenti iam pro tribunali, sistunt se malis auibus iudex nequam cum peiori actore, qui decretoriam postulant in Christianum sententiam. Recurrente hic Præsidi somnio, commendatum sibi hunc interpretatur Christianum, & velut præiudicatâ in cœlo causâ insontem pronuntiat: actorem in oculis populi, qui semper frequens Prætorium implet, iubet à carnifice nudari pronumque humi, arundinibus illis striatis & grauibus, cædi, quæ ad singulos ictus frusta carnium reuellunt, magnas defensionis huius gratias egere Deo Christiani, multoque effusius postquam Præses viso quod sibi obiectum fuerat vulgato, singularem iis confidentiam adiecit patrocinij diuini, ansamque præbuit Ethnicis quibusdam, de Christo scitandi amplius, ac demum eius nomen legemque optandi. Iam eò peruenerat fidelium numerus, vix vt partem eorum minimam sacellum caperet; nec tantum agendo Valignanus & Diaz valuerant vt nummos sexcentos conficerent, quantis ad domum opus erat, templi, & familiæ capacem. Sed vnam sibi à Deo seruatam Riccius credidit, ad vtrumque mirè idoneam, cum esset in vrbis vmbilico, & vili pretio daretur; seu quod caduca vetustate; seu quod infesta nocturnis terroribus, haberetur à ciuibus pro inauspicata, hanc emit Riccius, partim fœneraticio, partim gratuito mutuo. Emptioni subscribens Mandarinus, impunitate illic rarissimâ illam à se ornauit edicens Patres fore ab censu perpetuùm liberos quem fisco Regio pechini domus omnes pendunt, in eam Augusti vigesimo septimo anni 160;. migrarunt Patres. Partem eius primam diuino cultui, & templo dicarunt; alteram suæ famulorúmque habitationi; tertiam interiorem tironibus, qui tunc duo tantum, die cœlum petentis Deiparæ, adlecti fuerant in probationem; duo alij virtutum, & literarum studio ad eam fingebantur: Magistrum habebant Ferreiram virum religionis exquisitæ; qui ex tironibus alterum mittebat ad opem ferendam Christiano ex morbo iacenti, tertio ab vrbe milliari, quod is tam strenuè præstitit vt quod morbo & fame non interierit ægrotus, tyroni optimo id attributum sit. Domum modestè concinnatam, cœpit mox tam continua series frequentare Mandarinorum visentium, & gratulantium, vt cibum non raro differre in noctem cogerentur; dicebant de Religione ad concionem literatam & nobilem, quæ vltro semper templum nostrum implebât, ex qua sæpè nonnulla fiebat ad Christianos accessio. Sub hunc ferè annum, itinere tridui, agrum iis Deus nouum aperuit in pagis Paotinfu vrbis Primariæ. Prima inde messis animæ centum quinquaginta, quas solers & auida cultura pietate ac numero valdè auxit. Venire in partem præclari operis nequiuit Riccius, quod ab aula Regisque nutibus penderet; & moliretur aliud ingens

102. Nouæ miss. trid. à Pechino.

gens opus longè vberioris quæstus. Fuit hoc inuentum Doctoris Siu Pauli, religionis proferendæ nunquam non desiderio ardentis: nam prudenti sane cogitatione aduertens libros de mysteriis Christianis, ex proposito scriptos parum profuturos, maximè Literatis qui de sectis Sinarum, & Theologia illarum recondita, innumeros habebant quos legerent; Riccio auctor fuit dissimulandi consilij de religione suadenda, sed alia potius somnia scribendi, sic tamen industrie quæ ad fidem spectarent interiectis, vt legentes aliud agendo sponte caperentur. Euclidem igitur ex eo quod iam perceperat, Magistrum reputans incomparabilem, statuit illum Sinensi lingua in publicum edere; dies abibat nullus, quo non tres circiter. Magistro Riccio horas daret ad intelligentiam Euclidis, magna Patris cum laude qui Collegij Regij Hanlini hoc est totius sapientiæ Sinensis præceptorem, haberet discipulum. Anno paulo plus vno, priores sex libros Sinarum sermone, exquisito, sed graui, & quoad sinebat materia, perspicuo absoluit, dati sunt in Typos, præfixis elogiis Doctoris Pauli, Riccij, & maximè Clauij quem Romæ in Mathematicis audierat Riccius, & ex eo multa demonstrationibus Euclidis interseruerat. Hinc admiratio, & stupor Doctorum Sinensium qui sibi pares ingenio, nusquam gentium nasci putauerant, cum experti sentirent, quanto sibi esset ingenio, & contentione insudandum, ad positionum illarum percipiendos, & euoluendos nodos, etiam minimè gordios; suspiciebant igitur Europæos quibus esset tàm prona illarum intelligentia, pudebatque illos vsurpati inter ingenia principatus, potissimum verò cum audirent sex illos Euclidis libros rudimenta esse Geometriæ adolescentibus in Europa, exponi solita, præter quæ aliud apud nos qui nescirent, rudes in Mathematicis haberi. Suas hinc ad propositum Doctor Paulus ducebat lineas, æstimandum suis prudenter ingerens, quanta in diuinis & æternis quanti contentione ingenij agerent Europæi; cum in leuibus argumentis, tam acuti, & firmi iudicij vim tantam proderent, editioni horum voluminum, Pauli parens non diu superfuit; parentatum illi Christiano ritu qui tunc primum exemplo tantorum virorum, inductus est, excluso Sinensi, dumtaxat in iis quæ superstitiosum aliquid olerent, quod primo aspectu Literatis non ita placuit, donec de more Christiano eam funeris pompam detractis suffi-ci viderunt, vt negarent posse functis parentibus amorem, & reuerentiam magnificentius, & religiosius exhiberi. Post iuxta funebria cadauer pretioso aureorum centum & viginti sarcophago conditum Doctor Paulus Sciamhaium in patriam detulit, vt triennem luctum legitimè illic exigeret. Verum exequias functorum processu temporis celebrauere Christiani tàm profuso sumptu, pioque apparatu vt quicquid in suis agerent Ethnici plebeium esset, ac rusticum. Hoc sereno dum gaudent nostri Pechinenses; in Cantonensi Prouincia res nostras verbis tribus desertor sacrilegus tantumnon euertit, Deus præ-

103. Dissimul. ad lucrif. Christo Litt. Euclidis traduct. lingua Sin.

104. Exequiæ Christ. inductæ.

senti, & inopina manu restituit. Sed Pechino Cantonem (duo regni extrema) occurrunt Nanchini, & Nanciani nostrorum stationes, quibus in singulis, singulas, tantum & illustres couersiones Ethnicorum vbi retulero; incœptum peragam. In primis Nanchini repetendus est memoria Chiutaisus ille seu Chiusiancon, cui sane adhuc idolorum seruo nostrorum apud Mandarinos debetur auctoritas, & fundatio domus Nanchinensis, & secunda Riccij Pechinum faustaque profectio, & in fidei Christianæ felicem progressum tam multa, tam prono sinceróque animo præstita, vt non potuerit maiora si foret Christianus quod esse quidem magnoperè optasset, nisi sterilitas vxoris e regio sanguine, irretiisset illum multis vxoribus dum prolem suscipieret, sine qua Sinenses se miseros putant; sed prole gemina suscepta nihilo tur ad fidem paratior, probro sibi maximo futurum ratus vxoris repudium, quæ se patrem feciisset. Postremo Secchiæ Sinarum idolo Principi, sic erat à teneris addictus vt rediret identidem animo, eius amor, licet Christianis rationibus non semel deuicto. Sed obstabat hac impietate violentior gloria, & ingenij ambitus quod cum fecerat toto regno nominatissimum, edendis de suo scechia libris frequentibus, elegantium, & mirabilium nugarum; cum religionem Christianam, ore interim libero solam esse veram prædicaret, & necessariam ad salutem. Dolebant Patres vehementer, hominem de Christiana re tam benè meritum, apertis oculis in exitium ruere; multisque illum à Deo precibus, & lachrimis poscebant, cuius obtinendi primum extitit pignus, quod improuisus Nanchinum cum veniisset, Roccam adiit quinostris præerat, natu maiorem filium illi tradit annorum quatuordecim puerum Christiana doctrina imbuendum, testatus paterni amoris officio se fungi quo erga filij animam tenebatur, cui nec Veri lux, nec salutis spes vlla extra legem Christi posset obtingere: de se nequicquam promitteret obstabat fax gemina; insanæ gloriolæ, quam laudandis stylo suo idolis cupidissimè venerabatur; & concubinæ quam substituerat defunctæ vxori. Domi nostræ diuinis aliquandiu exercitus filius, lustratus est sacro baptismate, ex quo nominatus est Matthæus, breui exinde Sciao eo Nanchinum negotiorum causa superuenit Frater Franc. Martinez, Chiutaiso in paucis, & pridem carissimus, qui primas inter lætasque salutationes, diuino instinctus impetu, acri hominem obstinatum increpatione obiurgauit; quod agnitam proderet veritatem, acceptóque ad defensionem diuinitatis veræ ingenio abuteretur ad eam impugnandam, captandámque ex suis simulachris stultam famam, quasi millies plura, & excelsiora Christiana religio non haberet quorum scriptione nomen gloriosius faceret, quàm scribendis iis quibus vltro & peribat ipse, & alios perdebat. Cæterum ne sibi blandiretur quod Christi legem haberet in ore, dum stylum interea pro idolis in eam exerceret; hinc pernitiem inferri vniuersis, illinc aliquot boni paucis; prodi suaptè lingua mendacem, si falso Christi fidem laudaret,

105. Conuers. insign. vir.

laudaret; vel impium si eam respueret, quam vnam pro vera & optima ducebat; fuit prorsus ostento simile, hanc simplicissimi iuuenis reprehensionem, virum tantum auidè bibisse; desierat iuuenis carpere; desiit Chiutaisus idololatra esse; negauit se mentis cæcitate à recto aberrasse; fassus est stolida ingenij sui iactantia perditum, tamdudum in cœno hæsile; fidem dedit, sanctéque præstitit, ducturum se vxorem Amatiam, perducturumque illam ad baptismum cum domus suæ familiaribus; Catechismo quem postulauerat contentus; ad prolixiorem eius intelligentiam sibi ipse Magister extitit. Regressus in patriam sua omnia simulachra & fingendis de suo inuento secretioribus aliis Archetypos ad Patres misit; paulo post omnes sectæ suæ libros, iumentorum quatuor iustum onus, incertum maiori labore an pretio collectos, atque vt fidem sibi malè partam apud conscios abrogaret, palinodiam cœpit profiteri, & quæ falso fraudulentérque docuerat, claris certisque responsionibus vbicumque se daret occasio refutare: sic probè ac solidè meditatus sacrum fontem iniuit die verbi concepti, Deiparæ sacro qui anno huius æui quinto in sextam feriam, & Euangelium Lazari incidit. F. Martinez Sinensis ex edito, tria illa complexus de verbi corporatione, de cruce, & reuocato ex mortuis Lazaro verba fecit ad Christianitatem Nanchinensem quæ tota conuenerat; sed valdè appositè ad conuersionem Chiutaisi; qui perorantem excipiens, eleganti sermone conuersionem animæ suæ cum suscitatione Lazari comparauit: inde coram altari prouolutus, humúmque fronte sæpius feriens, qui est infimus supplicum habitus, professionem fidei ex scripto recitauit, quod in Patris manus deposuit à quo sacro fonte initiatus est, appellatúsque Ignatius annos natus septem & quinquaginta; peruadens totum regnum nomen, conuersi ad Christum Chiutaisi, idololatriæ antea patroni, censura fuit apud omnes qua luculentissima damnabat quicquid olim de Scechia, cæterísque idolis tot libris somniarat. Gradus alterius fuere quibus labor nostrorum Nanciani Christi gregem auxit; Regi nempè cognati, & qui primi ex domo regia ad Christum accessere: horum vnius, Ioseph nomine, solenni baptismo, aderat frater natu minor, qui attentissima curiositate spectandis ceremoniis affixus, ea interius afficiebatur voluptate, vt nihil minus aduertens, absolutis iis captum se senserit, nec vltra biduum, concepram Christianismi flammam tenuerit; doceri à patre de mysteriis fidei voluit, & discipulorum reuerentia in illum vti, quam vt innuimus, Patres conuenerant à nostris admitti non debere, ne plenos sui Mandarinos puderet externis ad pedes sedere: id vnum ægerrimè ex eo extortum vt loco sederet æquali; sic enim sedilia digerunt Sinenses vt sedendi honore, nemo alium præcedat. Legitima excultum Catechesi, differri placuit in Epiphaniam, vt cum Regibus Magis ipse quoque stirpe regia per baptismum adorato se Christo Munus sanctum, gratumque consecraret differendi causam gratissimam habuit; lætusque addidit, per

106. Regis aliquot propinqui conuertuntur.

per se quidem adorantium numerum, si maior non esset, fore saltem æqualem, & vero mox rediens filium, minimum natu eius patrem, & eorum sobrinum, instituendos Patri dedit, a quo die condicto Epiphaniæ Christi, cooptati sunt Deo per sacrum baptisma. Maiorum trium natu maioribus indita nomina; minimo Manuelis, vt esset collati a Manuele Diaz baptismatis perpetuo memor; Pergente diuino ipsa domum illam integre sibi mancipare, cum Iosephi vxore, propinquorum quidam, alij paulo post (numerosa turba & nobilis) Christum amplexi sunt. Illud mirabilius de anu fratrum illorum matre, aulita, idolis amente, & in eorum gratiam, annum iam decimum, ieiunium illud herbeum trahente: hæc vbi à filiis de Christi lege, & Christianorum probitate audiuit aliqua, comperitque reipsa in castigatis eorum moribus; icta diuinitus & ipsa eodem spiritu; soluto repente ieiunio sectam vnà eiurat cum idolis quibus decennium ieiunarat, eorum icones, statuas, precatorios nescio quos Scechiæ nodos ad Patres mittit cum diplomate signato, quo simplici fœminæ sacrilegi Bonzij multo auro fidem vendiderunt, fore vt eius anima in offenso gradu ad inferos, recta per viæ compendia præuerteret alios. Repotuere illi hæc dona Patres, pia Saluatoris imagine, & Deiparæ corona cum gratulata, sed certa, & indubitata fide, si esset in lege veri Dei seruanda constans, fore vt in cœlum, & recta, & facili ad eum ascenderet; ieiunia vero tùm præcepta tùm sponte susceptа minimè illi defutura: porro in eius cæte hesi modestiæ patriæ ita consultum est vt ex cubiculi exterioris ianua velo clausa, eidem ianuæ, communi sed in interiori conclaui assidentem, audientemque Sacerdos etudiret vitatis vtrimque oculis. Venerat baptismo dictus dies, insperato planè gaudio cum auia grandæua eius filia, & neptis cum tribus aliis sacro fonti se iisturæ, quæ eandem simul tacitæ catechesim inscio Patre audierant, loquente anu sola, & in dubiis rogante: nunc & propositum animi, & Christi fidem, ita professæ sunt vt non debuerit earum baptismus in tempus aliud reiici. His & modi eiusdem Siuzaiorum & Doctorum accessionibus illustrata est Ecclesia Nanciani, cum ante plebens exceptis haberet pauciſſimos. Est enim tumultuosa vrbs, & si quæ alia, diuinorum contemptrix, ob stirpis regiæ tyrannicam gubernationem magno numero illic imperantis; & P. Ioannes Socius qui solus eam tenebat stationem, lenta febri languens, qua tandem extinctus est, ad conuersionem Ethnicorum pauca poterat docendo conferre, viuendo tantum concionabatur, laudabántque illum etiam Ethnici velut sanctum. Postquam Manuel Diaz venit, actuosæ vir pietatis, & Pasqualius Mendez alter Sinensium iuuenum qui Societatem perebant, paucis mensibus in duplum creuit Christianorum dignitate, ac numero, quorum inter alia fortis, & pia libertas magnam iis peperit, iustámque gloriam duas enim primas anni vertentis hebdomadas cum solita essent hilaritate omni Ethnici celebrare, & simulachrorum quæ quisque colebat

107. Fœminæ magna cautione docentur.

lebat imagines foribus suis appendere; Christiani augustum Iesu nomen quale à nostris acceperant radiis coronatum, & venustate colorum elegans ædium suarum frontibus affixere, aspectu haud paulo gratiori, quam fœdæ ex rudibus lineis & insulsæ simulachrorum formæ: vnde hoc item boni fluxit, vt eius nominis arcana, & causas multi docerentur, dum curiosiùs de re sibi tam noua interrogant.

108. Neophytorum fortis libertas in fide.

Descendamus nunc Sciaoceum, Longobardi primum labores fructuosissimos inspecturi, & messem eius anni 1604. lætam; Deinde periculum immane præcipitandæ in ruinam Sinensis totius Christianitatis. Nunquam in Europa Longobardus tantùm viderat lachrimarum, quantùm in suis vidit Neophytis, cum post habitam die sanctioris hebdomadæ sexto de Christi morte concionem, venerandam illis imaginem protulit Crucifixi, quod hic libenter eorum in gratiam memoro, qui pro sua in nos beneuolentia vulgarunt Societatis Patres Christum crucifixum nequaquam Sinis prædicasse, sed tantùm ex mortuis rediuiuum, & luce diuina fulgentem, quasi ab annis iam plus quinquaginta, orbis vniuersus libros non tereret, linguis omnibus excusos quibus varij euentus, & ei quem dixi consimiles narrantur, de Crucifixi apud Sinas venetatione, quasi à primis quoque temporibus proseminatæ illic Christi patientis effigies non extarent, qualem ipsemet vidi, operis indocti, vt est Sinarum Typus, sed tamen Christiani? quasi Christianorum illic ædes, intus, & foris palàm non paterent crucibus munitæ; quasi tot indidem à nostris Patribus meditationes, tractatus, & historiæ, Sinensi sermone non exissent, quibus produntur splendidè mendaces qui alienam famam inuidè macularunt. Sed Longobardi præclarum feruorem, patientia quoque robusta exercuit. Citatus ad tribunalia tanquam confractor idolorum, & Sinensium Deorum ad inferos damnator, frequenti Prætorio liberè respondit, debuisse idola destrui, quæ ab Neophytis eiurata, sibi tradebantur; nefas esse horrendum vni debitos Deo cultus, rebus creatis exhibere; nullam in iis Sinas Literatos diuinitatem agnoscere; quoties denique coram Iudicibus hoc argumentum repetit, causam vicit. Mandarinus tamen in aula præpotens, quod primariam Reginam habuisset in mysteriis idolorum discipulam, expellendæ regno nedum Sciaoceo Christianitati, formidabilem monerat, & instruxerat machinam; cum inexpectata Regis sententia ipsemet, in Hainanam insulam exul eiectus est; Deo peculiaris huius curæ fiducia suos animante. Sub id tempus Pechino appulit integritatis summæ Mandarinus Sciaoceum, totam illam regionem administraturus. Sedenti in aula, Mandarinis, & populo conferta, in conspectum se dedit Longobardus; obtulit Riccij Catechismum; eo doctrinam contineri, quæ sola esset vera, & certissimæ salutis, magna voce magnoque spiritu affirmauit; quamuis esset idololatris aduersa. Experirentur secum ex iis si qui tantùm auderent, disputando, docendo, auctoritatibus, ratione, priuatim ac publicè vtcumque mallent eam impugnare;

109. P. Longobardus pro fide contra idol. publicè agit.

110. Peculiaris Dei fiuor pro Christ. contra pessimum hostē.

habituros se propugnatorem expeditum, & defensorem non ignauum. At si vim pararent, se quidem, & vnum, & Externum multorum calumniis, criminationibus, & vexationi parem esse non posse, prouinciæ vbique illius æquitati se totum credere, eiusque tribunal iam inde appellare. Mandarinus mirè affabilis patrocinium à Patre postulatum suscipere se humanissimè professus; gratissimum pariter habuit Catechismum cuius auctorem Riccium, sibi notissimum, & amicissimum multis laudibus ornauit, concidítque hic vis omnis impiorum libellis, & accusationibus armata ad euertendum Longobardum, sed multo abiectius refrixit, cum Neophytorum non pauca millia viderunt prono descendentium alueo ad occursum Manuëlis Diaz cum tribus operæ sociis, & in scapham translatos eleganter instratam cum instrumentorum symphonia, per mediam vrbem eiusque suburbium deuehentium domum nostram, non iam vt ominosos, & hostes aduenas, sed ciues & Patres ex mundi finibus, votis fidelibus vocatos: habere Longobardus in quos posset operas partiri, relicto Sciaocei Tedeschio, Euangelium foras circumtulit, vbique fructu vberrimo; nouos multis locis fundauit Christo cœtus multitudine idolorum delecta, & libris ad ea spectantibus; & in iis quos tinxit centum quadraginta, destinatæ à Deo salutis occulta consilia magnoperè suspexit. Senex annorum nonaginta, refugiebat præfractè à videndo, nedum ab audiendo Patre; veri Dei offensam nullo se vnquam peccato incurrisse: execrari se quoque idola quæ Pater damnaret; vtrumque se à puero ratione magistra edoctum seruasse; nihil ab' Externo se posse discere quo fieret melior. Ita senex paulisper philosophabatur, quoad morbo prostratum afflauit lux naturali maior, & longè alio de se Patreque sensu interiùs imbuit. Patrem vltro accersit, audit, dictis firmiter assentitur, Christi lauacro expiatus paulò post moritur: illud item præclarum quod in pago quodam vrbi proximo vidit. Conuenerat populus in capacem aulam, prostabant idola circiter quinquaginta; inter eas sortes Deiparæ tabula cum puero Iesu, & Ioanne Baptista; coram faces, aceræ, odorum suffitus, & flexis genibus populus. Coniectans Pater quid sibi hæc vellent; rogat scirétne picta tabula quos referret? aiunt feminam Dei matrem esse, ex pueris vnum illius filium; vter vero dorum se nescire. Indicta audientia Longobardus, personarum illarum dignitatem, officia, merita explicare; idola quid essent; quid iis faciendum docere; quid sciendum, sperandum, & agendum ad felicitatem animæ sempiternam; sub quæ mox omnes omnia simulachra, & quicquid ad ea attinebat, in domus area congerunt, & subiecto igni in cinerem redigunt. Ille integrata eorum catechesi, ex iis decem & octo baptizauit, quorum beata sors repudiata est à tribus Bonziis; fassi se penitùs capere, & perspicere lucem certæ veritatis, pertinaciam suam, stulta dilatione fallere maluerunt, subiecturos se veritati & baptismo ceruices cum Mandarinus ea comprobasset. Nunc scribendis quæ vi-

III. Mira senis conuers.

de

dè portentosa, Longobardo Sciaoceum reduci contigere, ad annum sæculi huius sextum, præmittendæ sunt eorum causæ. Defuncto Leonardo Macaensi Episcopo, Vicarium dixit, eiúsque Ecclesiæ Rectorem Goanus antistes Michaëlem de sanctis, iustis olim de causis dimissum è Societate; tunc in familiam S. Augusti nı adlectum; huius quidam Sacerdos effrænis linguæ, & cum bile incaluerat imporentis, Franciscum Pintum Religiosum de Obseruantia, & cui præerat Curator, cœnobium, multa & probrosa crimination onerauit. Experti frustra viam omnem sarciendæ famæ, cœnobitæ, ex Pontificio indulto Conseruatorem Iudicem eligunt Valentinum Caruallium Macaensis Collegij Rectorem, fingebat apud se Valentinus reducturum se in mutuam gratiam discordes animos, & officiosa humanitate, persuasurum palinodiam calumniatori, sed opinione sua longè falsus, coactus est rem iuri permittere, causáque contestata, reum contumaciæ damnauit. Hinc profligata iis renasci crudior, ipsúmque in Iudicem retorqueri. Vicarius reum iurisdictioni suæ vindicare, & falso nomine sacri quæsitoris, quem iu solos gerebat Neophytos, Pintum, & Caruallium diri anathematis censura percellere, ipsúmque quod iis faueret Præfectum Macaensem, & vrbem interdicere sacrorum vsu: ad hæc scissus in partes populus armari, & tumultuari graui cum offensione illius Christianitatis, & infidelium, qui diuersis ex nationibus complures eo confluxerant: ac Valignanus vt erat Iuris vtriusque peritissimus & Doctor, apologetico indubitabili demonstrauit quam essent irrita censuræ illius fulmina; sed nec religione mouit furiosos, & ne ad aures quidem admissus est: satagentem nihilo seciùs ad sedandas turbas magnis sed inanibus curis, die vigesimo anni 1606. mors oppressit, illis quidem Orientalibus acerba, Sinarum tamen Christianitati acerbior quæ illi ortus suos, & faustas debebat expectationes: & cui sua præsentia iuuandæ diploma regium ad iter Riccius impetrarat, quod erat propediem à F. Martinez recepturus, Vindictam interea, nonnulli aduersariorum, quicumque tandem ij fuerint, nobis struunt, qua delectabilius nequibat, quicquid est dæmonum, struere. Clam cogunt Sinenses qui publicas illic administrabant præfecturas; præfati coram ineuitabilem indicandi secreti conscientiam, ne impiabili scelere apud Deum; sempiterna apud homines infamia tenerentur; aiunt Societatis Patres Regi exitium; rebellionem regno machinari. Dudùm hanc inter se exorsos telam, eò promouisse, vt vna iam cœptis executio deesset; ad hoc iuratum ab iis fœdus cum Lusitanorum Præfecto eiúsque factiosis; cum Iaponibus quos Christi religio iis addixerat; cum Batauis, qui sursum deorsum gaulis decem immanibus confinia maria percurfabant, in signum arrecti, quod à nostris Macao operiebantur. Signo dato Quanceum proximam, & Cantonensium Principem, prima impressione inuadendam, & diripiendam: inde Sciaoceum, Nancianū, seditiosam vrbem, Nanchinum Iaponibus obiacentem, Pechini denique

111. Horrenda in nost. & Lusitan. calumni. ab Ecclesiast. &c.

regiam, Patres ad hoc latè regno diuisos pridem sibi conciliatos populos, in Defectionem ab Rege coniuratam secum pertracturos, Ducem parricidalis consilij Lazarum Cattaneum; explorasse illum otiosè Prouincias, subinde sæpiùs de iis Macaum retulisse, & constitisse nunc ibidem, specie cœli sanioris; reipsa vt propugnaculis adesset, quibus muniri Collegium cernebant. Proditione sceleratissimi hominis & sociorum Patrum audita Vicarium quicquid sibi inerat potestatis exeruisse in eorum Rectorem; sed rationes à nobis vi obrutas; falsa pro veris in vulgus missa; damnationem innocentis, pro æqua & sancta promulgatam. Penes illos nunc esse qui plus possent, dum per tempus possent denuntiato malo pro sua prudentia maturè occurrere, regnúmque à Patribus, Macai, & inter Sinas degentibus tueri; hoc est vt clare volebant intelligi, Patres exiliis, cædibus, cruciatibus rebellium perdere.

Huiusmodi barbara calumniarum execrabilium portenta, sat scio, in Europa vix fidem inuenient; mihi multis ab annis similia ex longinquis tractibus narranti desiere videri insolita, existimaturo alioqui ficta, vel amplificata, si de vna patriæ meæ notitia, orbem reliquum censuissem: ex euentu quidem quale hoc fuerit quàm veris, & diris, falsò credibile factum sit apparet. Classe nempe armata Batavi obtinebant mare intento Macaum oculo, haud quidem vt arma iungerent cum suis hostibus Lusitanis, tunc Hispaniæ subiectis; verum vt arcem illam inuaderent; quod tentare non ausi, proras verterant in Moluccum, nec sine operæ pretio. Verum quoque propinquum Collegio muri latus nudum, & impressioni Batauorum obnoxium; fuisse valida munitione roboratum. Vera item Catanei Macao in Sinas; è Sinis Macaum itinera, & moræ: ingenij fuit diabolici conflare vnum ex tam dissipatis casibus proditionis crimen, quod Magistratus in suspicionem pro persuaso statim habuere. Scapham vnus illorum cum vno ex accusatoribus conscendit Quanceo Metropoli periculum denuntiaturus, in quo vrbis primores dum præstolantur à Prorege Sciaochini agens quid opus factu sit, nouo casu in præceps consilium acti sunt, quotquot erant Macai Sinenses cum suis familiis Sciaoceum repentè appulere, metu doloso territati persuasique, vt sunt imbelles Sinæ, quamprimum fugerent, & instanti se cladi subtraherent. Fuere inter Mandarinos, & præfectos armorum, qui re considerati⁹ putata, & Cattaneum subiugandi sibi imperij auspicem ac Ducem, vacui figmentum cerebri, aut facinorosi calumniam diuinarunt; futuram sibi dedecori, & timiditati, si quid noui propterea nouissent. Ita maris Præfectus; ita regij vectigalis quæstor Eunuchus; ita & tertius qui sponsione capitis promisit, iturum se Macaum, & perducturum inde Cataneum ad purganda coram quorum pessimè insumulabatur; nec posse de socio Ricci tàm absurda, & perfida, nisi temerè credi. Sed timiditas plurium, cui cit oppositum, & rescriptum Proregis, iubens exercitum terra mari-

que

que in procinctu ſtare, & Quanceum muniri ad obſidionem. Ergo ciues etiam armantur; geminantur cuſtodiæ, obeundis ſtationibus & muris noctes vigilantur; demptis tribus, portæ occluduntur, euerſione domorum mille, pomærium exterius complanatur; inſpiciuntur bellici, & eſcarij commeatus; omnia tanquam in ſummo diſcrimine, & hoſte in vrbem ſtatim irrupturo; ſubditúrque his edictum triplex. Ne quis tectum hoſpiti præbeat, quem ex lingua & oris ſpecie dubitet Sinam eſſe. Ne quis annonam Macaum deuehat: ne quis quicquam cum vllo habeat Bonziorum Occidentalium qui raſo ſunt vertice, horum enim vnum Lazarum Cataneum iam mouiſſe vt regnum occuper.] Hæc in vrbe paſſim, foris in triuiis edicta pendebant toto anni 1606. Februario, ingenti ciuium conſternatione, cum tenuis procul Luſitanorum apparet ſcapha, quibus rumore incerto & trepido exceptis Senatus datur omnium Præfectorum. Modeſtè illic expoſtulant, ſubtractam ſibi tunc etiam annonam cum circum errantibus, in obſidionem Macai Batauis duplicari potiùs debuiſſet. Nam ſi Macaum ſibi ſubiicerent (& erant certò ſubacturi, non ferro ſed fame domitam in quam nihil poteſt robur Luſitanum) ecquid eſſet hinc lucri ad Sinas rediturum, niſi quod pro veteribus amicis paſſuri eſſent in ſuis finibus imminentes regno Piratas, potentes, & fidelitatis arbitrariæ, vt quos nulla conuenta iure armorum minuiſſent. Stupere ad hæc Magiſtratus, & credulitati ſuæ grauiter iraſci; paſſi tamen ſibi excidere aliquid de metus ſui cauſis; de rebellio ipſorum, & Cattaneo eius duce; ex Legatis vnus, ſúbriſu indignantis; veſtram hic ait, appello prudentiam, fuerítne ad hanc in re tanti trepidationem, & populi motum, cuiuſuis improbi ſycophantæ & facinoroſi (qui nec Macai, nec vſquam deſunt) garrulitati ſtandum? an decernendi Quanceo Macaum, ſagaces homines, diſtinctè per ſe exploraturi ſtatum rerum; déque iis ad vos relaturi: ad præuertendos hos vmbrarum metus, quæ quò longiores, hoc peius territant, agúntque in conſilia honori priuato, & publicis commodis pœnitenda. Quod igitur factum, potuit Quanceo eſſe perutile, rogo ſaltem nunc fiat] roganti libenter aſſenſum eſt; miſſi ex primoribus ſolertes, & cati, qui perueſtigata Macao, nec arma, nec militem, nec belli parati vmbram reperiunt præter muro firmatum aduerſus Batauos vrbis latus, & rixam veterem interdicti ciuibus ſacrorum vſus. Hæc ab iis Quanceum relata, diras omnes in Magiſtratum concitarunt, verſo in maiorem populo quem inaniter hoſte nullo, & nulla de cauſa, euerſionibus ædium, & malis innumeris vexarat, quibus ex querelis quicquid tandem ſequi contingeret; certè Cattanei fabula regnum ambientis, & Luſitanorum rebellantium prorſus corruerat, niſi reuocaſſent illam in crudeliorem ſcenam ſceleratiſſimi homines, malignitate alter ingenij; alter violentia executionis. Subſtiterat Quancei Franciſcus Martinez, commeatum in Sinas Valignano ab aula ferens, cuius morte audita expectabat, iuberetúrne Sciaoceum regredi. Monebant ami-

ci, conspectum irati populi vitaret; nec se in absentem Cataneum furenti succidaneam victimam obiiceret; ipse patriæ iure (erat enim Sinensis) & innocentia, & solenni diplomate securus, præstolabatur motum obedientiæ à Caruallio Rectore Macaensi cuius nutu malebat quam proprio agi. Sanctiorem illic hebdomadam cum paucis Christianis, religiosè & aptè tempori exegit, nunquam domo pedem; lecto ratissimè extulit, ob vires sputatione sanguinis & febri prostratas, latebatque facilè ignotus, nisi Christi desertor sacrilegus, lucri fame, excubiarum marinarum Præfecto cuidam illum prodidisset; ab hoc ad absentis Gubernatoris Vicarium est delatus, insimulatúsque omnium, quæ delationis suæ auctura meretedem censuit: occultari iam mensem domi, (& domum indicabat) nescio quem, à Cataneo vel exploratorem, vel vrbis si posset concitatorem ad res nouas; vitos, & arma collegisse, clandestinos tractatus agitare; glorioſum sibi Vicarius reputans vrbis proditorem extrahere latebris, & ab Aitao amico auertere populi odia, & pœnarum metum ob præcipitatam euersionem tot ædium; assessoribus auditis qui suis pariter iisdem præter quartum rationibus studebant, lictores mittit cum equis, & satellitio, qui sibi Franciscum, & ædium dominum, sisterent, ac si quos præterea inuenissent. Febri iacens in lecto æstuabat Franciscus, seruos secum habebat duos; pueros item duos cum patruo illorum. Viæ quà in Prætorium ducebantur ita populo densæ, tametsi nox esset, vt turbam magna vi perrumpi oporteret. In palatium inductis, è fori Sinensis periniquo vsu infligitur: arrabon cruciatuum paratorum, & ante carcerem, & examen tormento præluditur; his quidem pedes inter duo ligna tortoris arbitrio adstricti; quo genere multi in reliquam vitam mutili remanent. Francisco tametsi crudiùs cœteris habito vox nulla excidit acerbitatem cruciatuum abiecto animo ferentis, eorum quin imò socios animabat ad tolerantiam, qua essent apud Deum tantumdem nominum deleturi: dirè torti ad Vicarium Præfecti raptantur; quærit is ex Francisco quis esset? cur illuc Macao venisset? tranquillè Franciscus haudquaquam se Macao sed Sciaoceo adesse, idem comites confirmarunt, & quod protulit diploma, in quo legens subscriptos Vicarius Mandarinorum præcipuos, vindictæ metu cohorruit quam non essent in eum dissimulaturi qui sæua illum barbarie torserat quem ipsi sua fide, ac nomine securum voluissent. Hoc animaduertens sceleſtus apostata qui ansam errori dederat mentitus Franciscum Macao venisse; vaframento Sinensi subito, pœnam confictæ calumniæ sceleratiori calumnia præuertit; quicquid, ait, loquantur literæ (veræ an falsæ vestrum sit cernere) sed is certò Macao huc venit, ad emptionem bellici commeatus, & testem ex pueris minorem producens, interrogat ecquid medicinam emisset, & sumpsisset Franciscus; fraudis ignarus simplex puer; & quidem sæpiùs; respondit, integro quo ægrotarat mense: cui diabolica planè audacia veterator vocem addidit quæ reum faceret, nam igniarium puluerem iunctis duabus vocibus

vocibus appellant Sinæ, quârum altera seorsum medicinam significat, de qua puer. Accusator aliam adiungens, tormentarium puluerem, teste puero probabat emptum: obstabat vehementer, serò conscius doli, puer, ingerebátque ardenter, & sæpiùs medicinam, quam significare voluerat; accusator iurans, & peierans, & diris se omnibus deuouens coram in puerum vociferabatur qui dicto testimonio non staret. Iudex oppido præclarus, omisso sycophanta veterano, tanquam linguæ veracis, & candidæ; puerum innocentem suique vix compotem torqueri iubet, cui dum acerbissimo cruciatu intra canaliculos conserti digiti adstringuntur, defecit cum animo linguæ constantia, & dolori succumbens, non solum de puluere, sed de Francisco Cattanei emissario, de armis ab eo coemptis, de profectione Macaensi, quæcumque Iudex voluit mentitus est; dicturus plura & peiora si vlteriùs premeretur: & hac à puerulo timido, sæuis cruciatibus expressa confessione & testimonio securus videlicet, ac triumphans Iudex, detecta præsertim clerici corona; ausus es, inquit ad Franciscum, ad hæc perpetranda tantorum literis Mandarinorum sic abuti? cras inde senties quid lucri feceris, simul iubet seiuncto singulos concludi carcere; Francisco manicas, compedes, numellum iniici; aquæ ipsi nec stillam præberi nec obiici; quod illum accusator Necromantem finxisset, qui se ad aquæ tantummodo aspectum, oculis omnium aspectuique subduceret: id falsò creditum; exangui verberibus, & febri exsucco sitim creauit intolerabilem; Postridiè in eius sarcinis duæ à Valignano, sermone Lusitano epistolæ, cum libris aliquot Latinis, visæ sunt indicium facere, illum Macao aduenisse, tametsi Sciaoceum datæ notarentur vnde Macaum vocabatur; digesta per Iudicem, lite Aitaus, duci ad se miseros imperat, ac ne frustra exterritus ciuium domos videretur solo temerè æquasse, illorúmque inuidiam & iras à se defenderet, reos ad fores Palatij per totum diem moratus est, innumerabili populo proditionem patriæ iis exprobrante, maláque omnia imprecante, sub noctem ad nutum barbari, crudelissimè cæduntur demptis quos ætas atroci supplicio eximebat duobus pueris; ab hac immani verberatione semiuiuos, morti denique addicit ex renuntiata sibi lite à Vicario Iudice; conuictos, aiebat, ignatium puluerem, & arma Macaum transmisisse; eadem sententia hospitem, eadem Ignatium è duobus seruis alterum damnauit velut sceleris conscium: cuius sceleris fidem vt populo certius inculcaret, asperatisque in reum populi odiis, ipse vrbis, & ciuium seruator haberetur; die insequenti Franciscum ad Iudicem hoc est Vicarium remittit, cum ferro onustus, & dolore plagarum, sitique perdita æstuans per noctem iacuisset. Belluâ Iudex immanior, damnato ad mortem, iactáque iam alea edicit, de se Cataneo, Lusitanis, coniuratione, aut apertè nunc omnia efferret, aut sciret in præsens se exquisitis supplitiis lacerandum, post reportandum ad Proregem, ad eandem illic carnificinam iterandam, cui sedatè Franciscus; se esse Christianum,

stianum, & Cœli dominum à puero colere; Patribus annos iam quindecim inseruire, seque adeò vnum ex iis esse; literas verò commeandi haudquaquam confictas, sed legitimas & veras à Riccio in aula notissimo, & Mandarinis datas sanctè affirmauit; quâ responsione nihil suppeditante in rem suam, asperior barbarus, pronum denuò iubet humi sterni, eadémque vt pridiè sæuitia cædi; sed cum ad primas plagas deficeret, fore sibi crimini metuens, si quæstione illum occidisset, seruorum brachiis referri iussit in carcerem, vbi ad fores animam efflauit, Martij vigesimo sexto, anno seculi 6. ætatis trigesimo tertio, magnum sui desiderium Sinis iuxta, & nostris relinquens, erat enim in quæstu animarum miré ardens & vtilis, & precationi magnoperè deditus. Humatus est extra vrbis portam, sua in veste, suisque in manicis, & compedibus de ipsius iudicis mandato, fortè, nescio quid post mortem, morte grauiùs, coquentis; miseri certè, & infeliciter crudelis, & perfidè qui esset cum accusatore, suóque Aitao, ausa nefaria pro commerito breui luiturus. Fuere tamen illa indicia Patribus ad ossa mortui ab aliis secernenda; cum inde Macaum transferri oportuit.

113. Mors crudelis F. Francisci Martinez

Sequitur extremum nostrorum Sciaocensium discrimen; eius idem auctor quem dixi, qui Gubernatoris partes gerebat Vicarias; hic famam ambiens detectæ, & repressæ coniurationis, suum hoc præclarum facinus datis ad omnes Prouincias literis celebrauit; at eæ magis pericula quàm remedij credulæ, obseruabant sese, cauebántque sibi seuerissimis edictis in quibus Cataneus rebellionis nominabatur auspex, seque ipse in iis hoc insignitum titulo legit, cum purgata iam innocentia Nanchinum se referret. Mandauit idem homo sceleroſus Præsidi Sciaocensi, videret etiam atque etiam apud nos, ecquid armorum, aut militum, aut commeatus bellici lateret. Quod nostros Quanceensis casus ignaros penitùs non diu suspendit, promulgata mox nouarum rerum molitione Macaensi tantis in nos Sciaocum, ante beneuola, erat sit odiis, vt peculiare fuerit Dei munus nos à populo non discerpi. Sed expectabamur in horas ad pessimam omnium lanienam candenti forcipe concidendi, iámque id Pechini, de Riccio factum rumor vulgauerat, cæteríque regno passim diuisis; visa quin etiam nonnullis, mora huius supplitij lentior; ignem foribus nostris subiiciunt, viuos cum domo ligneâ momento combusturi, nisi vigiles, & orantes, odor incendio præuiùs afflasset. Sed illa tàm florens Ecclesia, pars in idola reuoluitur; pars à nobis longissimè abstinet; suspicionum vmbras omnes timent, & proditionis videri conscij: fuere nihilominus qui Longobardum, Secretis moniti, iuuarent, quòd tanti nefas perduellionis, negarent ab sociis Riccij concipi potuisse; Præterea Sciaocei Longobardus, conscientiæ integræ generositate, & ingenio animosus. Fixum huic erat, Proregi se sistere, & pro se & Cataneo, summi iuris vim omnem experiri; iámque ad hoc illi Gubernator copiam dederat. Auertère illum quos adhuc retinebat fideles Christiani à tentando Prætorio

in

in quo esset causa tormentis potiùs, quàm rationibus agenda. Mitteret ab se qui Proregem, plenè priùs de omnibus edoctum iuridicè posceret, liceret Longobardo se coram sistere. Audiuit Prorex benignè admodum Procuratores tres ad hoc missos; Negauit Longobardo esse opus ad purganda sibi, & sociis obiecta; compertum se tenere ab exploratoribus Macaum sumissis, & primoribus Mandarinis, fuisse hanc fabulam, malignitate primum furciferi calumniatoris compositam; auctam verò deinde in tantos tumultus, metu improuido, Ministrorum imprudentium; & aderat præsens Aitaus, illorum præcipuus, quem sui erroris tàm euidenter Prorex admouit, vt Quanceum reuersus. Vicarium suum acriter obiurgaret; cuius suasu, & iudicio sententia præcoci Franciscum capitis damnasset, maturè verò is de se ipse videret qui eum inter quæstiones barbarè necasset, quæ Aitai testificatio Francisci famam integrauit; eiúsque hospitis, & Ignatij famuli seruauit vitam; quos alioqui hominum quantum est scelestissimus Vicarius, clàm fame confici mandarat, ne qua extaret ansa residua, atrocitatem partaræ ab se iniustitiæ accusandi; succurrit iis furtim misericordia idololatrarum qui tenebantur eodem carcere, & ab Longobardo tres Procuratores, necessaria tribuerunt. Verum enim verò, dum pro aliorum vita longè ac sedulò consulit, pro sua ipsemet tùm vita, tùm fama eò grauiùs laborauit, quòd dedecoraret aspersum illi probrum Societatem nostram, omnésque Christianos. Regebat Sciaoceum rapacissimus Mandarinus, vtque nulla est vsquam Sinis malitiosior in concinnandis fraudibus natio, Gubernatoris illius inuentum vulgo credita est accusatio Longobardi fœdissima: in Palatij aditu occurrit carta, in eius manus temerè proiecta, qui primus in illam incideret. Accusabat adulterij Longobardum; nominabat adulteram; accusatores edebat, sed nominibus tacitis, suburbij quatuor seniores, in quo degebat Longobardus; iussam colligi cartam Gubernator, ad commeatum suum, quasi rem valdè nouam, attonitum fingens, eam nihilominus in cognitionem sui admittit tribunalis, lucrum vndenis emuncturus; aut ex reo conuicto; aut ex accusatore falsario. At hic sine mora præuertens hominem Longobardus, superiorem adit Mandarinum, & de reo actor, in auditorio causarum palam citari aduersarios flagitat ad sustinendam accusationem. Mandarinus in orrupræ Iudex, & perspicacissimæ probitatis, statim diuinauit, Gubernatoris auarissimi hanc esse stropham, ad furtum ex iure faciendum, qualem nuper misero Bonzio struxerat, quem, à se vix multa pecunia dimisit. Vocati ergo seniores; contestantur falsò accusationem suo nomini adscriptam: de illa se quicquam nec scisse vnquam, neque cogitasse; fraudem esse perfidi hominis suæ ac Patris innocentiæ conscium; nec aliud ex iis, quæstione extortum, quâ sibi affictam scripturam purgare coacti sunt. Imò illorum vitus indignitate rei & dolore flens, affirmabat, si tantùm facinus, peregrino tam sancto imputasset, fore se sibi sempiternum infamem, & cœli dominum,

114. Calumnia perfidiosis. contra Longobard.

peccati vltorem pœnis grauibus sensurum : aliundè mulier tormentis rogata, cœlum testem vocabat, externum illum nunquam à se conspectum, ac licet alia fateretur adulterio obiecto non minùs pudenda, sed in asserenda Patris innocentia constans hæsit, Deo famuli sui nomen peculiari auxilio ab infamia vindicante, amicum interea præferens Longobardi, & causæ illius studiosum clandestinus prædo Gubernator, subornatos ad illum missitare, monere de progressu litis, suam vnius contra omnes pro illa diligentiam commendare, quibus nuntij subdebant, sperare se Patrem grato quoque in illum & magnifico animo futurum. At Pater ingenuè certóque professus, ne obolum quidem ex se propterea excussum iri, firmiter institit, causam summo iure cognosci, & perfici, quam ipsius mentem etiam Ethnici plurimum laudarunt. Veterator itaque spe cassus emungendæ ex eo pecuniæ, in accusatores illam vertit, nec confessos, nec culpæ conuictos, nec aliàs reos, nisi quod haberent ex quo rapere Iudex posset : accitis partibus, Longobardus pronuntiatur insons ; Sciaocei semper innocens vixisse ; iniustè calumniam passus. Seniores verò Calumniatores, & morte digni quam iis bonus, & misericors latro mulcta pecuniaria intolerabili mutauit. Purgatum solenni actione Longobardum, secuta est pariter Catanei prudens & luculenta purgatio ; quâ vir sapiens vnus stultorum furentium Prouinciam integram ab insania exemit. Redibat Pechino, natalis regij gratulatione annua publicè perfunctus Taolius, Sciaocensis tractus Gubernator ex familia Ci na. Huic Longobardus pridem carus, aduerso flumine processit obuiam diei itinere. Illic Mandarinus de Riccio, eiúsque gratia apud Regem, de rebus nostrorum, & aulæ fauore, læta omnia & magna ; Longobardus contra de Cataneo ; de tumultuante in illum Prouincia Cantonensi ; de immanissima illi & sociis iniecta calumnia ; de vinculis, cruciatibus & morte Franciſci, iniqua, tristia, funesta omnia : quibus grauiter commotus, in defensionem nostrorum promisit mira, sed plura præstitit ; nam successurus Aitao mittebatur, cuius munus est iure præcipuo causis capitalibus præsidere, Patrum igitur securus, voluit ipsorum probitatem per omnes fori traductam formas, & apices, illustrem omnibus & perspicuam fieri. Quanceum appulsus metropolim, Sciaoceum Præsidi mandat per literas, de vita & moribus Patrum, & Franciſci Martinez, seruique Ignatij indidem oriundi, iuratis testibus cognoscat iuridicè ; ex quibus præter veras laudes, & perspectam diu probitatem rescire nihil potuit. Inde ex militum Præfectis callidum inuestigatorem Macaum submittit qui, scrutetur minutim singula de Cataneo, & contubernio illius, de Lusitanis, proditione, & rerum nouarum suspicionibus ; Macai nondum exscenderat, & adiri à nostris se velle indicat. Læti omnes accurrunt, salutatum in Collegium deducunt, vbi angulus non fuit quem præterierit diligentissimus scrutator, miratus valdè stultitiam impunitati nobis armamentarij, cum domi præter libros, armorum nihil vidit ; collectos ibidem milites,

milites, scholæ pueros aliquot; & pro militari ad pugnam paratu, literatum, & morum gymnasium quibus tenera ætas fingebatur; hæc & alia de vrbe, ac ciuibus cum ad Aitaum Cian retulisset; pro summa potestate, Aitaus scelerato illi Gubernatoris Vicario edixit à causa abstinere; & illam in quartum transtulit assessorem cui palàm semper displicuerat turbulentis, & præproperis decretis rem istam festinari. Contestata lite Assessor statuit: intolerandam noxam toto regno, nulla veri, aut recti specie Patribus impactam dum sollicitando ad bellum populo, & rebellioni, studere vulgati sunt. F. Franciscum Martinez quæstioni per summam iniuriam à Vicario subiectum, & necatum; sententiam capitis ab Aitao veteri latam contra Ignatium eiúsque hospitem; cassam haberi & irritam: diiudicata lite, sistuntur coram in Prætorio partes; Præfecto excubiis delatori, Aitaus Cianus, supercilio terribili, prodi, ait, mortalium sceleratissime, cuius mendaciis innocens periit, hi quo minùs perirent per te non stetit; en tuo capiti cœlestis ira iam ingruit; fare tamen, & si quid habes dic; vbi puluis catapultarius? vbi arma à F. Martinez Macaensibus coempta? & hos puteros duos, quorum alteri ab te lepidè illusum, criminis etiam videri socios voluisti; hæc tu lucri fame rabida patrasti, meum est illam nunc tibi explere. Ad Proregem ibis, cum hisce tuorum scelerum damnatoriis tabulis mortem tuam postulantibus; & his quorum insontem vitam, tàm vili pretio venalem habuisti. Si te viuum Prorex remiserit, ego cædi te tamdiu iubebo dum ossa conterantur, & carnes dissiliant, silere ad hæc miser, ore humi defixo; & prouolutus solúmque perpetuo fronte tangens, veniam implorare. Crimen enim confessus, ad hoc Assessori inductum se dixerat vt gratificaretur vrbis Vicario, & contractam ex domibus temerariè dirutis inuidiam ciuium; repetendíque ius damni ab eo amoueret, insontibus falsò rebellij conuictis. Vicarius cum suo Aitao ab Inspectore Iudicum ex aula misso ob iniquissimam Martinezij necem, æternùm infames, in suas patrias remissi, quod dedecus tàm impatienter quidam accipiunt, vt illud vltroneo suspendio extinguere malint quàm viuere. Accusator vitam ab auaro Proregis consanguineo, summa grandi emptam, non sustinuit Quancei ducere, sed quàm longissimè, sempiterno exilio se ipse damnauit. Cataneus causam cuius ipse pars erat maxima, retractari à nouo Aitao cum audisset, questus apud illum supplicibus literis inustas sibi calumnias, plenè illas diluebat, missis vna diplomatis, quæ à Mandarinis Nanchini acceperat, ad repetendum cœlum Macaense, & valetudine instaurata, quamprimùm in Sinas redeundum; vt ex eorum chirographis, & sigillis certò cognosceret quàm procul à suspicione falsitatis, se verò cùm primum innueret præsto fore pro eius tribunali ad reuincendos calumniatores; rescripsit Aitaus Cianus valdè humaniter, opus eo præsente nihil esse ad asserendam innocentiam quæ sole iam sibi clariùs

constitisset; prohinc illam edicto passim vbique proposito ciuitati constare voluit, quo pronuntiabat Cataneum falsa petitum accusatione; purgationes ab eo acceptas edicto inserebat cum Mandarinorum Nanchinensium patentibus literis; iubebátque populum stultè sibi iniectos metus deponere, & esse à Macaensibus securum; Edicti huius fiducia regrediebatur in Sinas Cataneus, cum Sabbatino de Vrsis illuc pridem destinato, sed videns adhuc nomen suum proscriptum rebellij, propè vrbem Nanchinum pendere; nec edictione integratæ famæ, legitimè deiectum, Sciaoceum diuertit, suóque aduentu quantùm exhilarauit Aitaum, tantùm cepit animo doloris, tabulam perlegens ad eius palatij decumanam portam, quâ sibi grandibus literis in diem, proximum, vadimonium dicebatur, addebatúrque fore vltimus, & decretorius causæ dies: qui fuit viri sapientissimi erga illum amor singularis, Prætorio enim spectatoribus referto in tantæ causæ exitum arrectis; intranti Cataneo, nouo prorsus honoris genere, assurgit Aitaus; nutu iubet accedere propiùs; quærit cunctis audientibus, sine ille Lazarus Cataneus? & subridens iam, inquit, te nostri Siaenses sibi fecerant Regem; & regni tui annos, Dei imperium nominabant, aliáque in eam fabulam amicè ludens, tradit illi diploma, innocentiæ ridicis compertæ probationibus illustrē monumentum. Scribit ad Proregem se coram cognouisse, iniquissima illum calumnia oneratum. Scribit demùm ad Regem, metus ridiculos à Macaensibus, nec posse vnquam, si forte cuperent, de rebellione cogitare. Sic turus & Victor Cataneus iter Nanchinum prosequitur; accitur de vrsis in aulam à Riccio. Insontis Martinez pia ossa, ex compedibus & catenis facilè agnita, Sciaoceum transfert Longobardus, vbi cohonestatur eius funus concursu etiam Ethnicorum, Christianis eius sanctitatem, istis animi robur deprædicantibus, quod iteratum est solemnius Macai cum sepelchro nostrorum est conditus. Hunc finem habuit tempestas Cantonensis, ex qua perspicue Patribus intelligi datum est, non esse nostrorum mansiones tàm lubricis, infestæ in aduenas Prouinciæ motibus, & suspicionibus exponendas, & posse momento prona illarum ruina, cæteras in præceps, toto regno trahi.

Sub hæc lugenti fratris nostri Martinez iacturam Riccio, adest improuisus à P. Pimenta nostrorum per Indiam Inspectore, alius fraterè Societate cum literis, ad inuestigandum Cataium terra missus, ex quo certum deinceps manebit posteris, Cataium & Sinas regnum esse duplici nomine; deinde terrestre in Sinas iter periculis plenum, minimèque tentandum. Iam quidem Riccius, vt aliàs dictum, pro indubitato nostris in Indiam, & Europam confirmarat, Marci Pauli, Cataium nullum esse præter partem Sinarum dimidiam; vt fidem Riccio minorem nostri darent, quàm Saracenorum quorundam fabulis, fecit Patrum nimia pietas, qui tunc in Mogore agebant: audiebant narrantes de immenso regno inter Septentrionem, & occasum sito; seiuncto ab

115. Cataium, & Sinæ idem regnum, eius inuestigator *F.* Goes vir egregius.

ab aliis, Christiano, templis, crebro clericis frequenti, & diuino cultu haud pareiùs quàm in Europa florenti; quod intelligi de Sinis, vbique Ethnicis nequibat; posita igitur Catai Christianitate, facilis erat coniectura, longinquitate locorum & temporum tanta, eam syluescere; foréque opus glorioſæ virtutis; ſi redderetur decori priſtino; aut de illo fortè veteri, ſyncero adhuc, & integro ab oculatis teſtibus certior fieret, & recrearetur vniuerſa per orbem Eccleſia. Hæc Agra Mogoris vrbe primaria Goam ſcripta, multum probauit Inſpector Indiæ Pimenta, & ſuggerenda Philippo tertio Regi Catholico curauit, cuius auſpiciis Præfectus rebus Indicis Senatus decreuit è noſtris aliquem debere quærendo Cataio deſtinari, mandauítque Proregi Aries de Saldagna, longæ, arduæque veſtigationi neceſſaria omnia ſuffici; hanc verò Fratri Benedicto Goes, Pimenta commiſit. Erat Goeſio patria Villafranca, vrbs S. Michaëlis vnius ex Tertiariis Inſulæ, dotes ab natura eximiæ, celſitas animi, & excellentia ingenij rara, ſed hanc de medio ſtudiorum curſu, ætatis ardor in arma rapuit; miléſque in Indiam profectus, indolis generoſitate in effrænem licentiam eſt abuſus. Annos natus quinque & viginti Trauancorem appulit, vbi eum diuinus ſpiritus quo ſibi vel vnde afflaret inſcium, media ferè leuca in ſacellum pellexit, cum amiciſſimo milite, illic in ſtatuam Deiparæ ligneam, Infantem Ieſum ſuſtinentis, cum flexis genibus oculos figeret, apertis repentè animi oculis, cœpit intueri quàm lubrico in ruinam loco, quàm propè ab inferis ſtaret; admiſſorúmque in Deum ſcelerum, & æternarum proſpectu pœnarum ita cohorruit vt diſſolueretur in lachrimas, & tantorum impar nominum grauitati, præ ſæuiſſimo dolore deſperaret. Donec flentem quoque infantem contuens, & lactis inſtar ex eius oculis cadentes guttas, refocillatus eſt animo, ſtupénſque, ac tremens cum ſpectaculi ſocio, perſpectam rem propiùs, claſſiariis cœteris nuntiauit, qui adorata cum fletu Virgine, machinarum omnium fragore ſacram eius effigiem procul ſalutarunt; proximè deinde canteriatis catapultis; demum quòd ornatus ditioris facultas deeſſet, cæſis arborum ramis ſacelli fores, & parietes veſtiere. Goes ad primam Sacerdotis noſtri oportunitatem, exomologeſi vitam omnem purgauit anteactam, inſtitítque exindè pœnis aſperrimis illius nomina delere; ac ne illa nouis aliquando angeret, Societatis ingreſſum Deo vouit. Iámque in ca vitæ biennium egerat, cum oblatam non ſemel reſumendorum ſtudiorum facultatem conſtantiſſimè reiecit, cauſatus vita quam in ſeculo vixerat ſe ab Sacerdotio arceri, inuſitato tum iis qui præſunt deferendi Sacerdotij exemplo, tùm adiutoribus rei domeſticæ, continendi ſe gradu in quem adlecti ſunt, neque verò hæc illi ſua humilitas obfuit quo minùs ſalutari animorum egregiam operam præſtaret. Datus enim Hieronymo Xauerio, B. Xauerij nepoti, & Manuelí Pinero, in Mogorem comes, apprimè ſibi perſicum idioma expediuit, Regíque Achabari, amabilitate morum & ſanctimonia valdè carus, Chriſtianam rem non mediocri-

106. Goes imagine B.V. conuertitur.

Catuium quærit.

ter adiuuit. Hunc ergo ætate quadragenarium viribus integrum, animo generosum, iudicauit Pimenta quærendo Cataio idoneum, ad hoc illi mandata & apertas misit tùm suas, tùm Archiepiscopi Goani Menesij literas; quibus ille munitus anno seculi tertio, die anni sexto Lahorem contendit vt se fœderatæ contra grassatores viatorum cateruæ adiungeret Hircandam vsque metropolim Cascaris. Assimulatus plane in mercatorem, & Armenum, Abdullah se vocauit, hoc est Dei mancipium; & reipsa portabat merces quarum diribitione victitaret, itaque illum abundè Prorex Indiæ Aries, & Rex Mogoris Achabat splendidè donarat, cumulatátque donum amplo diplomate quo esset à vectigalibus toto suo regno immunis. De iis quos secum itineris admiserat socios, nihil attinet dicere; ab iis sexto post mense longa pertæsis periculà in Cabul desertus est: vnus ei ad vltimum Isaac Armenus relictis Agræ vxore & filiis, durauit fidus, & indiuisus comes, tædio lectori fuero si dies, & loca obiero quæ Goes sequi volentibus notauit, cum ea Geographicæ tabulæ, aut mendacibus spatiis digesta exhibeant, aut nisi insignia fuerint omittant: id solum attingam ex quo statui possit quàm ærumnosum sit terrestre iter ab India in Sinas, & Christianis quàm periculosum. Primo enim triennium tenuit quantùm ex Europa Macaum naues ponunt; suas quoque, vt illæ habebat Goes, non veterum; sed Regulorum, Præfectorum, & aliorum moras, quæ nisi placata muneribus auaritia solui non poterant; danda erat iumentis quies, subsistendum Hiarcandæ per annum, quoad eo numero coirent, qui possent tuti à prædonibus Tartaris transire, nam qui mutua tutelà iuncti viam ex Mogore ineunt, Hircandæ vlterius non pergunt, Cascari vrbe præcipua. Licet autem collecti Lahorem quingentos excederent, inuadebantur à grassatoribus maiori numero ita ferociter vt cogerentur interdum abiectis omnibus, vitam inter densa syluarum & auia seruare. Hinc item dura necessitas captandi viam in cristis montium, vitata communi & facili, sed latrociniis cædibúsque obnoxia; eam ob rem Goes aliquando per altas niues, & aspera montium, manibus & pedibus nitens sextiduum integrum iter fecit, quæ vt plana forent & facilia omnia, qui fi Christianum inter Saracenos vitæ suspensum perpetuò vincere? quàm vt ex iis Cataium saluam, & præcipitibus sub equo lapsibus pertulerit, intimæ Dei erga se bonitati iure attribuit: quid Saracenorum ieiunia spernere? adeundis fanis solùm abstinere? Iesum pro Mahomete inuocare? Crucem auro inustam in carta deferre? nomini Abdullah Isai cognomentum, hoc est Christiani, aut Iesu subiicere? hæc angulo ferrum, acinacem capiti sæpiùs intentarunt, nec per eum stetit quo minùs in rem minas perducerent; nempè millies contestantem, beatum fore se si suum Cataio inuestigando iter, inuenta pro Christo mors interciperet. Sæpè illum Reges & Præfecti ad conferendam cum suis Cascigibus disputationem inuitarunt, quos etsi suis incoctos sordibus ad reprobandam superstitionem minimè adigebat; sed compellebat ad probandam

bandam, & laudandam legem Christianam. De hac illum audire Rex Cascaris Mahamedhan optauit, & librum videre ex quo fundebat Deo suo preces (erat diurnorum Psalmorum libellus sacer) quem attalico euolutum panno, cum reuerenti oculo libasset, honoris causa imposuit capiti, & Regi porrexit; eadémque Rex affectum duplici veneratione, inspexit, & legi sibi ex eo aliquid, exponique a fratre petiit, cui cum illud actorum occurrisset Viri Galilæi! quid statis aspicientes in cœlum; idiomate Persico eleganti, Ascensionem Christi gloriosam illi enarrauit, & priora Psalmi Quinquagesimi verba, in quæ post incidit, in pœnitentiam, & peccatorum veniam conuertit; ac demùm quòd crucem auro pictam Rex etiam cernere voluisset, paritérque cum eo venerati, de cruciatibus Christi morientis, & quidem ea vi pietatis dixit, non modo vt ab Rege, Principibus, & Doctoribus Cascigibus mirè probaretur, sed nonnullis quoque excuteret lachrimas. Post hæc iussu Regis agitatum est quiddam disputando, in quo fratri Goes non fuit magnoperè sudandum; boni illi Doctores & Magistri, aut verò conuicti, au metu ne conuincerentur; confessione ingenua, legem laudarunt Christianam, sed suam fore dixere fortunatam, si tales haberet Mahometus Alcoranni sui præcones, & propugnatores. Possétne id fieri post Goesij discessum consulunt; omnes cupiunt, tentare audet nemo, vnus præfidentior cœteris, negotium suscipit, cui promissa, & preces, & argumenta probè meditato, Goes incipienti auctor fuit pluribus parceret; rem, merces, vitámque adeò, iis vltrò permittere, & dissecandum cinerandúmque corpus; posse sibi omnia eripi; Christi fidem, & amorem non posse; qua forti & nobili repulsa hominem ad suos auertit, sat ante persuasos vacuam operam ab eo moueri. Cordatior alius inter Cascigesnatu grandis, & auctoritate in vrbe Ciali. Vrbi Rex Cascaris filium nothum præfecerat, à quo item Goes cum Cascigibus commissus, illi tantoperè placuit, vt hoc apud suos non dissimularet: eáque testificatio approbationis, & amoris Saracenorum in Goem sic acuit rabiem, vt toto quod illic subsitit trimestri, vna Dei tutela, morum gladios, & iras euaserit. Vltrò nihilominus, abeuntem, Princeps, pro sua comitate muniuit suo diplomate Camasium vsque Regno Cascaris & Cataio confine; rogánsque an suo nomini Abdullah subdi vellet cognomen Isai, hoc est Christiani? Omninò, inquit, nam me talem ex Agra Mogoris apertè confessus, talem vsque Cataium profiteor. Adstabant fortè tunc Principi Cascigum complures, ex iis ille quem dixi aspectu venerandus, paulùm prodit, & detracto velut ad rem stupendam capiti galero, humíque depositio, pænè cum lachrimis; hic verò exclamat, hic verus est, fortísque Misermanus, hoc est legis suæ obseruantissimus; audistis vt coram Principe, nobisque circumseptus, quos nouit legem æmulari suis ritibus inimicam, Christianum se palàm professus sit? hoc nos videlicet inter Christianos ausuri essemus; & non potiùs Mahometem, ignauo metu, deserturi,

Constantiss inter iusid.

deserturi, & eiuraturi eius notitiam? quibus dictis galerum resumpsit, & omni honoris officio Goesium ornauit discedentem; Goes enim ceteruam sociam, moueri tardiorem, nihil deinceps moratus, Cataium contendit, quod Ciali certo compererat, non esse aliud præter Sinas: mœstus ergo labore prolixo & irrito, sed videndi Riccij spe lætus Ciaicuonem magno muro subiectam quinto inde mense peruenit; de Riccio enim ex iis didicerat legationis fictæ Saracenis quam pridem, meminimus, qui Pechino reuersi appulerant Cialim. Diebus posteà quinque & viginti rescriptum habuit à Prorege, quo liceret Suceum progredi, diei itinere intra Sinas in ora Scensis Prouinciæ ad occasum, longum sit texere quot illic perpessiones exhauserit, quot proditiones, & vitæ discrimina ab infestissimis Saracenis magnam vrbis illius incolentibus partem, quoad demùm ibidem obiit cum impetrasset pergendi commeatum. Nam quas primum dederat ad Riccium literas, qui tulit; ignarus nostri characteris, & Matthæi (quo Riccium nomine Pechini pauci norant) nequiuit reddere; vicissim Riccius frustra illum diu requisiuit quod ex Benedicti, & adscititio Abdullah nomine sibi penitùs ignoto, non posset illum requirere: alteræ literæ quas melius edocto credidit Saraceno, bona fide sed sera sunt redditæ, vltra scilicet menses decem, quibus interim Sucei absumebatur ærumnis bonus frater; iis efflictim petebat ab Riccio, vt properaret, se ab Dei hostibus viuum eripere; sed obstabat festinanti hyems, in locis tàm sæua, vt ægrè Suceum, ab vsque Pechino quatuor menses sufficiant, præterquam quod lenti fuit negotij Rescriptum externo obtinere ad penetrandum in vrbem regiam. Misit tandem ad eum Riccius Ioannem Fernandium Sinensem, qui breui posthodum admissus est in Societatem, cum perito locorum Christiano, & suis Patrumque epistolis, desiderium illius, & caritatem spirantibus: at enim perfidus Christianus vt Sigan attigit Scensis Metropolim, direpta quam potuit parte viatici media, nunquam deinde comparuit. Itineris reliquo Fernandes vt potuit suffecit, quod Pechino Suceum, trium mensium & sesqui fuit, illuc enim non ante Martij vltimum, anno huius æ. Mois eius. septimo peruenit. Iacebat ex animi, vitæque molestiis, &, quod verò similius creditum, ex venæno à Saracenis mixto morti proximus Goes, gaudens tamen quod vitam in Dei obsequio poneret; nocte quæ aduentum Fernandij præcessit, cum per somnum putasset missum ad se Pechino aliquem, tàm verum id sibi persuasit, vt mane Isaacum Armenum fidissimum comitem rogarit, in forum exire, stipem largiri pauperibus, & inuestigare de quodam Externo illuc recens adducto, de quo opportunè resciuit ex iuuene qui tunc Pechino aduenerat. Atque huic paulò post superuenit Fernandez, cui accedenti, Lusitanicè loquenti, salutem & literas à Patribus reddenti, miris animi gaudiis, & suauissimis lachrimis respondit, sublatisque in cœlum oculis *Nunc*, inquit, *dimittis seruum tuum Domine*; hinc semel & iterum perlectas cum fletu

fletu literas applicuit pectori, nec inde tota illa nocte amouit; è contratio Fernandem tenebat ingens mœror quod ea vrbs Sinis semiextranea, Medicis & remediis careret, nec posset ægrotum tutiùs Saracenis quàm lupis credere; moribundi rem eius omnem residuam, quam statim à morte rapuere, iam tùm ore hianti vorantibus. Sic lento sensim virium decessu, die post Fernandis aduentum vndecimo viuere desiit religiosissimus & optimus Frater, annum agens ætatis quartum & quadragesimum, & sorte meliori Deum priùs in cœlo, quàm in Cataio Riccium inuenit. Certè illum etiam Saraceni ex vitæ illius trienni obseruatione, constantia fidei, & prodigiis quibusdam diuinitùs editis pro sancto prædicabant: quicquid tamen eius restabat inuolarunt, & fœderatæ cateruæ nomine, velut intestati, inter se partiti sunt: in quo fortè dolenda præcipuè tabularum iactura quibus sui totius itineris loca, situs, ingenia, & quicquid scitu dignum viderat adnotarat, quæ nimis credibile ab iis latronibus combusta, vt simul adscripta Persico charactere nomina aboleret, quibus illi complures sese obstrinxerant: instabant quin etiam suo illum ritu & polyandrio humare, vt viderentur eius bona ad se tanquam sui, iure deuoluta, abstractum denique illorum è manibus cadauer Fernandez, & Isaac cum Psalmis & precibus, humili funere condidere. Exin tristis Isaaco & Fernandi malorum series; Saracenis illum sibi mancipantibus in seruum, & crebro necem minantibus, quod Mahumetem respueret; hunc autem vexantibus quòd rem fratris Goes quam diripuerant ab iis repeteret, quamobrem eiicere à Mandarino Succensi, homine iniquissimo & venali, vt is carcere clauderetur; & vltra quadrimestre, in vrbe illa pestilenti multis aduersis iactaretur, quæ nihil magnoperè attinet numerare; sed vis fuit eius ingenij, & animi vigor, vt se cum Isaaco liberum reciperet, & ablatis quæ de rebus Goes celari pridem potuerant Pechino redderet. Illic ab Octobris vigesimo octauo anni 1607. Isaacus paulùm ex itinere recreatus, secundis amnibus Macaum, inde mari in Indiam reuertit, & testis Cataij nimis verax, nimiúmque calamitatibus edoctus, si qui adhuc natarent certos fecit Cataium cum Sinis aquilonaribus, vnum esse, frustráque operam & sumptus perdi, vitámque adeo seruaturum, in alio ab Sinis Cataio vestigando. Reuisamus nunc interiora Regni, & eam quæ primùm occurrit Nancianam nostrorum stationem, vbi se Christi fides glorioſiùs extulit, cum videretur abiectiùs profligata.

Excolebat illam Socrius decimo iam anno, Manuel Diaz tertio, cui adhuc Sinicè indocto, linguam commodabat F. Pasqualius Mendezius Sinensis, ducenti ab idolis breui ad Christum traducti sunt, quorum de laudibus postea, & fauebat Deus incrementis illius Ecclesiæ, prodigiorum editione supra modum communem naturæ & gratiæ, quæ longùs fuerit referre. Sed tabescens ab anno hectica febri Socrius ex laboribus contracta in fundatione illius Christianitatis totum onus agendi Manuëli cessit; ipse linguæ Sinensis peritiam occupans, institutionem

Neophytorum egregiam hoc tempore absoluit, quam Sciaocei, magno religionis bono editam vulgauit Longobardus. Experiri quidem placuit, sed nimiùm serò an cœlum Macaense rest.tuere Soerium posset, nam illuc peruectus Majo mense, ineunte Octobri obiit. Luxere illum Nanciani sui, funebribus etiam assumptis, tanquam Patrem, quem ante discessum, periculosè sæpiùs decumbentem suis apud Deum votis ardentibus, restituerant in melius, vitámque illi produxerant: patria illi fuit Mons-maior vetus, in Lusitania; ætatis anni vnus & quadraginta; Societatis viginti tres quos ferè omnes impenderat collustrandis Euangelio tractibus Orientis.

Crescente igitur numerosis prouentibus Nanciana Ecclesia, nostri domum, stipe Macao accepta emunt, cuius pars vna templo sufficeret multitudinis fidelium capaci; altera Patribus; tironibus tertia, qui iam numero quatuor, Sinis Macai parentibus nati Societatem expetebant. Emptionis pretio ex venditione domus veteris confecto; tempestasillicò ingruentium accusationum in Patres incumbere; horrenda iis imponi; expulsio illorum violentis flagitationibus exigi, tàm prona iudicis approbatione, vt indictam, & ignotam causam sua fide accusatoribus addiceret. Mouere procellam præcipuæ causæ tres: conflagrarat Hiuncinciuni templum, (cuius idoli cum domo, familia, & animalibus in cœlum recepti, retulimus fabulam) nouo illi fano sumptuosiùs extruendo, millia aureorum decem, cultores eius taxauerant: obibant vrbem, & quod cuique luberet, domesticatim quæstores petebant. Hic soli, principio negare Christiani, sibi fas esse tantùm nefas vel hilo iuuare; post etiam Ethnici longè plures, ad eludendam quæstorum molestiam mentiri Christianos, & religionem excusare, ne sacrilego in idolum dono contaminarentur. Quamuis autem Præfectus operi, redactus in ordinem Colaus, vir prudens, Patres multùm laudaret, (ex quorum institutione aiebant quæstores has elusiones proficisci) & assereret debere cuiuis, collationem stipis permitti liberam; at videns ciuitas accessione ciuium ad Christum idola, & templa quorum sibi magnificentia, & splendore potissimum placebat, sensim defluxura tandémque ruina irreparabili abolenda; extimulante præterea sycophantarum trium perfidia, latiùs contra nos incensa efferant hi ex illis quos Chianhios, hoc est, Prædicatores vocant, factiosi, eloquentissimi, Literatissimi, simulatores sanctitatis, & quantò in speciem ab honoribus, & gloria refugi, tantò eius appetentiores. Id habent pensi, instar sui sanctos homines effingere, virtutum Sinensium assidua prædicatione; suam sibi quisque academiam cogere; selectos discipulos ad sui proximè formare imitationem. Simulabant hi quidem priuatim magnam erga nos beneuolentiam, velut socios concionum, integritatis, & illustris exempli, publicè acriter vbicumque se daret occasio perstringebant, velut mortalium inconsultissimos, qui occultioris sapientiæ arcana intima, de diuinitate, legeque ipsius, solis nobilibus

107. Calumnia in PP. & Christ. eius Author. puniti.

nobilibus & Literatis retegenda, ignaro etiam popello ineptè prodigi, vulgaremus, & profanaremus tam pretiosam gazam conscientia, vsuque Plebeiorum, quo esse vna idolorum adoratione continendos, Sinarum Philosophi Regésque censuissent, vt quæ foret plebis crassioribus ingeniis, & stoliditati accommodatior: ad hæc de animi immortalitate; de altera post hanc æternum in cœlo, æternùm in inferis vita; de Deo ad hominum salutem, hominem induto, & in crucem suffixo, iniquis auribus nostros audiebant, & multò ægriùs cernebant inualescere harum rerum fidem; hinc eorum sequaces nobis infensi esse præsertim Siuzaij qui est infimus Literarum gradus, & insolentiæ petulantis, vnáque factionum quæ Nancianum, si qua inter Sinas, efficiunt tumultibus publicis impudentem trium millium numero, & coniunctissimæ inter se audaciæ fœdere Magistratibus formidanda: alteram Vansui factionem conflant, hoc est nobiles de stirpe regia. Siusaiorum ergo ex ordine septem & Viginti libello subscribunt ad exturbandos è regno Patres, Christi religionem extinguendam, retrahendos ad idola Sinas. Reiecti ab summo tribunali, semel, & iterum; coacti quin etiam audire quæ nollent in Patrum commendationem; fausticrem sibi nouæ Lunæ putarunt opportunitatem, quo die Literati omnes vrbisque Magistratus honoribus annuis solenni pompa ritè Confusio solutis cùm abirent, & salutarentur ab Siuzaiis humili proclinatione, consistit accusator quasi omnium nomine Siuzaiorum & à Pucensio inter Mandarinos supremo postulat, Patres pro euersoribus populi, legisque auctoribus, religioni auorum, contrariæ, regnóque suspectæ: extra Sinas pelli, etsi foret æquus necari. Pucensius Tihio causam credit; hic petita scripto accusatione, damnationem Patrum, & exilium promittit: acceptóque sub serum diei libello sceleſtissimarum accusationum rescribunt Pucensius & Tihius. Noua Christianorum lex nec prædicator in posterum neque propagator; Patres eius fautores & Magistri Nanciano abeunto. Cisuus vrbis Gubernator, accusationum capita retractato, & de iis referto. Ex præmissa examini causæ, damnationis sententia nulli dubium fuit adiudicatam litem accusatoribus, nec ausurum minorem Magistratum, in suprema duo tribunalia hiscere. Erant autem hæc summa calumniæ nefariæ capita, Patres Riccium, Diaz, Soerium homines sceleratissimos piraticam armatos exercere, ex receſſibus amnium insidiari nauibus, & de spoliis vectorum legi suæ sequaces emere; illorum socios in quinque tributos Prouincias, paribus studiis eodem tendere; iámque sibi non tantùm plebeios adiunxisse, sed incantamentis Mandarinorum præcipuos, & armorum Præfectos ita dementasse vt ab iis visantur, obseruarentur, vitâ cariùs diligantur. Legem inducere diis inimicam, eorum incendere statuas, & imagines maiorum; hinc templa deseri, & functorum parentum honores aboleri; è contrario ab iis proponi quendam, seu Saracenum seu Tartarum, mundi Seruatorem natum hominem, sed Dei filium, carnificum manu de-

formi letho interfectum, potentem nihilominus ad clientes suos omni beatitate cumulandos, quorum Nanciani ad viginti millia iam haberet, in dies augeri, Patrum ædes diu noctúque implere, iis ad iustum exercitum præter vexillum nihil deesse. Quos olim Sinæ Fochienses, & Sciaochinenses religionis specie motus exciuerant ad Prouinciarum expilationem multò magis posse Nanciani ab externis timeri. Sub hæc illos tribunalium Primores duos enixè rogabant, vt supplici ad Regem libello poscerent, Patres illos viginti qui Nanciani partim clam laterent, partim liberè agerent, iuberet in vrbis platea de medio tolli; aut si nefas putaret vrbem innoxiam flagitioso sanguine temerarè, deportandos mandaret in desertum aliquem scopulum, interituros dira fame; nam de obtinendo illorum exilio, cum externi essent, non posse ambigi, nisi ambigeretur de fide patriæ debita, & studio regni conseruandi. Hæc summatim, libellus stylo elegantissimo, & graui, magna eloquentia digerebat; quem dierum viginti spatio, dum in litem componit Gubernator, Manuëli Diaz Mandarini quidam fugam suadebant; alij munera iudicibus eroganda; suspensam in euentum quietem nonnulli; ipse omnium optimè, spes omnes suas à Deo maluit habere suspensas, in quem tota illa constructa erat lis, vno falsarum criminationum horrore terribilis. Depulsionibus igitur, & ipse egregiè, ac validè in libellum relatis, generosè se sed rei habitu de more, in Prætorium dat causam defensurus. Præstolatur per horam de genibus, dicendi veniam; auditur frontibus caperatis; vultibus parum propitiis, & minimè credulis dimittitur; quæ præstantis viri fiduciam quantò ab hominibus auertebant, tantò in Deum agebant securiùs. Strabant tamen ab illo Praesius, & Gubernator: quamuis ne Siuzaiis præuaricari viderentur, causam suam tuentis; austeritatem maximam simulassent. Siuzaij, exitus qualem præceperant animo, iam quasi compotes, minis, contumeliis, sannis, nostros assiduè, ac familiares eorum diuexare, direptas Christianorum ex ædibus imagines lacerare; obsidere domus nostræ fores, vt ad primum nostri exilij rumorem illam prædarentur. Christiani contra, supra omnem expectationem assurgere, voce libera, scriptisque comparatis velle omninò Christianissimi sanctitatem, & Patrum innocentiam, nisi Diaz fieri vetuisset, pro tribunalibus defendere; nunquam ad diuina frequentiores conuenire; albente vix die domum nostram implere, interdum vsque ad mediam noctem, consiliis, amicitiis, modis omnibus iuuare, sic vt neminem Diaz adiret Mandarinum quin illic ad omne obsequium paratos præstolantes se haberet Christianos: accedebant illorum vota, & gemitus, & spontaneæ afflictationes quæ causam denique apud Deum prosperè vicerunt. Gubernatori enim iniecit animum, vt omisso Mannële Diaz, illam Riccij amicissimi sui reputaret, & amplecteretur litem, ea itaque iuridicè cognita, palámque productis actorum calumniis, Tihium adit; docet ea in vrbe annos duodecim, Patres inculpatè, ac placidè egisse; Riccij socios illos esse,

esse, apud Regem, Eunuchos, Colaos, Mandarinos in aula gratiosi; si oppressione suorum iniusta læderetur, non defore illi quantumuis potentem inimicum nacto, vindictæ facultatem: vt quid verò essent ignominiosè Nanciano pellendi, quorum obsequia, ministeria ipse Rex sua aula, suisque sumptibus, & propenso fauore dignaretur? & qui apud summos imperij administratores summam obtinerent venerationem? Siuzaiorum porrò calumniosa mendacia iure patuisse; Patres illos viginti quos iurant degere Nanciani, duos tantum esse; de Riccio, & Soerio quos dicunt piraticam facere, Pechini pridem alterum manere, alterum Macai obiisse; Christianorum viginti millia Manuëlis Diaz sectatorum, ne viginti quidem centena conficere, reliquas eorum aestimationes, eiusdem esse putidæ falsitatis.

Calumniæ illius fructus.

Quibus seu clariùs edoctus, seu territus Tihius, vela in oppositum vertit, ne tamen Siuzaios solutissimæ licentiæ iuuenes; ad scantionem paritaret, cum Pucensio egit de medio inter vtrumque retinendo, vt nec omnia nec nihil concessum iis esse videretur.

Stato die ad portas, & celebriora vrbis loca, sententia pependit, publicis auctoritatibus munita. [Post examen causæ, compertum iuridicè, Manuëlem Diaz eiúsque socios bona mente ex magno occidente in Sinas venisse, proinc iis licere Nanciani sua lege tanquam minimè suspectis viuere; quia verò plebs imperita, & nouorum amens, cœli dominum Deum sibi adscissens, in Patrum se dabat disciplinam, nec decebat honestos homines, ritus patrios mutare extraneis; vt quæ Poëta ipsorum quidam monuerat præcessa ex arbore deuolui in vallem & tenebras; possentque hinc dij, & templa, & sacrificia vetera deseri, & turbæ cieri à populo legi addicto peregrinæ, non sine Patrum periculo; Manuëlem Dias ab sua vlteriùs vulganda lege prohiberi, & à coemptione domus laxioris ad maiorem populi concursum. Tifanis & vicorum tribunis mandari, vt Christianorum ad orandum diutnos, & nocturnos tot cœtus impedirent, eorum scrutarentur ædes, Saluatoris; imagines inde asportarent, omnia verò edicti clausula pœnis grauibus Sanciebat; quibus à se Tihius eodem instinctus dæmone, quo tres illi concionum propolæ quos diximus, eorum suasu addidit, vt nostris foribus affigeretur edictio abstinendi, ab lege Domini cœli, vulgo promiscuo tradenda, quasi barbari hominis magis quàm nostra interesset Dei quem ipse ignorabat honor; aut plebeiorum magis obsequiis quàm nobilium, & Literatorum vilescereret. Hæc dum Cifui Præcones seu Gubernatoris multis per vrbem proponunt apographis, ad nos quoque illorum exemplum deferunt, & pro nummulis aliquot dari sibi de more solitis, Saluatoris effigiem dari rogant vt eam adorarent petitione tam intempestiua prætexi dolum Manuël coniecit, nec posse fieri vt apparitores Iudicum, idolorum cultores, & legis denuntiatores, pœnas gratis transgressoribus indicentis, aliam nollent mercedem operæ, nisi vt transgredi eam possent, visi sunt suspicatus potiùs captare quo Patres

nouis delationibus turbarent fortiter negauit; rogabant nihilominus sincero animo, & diu licet negatam, dum iis Manuël quas ferret pecunias quærit, Saluatoris effigiem, quæ fortè aderat, auferunt, omissáque pecunia discedunt, quæ res vni è tribus saluti fuit, paulò enim post in extremis ægrotans Patrem sibi acciuit, à quo vt res ferebat necessaria edoctus, & Christi lauacro expiatus, puram animam efflauit. Neque pluris fuere illius edicti grandes minæ ad prohibendos à Christi lege idololatras; paucis diebus octo supra quinquaginta baptismo tincti sunt, nec abstinere Christiani ab suis cœtibus, & assueto cultu pietatis; tùm quòd Deum magis timerent quàm homines; tùm quòd tacitè ferebatur, Iudicibus quoque minime inuitis; ne Patres exilio damnarentur, simulatam fuisse damnationem legis quam decebant, vt satisfieret in aliquo Siuzaiis, abstinerentque cœpta violentiùs vrgere. Quamobrem vicorum tribunis Christianos ab solito templi nostri accessu arcentibus, etiam scripta tradebant nomina, vt ea ad Pucensium, Tihium, & Cisuum deferrent, professi magno se honori, bonóque ducturos Christianitatis citari, & puniri. Porrò hæc procella, etsi decumana, quantò plus boni quàm mali tulerit, facilè patuit; primum enim nobis Nanciani domus & habitatio, Magistratuum edicto concessa quòd annis duodecim frustra fuerat tentatum, domum emit Diaz in Media vrbis frequentia, sacellum in ea geminum Christo, & Virgini dicatum, die Christi Natali aperuit; ad hæc Siuzaij & Vanfui, vt fama in præsens, sic in futurum audacia imminuta, suo cum aliquo pudore experti, Patrum virtutem, & innocentiam potentibus Mandarinorum amicitiis fulciri. Tàm creber præterea passim vulgò datus de Christianorum vita, & nostra sermo; tàm subtile pro tribunalibus examen, magnos nobis admiratores peperit, & amicos, in quibus exauctoratus ille quem memini mus Colaus cum numerosissima & potenti cognatione illius vniuersa: demùm ægrè antea duorum è nostris patiens Nancianum, denos, vtcumque id ferret, deinceps habuit; Manuëlem Diaz; Gasparem Ferreiram, Hieronymum Rodriguez, tirones quatuor, & octauo huius æui anno, tres nondum Sacerdotes, horum septem postremis, quanquam Sinensibus, sed Macai Patribus orti Christianis, Europæorum relicta sunt nomina. Verum enim verò aduersariis sceleratis longé diuersè fraudulentia sua cessit. Septem illis & viginti Siuzaiis qui suo Chirographo, conceptas in Patres calumnias signarant, postquam propalam falsi compertæ sunt, sempiterna infamiæ adhæsit nota, ludibrio fuere ciuibus, quòd nisi linguis mendacibus nihil possent; exprobratum illis quòd duos imbelles & aduenas, ipsi ter mille numero, tot libellis, & declamationibus, non valuissent pellere Nanciano. Tihius, eorum aliquos gradu mouit, omnes pertæsit criminationum falsitatem vehementissimè indignatus quibus ab se præcox de Patrum exilio subripuerant iudicium. Prorex nouus edicto vetuit, ne quis illorum auderet libellum aduersus Patres dare: illorum

caput

caput & signifer dedecoris impatientia, prope cerebro motus, sarciendæ famæ vulgauit apologicum, opus styli sublimis, sed insulsis confertum purgationibus, quo scribi nihil poterat in Manuelem Diaz iniuriosius, sed maluit tacitus hæc pati Manuël quam vnius reprehensione, Siuzaios omnes concitare; ipsos quin etiam a quibus in tantùm conlectus fuerat discrimen visendo comiter, & honorifice obseruando, sibi amicitia deuinxit vel amicitiæ simulatione, qua, rerum nostrarum ignoratione errorem excusabant, multóque plurium conciliasset sibi beneuolentiam, nisi ex primoribus Mandarinis didicisset præstare ad nostram, & Christianæ legis existimationem Siuzaio habere aduersarios quam amicos, sed eosdem tantæ auctores perfidiæ impios tàm claris Deus & acerbis persecutus est plagis vt circumferretur vrbe tota, cœli Dominum illatas Ministris suis iniurias vlciscì. Duo siquidem illi quorum vnus de stirpe regia, instigatores Siuzaiorum, breui extincti sunt; duo item ex tribus sycophantis declamatoribus mortui, qui modis omnibus vetabant legem Dei cœli tradi popello & proleteriis, ille denique Literatus qui Siuzaiorum in Patres calumniæ libello supplici concinnandæ præcipuam operam dederat, prope Mendicus ex diuite factus est, & toto quo contra insontes abusus erat ingenio eguit, vt victum sibi in diem quæreret, Dei beneficium fuit ne priùs Riccium hi casus afficerent, quàm secundus illorum exitus ad secundos accedens rei Christianæ in aula progressus, labores ipsius vbertim solaretur. Paucis enim Pechino Leucis P. Iacobus Pantoia, & F. Antonius Leitanus Sinensis, duobus in pagis, duabus Ecclesiis initia dedere, quæ prouentu quidem, non statim creuere nisi parco; postmodum verò indigenæ Ethnici, Neophytorum probitate, & inexpectatis nouæ vitæ exemplis expugnati, misere supplices ad Riccium literas vt legis Doctorem ab eo acciperent, cuius obseruatio efficiebat sanctos. Eò Gaspar Ferreira & F. Antonius Leitanus se conferunt cum pueris tribus scitè exercitis ad docendæ fidei rudimenta; profectis iis, & ad omnium Sanctorum iam accedentibus (nam vni pagorum a Sanctis omnibus; alteri à S. Clemente nomen indiderant quod iis anni diebus illuc deuenissent) en tibi obuiam turba ingens ductore Christiano, volens Patrem apud se audire, & amica vi mutuisque precibus in pagum suum deflectere; promissum illis quod efflagitabant, mox vt oppidanis omnium Sanctorum quod promiserat exsolueret; iamque iidem oppidani turmatim processerant, viri, pueri, quod mirum, anus, vt eum deducerent, voluntate nunc vero Deo, simulachris antea mancipati, ex quibus ingentem aceruum struxerant quem igni subiecto coram Saluatoris imagine concremarent; grandæuas anus Ferreira; viros Antonius; pueri iuuenes instituebant, & puellas quibus domo exire non licebat; distributi sunt familiis singulis libelli Doctrinæ Christianæ quæ tanta animi applicatione commendabatur memoriæ, sermonibus terebatur, & recitabatur à pueris, vt eam Ethnici discerent vel inuiti, horum tamen vix vllus in sua hæsisset cæcitate,

108. Pagorum duo fer. conuer. prope Pechinum.

citate, nisi Ministros idolorum, decessione suorum quotidiana macrescentes, anaritia stimulassent ad interpellandum libello iudicem quo legem proferebant nouas omnes doctrinas proscribentem à Pechinensi ditione; sed horum quoque ingratiis inde tam grauidi lecti sunt animarum manipuli vt ferendo non esset, F. Antonij valetudo. Excusa nihilominus alia oppida bimestri spatio, fructu pro obstaculis aduersantium, minori aut maiori. Relicta vbique Christianæ viuendi documenta; vnus è multis virtute præstans, & auctoritate, vbique cæteris Præfectus, qui Patres de ægrotis, cathecumenis, & dissolutè agentibus faceret certiores, vt ad opem ferendam festinarent.

10. Riccij Geog. tab. Regi offertur, quo fructu.

Dum hæc foris geruntur Pechini contigit vt præter omnem expectationem Regi exhiberetur Geographica Riccij tabula, Lingozuoni Mandarini olim studio & sumptu edita; cúmque hactenus pridem auctoru eiusdem extarent plurimæ nemo sat Regi acceptũ confidebat fore, si spectaret Sinas exiguo concludi spatio, quos suis cum Mathematicis certò crediderat, orbe vix toto angustiùs portrigi. Nam & multi Sinarum conspiciebant hoc ipsum infestis oculis; cùm Eunuchus ex aulæ intimis, aut simplicior cæteris aut animosior ausus est eam Regi tabulam offerre, multis retrò annis Pechini excusam, foliorum sex amplitudine, quorum vnumquodque brachio vno latum, duobus longum, ita proximo nectebatur, vt simul explicata orbem repræsentarent vniuersum. Et planè contra quam tot annos extimuerant Eunuchi, & aulæ Mandarini, maiorem in modum ea Regi tabula placuit; nec ægrè agnoscere vllus est se orbis totius Monarcham non esse; nec suspicatus est fabulas à peregrino concinnatas, quas cernebat arte, ratione & dispari partitionum terrestrium, cum cœlestibus consensu, ante oculos probari; Regna præterea, & vrbes, montes, & flumina, & suis cum insulis maria signabantur, nominabantur, & explicabantur idiomate Sinensi eam Geographiæ totius summis principiis, quæ vbi Rex sua cum incredibili iustrasset voluptate, mandauit Riccio cuius in tabula nomen auctoris notauerat, vt sibi exempla illius duodecim imprimi serico curaret, quæ filio Principi, vni ex Reginis, & ornando palatio destinabat; verum Pechinensium Typorum cùm alter casu fractus, alter esset penes Lingozuonum tunc longè absentem, recepit Riccius intra mensem, aliam se Regi editurum multò ampliorem; Rex eius aut sumptui aut labori parcens, eam ipsam à suis sculptoribus iussam Typorum cidi exemplis innumeris, toto regno dispertit. Hinc noua Riccio summæ sublimioris incrementa, & gratulationes Mandarinorum Principum, quibus summum bonorum erat Regis approbationem meruisse, quàm se vnà promeritos putabant cum Riccio, cuius nomen, & decora suis in Geographicam tabulam proœmiis, & elogiis ornarant. Gaudebat in Sina, & Deo gratias agebat Riccius, quòd hæc denique in eius honorem omnia verterent, de quo & eius Ecclesiæ toto orbe diffusa memoriæ, multa descriptionibus locorum interseruerat quæ alio, dicto

aditu penetrare ad Regem nunquam potuissent, & prospiciebat si minus neganti Vanhié, successorum saltem cuipiam profutura.

Quamobrem hæc etiam tàm læta amicissimum sibi latere noluit Lingozuonum; persuasítque illi multis in aulam regredi & Regionis vnius regendas vrbes quæ deferebantur suscipere; cuius Præfecturæ dùm à Rege diploma Pechini operitur, quadrimestrem dedit in Geometricis Riccio operam; in qua quotidianas scholas, dexter & caritate habili Magister, à Mathematicis inchoatas, Theologicis claudebat, vnde simul acutus ingenio & iudicio præstans discipulus, percepta facilè Dei notitia, erat illi tunc nomen daturus, nisi perplexo illo multarum coniugum laqueo teneretur. Sed iuuabat nihilo segniùs Riccium in quæstu animarum, suæque in primis familiæ, in qua duos habebat excellentis ingenij iuuenes propinquos, professione Literatos, horum alteri dæmon vaticinatus nascenti fuerat fore Deorum Sinensium, in paucis cultorem eximium, & verò tàm miris à puero & inusitatis modis vaticinio respondebat, vt celebraretur nomine sanctitatis. Sed enim haud priùs Christi Dei fœlix illi affulsit radius, cum dementem illam suam pietatem in eorum detestationem odiúmque conuertit, solitus deinceps seipsum pudore obruere, si quid minùs ardenter, atque industriè pro Christo præstaret, quàm olim pro dæmone. Patrem quoque suum Lingozuonus Deo mirabiliter adspirante, paucis argumentis ita Christo addixit, vt congesta in fascem simulachra haud difficiliùs, quàm, (quod ipse aiebat) veteres calceos à se proiiceret, sed amplæ illius familiæ tam fausta mutatio, nihil prodigiosiùs habuit locuplete viro & nobili, suis propterea penatibus impensè obstrictus, quod multa se crederet illorum beneficio assequi; vnde auro, argento & gemmis, subinde illorum in ventres coniectis satagebat illos retinere sibi propitios, & eorum fauorem emereri, qui mos Sinis est sacer, & sacra sunt omnia quæ iactantur in idoli cauum velut in idoli viscera mutarentur. Multi quin etiam dum iuola finguntur, ex rebus cuiusque generis, optimi aliquid eo cauo concludunt, aiúntque ex sua, nescio qua, Theologia, idoli intelligentiam, illa naturarum ex vniuersali communione & varietate consistere. Cœterùm is de quo cœpimus, adulter, perfidus, iniustus, vita erat in Deum & homines qua dici aut fingi detestabiliùs nihil potest. Dumtaxat illud retinebat ex genio Sinarum quod erga parentem decrepitum intimè afficiebatur omnique labore, & sumptibus, eius voluptati & desiderio studebat, paratus, caducum illius senium, exhausto, si posset venarum suarum sanguine reparare, qui naturæ, ac gentis instinctus, misero salus fuit; audiens enim apud herum suum Lingozuonum de vita immortali quàm Christiana lex suis certò spondebat sequacibus, statuit omninò fore se in patrem, impium, nisi hanc illi pro viribus curaret, ratúsque se ab illo æquiùs auditum iri quàm alium, Christianismi rudimentis excolendum se Patribus obtulit, ipse quidem de lege haud magis quàm de vita mutanda cogitans, sed parenti

Conuers. insign.

110. Ventres idolor. auro, & gem. impleti.

solùm sollicitus, volénsque memoria complecti quæ illum esset illicò docturus; verùm illa dum animo versat, & frequenti memoria recolit, hærere, admirari, probare, deperire, & ex Magistro quem parenti formabat, dare se Christ discipulum: nec fuit voluntas Christianismi fixa & solida, tardior catechesi: diuinæ opis supra omnem modum inusitata vi roboratus, idola omnia ad Patres transmisit; & amicæ adulteræ æternum nuntium remisit, quæ verso in rabiem amore, cùm nec blandiens nec rogans quicquam ex eo emulceret, iurauit se nocte intempesta, apto ad fores ipsius laqueo, fauces propria manu elisuram; quod is Deo fretus, quicquid inde aut illi, aut sibi venturum esset mali spernens, domo illam abegit; puellam quam emerat in futuros amores, parenti dono restituit. Sed initiatum magnificè Christi baptismate, & Lucæ nomine insignitum, noua exercuere certamina. Condicunt inter se ingenti numero Ethnici vt illum enormi immanium criminum obruant accusatione; submittunt amicos qui hoc illum metu reuoluant in idola; & minentur vitæ ipsius anteactæ infamiam præiudicatam fore probationem illorum scelerum: verum eo ardore pietatis ita de se illis, & de Christi lege satisfecit, vt qui ad eum euertendum aduenerant, ab eo edocti sapere meliora, ad suos redirent, eorúmque nonnulli, Christiana sacra, quæ in illo suspexerant, postularent. Tantumdem illi cum sodalitate quadam Ethnicorum cui præfuerat euenit; defectionem ab idolis cuius illos grauiter pudebat malignè vlturi, repetundarum actionem in eum struunt; & Christianorum in sectam transfugisse, ne quis suos in vsus auerteret sodalitatis pecunias redderet: quamobrem Patrum consilio innocentiam, defensurus die quodam in frequentem illorum cœtum subit, quantò improuisus, tantò magis acceptus, quod Christi pœnitens, putaretur idola repetere, illic de se primum suáque inter illos ratione omni pecuniaria diluit quæcũque poterant malæ fidei suspectum facere; tùm de Christi lege cui se adiunxerat progressus dicere, tanto rationum, verborum, & ardoris imperio egit, quem eius in ore maiorem humano cernebant attoniti, vt plus media pars auditorum subsequeretur abeuntem, & accenseri peteret Christianis. Sodalitatem quin etiam domi suæ instituit, cuius formam, & leges & ex Deiparæ Natali nomen accepit a Riccio, qui dies Septembris octauus anni 1609. solemnitatis sacris in regno Sinarum principium dedit. Fuit huius sodalibus primæ cuiusque Lunæ Dominico conuenire, audire Patrem de rebus diuinis; interrogare de dubiis; partiri vices piorum operum quæ quisque esset ad sequentem Lunam obliturus, ex quibus largitas in egentes, maximè verò in splendidam, etiam pauperum sepulturam, existimationem virtutis Christianæ magnoperè auxit. Lucas autem quà cœperat pergens, plus centum Ethnicos religioni veræ lucrifecit, in quibus omnes suos, & decrepitas senio matronas, post exhaustas, & vires, & nummos, & ætatem in simulachrorum dura & stolida seruitute. Monstrabatur in his præ cœteris, velut ostentum diuinæ gratiæ Literatus, quòd

111. Prima sodal. B. V. inter Sinas.

quòd paulò ante idolorum seruus, cum parta laude falsæ sanctitatis ita deliraret, vt vniuersi protodidascalus cœlum se tangere præferret, mox de Ethnico Christianus, de se alius planè videretur exortus; nihil eò modestiùs, affabiliùs, demissiùs, & alieniùs à pristino intolerabili tumore: tam læta multorum conuersio exaggerabat apud nos aceruum idolorum; nec adduci quisquam opificum poterat, vt metallis fusa contereret; fornace itaque nostris in ædibus vt potuit extructa, fausto Christianorum plausu in eam coniecta sunt, & diuinitate posita natiuam massam receperunt. Demùm his Pechini Christianis, cum sexaginta foris accepissent, quadringenti fuere; futuri alibi multò plures, si forent ad manum à quibus iuuarentur: nam ex Prouincia Honana Hebræi duo ad petendum sibi baptismum aderant, & accersendos in patriam nostros, vbi rituum auitorum onus, & contemptum pertæsi plerique in Christianos libenter essent transituri. Mandarini quoque in varias vrbes suis ad Riccium literis nostros aduocabant, vt sibi explicatiùs traderent, quæ datis in lucem libellis adstrinxerat, quo suos pariter igne incendebant qui fidem Pechini Christianam professi ad eos redibant; sed nefas erat paucos illos quos secum habebat fructuosissimè occupatos aliò abstrahi. Factu procliuior Nanchini res fuit, quinque illic de nostris agebant, quos Paulus Doctor inuitauit ad inferendam Sciamhaiæ patriæ suæ lucem, quod macris initiis, spebusque præstitum, in felicissimos exitus euasit.

III. Pauli Doctoris patria excolitur.

Sunchianum vrbs est primaria vnius ex regionibus quæ Nanchinensem Prouinciam, quatuordecim numero componunt, dittátque Nanchino milliaribus centum quinquaginta: Sunchiano Sciamhaia subiacet, angusto vrbs ambitu miliarium duorum; & æqualibus fere suburbiis, familiarum tamen censet millia quadraginta. Planus ager, in omnes delitias & culturam ferax, viginti fere non excedit leucas, & capit, alitque capitum millia trecenta; gentem si qua vsquam in regno pecuniosam, & diuitem, ex soli vbertate, & gozipij copia, quorum Regi tributum pendunt, aureorum millia quinquaginta; saccos totidem orisæ; laborati gozipij tantùm vt fidem superet. Scribunt aliqui Sciamhaiam in sua ditione textorias machinas habuisse decenties mille, P. Cattaneus diu eius incola solùm trigesies; Antonius Gouea, tota vrbe nentes occurrere, non ex colu, sed rota, pede versatili quæ fusis tribus fila tria torquet, & suggerit, puer habilibus digitis, celerrimè, vnus in tres fusos circumuoluit. Sed samaiæ laus Princeps ingeniorum felicitas, hinc illi virorum illustrium, & Mandarinorum, proles innumera, & quod consequens est, turrium templorum & arcuum magnificentia, in quibus emeritas illorum gubernationes, & decora mirantur posteri. Hanc ingeniorum temperiem, cœli purissimi bonitas efficit, auræque salubritas, quæ semium differt in annos octoginta, & subinde centum sed hanc cœli & soli faustitatem misere interpellant latrocinia Piratarum, qui ex obuersa Iaponia non

rarò illuc armati irrumpunt, & timiditatis Sinarum conscij, omnibus præda nauibus, impunè recedunt. Hæc fuit Paulo Doctori patria in hanc vti Pechino se recepit ad triennem luctum defuncti parentis, nihil antiquiùs habuit quàm vt omnes si posset boni secum eiusdem consortes faceret, & Christo fide obstringeret. Atque ab lare principium ducturus, Cattaneum pridem sibi amicum à Riccio impetrauit, & per se Nanchino petendum, deducendúmque honorificè Sciamhaiam, dierum septem itinere suscepit, ad conciliandum illi apud suos nomen; quod dùm sedulò parat, intimo sibi Literato adesse vomitione sanguinis inopina prostrato cogitur, consummptáque iam omni medi orum arte, curandæ illius animæ diligentiam omnem applicare. Ad hoc festinatò dùm P. Cattaneum per honorarium familiarem suum accersit, ægrotus moritur, sed inter magnos fidelitatis erga Christum, & doloris ex vita præterita affectus, vt illum Paulus docuerat, interque assidua cum Virgine matre colloquia, cuius effigiem ad vltimum halitum manibus tenuit; his itaque lachrimis & desideriis baptizatus, animum cùm efflasset Christiano funere est elatus.

Sciamhaiam Cattaneus ante Septembrem non appulit, anno secuti octauo: dúmque domus instruitur ad quam liber esset plebeiis aditus, in Pauli palatio triduum substitit, magna suspensæ ciuitatis expectatione. Oscianos præsertim & Taosios, mysteriarchas idolorum angebat ventria cura, & inopiæ metus, si Dei vnius peregrini, cultum vnum & legem sequeretur, patriorum Deorum desertio quod ex Christianis defuncti Literati exequiis futurum præsensérant, ad quas minimè vocati, stipe quoque de more, ex iis sperata caruerant. Cauturi ergo in posterum, communi consensu in populum vulgant quicquid de cætero lex illa noua ex magno portenta occidente ferret; hoc scilicet vno Regni leges, & naturæ violare, quod pietatem filiorum à colenda iustis funebribus parentum memoria arceret, quæ res ita perculit non paucos vt eos à Cattaneo audiendo prorsus auerteret, effecque non mediocriter sudandum ad eximendam illis tàm illustris mendacij fidem, post quæ non modo præcones idolorum, ne parùm vrbani viderentur, honoris gratia Cattaneum adeunt, sed ipse quoque Taosiorum Præpositus, qui magnam illius, & eorum quæcumque docebat venerationem aut simulauit, aut verè credidit. Nobilium verò, Literatorum & populi excipiendis vrbanitatibus & reddendis ea per bimestre assiduitate oppressus est, vt diuini officij pensum, & quantulamcumque corporis sui curam in noctes reiicere cogeretur; verum hi concursus, magnum dogmati Christiano conflabant nomen; maximè postquam Gubernator cum toto Magistratus sui, & aulæ splendore, insignibus, & pompa illum visit, & donauit egregio munere, significatione reuerentiæ singularis, & amoris tanta, vt percrebruerit Gubernatorem esse, vel fore quamprimùm Christianum. Eorum autem quæ illic biennio gessit Cattaneus mensura, non est numero æstimanda capitum

pitum ducentorum quos ab dæmonum simul chris ad Christum tradu. xit, sed ex soli totius tàm apta ad frugem comparatione, vt fœcundo partu Christianorum viginti millia postmodum numerarit. Notat quidem ipse messem sibi haud paulò largiorem futuram, si sibi à prima eius agri cultura, ille de nostris fratribus Sinensis, quem sero tandem obtinuit, venire subsidio potuisset; aut committi hoc munus vni ex quatuor Sinis tironibus qui Nanciani instituebantur sed præstabat illos legitimo tyrocinij biennio Societati se probare, & magno contemnendi sui, obedientiæ, interioris culturæ omniúmque virtutum commeatu præmuniri ad pugnas, & difficultates actuosæ operationis, tuto, & fortiter cum Dei gloria, & Societatis honore subeundas; præterquam quod vrbem & vicos percursans non cuiuis, tingendum caput ingerenti statim baptismum infundebat, bonos malebat Neophytos quàm multos; tales esse optabat, qui motum præstantia fortiùs, quàm ore concionatoris, Christi causam apud perditissimos Ethnicorum prosperè perorarent; possentque vt erant à nostris dissiti, se solis, in proposito stare, & crescere: quod se consecutum fatetur ipsemet, multósque Literatos, à veritate Christiana quàm clarè perspexerant, debilitatis suæ conscientia diu auersos, conuersione parium ad eam animatos, nec dubitasse vitæ puritatem, quam iis tàm facilem Dei gratia fecerat, sibi quoque pronam, & iucundam fore. Ex iis verò ducentis quos Christo subiacerat nonnullos habuit eiusdem secũ præclaræ operæ consortes strenuos. Siuzaius iuuenis in patriam redux, inde mox quinque pariter Literatos ad Cataneum adduxit, cum donis, quibus iubet vsu firmata lex ducendos Magistris se tradere; Docendos comiter suscepit Cataneus; dona, & titulum Magistri tantoperè illic glorioſum modestè reiecit, quæ prima iis fuit prælectio sanctimoniæ Christianæ hòc efficacior, quò minùs expectata. Senex annos natus supra octoginta, breui baptismo ad eum rediit ingenti suorum stipatus agmine filiorum, nepotum, & omnis ætatis consanguineorum quos legem diuinam persuasos, baptismo similiter sacrandos adducebat. Alium annos duode-octoginta vertigo insana circumegerat per omnia studia Theologiæ Sinensis, & professionem omnium sectarum; inquietum semper, omniúmque incertum & anxium, audito Cataneo sic plenè acquieuit, vt ex discipulo repentè, præco fieret Christi; & pro peritia omnium doctrinarum, quarum delectum nemini meliùs quàm illi competere fama erat, magnos motus cieret animorum. Alium eiusdem ætatis, Doctori Paulo debuit Christi fides; amentem Deorum suorum studio, nec vltra ferentem coram illos quotidiè cremari, ardor audax inuasit, exprobrandi Paulo per literas religionem peregrinam; & antiquæ prudentiæ memorem ad relicta idola reuocandi. Temeritati hominis, & mordacibus literis, Paulus tanta conditas lenitate, támque nihilominus pro lege Christi forte reposuit, vt pudore illum suffunderet; post verò inuisens graniter ægrotantem, ea non fictæ beneuolentiæ comitate quàm nouit caritas Christiana,

113. Quanti sit tirones Soc. biennio probari.

114. Conuertend. studium.

stiana, totum sibi addixit. Aggressus itaque de vita colloqui curta, & fragili quæ illum incipiebat deserere, tùm de immortali quàm spondebat fides Christiana facilè permouit vt vellet Catanеum de illa audire. Adest, docet, errores eximit, satisfacit dubiis, ritè, piéque comparatum baptizat: inde ad supremum spiritum nulla præter hanc bono seni in ore vox fuit. Domine cœli adiuua me: quàm si vitium defectus, aut mortis proximæ interciperet angor, iucundum aspectu, puerulus non ium cathecumenus eius nepos, refricare illi eius memoriam, suggerere vt cœli dominum quem illi Catanеus demonstrarat in auxilium vocaret, illi confideret, eius clementiam poscеret. Miris alij modis, &

115. Mirac. pro fid. supra naturam illustribus non modo ad fidem adducti sunt, infideles ad summam illius admirationem. Moribundis sacro baptismate, restituta est valetudo, & fuit qui huius remedij magnitudinem veneratus, vitam omnem templi obloquio dicaret. Circumlata ægrotis, & adorata crux; complures, & sanauit; & ab infestationibus dæmonum liberauit, etiam Ethnicos. Eas passa diu erat quæ Sciamhaiæ prima baptismum susceрit, nec erant ab iis immunes domestici; sed vexabant crudeliter miseram, & inhibito cibi vsu in tabem emaciauerant. Taosios omni cantionum suarum consumpto choragio irridebat dæmon, & cum funalibus incantatis, candelabra humi ex altari proiecta dissipabat; vnum erat leuamen feminæ infelici, baptismum promittere, crucis signum formare, crucem à Catanеo accipere; his procul adspectabili specie in domus atrium abigebat cacodæmon; mox ea cum viro sacris vndis ablota prorsus euanuit. Seniculus denique, quàm rei egenus, bonæ animæ tàm diues, & reuerentiæ erga Dei matrem, narrabat se illius rosario, vbiuis recitando, recitabat autem ferè perpetuo, odore eodem perfundi solitum qui diuini sacrificij tempore sacellum vaporabat.

Expleto Sciamhaiæ biennio, & Doctoris Pauli grandi familia Christo integrè adiuncta, vocatur Hanceum Catanеus, Cechianæ Prouinciæ vrbem primariam, vt nouam illic (de qua suo loco) statueret Christianitatem; sed ante Nanchini crescentem feraci propagatione, & magnis virtutum progressibus reuisit quos vetat prolixitas recensere, argumento sint vel hæc duo; vilis opifex, & illiteratus, idololatras viginti ad Patres perduxit, sui fructum cuiusdam sermonis, quem Deo dictante cum iis habuerat, dùm aduerso amne simul nauigarent. Mercatorem

116. Nanchini conuers. &c. ex quo mercium æternarum, fide monstrante, pretio captus est, terrenarum omnium piguit, in illarum amorem exinde omnes incendere; de illis assiduè audiri & alloqui, & diribendorum venalium occasiones atque itinera in ministerium Apostolicum vertere, cuius ad Patres gaudens subinde fructus reportabat; Literatis interea, perspicacibus, doctis, verique intimè conscіis, & laudatoribus, suo in cœno turpissimè, lethalitérque hærentibus. Iam ex illa cum Ethnicis continua Christianis de rebus concertatione, illi discebant Christiana; isti altiùs animo imprimebant. Fuere qui mallent verbera, & mortem perpeti, quam

sacras

sacras imagines contumeliæ Bonziorum permittere. Fuit qui mori potiùs elegit, quam igni catecheseos libellum tradere, & sacrilegij præmium remedium capere quo morbum depelleret. Fuit qui filio periculose laboranti, superstitiosam medicinam præberi renuens; saluum tunc, post paulùm valentem recepit. Fuere denique qui crucis præsidio, atque imperio de morbis, & infestatione dæmonum triumpharunt, etiam in gratiam Ethnicorum: ad hanc porrò virtutem, & existimationem fidelium duo potissimum contulere. Vnum Sodalitas Reginæ Deiparæ, eiusdem cum illa instituti, & legum quam stabilierat Pechini Riccius: alterum iliæ animorum catharticæ meditationes, ex quibus S. Ignatius primam composuit Exercitiorum hebdomadam: his inter alios, redditus sibi est, Chiutainus ille Ignatius, toties nobis dictus, cui ex veteri iuuenilis vitæ licentia, & vaga frequentatione virorum principum qui eum vbique ob ingenij gratiam deperibant, obreperat denuò suum illud antiquum conficiendi auri delirium, & ambrosiæ potionis retrò acturæ senes decrepitos in ætatem floridam, & robustam. Huius de se & Christiana re toties, támque magnifice meriti, Patres vicem dolebant miserrimam, eúmque à Deo enixis precibus postulabant, cum spiritu actus rediuiuo quem diu oppresserat Nanchinum venit repetiturus apud Patres, neglectam animi sui curam: illic post aliquot contemplationes, confessionem peccatorum à baptismo ductam diligenter parat, obitque de genibus tametsi recens ex morbo debilis, & vetat rogans, aliter à Patre quam reum à iudice compellari: sub hæc instaurati propositum animi, scriptorum incendio firmat, quæ de metallica, æuique immortalis conflatura magnis pretiis emerat: nec sibi aliud residuum facit præter æternorum memoriam memoriam sensuum, quos pia conceptos meditatione, scripto sioi priuatim consignarat, ac ne in pristina chemices, & miscendæ immortalitatis relaberetur delitia, tanta illum Deus æternorum bonorum corroborauit fiducia, vt mortem quam exhorruerat, placidè expectaret: iuuit hanc eius renatam pietatem Pauli Doctoris Nanchinum aduentus ad consolandum Mandarini, sui olim Magistri, ex defuncta coniuge dolorem: pridie Natalis Christi sub noctem appulerat; parabantur illi gestatoria honoraria in sequentem diem; ipse à sacris solennibus & cœtu fidelium ne abesset, pedes viam difficilem, & niuosam ad nos tacitus fecit, quod il ic in viro eius dignitatis prodigium quoddam est; multò verò maius, cum sacris inrer Christianos promiscuè adfuit, qui vix alioqui ausi essent in eum intueri. Postremò vt moras quas erat Nanchini facturus, piis de Deo colloquiis tranquillè occuparet diuertere apud nos voluit, reiecto palatij regij, aliorúmque hospitio quæ illi fuerant à Mandarinis præsidibus certatim delata: quod idem præstitit post triennem luctam paterni funeris Pechinum rediens; imò nec visit quemquam honoris gratia, nec visentes admisit, quanquam vniuersus Literatorum Ordo ad eum salutandum splendidè se pararet.

117. Chiutaisi doctr. absoluta conuers.

Inter

Et alterius insignis viri.

Inter centum ferè, anni huius 1609. decursu residuo in Ecclesiam adlectos, memorandus est eminentia dignitatis, & fide latiùs proferenda Mandatinus, quatuorvirum vnus qui eius aulæ cancellarij sunt, & quorum iniussu, nulli possunt ad Regem libelli penetrare. Hic fecat semper literarium, & recti multum amans gaudebat nostrorum consuetudine, sed insinuantes aliquid de religione subtili nisu aliò flectebat, non satis validus ad declinandam vim dogmatis Christiani; nec ad spernendas illecebras Ethnici, moderatè tamen premebat animum Christianis infensam principiis, Riccio præsertim, animorum immortalitatem asserenti, quam is pertinacissimè negabat. Vagnonius vt viam iniret minimè suspectam hominis capiendi quæ fermè vna bellè processerat illiciendis ad Christum Literatis, Mathematicam adhibet curiositatem; dono ad illum mittit armillarem sphæram, & geographicum terrarum abacum, quæ is tanti fecit vt veniret per se gratias acturus, ac dùm manus dilaudat, miraretur inuentum scientiæ duplicis sibi eatenus ignotum. Hic datum sibi aditum occupans Vagnonius, inuertum illud ingenij eleuare; otium vocare Mathematicæ ludentis; & oblectamenta ingenij; seriis fatigati; attollere alia quorum illi admirabilitas excelsitate argumenti, certarum pondere rationum, & quod præ omnibus interest, salutis sibi asserendæ indubitato præsidio, secura illi esset maior & gratior, si non grauaretur aurem iis alterum præbere; de Deo videlicet, de animo eiusque natura, & fine in quem est conditus, de virtute minimè adumbrata, de exceptura vitam hanc fragilem & breuem, sempiterna beatitudine ac vita, in quibus Christiana ingenia contentiones suas decretorias haud paulò acriùs, & diutiùs acuunt quàm in crepundiis Mathematicorum quæ parùm aut nihil perfert qualia sint ad negotium salutis: non posse virum, vt erat sapientissimum, hæc indifferenter, & cum obuiis curis promiscue habere, nec decere causam Christianam inauditam damnare vel odisse; postquam de illa cognouisset, fore in eius arbitrio, rationes illatas suo merito æstimare. His, Deo animam Mandarini, attemperante suasionibus Vagnonio assensit non inuitus, & Catechismum Riccij quem præoccupatus erroribus ante decurrerat, cœpit tunc sedato animo relegere, suúmque capitibus singulis, & probationibus momentum tribuere: accepit & à Vagnonio quatuor eius libros de Deo, de Anima, de Peccato originis, de vita & morte Saluatoris Sinensi stylo elegantissimo, quibus iam liber à præiudicatis affectibus, facilè victus est, & expugnatum se Vagnonio dedidit. Restabant duo reuellenda, quæ tenaciùs hominem, communi Sinarum væsania stringebant. Ars vitæ in perpetuum proferendæ; & ominatos pro futuris vel inauspicatos agendorum articulos legendi: quod illi vtrumque Vagnonius quam esset noxium & inane probauit. Sed condicenti iam baptismi sui diem, adsunt ex patria nuncij, incursionem narrant Iaponensium Piratarum, paternam ab iis eius domum redactam in cineres, cum imaginibus antiquis

antiquis maiorum illustrium, quibus Sinæ nihil ducunt seruántque chariùs : dolenti iacturam irreparabilem, Nanchinum superuenit, facinorosus Necromantes, promptus propriâ manu vultus omnes auorum ex omni memoria veteri repetitos, ad viuum reddere cum subscriptis eorum nomnibus, quæ arte quadam sua ineffabili indagabat. Mox scelesti circumforanei Mandarino defertur, & venditatur ars : cruda planè, ac potens sollicitatio, sed auxilio minor quo Deus illum obarmauit : responso Vagnonij, & argumentis doctus pugnare id cum sancta lege, confestim acquieuit, illóque inde fumosos honores in familiam suam redituros libenter Deo consecrauit : breui posteà missò insigni ad Patrem munere illum sibi adsciuit in Magistrum, Remisso Vagnonius Magistri nomine ac dono, Christi effigiem quam optarat, ad cum ferendam cùm dedisset ; augusto Magistratus sui habitu venerandus processit obuiam, & longè incœptas, fronte humi summissâ corporis proclinationes, crebro iterauit, nec diu exindè baptismum distulit, in quo illi Ioannis impositum nomen, tantúmque animo infusum voluptatis, vt non ambigeret quàm dulci hospite frueretur. Post quæ beneficij vt aiebat incomparabilis gratum Vagnonio animum testaturus, pannos iussit ad eum ferri lectissimos, & pondus argenti non leue, quorum humili recusatione, tùm ipsum Patrem, tùm Christianam sanctitatem reuerentiùs æstimauit. Euolutis demùm aliquot mensibus, cùm ad matris funus domum repeteret, eíque Vagnonius aliquamdiù itineris comes, multum suggereret, ne quid in eo celebrando superstitiosum pateretur : vel hinc ait, videto, quantùm mihi Christi lex cordi sit, quod hunc diem ad iter propterea legerim, quia illum arioli, & calendarum Sinensium tabulæ, si quem alium in anno, infelicem canebant, & periculosum. Prospero tamen vsus itinere, statim vt patriam attigit, dedit ad patrem literas diligentes quibus ab eo aliquem impetrauit ad propinquos, & ciues diuinis imbuendos. Iam nostra ex duplici ad meridiem statione, Christianos mille censebat Nanciana, & quosdam virtutis exquisitæ. Sciaocensis contra retrò defluebat quoad demum stirpitus interiret, ex implacabili Cantonensium odio in Christi legem, & suspectam semper viciniam Lusitanorum Macaensium de quo erit infrà agendum, nunc mortem solùm Tedeschij perstringo quæ hoc sæculi huius anno nono Sciaocei contigit. Fiuizzani natus Bartholomæus Tedeschius, ditionis Florentinæ agro, Romæ dabat apud nos studiis operam, cum fortè incidit vt recens editam legeret, de Indis quibusdam ad idem conuersis Epistolam, vtque erat mente ad motus cœlestes docili, exarsit vnâ desiderio illius heroïci muneris, & Societatis, in quam anno ante hoc æuum quarto, Nouembris sexto adscriptus est, annisque inde vix quatuor post Philosophiæ decursum in Indias appulit, quas exorauerat à Præposito Aquauiua. Illic sua statim cum ingenio virtus, & circumspectissima comitas, probarunt illum ad Sinas idoneum, apud quos peracto inter magnos labores septennio obiit. Pri-

118. Tentatio, & constantia magni Neophyti

119. P. Tedeschij vita, & mors.

die quam obiret, petita ex nostris qui adstabant, & per eos ab Societate errorum venia, schedarum fasciculum Longobardo tradit, rogatque ab eo seorsim perlegi, & acceptam ex iis sui notitiam referri ad confessionem generalem, qua paulò post expleta voce defectus obmutuit. Erant hæc schedia nævorum minutiæ vel vmbræ, quos in eo tirone notarant olim tirones socij; ipse ad annum iam quintum decimum sua manu scriptos asseruarat; adiunctæ iis erant obiurgationes quibus acerrimis, morsúque intima non simulato carpentibus, seipsum publicè incusarat, vt ex his subindè ad oculos reductis cupitam duceret emendationem. Postridiè, Iulij vicesimo quinto, ex deliquio paulùm recreatus, & postremis procuratus sacris, minùs horarum duarum spatio animam efflauit: Manuel Diaz, & Hieronymus Rodriguez celebratis Sciaocei iustis funebribus, Macaum cadauer in nostrorum sepulchra extulere. Sed videri mors consolabilis hæc potest ad incomparabilem iacturam Matthæi Riccij quàm anno proximo passi sumus. Scribunt omnes oppressum, laborum pondere supra vires, vitámque suscepto. Linguæ, scriptionis, & Philosophiæ Sinensi præceptiones nostris tradebat quotidiè; Mathematices verò Patri Sabatino de Vrsis, & quatuor Mandarinis; scribebat annorum quinque & viginti fusam sua ipsius manu quam habemus Ecclesiæ Sinensis historiam. Respondebat literis quas absque numero à doctissimis vndique Mandarinis accipiebat de Deo, & diuinis, de Matheſi, de scientiis Europæis, & quæstis interdùm maximè perplexis, idque ea styli, doctrinæ & sententiarum accuratione, vt si (quod olim contigerat) suas omnes epistolas essent in publicum missuri. Ad hæc nostrorum in Sinis Præfectura innumerabili dubiorum, & calamitatum, iactatione distracta. Sollicitudo gregis Neophyti, quos complectebatur teneritate paterni affectus, pauperes iuxta vt diuites, cuius ipsi optimè consci, nullam eius legebant adeundi horam, nullam ipse sibi aut incommodam sentiebat, aut excusabilem occupatione: accessit & fabrica ædis sacræ Christianorum iam multitudini debita, eius designatio, & opus ex Europæ architectonices depromptum canonem, ac licet templis regiæ illius ciuitatis longo inferiùs interuallo, sed nouitatis, artisque præstantia totius aulæ promeritum admirationem, quam auxit etiam quod ei operi interceſſit nemo, etsi nullam haberet, aut peteret à Præsidibus Rituum eius ædificandi facultatem, citra quam nefas est cuipiam templum Dei extruere. Sed æquè nihil eius valetudinem vexauit, & attriuit, vt intoleranda vrbanitatum officia quæ ipsi pro fama qua vbique splendebat, & multis, magnisque amicitiis necessariò incumbebant tùm excipienda, tùm reddenda. Ego (scribebat paulò ante) ex aula nostrorum ædium vbi adeuntes perpetuò mihi excipiendi, sunt vix recedo nisi ad obsequia eadem octo & decem milliaribus, iis reponenda. Verùm hic annus 1610. multiplicatis nullo fine ac modo eiusmodi ciuilitatibus lethalis illi fuit. Nam Literatorum ad examen pro Doctoris laurea subeundum ad quinque millia; cum Mandarinorum millibus

120. Riccij vita, mors, libri, &c.

totidem concurrerunt ad throni regij venerationem, quorum erat nemo qui nollet esse aut Riccio notus, aut eum agnoscere; quare continuatis domum nostram visentium agminibus sic obruebatur, vt verni ieiunij tempore subducere se ad paucillum cibi raptim cœnæ loco sumendi non posset, nec sustinebat pro sua modestia transferre illam in seram noctem, ne quid vsurparet singulare, aut ministrantibus se molestum præberet. His in speciem lætis, re ipsa cruciabilibus fatiscentem confecit penitùs morbus Gubernatoris Lingozuoni qui tunc Pechinum ad thronum regium cum aliis venerat, & magnus pridem Riccij admirator suam hic item erga illum constantem prodidit benevolentiam, dùm ex Mandarinis præcipuos quosque ad eum pellexit vt cum iis amicitiam necteret: ægrotus verò ferre non potuit vt ab suo latere abesset. Nec poterat quicquam optabiliùs Riccio venire, quàm vt viri magni amori intimo hanc referret vicem, & morbi vrgentis occasione nodos abrumperet, quibus eatenus obstrictus, Christianismi propositum periculosè differebat, id vbi obtinuit, incredibili vtrimque gaudio, aquis lotum vitalibus Leonem nominauit; sed, nisi de cœlo, videre non potuit quantus hic Leo per annos viginti, quibus superfuit, Christiani defensor nominis in aduersarios illius assurgeret. Nam aliquantò post, vicinæ mortis prænuntio ictus est, dolore capitis, cum salutandi officio perfunctus à Mandarino sibi amicissimo rediret, significauítque id Patribus, quibus alioqui nihil noui minabatur is dolor, quippe illum crebro tentare solitus. Sed ab iis dùm facta dictáque ipsius cum euentis componunt intellectum est, eum de supremæ horæ propinquo aduentu diuinitùs monitum; hanc ille duobus præuertens mensibus, ad Societatis exercitia secessit; Patrem animi sui intimè conscium rogauit, vt pro mutua fiducia sibi adnotaret quicquid in se seruasset etiam leuiter culpandum, aut minùs perfectum, quandocumque demùm temporis potuit occupationibus suffurari quibus distinebatur grauissimis, id omne precationi dedit. Nondùm ex morbo decumbebat cùm Patres alloquens de stabilienda inter Sinas Societate, Christique præconio, sibi quidem sollicitè omnia circumspicienti, nihil ad hoc visum affirmauit, morte sua conducibiliùs: quàm Patres cùm ex oppositio dicerent omnia potiùs ante diu sudata, in exitium tracturam. Ille futuri, vt tandem patuit, sapienter præsagus; Sinis, ait, quantumcumque nos ament, nunquam esse suspecti desinemus affectati eorum imperij, proin mille nos oculis vbique obseruari, vt qui scientiis peregrinis, & religione decenter vteremur, ad perueſtiganda omnia Reipublicæ arcana, deferendáque ad Europæos, qui essent sua ex iis consilia, & molitiones contra regnum mensuri. Mei quoque illam tanquam extranei graueolentiam sibi tantoperè odiosam nondùm discutere potuerunt, in procinctu semper ad Macaensum reditum arbitrantur, etsi annos septem & viginti cum iis exegerim: suspicionum chimeras difflabit mea mors, ex ea intelligent venire nos

in Sinas habitatores non hospites ; nec reportaturos eorum aream Lusitana; sed hic vitam & ossa relicturos. Hæc illi quàm alta dicteret prudentia, concordi monito Mandarini duo amici veteres, & fidi confirmarunt, vnus ærarij Regij Præfectus, alter capitalium Cognitor in Prouincia Cantonensi, nempè à quouis indicio vel vmbra se quam longissime abstinerent communicandi quicquam cum Macaensibus; nec magis eorum meminissent, quàm si prorsus extra mundum forent, contra in hoc omne studium conferrent, vt magis etiam animo quam cultu Sinæ crederentur quorum inter se iurgantium, nullum esset conuitium, grauiùs quàm, tu Macaum pergis; hoc est extraneum, & proditorem oles: adeunti nihilominus Riccium Sabatino sub accessionem primam febris, & interroganti, quid valeret; ipse mortis securus; mecum ait, ipsemet altercabar, nùm esset æquiùs, gaudere me laborum fine, & sperata in Deo quiete; an Patrum meorum Fratrúmque suauissimorum dolere iacturam, interque pericula, & ærumnas destitutionem : verùm ex iis quæ prouidè decreuit pro stationibus quatuor quas in regno nostri obtinebant, liquet certiùs obitum præscisse. Longobardum enim, in iis regendis successorem sibi sanus adhuc, & valens nominauit, & cartas suas combussit inutiles, alias in duos, de temporariis, & piis collectas fasciculos scrinio conclusit, inscripsitque P. Nicolao Longobardo missioni Sinensi Præposito Matthæus Riccius, eiusdem antehac Præpositus, adeò illi non erat dubium, Præfectura, & vita paucis inde diebus cessurum. Ægrotantem ex templo inuisit archiatrus, ille ipse qui Lingozuonum propè moribundum perlanarat; hic leui, ad morbum quem leuem, catharticam proritatis humoribus pepasmi expertibus, & crudis febrim auxit vehementissimè : inde sex Medici post acrem inter se & longam concertationem, nihil decernunt quod opinantium saltem numero, si minùs argumentis securum, suo quisque seorsum scripto remedio recedit. Plena erat domus, plena ædes sacra Neophytis, gemitu precibus, vt Patri optimo, annos sibi detractos, adderet. Hi Patres anxios in remedij delectu cùm resciissent ex dissensione Medicorum, remedia omnia colligunt ad pedes Crucifixi altari imponunt, enixè à Deo flagitant, vt quod saluberrimum ex iis norat suggereret. Riccio interim serenum animi, & festa quædam alacritas in ore tam grata eminebat vt nec possent ab eo adstantes auelli nec sine lachrimis adesse; ipse continuò alios aliis succedentes blandè excipere. Beneuolè alloqui, nullum frequentiæ tædium præferre, & iam verbis non valens, vultus quodam vigore, & læto manuum motu velut ad amplexum, accedentes supremùm affari. Patres legendo remedio ne quid temerè agerent, ei standum putarunt, quod fama & gradu inter Medicos quos consuluerant præcellens, censuisset: quo tamen nec depulsus morbus nec vlla ex parte inhibitus. Accito itaque Sabatino de Vrsis Riccius, vitam propè omnem anteactam confessione sacra retexuit, in qua Sabatinus infusa cœlitus innocenti animæ spectans

121. Humilitas magnis doribus præfertur ad Gubern.

ctans dona, & gestientis ad mortis occursum lætitiam, iis delibutus est interiùs gaudiis vt scriberet ad Præpositum Aquauiuam, nihil se vnquam tale in vita expertum. Die morbi septimo qui fuit Dominicus etsi latus mutare præ debilitate non posset, vt sensit sacrum viaticum abesse propiùs, lecto se proripit superiori veste rectus, flectit in medio cubiculi genua; confessionem ipse per se ex formula recitat; hinc verbis ad Christum tàm dulci amoris affectu, & delectione sui erumpit vt fletum omnibus vberem cieret. Hora de meridie quarta leui, sed læto proque desirio captus, Christianam rem, & Societatis toto Sinensi imperio ordinabat, quod somniabat Christo mancipatum, mandabat Patribus de splendido ad Regis baptismum apparatu; ornari domum festinatò vrgebat quòd esset Rex quamprimùm affuturus, nempè illi vt olim Xauerio ante annos duode-quinquaginta, in extremis agenti, optatæ recurrebant votorum imagines, ardore desideriorum pridem animo impressæ. Postridie cum ad se rediisset sacro oleo vnctus est; sequenti, qui fuit vltimus vitæ dies, rogarunt Patres vt sibi postremum benè precaretur, quod suo discessu mœstissimis negare non potuit, ne nouum iis dolorem relinqueret: ore itaque supra solitum arridens, sua illos adprecatione impertiit, quod vultus serenum ad mortem conseruauit. Quærentibus verò satisne aduerteret, vbi suos destitueret moriens? Omninò, inquit, in patenti nimirùm multorum aditu meritorum, & laborum. F. Manuelem Pereiram Sinensem, conficientem se coram dolore, & lachrimis, consolatus est promisso, petendæ illi à Deo perseuerantiæ in Societate, vbi, ait, suaue est mori. Sabatinum de Vrsis peculiari ab se formatum cura, & magno labore Sinensibus excultum scientiis, sibi substituit, omisso altero, in aula diutiùs versato; amicis potentibus ditiori; lingaam peritiùs calleute, ardente, industrio; sed minùs humili, motúsque animi non ita domitos gerente, vt eius Præfecturæ poscebat grauitas: qui fuit cœlestis, & sanctæ prudentiæ delectus haudquaquam humanis fultus præsidiis, quæ in alio luculentissime eminebant, sed confisus Deum tanti operis auctorem, adfuturum vberiùs & efficaciùs ad hoc promouendum rectori nihil sibi penitùs, Deo omnia tribuenti. Nostros ex Europa in partem laborum subinde venturos, incredibili affectu, Patrum charitati, obsequiis & amori voluit esse commendatos, vt qui non modo a Patria, suisque omnibus, verum ab Societate quo iammodo, extráque mundum exularent, ex Prouinciarum, & Collegiorum frequentia extorres, & in duorum aut trium contubernium arctati, debere proinde paucos illos inter se ita mutuis officiis colligari, vt si potuissent plures in Collegiis amicos reperire; hic certe non possent pius amoris. His & similibus partim nostros partim Neophytos alloquens, inde versis ad Deum affectibus horam attigit sub vesperum textam, quâ iumentum brachiis in lecto resedit, sumptámque in manus Crucifixi & S. Ignatij iconem pius osculis pressit, fixóque in illas obtutu, & animo, sensim horæ vnius

spatio viuendi finem fecit, nullo mutatoris, aut pallidi, aut moribundi indicio, nisi capite veluti ad summum, placidè in sinum demisso, imò illam, quod mirùm, alacritatem vultus, & quasi arrisum quem eò vsque prætulerat, etiam à morte retinuit: incidit ea mors in diem Martis, Maij vndecimum, annum huius seculi decimum, aut si placet computatio Sinensis, in Lunæ tertiæ decimum octauum, & annum trigesimum Vanlié imperantis. Annos vixerat duodesexaginta; in Societate vndequadraginta; in Sinensi expeditione septem, & viginti. Dici non potest quantò luctu prosecuti sint illum Christiani quantumcumque ab nostris, affectissimis pariter, adlaboratum sit ad mitigandum illorum dolorem, & premendos clamores, ne foras erumperent, nequibant iucundo illius aspectu tanquam viuentis absistere; deprædicabant virum sanctum; Manuelem Pereiram pingendi non penitùs rudem rogabant de genibus, vt dùm mortuo perstabat viuentis speciem eius in tabula vultum exprimeret. Me verò hic admonet officij ratio, vt huic orbi nostro, leuidensè saltem, eius speciem animi describam.

Patriam habuit Maceratam Matthæus Riccius parentes nobiles Baptistam Riccium, & Ioannam Angiolelliam; natus est die Octobris sexto, anno superioris æui quinquagesimo secundo, quo ad portas Sinarum Xauerius obiit, & verò ad eas reserandas, non obscurè portendi ex Sinarum genio quem explicuimus percipi, alterum ex duobus necessarium fuisse, aut miracula Xauerij, aut prudentiam Riccij, cunctatricem esto, & lentam, sed securam, durationi in posterum consuldæ consulentem. Primis literis aspersus anno ætatis nono à Nicolao Beniuegnio Sacerdote, nostróque postmodum Socio; inde operam studiis apud nos dedit ad annum ætatis sextum & decimum, cùm Maceratenses anno 1561. Societatis Collegium habere, tandem decreuissent, fuit enim sapientis illius ciuitatis minùs sapiens timor, ne dùm optimis quibusque suorum filiorum nostra Societas crescceret, iisdem imminueretur, nec frater Eusebius ex sacra Seruitarum familia, eloquentiæ suæ ardore valuit meticulosas has illorum nebulas dissipare, manum operi Deus arcanam admouit; ex consiliariis sexaginta nouem qui de admittenda vel reiicienda Societate conuenerant, suffragia pro se sexaginta quinque Societas tulit. Iámque illa suorum quàm exmuerat iactura, Maceratenses, tùm alias, tùm in Riccio suo, & Mancinello gloriantur, nominantúrque orbe toto; & cum aliorum memoria ciuium, quanquam publicæ rei vtilium, æuum non tulerit; Maceratæ ac longè vbique Riccius & Mancinellus pinguntur, prædicantur, scribuntur, venerationem habent virtutum ingentium, & hereditatis.

Politioribus excultus literis Riccius, Romam ad ius ciuile mittitur, vbi satus primos Societatis ineundæ fouit, maturauitque triennio in sodalitate Virginis salutatæ, quæ in Ro. Collegio florebat, cuius demùm in cœlum Assumptæ die sacro, à Ioanne Polanco Soc. regendæ post B. Borgio mortem Vicario, inter tirones adscriptus est

est. Nuntiata re parens Romam volat, omnia moturus, easque ad eum retrahendum acturus machinas, quæ nostros omnes renisus eluderent; milliaria decem confecerat, cum ecce tibi Tolentini, ardentissima illum prosternit febris, quàm aut genij boni, aut conscientiæ monitu pœnam esse coniecit suscepti consilij, sed longè mox clariùs cum promissione Deo nuncupata fauendi proposito filij de Societate ineunda, velut iussis defuncta prudens febris, repentè abscessit. Ipse domum reuersus, fausta per literas adprecatione filij votis assensus est: qui Magistro spiritus Valignano (à quo deinde in Sinas est accitus) cùm annum egisset in Tirocinio, ad collegium transiit, & Theologiæ medium emensus, Martino Syluæ ducendus in Indiam datus est à Mercuriano Generali, Romáque soluens in Lusitaniam Maij octauo & decimo, anni 1577. viam iniit ex duabus maximè à patria semotam; anni verò sequentis Martio, die quarto & vicesimo Vlyssipone in Indias vela fecit, cum aliis è Societate decem & quatuor, in tres naues tributis, horum Itali quinque ex quibus Rudolphus Aquauiua fuso clarior pro Christo sanguine quàm ab antiquis maioribus accepto, & Michaël Ruggerius, qui primus nostros in Sinas præcessit. Omnes verò digni quos Regi Sebastiano laudaret Sylua, Rex ad manus osculum accedentes libentissimè videret, & multam gratiam profiteretur Generali Præposito, tam lectas operas Indiæ destinanti. Goam Septembris decimo tertio applicuit Riccius, annos quatuor illic, & Cocini absoluenda Theologia, Rhetorica docenda, iámque Sacerdos iuuandis animis exegit, & sub medium anni 1582. ad Sinas vocatus à Valignano tunc in Iapon a existente, quatuor mensium nauigatione Macaum appulit. Mense verò Septembri, anni subsequentis, arumnoso labori, annorum septem & viginti, & perpessionibus initium dedit in Regno Sinarum vsque ad obitum exantlatis, quæ hic idcircò facilè prætereà, quod possint leuia videri, præ duobus illis ingentibus excelsi animi dotibus prudentia & fortitudine, quibus tandem votorum in Dei gloriam semper ardentium effectus est compos. Hæc duo agendi præsidia rari sunt qui gradu possideant tàm excelso; rari qui norint suo pretio æstimare. Vidit gentem Sinarum superbam, omnium præ se contemptricem, omnium timidam, suspicacem, inimicam, quo gentis ingenio Euangelij Ministris obstruebatur ad illam aditus, & huic referando difficultatis summa inesse credebatur; verum enim verò in hac potiùs anteuerti negotium coniecit, vt nihil agendi quærendíve specie otiosa, tacitè omnia, & dissimulanter agerentur; alias quod monuit ipsemet, Christi legem damnatum iri æterno à Sinis exilio, si palàm iis initio denuntiaretur: captandam priùs Mandarinorum benevolentiam, præferendam admirationem doctrinæ illorum, rei politicæ, ac legum; quorum fama ingens à mundi finibus externum hominem rapuisset ad ea cognoscenda, & de scientiis Europæ vicissim aliquid, placiturum fortassis, vt ferret occasio suggerendum; quoad præbito sensim, experimento

mento sui perspicuo, & ingeniorum nostratium, intelligerent, se contra quam ferebant, rudes, semicæcos, agrestes præ Europæis esse; quod quidem Riccius assecutus est tàm exaggeratè, vt post suum illum, quem Magistrum adorant Confusium, nullum Riccio arbitrarentur parem; quodque mirabiliùs, nulla in eum inuidiæ contractiuncula morderentur, adeò modestè, demissè atque ingenuè, tùm se ipse, tùm artes, atque ingenia Magni occidentis (sic semper vocauit manétque hactenus inter Sinas cognomen) iis proferebat, in quibus multò quàm ipse videretur excellentiores aiebat innumerabiles; ex quo illi quandóque Lingozuonus Gubernator vereri se fassus est, ne quàm abiectè de Tartaris sentirent Sinæ, tàm abiectè de Sinis sentirent Europæi si eos cognoscerent, hoc est pro rusticis & incultis haberent, ad hæc quantùm Sinarum doctrinis omnibus comparandis; quantùm perficiendis, quas condidicerat & exhibendis in lucem Europæis fuerit Riccio insudandum, nemo non vltrò per se videt: has moras in studiis, præmatura quorundam etiam nostrorum carpebat charitas; & fuit ex eius sociis qui primos stationis in qua resederat Euangelij fructus sibi plurimùm gratulabundus scriberet in Europam, se nec sphæris, nec cosmographicis tabulis, nec visendi vrbanitatibus, & istiusmodi adminiculis humanis, scopum nihilominus (quæ Deo laus esset) Apostolici muneris, & vocationis feliciter assequi. Sed cùm illum tempestas effera in extremum discrimen, cum suis Neophytis, stationéque omni redegisset, vnius Riccij in aula gratiosissimi fauore & opera liberatus, didicit, hæc adminicula, conciliandæ potentum æstimationi & amicitiis quanti forent ad Religionem eiúsque Ministros, quanquam caligantibus oculis viderentur ab instituto aliena.

In alternandis quoque obsequiis salutationum, ex ipsis cuentis, aliquantò plus inesse momenti censuit, quàm in libris quos magno fidei incremento scripserat efficacissimos: quod duabus ad Aquauiuam epistolis anno huius seculi quinto, & octauo significat, quarum vltimæ gaudet, nos ferimè quod diu in votis fuerat adeptos, vt possent nostri cum Regni Primatibus liberè agere. Hinc illos esse apud nos adeò frequentes vt à manè ad vesperam cogeretur in aula domestica iis excipiendis arrectus perstare, & honoris vicem quarto quoque die iis reddere: rem esse laboris vltra quam vires ferrent molesti & grauis, sed necessarij, nisi mallemus aut ista excidere toto ambitu parta Pechinensi sede, aut barbarorum inuri macula, quod nostris conatibus futurum esset maximè damnosum: ad hoc, vt solet in domibus alicuius notæ, stat honorarius seruus præ nostris foribus, cui libelli traduntur affatum meum poscentium; sunt hi vt plurimùm codicilli foliorum duodecim, nec aliud continent præter nomen poscentis aditum, & petitionem; in alio ad ianuam libro scribit idem seruus nomina singulorum qui ad me quotidiè honoris gratia venerint, dignitatis gradum, libelli quem præmiserint ornatum, amplitudinem aut breuitatem cartæ, verba formulæ

quibus

quibus mei visendi opportunitatem captauerint, & vicum domúmque quam habitant, vt salutationis obsequia die saltem quarto iis referam: libelli autem salutationum prænuntij die vno interdùm viginti domum nostram mittuntur; anni noui principiis, & festis solennibus ad centum: labor planè immensus, sed mirè vtilis, vix est enim qui nolit templum inspicere; Christum & Deiparam adorant, quorum egregiis tabulis altare decoratur. Esto plurimùm illuc intrent vt picturæ nostratis in tabulis, Typographiæ in libris artificij in horariis machimis mirentur solertiam; sed occasione tàm prona, & commoda, suggerimus illis mysteria fidei sacrosanctæ; & idolorum væsaniam reuincimus; vt non sit necesse aliundè quem vltrò habemus & quidem benenolum auditorem nobis colligere; cui dùm eadem, in reportanda postmodùm salute inculcantur, propè sine sensu domitus acquieuit, & raros habemus Christianos, qui non sint hac via, & arte ad Christum perducti. Disputamus subindè de iisdem argumentis tùm voce tùm scripto quo sensa sua Sinenses meliùs quàm verbo exprimunt] ita Riccius ad Præpositum Aquauiuam; omninò iis consentanea quæ grauissimus inter Mandarinos nostrorum cuipiam narrabat, se multorum annorum obseruatione in eos intentum, vitæ integerrimæ comperisse, & in suscipiendis laboribus ab omni temporario emolumento castæ; doctrinæ verò duobus vbique firmamentis constanter solidatæ, cùm enim, aiebat, ex variis, varia dubitans quæsissent, eadem mihi est ab omnibus responsione factum satis, ex quo facilè intellexi, quæcumque docetis, hausisse vos à principio quod certò agnoscitis nec falli posse nec fallere; futurum alioqui, vt ex ingenio nostrorum sapientum, in opiniones abiretis tàm diuersas quàm veri ambiguas: ad hæc nunquam egisse vobiscum memini, seu mathematica, & naturalia, seu de orbe vestro curiosa & peregrina posuissem, quin me ab iis pedetentim ad Dei, ad animæ, ad æternorum scientiam flecteretis; ex quo item confeci, nullo vos alio in Sinas nisi nostræ salutis ambitu, peruectos] hæc ille tunc insignis Literatus, legis Christianæ postea defensor. Prætet hæc nostris vbicumque per Sinas versari eos contingeret potentes patronos iis salutationibus parabat, eam ob rem ex aula in Præfecturas nemo ibat Prouinciarum, & locorum in quibus nostri morabantur, quin illi omnia honoris officia visendo exhiberet; & patrocinium nostrorum fidenter committeret; quibus illi obsequiis deuincti, quanquam Ethnici erant, nostros vna, & Christianam rem in gratiam Riccij tuebantur, qui eiusmodi amicos vbique tàm multos parauerat, nulla vt esset vrbs supremæ iurisdictionis in quam nostros non posset securè mittere. Eius siquidem, vt erat lectus diuinitus ad fundandam Sinarum Christianitatem, contentionum meta erat vniuersale ipsius bonum, stabilisque in posterum contra omnes hostium incursus libertas Euangelij prædicandi, quam vti vidimus, nequicquam obstante Sinarum odio in externos tandem obtinuit, fortunante Deo, regentéque illius prudentiam,

ne boni tenuis præsenti dulcedine illectus, boni spes incomparabilis & sempiterni elideret. Monstro simile ait, scribens ad Fabium de Fabiis (suum olim Romæ in diuinis ductorem) non posse Sinas post annos quinque & viginti inducere animum, homines ab suis omnibus, & orbe vltimo, per extrema omnia in Sinas aduectos, prorsus nihil spectasse præter vnam illorum æternam salutem: idcircò fingi animo non posse, quàm sint nobis omnia circumspicienda, ne suspiciones illorum augeamus, & leui, priuato, sed præsenti bono; vniuersale, ingens & perpetuum mutemus] alibi verò [nobis, ait, operarij succedent, qui quaquà versùm, & vbique laxaturi sunt retia in immensam capturam; sed complananda est illis via, & figendæ sedes firmitate immobili, quod consilij opus est, & patientiæ cunctatricis] quos verò interea Christianis erudiebat præceptionibus (Primates potissimùm) iis satagebat fingere moribus, omníque viuendi ratione, vt solus eorum aspectus præconium esset sanctimoniæ Christianæ, quod inualuerat tàm palam vt singularis probitate, ducto indè prouerbio laudaretur, diceretúrque valdè idonei ad legem Riccij, iam eius animi magnitudo quanta extiterit in suscipiendo negotio, tamdiù frustra totiésque tentato, pridémque desperato ab strenuissimis operariis, & ingentes ad hoc ferentibus animos, argumento sint quæcumque de illo huc vsque retulimus. Repetatur ille per Cantonensem Prouinciam ipsis quoque barbaram, & exosam Sinis, calamitosus in Sinas aditus; iurata odia Bonziorum, calumniæ, expulsiones ignominiosæ, vita inter timores pendens ambiguos, desertio omnium quibus erigi posset tàm misera, vt egerit diuini somnij consolatione, quà confideret deinceps meliora quid illa Methani Eunuchi crudelis barbaries, carcer, accusationes veneficij, proditionis, maiestatis; destitutiones amicorum, in illo Pechini formidando externis tribunali, quod ne sua quidem Rex ipse potestate adigere voluit ad retinendum suo suffragio Pechini Riccium? quid illa in nouæ operariis lingua, & sapientia Sinarum instruendis, constantia pertinax, præmaturo licet duorum obitu, eundem ei laborem integrante, cùm iam poterat iis commodè vti? quid annorum septem, & viginti continuata vis, quâ patriam, genium, educationem, ciuilem vsum, seipsum impugnauit, vt in Sinensem transformaret sese? ille nostrorum periculis nunquam non metuens, & anxius animus? ille duratum, & longinqua porrectus oculus, dùm manus præsentibus instaret? illa forte vix paucis æstimata, diuturni sudoris & perpessionum sepultura, totam fabricæ gloriam vltrò concedens ædificaturis, ipsa gaudens latere, instárque fundamenti, terra obrui, & premi? hæc si non sunt robustæ virtutis, & ineluctabilis, Deóque contentæ documenta, haud scio quæ possint aliundè haberi. Nostri, aiebat suis in Italiam literis ad amicum, conuersiones populorum ad vos scribent, quæ illorum vbique conatibus arrident; nos præter ærumnas, pericula, contentiones, metúsque ancipites nihil; necdum enim hic nobis metendi tempus,

tempus, sed errandi, & terræ primo vomere laxandæ. Me tamen plurimum reficit hæc nostra sterilitas, quòd rerum magnarum impeditissima primordia, & summis infesta difficultatibus, secundi ferè sequuntur & solidi exitus, æuumque duraturi.

Superest de libris adiungamus quos Sinarum culta & eleganti lingua Riccius misit in publicum, quo nullus æquè ipsius labor tàm multis profuit, nam & scientiarum nostratium admirationem excitit apud Sinas earum contemptores; & de Deo, de Christo, de pœnis, & præmiis immortalibus Sinas erudiens, magnam intulit labem idololatriæ; quod catechismo Riccij præcipuè confectum aduertendum est enim, non esse in vsu Sinensibus vt verba publicè faciant; Examina illa quatuor & viginti quibus ad summos gradus, & honores ascensum parari diximus, ne voculam quidem aut edunt, aut referunt scripto omnia peraguntur, aiunt Sinæ virum sapienter doctum, non decere lingua in aures lubrica, fallaci volatili; sed stylo in mentes & oculos loqui, eorúmque maturo & otioso iudicio quæ dicit pendenda subiicere. Pauci Doctorum coriphei, & Magistratuum, in templis ex humili sede affantur interdùm populum de morum virtutibus, de idolis nunquam. Externis publicè dicere; nouitatis foret ab inimicis pessimè capiendæ; & suspicionis, affectatæ ad seditiones, & rebelliones populi gratiæ; Præter arrogantiam Magisterij, quod longè alterius splendoris illic est quàm in Europa; & quisquis docenti aure præbet, eius hoc ipso se profitetur discipulum, veneratúrque proclinationibus corporis, & donis, quæ in priuatis quoque congressibus, nostri multo labore deuitarunt, ne Mandarinorum superbiam, admissione illius obsequij ab audienda Christi doctrina repellerent, à disputando similiter abhorrent Sinæ, vt viri honesti, apud nos à rixis: quæstiones sæpè inter epulas agitant de politicis, & moribus, verùm sedata dictionis, & oris comitate, ac velut faciles acquiescere contra sentienti, ratíque valdè inurbanum hominem vrgere, cóque indigere, vt ereptam sibi responsionem omnem fateatur, prædicatio apud illos omnis librorum editione continetur, nec auctores sectarum quæ illic natæ sunt, ac subindè nascuntur, promulgatoribus aliis ad propagationem illarum eguere: quamobrem Riccio cùm instarent amici vt daret in Typos quæ sciri optabat, doctrinam edidit Christianam quam paucis paginis, non parno labore comprehendit, ob penuriam verborum quibus diserte ac propriè diuina Sinis exponeret quo verborum delectu voces cauit significationis minùs legitimæ quas in Sinensi charactere tiro, adhibuerat Ruggerius, cùm doctrinæ eiusdem librum componeret, interpretibus nimiùm confisus; Riccius ad suam conferendam præter linguæ peritiam, vsus est Mandarinis, tantò peritioribus characterum, & linguæ Magistris, quantò erant Christo fideliores discipuli; horum ope suáque opera Christianam doctrinam toto regno vulgauit. Sed longè illi pluribus tùm annis, tùm vigiliis stetit Catechismus, quo Christianæ

112. Riccij opera præsertim catech. quanti?

celsitatis arcanæ intima explicuit, stabiliuitque claris & procliuibus ad fidem faciendam argumentis, ex communi sensu rationis humanæ proruptis, conceptisque omni grauitate, & elegantia dictionis: nec enim initiandis solùm scribebat Christianis; sed Literatorum quoque Principibus, aduersaturis haud dubiè, vel impugnaturis. Nemo attamen vel Oscianorum vel Taosiorum fuit, sed neque inter doctissimos, & æmulatores patriorum rituum Mandarinos, qui contra Riccium hisceret pro idolis; vel impugnaret rationes quibus asserebat eorum assecias nulla posse errorum & ignorantiæ defensione excusari. Insistit hoc opus rationis innatæ vestigiis quæ vt in agendis prima lex est, sic intelligendi verax est regula; & eam Sinæ vtrobique Magistram audiunt, reginam sequuntur. Ex argumentis itaque naturæ insitis, omnique hominum generi communibus, & indubitatis, deducit Riccius necessariò esse causam omnia mouentem, supremam omnium, nullius indigam, nulli obnoxiam, & hanc à nobis vocari Deum (in quo vacillant Sinarum Literati) cúmque rebus omnibus prior sit, déque principium vniuersis, necessariò item vnam esse non plures; quò fallitatis, & impietatis damnatur idololatria. Eiusdem verò principij, & causæ prouidentia mundum regi digerente omnia in fines proprios, cùm agere aliter nequeat qui ratione atque consilio operatur; inde esse sua probitati & sceleri præmia, & pœnas, quæ cùm in hac vita non soluantur, manifestum esse seruari in futurum, mundúmque illic existere ab hoc nostro diuersum, nec aspectabilem oculis, vbi corporum morti superstites animæ vicem recipiunt prioris vitæ laudabiliter, aut secùs in corporibus ex ætæ. Post hæc peccatum Originis indicat cunctis ab ortu congenitum; & Seruatoris felicem aduentum, ad vindicandam à peccati nexu eorum libertatem. Hortatur demùm de cæteris ne grauentur Patres consulere; addítque rationibus; Sinarum oracula, eorum Philosophos Confusium maximè, quem stare à nobis demonstrat, profiteríque vnum, & absque consorte solum Deum: ex quo euidens fiebat religionem peregrinam in Regnum à nobis non inuehi (cui è contrariò adoratio Deorum erat omninò peregrina) sed acceptam à priscis maioribus instaurare, adiunctis de Christo quæ non potuerat Confusius discere, quòd Christi aduentum annis quingentis præcessisset. Postremò, cuique materiæ subdebat dubitationes, sibi olim obiectas à doctissimis Sinarum, quarum liquida expeditione, suasioni vis accedebat ineuitabilis. Motus toto imperio ingentes hoc opus edidit, adoratores idolorum suæ pudebat dementiæ; gesticbant sequaces Confusij, doctrinæ suæ prærogatiua tàm nobili; deficiebant quidam ab idolis; nonnullos pertinax retinebat rumor, ne homini externo sciendi palmam concederent. Neminem ò audacia impulit, vt interpellaret Riccium dùm vixit, impugnatione veri, aut assertione falsitatis. Duo ex primariis memorantur quorum alter priuatis Riccium Literis Sechiano conuenit, rogans tandem cessaret ab euersione idolo-

latriæ

latriæ, cui libris editis incumbebat; legeret potiùs, probéque caueret quæ ad ſtatuendam illius ſectam vulgò terebantur. Reſcribens homini Riccius tot illum perculit rationibus nouis, & validis aduerſus idola, vt poſſent aut reſtituere illum ſibi ſi vellet ſapere; aut indignantem vinci, cerebro mouere: captato alter anni articulo, quo ſolennis Doctorum inauguratio Pechini parabatur, glorioſum nomen ex dedecore Riccij tentauit, in medio illo aliquot millium Literatorum flore; librum obtulit Typis quo Chriſti fidem, & Catechiſmum Riccij lacerabat; ſed hunc Typis ante ſubiici vetuit librorum cenſor, quàm illa emendaſſet, quæ illi ſua ipſemet manu erat notaturus. Fuere porrò hæc, vt in idolorum contemptum verteret quæcumque in deriſum Catechiſmi, & Chriſtianæ legis vomuerat. Quicquid autem erat Literatorum inſignium gratulabantur ſibi ad nouam lucem ex ea fulgentem eatecheſi, & proſequebantur illam ſcriptis encomiis, in quibus illud quàm verum tàm nobile, factum naturæ miraculo, vt veniens ab Occidente Sol, illuminaret Orientem. Regnum integrum cæcorum ad lucem rectæ, certæque rationis, illa etiam cernere quæ ſub ſenſum, non cadunt, animum intra nos, & quæ ſunt à nobis longiſſimè diſſita vitæ futuræ arcana recondita, vbique in mundo ſenſibili Deum inſenſibilem, & id genus alia. Sed operis palmare fuere literæ quibus multi variis ex locis petebant à Riccio è noſtris aliquem ex quo illa pleniùs audirent quæ Catechiſmus indicabat, vt erant myſteria fidei quæ per ſe ſciuncta colligere naturalis ratio nequibat. Primum obtinet inter eos locum in quem incidit primum, vixdùm benè perfectus, necdùm editus Catechiſmus; Fummocamus ille Mandarinus præter ſcientiæ, ingeniique præſtantiam, ſanctitate apud ſuos clarus. Perlecto is libro attonitus, hæc dici Riccio mandauit; Sinas morbis culparum lethalium inſanabilibus, malta iam ſecula ægrotare, & ingraueſcere in dies malum: tunc Deo multas deberi gratias quòd illa ipſius lucubratione præſentem morbo præberet medicinam: quanti faceret Sinas, quorum tàm procul per tot periculum ſalutem quæſiſſet; tantùm feſtinaret ad vulgandum id opus. Excuſanti verò vltimam operi deeſſe manum, & velle ſe accuratiùs argumentum omne ſtylúmque retractare; (nam præſtolabatur interea edendi copiam) retulit per eundem, requirens in eo ardorem pietatis, quòd per tàm longa pericula, mortémque diuturnam cùm demùm appuliſſet, vitam illi regno allaturus, tunc tàm leui de cauſa hæreret. Velut grauiter laboranti ſcriptum à ſe Medicus remedium differat, quod velit illud perpolire, & ſtylo concipere elegantioſi, dùm ingraueſcit iacenti periculum, & in acceſſus degenerat, nunquam fortaſſis ſanabiles] quibus Mandarinus adiunxit è fiſco ſumptus, ad excudenda Catechiſmi exemplaria ducenta, quæ paucis decerptis, permiſit Riccio ſpargenda vix prodibat illa editio cum ſuo ære Lingozuonus iliam curauit exquiſitioris celaturæ, Patriámque Hanceam, & multas Prouincias grandi eo dono beate ſe

credidit; ipse certè in eo salutem nactus est, ac nomen Leonis, vt nuper scripsimus è baptismo accepit, nec ferè quisquam ex illis extitit eiusdem staturæ magnis viris Christi fidem amplexis, quos hic Riccij Catechismus non edomuerit, & Christo dederit obsequentes. Debet huic etiam Tunchinum vnde altera eius editio prodiit, numerolas breuissimo tempore, ab idolis conuersiones ad Christi fidem. Sinas enim habent Tunchinenses doctrinarum Principes, & Magistros; hinc vbi præfixas Catechismo, & subiunctas videre Mandarinorum præstantium suffragationes legitimas, & panegyricas, pro securæ doctrinæ certo canone illum excepere, vtque nunc cætera taceam, illos ter mille tercentum quadraginta, quos pulsis in exilium Patribus, eorum Catechistæ, Christo lucrati sunt anno 1631. expugnauit eius Catechismi auctoritas, quàm per se Catechistæ minimè inuenissent: quin & Valignanus, tertiùm Macai excusum magno fructu in Iaponiam transtulit (sunt enim Iapones in scriptura Sinarum optimè versati, etsi eorum elementis, quæ totidem verba sunt, vocabula applicent Iaponica, idem tamen cum Sinis significantia) de hoc Organtinus Christianitatis Iaponicæ per annos vndequadraginta Minister eximius ad Aquauiuam Arima sic scribit anno huius sæculi quinto. [Opinor V. P. de illo acceperit Apostolo sancto Matthæo Riccio, cuius inter scripta Pechini opera magnificè vtilia, extat Catechismus tàm copiosus, & elegans, vt eum putent fratres nostri Iaponij, qui callent Sinenses literas, abunde sufficere ad subiiciendos Christo Sinas, secluſa quauis prædicatione.

Succedunt his sacratioribus tractatus de moribus. De amicitia liber, in gratiam Principis qui erat Regis cognatus idemque Rex anno 159. compositus. Cantiones tudicularis organi Europæi. Verba vigiliti quinque, hoc est sententiæ totius ethicæ succo graues, quæ tantoperè fuerant expetitæ vt in media compositione prælo subiectæ sint, omni dein ex parte absolutas iterum edidit Fummocamus illustri suo ornatas proœmio, quo rogabat lectorem vt eas conferret cum duabus, & quadraginta paragraphis (quo libro suam de moribus doctrinam idololatræ comprehendunt) futurúmque vt intelligeret hos esse cortices exsuccos, & aridos; sententiis Riccij, sapientiæ medullam contineri. Librum hunc clausit Doctor Siu Paulus commendatione luculentissima dogmatis Christiani, cuius moralia hæc, scintillæ solùm essent ad solem doctrinæ quam tradebat de Deo, de Animo, de Vita immortali. Paradoxis demùm Christianam fidem, vitámque maximè illustrauit, de quibus hæc ad Aquauiuam Præpositum anno huius æui octauo. [Inter cuncta inquit, quæ secundo, Dei gratia, applausu huc vsque edidi, nihil æquè placuit vt decem illa quæ paradoxa nominaui, quorum idcircò argumenta P. vestræ noto, vt gentis huius tangatur miseria cui paradoxa est recta, & communis omni humano generi doctrina. Primum, annos transactos docet non esse in hominis potestate, & pretium temporis attollit. Secundum, vitam hanc esse miserrimam, anhelandum ad

ad illam quæ sola in cœlo felix est. Tertium, mortis metum demit, eiulque potiùs desiderium accendit, quod plurimùm iuuet ad felicitatem, egebat hoc pharmaco infelix & timida natio, quæ mortis nomen nunquam inter loquendum effert, sed verborum ambage circumscribit, horretque tanquam ominosum: quidam certè haud pridem ex primis Literatorum capitibus bibliothecam partis sui præciaram deformauit, conuixione vocum perpetua, quæ mortem sonabant. Quartum vtilitates prosequitur fruticantes ex mortis meditatione, modusque proponitur animi ad eam probè comparandi. Quintum, vtilitatis item, modumque tacendi, & loquendi. Sextum, causas pertractat colendi ieiunij aduersus Sinenses delitias. Septimo, traditur quotidianum conscientiæ examen. Octauum, demonstrat nec vllos inferos, nec vllum esse nisi post hanc vitam paradisum, ad euersionem recentis erroris quo somniabant Literati quidam illic sibi vicem rectè aut secùs factorum reddendam, vbi ea patrassent; nec esse aliud paradisum nisi conscia vitæ innocenter exactæ lætitiam; inferos nihil præter memoriam scelerum, acerbo dolore animos lacerantem. Nonum Prædictiones futurorum asserit esse cùm inanes, tùm vitæ noxias, quàm stultis aduersorum timoribus discerpit, cuius amentiæ confutandæ necessitatem imposuit ariolorum huiusmodi infinita vbique multitudo credulitati Sinensium etiam Doctorum & vulgò sapientum pecunias emungens, & metus exaggerans. Postremum denique paradoxum, auaritiam damnat, & quæ nascuntur ex diuitiis recenset mala. Porrò ad hanc Lucubrationem, etsi coactus sum, sola dumtaxat memoria vti, & paucis quos habemus libris, promerita est nihilominus Literatorum admirationem, & proœmia encomiastica, etiam à duobus Collegij Regij Mandarinis sapientiæ fama toto regno claris quorum alter singula capita eleganti carmine illustrauit. Hæc variis in Prouinciis excusa, magno longè latéque numero sparguntur: quod pietati vestræ idcireò minutim exposui vt confirmarem quod anno proximo ad eam scripseram, posse hic libris nostris conciliare magnam auctoritatem & gratiam Euangelicæ prædicationi] hæc ferè Riccius. Cuius præter hæc fuere opera de Philosophia naturali, & propè singulis matheseos partibus, vel ab eo scripta, vel ex Euclide, & Clauio sinicè reddita, sed passim obiter Deum & Christum interiiciente. Accessit his Calendarius Abacus quem ex vsu Sinarum in vsum Ecclesiæ traduxit, vulgaúitque quot annis manu scriptum inter Christianos, quod nefas esset Calendaria Typis edi, nisi à Collegio Regio Mathematicorum concinnatum. Doctrinas præterea veteres quibus incumbunt Literati, latinè vertit, elucidauítque notis insignibus magno recens illuc, & in Iaponiam aduenientium nostrorum commodo: quos iuuit pariter maiorem in modum *Sinensi* Lexico, cuius characteres nostratibus è regione vocabulis positi, formam vnà suam, proferendi modum, & significatum pariter docebant. Historiam denique annorum septem & viginti, Trigautio perperam adscripta, Riccij opus

est

est vt pridem ostendimus, sed latinitate à Trigautio donatum; cuius ne illa quidem historiæ appendicula est de morte Riccij, & petitione sepulchri ad eius funus, sed P. Sabatini de Vrsis testis oculati. At de operibus Riccij hactenus: post datum laxando Christianorum dolori & lachrimis spatium, Patres ad iusta funebria se accingunt, prima in iis cura capuli fabricandi, quod volebant omninò Christiani quale mos erat viris magnis emi, trecentorum & eo cariùs nummorum, nisi religiosa paupertas, & modestia obstitisset. Tabulas ad hoc emit Doctor Leo aureis quindecim, tametsi Patres ex ligno quolibet extrui properarent. Sed increpitabat illos Leo, affirmans futurum quod contigit, & tàm sancti hominis cadauer, nullo æstu caloris aut in putredinem aut graueolentiam soluendum. Biduo enim quem præcesserat moriens, vultum retinuit, simílem arridenti; solennibus in templo, Sigri, & cantuum exequiis ritè procuratum, in aulam transfertur, storeis vt solet vestitam, ornatam altari, media Christi effigie inter lumina & odores: illic triduum totum ex Rituali Sinensium, nostro luctu dolentes nostri excipiunt, ad caput sandapilæ cum familia consistunt domestica, funebribus albati; pileis figuræ singularis, calceis item albis, & ex crassa cannabe vestibus, cinctu reuinctus multiplici, fusis hinc, & hinc ad solum penduli, est enim albus Sinensibus mortuorum color. Cogitari vix potest concursu quàm honorifica & quanta, supremi iuxta & infimi Magistratus memoriam Riccij coluerint, & iacturam nobiscum doluerint, viri quem omissis quas apprimè notant doctrinæ, sapientiæ, excellentiæ dotibus virum sanctum, & verè sanctum, vniuersi velut ex condicto nominabant. Ne quid autem his reddendis honoribus peccarent Patres (nam piaculum est in hoc etiam leuiter peccasse) ritus illis dictabat Doctor Leo, & sigillatim agenda suggerebat. Elapso triduo, sepultura nostros habebat valdè sollicitos, vetabant leges intra pomœria sepeliri; nefas erat ruri, Ethnicorum more in profano condi; referri Macaum suspiciones aduersus externos pronæ, ac lubricæ non sinebant; tentarat Riccius, sed frustra, soli palmos aliquot emere humandis nostrorum corporibus; & nostris querentibus infidelitatem venditoris, à venditione discedentis, hanc quaquam, ait, propterea deerit nobis locus, & hoc præstantior. Illi ergo paulò post, defuncto, eiusque in perpetuum sociis sepulchrum à Rege tanta eius gloria datum est vt non potuerit maiori. Eius petendi auctor Leo Mandarinus, idem per se concepto nostrorum ad Regem libello supplici, prudenter consuluit tribunalium iudicia præuerti oportere, quorum examini Rex erat libellum remissurus, priúsque illis recognoscendum dedit, quam transmitteret ad Regem. Primus eum legit Ie Mandarinus qui tunc solus in aula ex Colais administrabat regnum: is pridem Riccij obseruantissimus, & amicissimus, non sepulchro tantùm, sed templo censuit digna esse illius in publicum merita; quod quanquam externis nunquam foret concessum, nihilo segnius

Patres

123. Riccij funus & sepulchrũ à Rege donatum cum palatio.

Patres id petere pergerent, hunc nodum sibi soluendum relinquerent Colai iudicium vltrò omnes probarunt Magistratus. Leonis ex protypo libellus describitur, perque illorum manus transmittitur ad Regem, nostris à Deo instanter orantibus, vt boni genij manu propitia inter sceleratos & perfidos Eunuchos illum dirigeret, & optato Rescripto fortunaret: quod si obtinerent, Reginæ Deiparæ sacellum dicaturos. Cessit prolixè res etiam supra sententiam. Libellus ad Regem, inde ad Colaum, ab hoc ad Colios refertur monitores Regis cæteroqui inexorabiles, sed eorum Præses nobis beneuolus prætermissis iis libelli recognitionem reiecit in Præfectos Externis & Ritibus, qui benigna & molli seueræ legis explicatione suum erga nos amorem testati, petitionis æquitati magno consensu annuerunt. Hinc Præses eius tribunalis Regem libello altero conuenit quo prioris complexus approbationes, proponebat dari templum sepulchro posse ex iis vnum quæ caduco iure ad Regem redierant, pauciscque Riccium magnificè laudabat, acceptum Rex libellum Colao tractandum misit; probatúmque ab eo, solenni tandem Chirographo firmauit, subscripta Christi nota, idem ac *fiat* apud nos annuente. Executionem indultæ gratiæ Præfecto vrbis, Rituum Præses illicò demandat; & erat Præfecto memoria Riccij valdè chara ob illuminatum regnum gratuita, & laboriosa librorum scriptione; domum ipsemet venit felicis nuntij baiulus, curæ sibi futurum spondet vt locum sortirentur Patres non modo Riccij condignum meritis, sed eorum quoque alterno successui, ad scientias nostrates Sinensi eloquio, quod cœperat Riccius vulgandas. Patres actis Deo & Virgini gratiis, suffragatores suos solenni aditu, & donis venerantur seorsùm singulos, solaribus scilicet, & lunaribus horariis in eburneas insculptis laminas, quorum pretium apud illos centuplicato augebat nouitas, efficiebátque vt subindè ad nos præcipui quique familiariter ventitarent, artificium illud edocendi, cuius vsu tantoperè gaudebant: iis verò vbique honoribus à Principibus Mandarinis affect. sunt quos nec ab infimis expectassent. Factúmque id cœlitùs ne Patres amisso Riccio, omnia sibi timerent peritura. Accepit eos Rituum & Externorum Præses tàm honorificè vt ad mediam extra palatium plateam comitaretur abeuntes, stupente qui aderant multitudine Primatum, ad demissionem insolitam tenacissimæ sui maiestatis; multóque magis cum die postero, comitatu splendido ad eos venit, & data fide professus est, acturum se cum vrbis Præfecto necessario suo, vt locus iis quàm optimus attribueretur: hanc erga Externos tàm vsitatam comitatem ab homine ne agnatos quidem lætis vnquam oculis dignato, Riccij precibus arrogauere Christiani, pro dilecto grege tunc etiam largiùs quàm dum viueret satagentis.

Octobri ergo ineunte adsunt domi nostræ Mandarini, iubéntque Præfecti nomine, optari à nobis ex locis quinque, quem præ aliis cerneremus Riccij sepulchro idoneum; prætulerunt Patres vicinum portæ

decumanæ medio milliari, ante annos triginta nobilitari cœptum ingenti palatio à potenti Eunucho, perfectúmque tùm, cùm pedem Riccius in Sinas intulit, cuius possessioni à Deo seruabatur; solet enim illa semivirùm nequissima natio cum iocante fortuna in Semireges euserint, æternare nomen in fabricis quod in filiis non possunt, opesque immensas in ædificia conferre in quibus viui putrescant delitiis; mortui tumulentur. Exciderat gratia Eunuchus, & in pædore, sitúque damnatorum, hac solùm propitia sed valdè ancipiti iuuabat sorte quod Regi ex memoria excidisset: sed is amicorum confidentia delusus, quocumque cætera casus ferret, libertatem sibi vt minimùm pollicebatur saluam: qui vt palatium etiam seruaret, artem commentus est quâ templi titulo, cultúque subornatum caduco iuri & fisco subduceret, sed oculatior Eunucho fiscus negauit per leges templum priuato competere; & si competeret, vt cui præter vnum nullus esset Bonzius habitator, censeri ad Regem deuolutum. Situm erat amœno & salubri loco, pedes in longum quinquaginta supra octingentos, centum septuaginta in latum tendebatur, partem ædificia occupabant, partem horti, murus solidus omnia claudebat. Distinguebant ædes aræ tres, prima seruilis familiæ, duas alias longis porticibus cingebant cubicula quadraginta; transuersa aula, palatij latitudine diuidebat, & hanc aulam in templum transformare Eunuchus contenderat. Exibant in hortos porticus, voluptarios & cultos, horum ferè in medio pyramides quatuor, totidem surgebant stylobatis; claudebántque cupressos totidem, (Sinis quoque funestos) cupressi sepulchrum Eunucho destinatum, Riccio donatum, ex quo vtrinque muri excurrebant duo, qui sepulturæ nostrorum idoneum spatium opportunè præbebant, desinebantque in sacellum, de Europæ architectonica ab iis extructum. Hoc delitiarum Eunuchi suburbanum, Octobris eiusdem vndeuicesimo, anno seculi decimo nobis concessum est & iuridicis tabulis, ab auctoritatis publicæ procuratoribus traditum pulso quem illic Eunuchus ad simulandum templum statuerat Bonzio. Accurrit Bonzius lamentabundus in carcerem, gesta Eunucho narrat, quem alio pridem defossum cauo nostri esse in viuis nescierant, haudquaquam aliàs data optione locum illum lecturi, qui toram cum illo inimicaret nobis rabiem Eunuchorum: & verò ex illis, qui erat Regi gratiosissimus, minacibus literis, Præfectum vrbis obiurgauit; sed eiusmodi responso, ingentis vir animi eius superbiam domuit, vt imprudentiæ veniam rogaret, sibíque potiùs sollicitus fieret quàm Collegæ suo possessione exturbato: alter apud Reginam ratus omnia se posse, asseruitúsque sibi palatium, quod illi è carcere donabat possessor, modò illud nobis eriperet, querimonias muliebres apud eam deponit: externis vilibus templum magnificum proiici; triginta propè nummorum millibus steriſſe illius fabricam; stragem impiam Deorum Externos in eo edituros; hæc & similia deflenti, contra quod sibi animo finxerat.

114. Honores defuncto Riccio habiti.

finxerat. Esto, inquit Regina, triplo etiam steterit quàm numeras id templum; quantillùm id est ad Regis munificentiam; non decet te Regis animum ex tuo; & Regem ex te æstimare quicumque porrò sint peregrini quos ais, edico tibi, si Rex ægrè ferre vos inaudierit quod iis dedit, & scelestum illum esse superstitem, mandaturum illicò vt is occidatur, sic illi sepulchrum euincetis quod commeritu est, non quod eius malo repetitis; quo Reginæ prudenti monito fœcis illius meticulosissimæ tumultus sanè metuendus omninò concidit: illorum caterua die quodam palatium ingressa, in aulam subierat; cum ex ea vnus de genibus maximo idolo quod altari medio insidebat suprema verba dixit, auguratúsque est illi meliora quàm quæ à Patribus non dubitabat eò factum iri. Ab hoc multum diuersus alius, coram vultu irato constitit, & Ticam! ait, (idoli erat nomen) corpulenta ex stercore, & luto massa! nec ego te adoro, nec tibi quicquid acciderit doleo; valentem scilicet te probasti Deum, in propugnanda suo domino hac villa quam idcircò tuam effecerat vt hanc ei seruares: te quidem si eius non tangebat cura; mouere debuit tui dedecoris, & exitij metus: abi sis in rem malam quæ certò te manet si villa domino pereat, aptè in manus incidisti tuo dignas stupore, nec tua ista te iuuerit membrorum & otis horrenda moles, nisi vt fortibus malleis ad ictus latiora præbeas spatia, & dispulueratum commodiùs in fluuium spargatis. Secuti hunc cœteri, suum quisque in os conuitium idolo iecit. Pelus ausi quidam pariter Eunuchi, onerarunt pugnis, & calcibus, Pantoiam & Christianum iuuenem ibidem repertos necaturi omninò si ferrum in promptu habuissent; quod Mandarinos, & nobiles grauiter commouit, & rei vitæ periculo crimen vrbis Præfecto erant luituri nisi obstitissent nostrorum interceſſiones, quas & Christiana decebat charitas, & necessaria cautio proritandi scelestos semiuiros, multati sunt tamen ea pœna quæ abundè à Patrum iniuria, reliquorum audaciam exterreret, pœnæque addita seueriſſimi edicti promulgatio quæ securam illic nostrorum habitationi tutelam præstaret.

Possessione libera potiti Patres, Octob. 25. templum aggressi sunt ab idolorum colluuie purgare, vt Deo sacratum, Riccium Dei sermum suo gremio conderet. Sedebat in vasto, & rubicundo altari (qui sacrorum est color) Deus Ticam, nos rectè Plutonem dixerimus, cùm suus sit etiam Sinis Inferorum Deus, & præsit subterraneis thesauris; Dei corpus immane; materia signinum cretaceum; aurei encausti tectorium; habitus sedentis; maiestas potiùs monstrosa quàm venerabilis, & quò fœdior hoc terribilior; corona capitis, non qualis Sinarum sed externorum Regum vtpotè idoli peregrini; dextra sceptrum tenebat, circum minores quatuor Plutones ex eadem & creta, & cute: aulæ duo extrema, mensæ totidem ornabant; extabant ex iis vtrobique Reges quinque, & ipsi de gente inferorum. Oscianorum Sacerdotum variis fabulis illusi parietes, quas illi pro veris vniuersi affirmant,

125. Inferorum pœnæ quo modo Sinas ad scelera incendant.

affirmant, & vendunt; magna pars fallas norunt, damnatorum tormenta, eæ referebant horrore vario deformata. Suum erat cuique, criminum generi tribunal, suus iudex, sui coram in compede, & catena rei, actor nemo; præter obiectum iudici speculum, in quo singulorum legebat scelera, & grauitati scelerum condignas prænuntiabat pœnas. Turba dæmonum præsens terribili specie, quales etiam pingimus, ad iuuandam sensu intelligentiam, raptabant ad sua quosque suppitia, feruentes ollas; frigentes sartagines lectos subiectis ignibus candentes; canum morsus insaturabiles; secandis serras corporibus & comminuendis ossibus molettinas: suo animæ minùs fontes pro tribunali sistebantur, ab aliis seiuncto, & addicebantur felium, vermium, animalium denique fœdis corporibus animandis; aut si hominum, cæcis, claudis, mendicis, membrorum vsu captis. Quis tam horrificis tot malorum figuris non existimaret frænatum iri peccandi licentiam, & impotentes potentum libidines? at enim hæc suos Bonzios mystagogus Dæmon haudquaquam docuisset, nisi mox eadem detorturus in postremam Sinarum pernitiem: nullo æque Sinæ in omne flagitium lubrico præcipites ruunt, vt hac imagine multiplicium pœnarum. Singulis enim Dei nomen adscriptum legebatur, penes quem erat pœnæ illius arbitrium; legebatur ad hoc quoties in opem vocari deberet ad veniam; emungebantur larga in Bonzios stipe, sacinorosissimi homines, erogatæ stipis, inuocati idoli, & Bonziorum spondentium stulta fiducia, pœnarum securi, quantumuis habenas in scelera omnia laxarent, nam & hoc etiam affixa programmata indicebant, precúmque numerum quibus esset placandum idolum; & idem emblemata varia significabant non obscurè, vt libra ingens, cuius in lance homo nequissimus, depressione lancis alterius in cœlum tollebatur quod precum suarum huic lanci imposuisset pondus. Flumen aqua ignitis rapidum fontes animas voluens, sed iunctum argenteo & aureo pontibus, (piæ symbolo liberalitatis) quibus in Elysios transibant ductoribus Bonziis alacres, qui Deorum præferrent, quos coluissent insignia. Rupes flammis ardens intestinis; eius fauces luporum, & tygridum septæ custodia, qui tentantes egressum reorum animas, intrò retruderent; nihilo sciùs confidens, & interritus Bonzius earum vnam, prehensam brachio foras trahens, retrahentibus nequequam vnguium, & vncorum remulco dæmonibus. Quis ergo Bonzios non veneraretur, & largis muneribus demereri sibi non anteuerteret, qui summum in inferos haberent imperium? id enim gens fraudulentissima Bonziorum volebat intelligi, & hoc fuco non tantùm plebeios, sed primores etiam ludebat. Ad liberandum hoc, Augiæ stabulum, ab ea quam dixi contaminatissimi cultus inquinatione, nostri famulos adhibent, & Christianos aliquot iuuenes, altaria subruunt, ligneas statuas prostantes, & quæ latebant in penetralibus incendunt; fureas diligenti anatome scrutantur, sua in iis aliquid bona sorte gemmarum

aurive

aurive reperturi ab eorum adoratoribus de more iniectum. Iicam Plato in frusta grandia confractus suppeditauit interiori supro materiam quo fossa munita est, condendo Riccio vt expugnatam à se idololatriam, secum sepeliret, post illuminatos suis libris Sinas religione Christiana, quæ fuit pia Doct. Pauli obseruatio. Sacellum Reginæ superum ex voto dedicatum: Ædis sacræ altari frater noster Neua lacobus, Saluatorem pinxit augusta specie Apostolos docentem, euasitque tunc verè doctrinæ bonæ templum, quod falso, & dolo, fuerat ab Eunucho ea epigraphe simulatum. Nostris auctor fuit Doctor Leo, & amici nobis Mandarini, vt portæ frontem decumanæ, hoc lemmate, cubitalibus inciso literis muniremus, id palatium donum esse Regiæ munificentiæ, cuius inter Sinas honoris magnitudo, non potest in Europa suo pretio æstimari, præterquam quòd hoc ipso, videbatur Christiana lex à Rege approbari, cùm datum Riccio sepulchrum, & ædes sacra vnum fabricæ corpus efficerent. Certè huius ab Rege impensi honoris, & inauditæ in exteros prærogatiua beneficentiæ, omnes Regni Prouincias adeò perstrinxit vt Hianseiani præfectus, Mandarinus in paucis grauissimus Macaum se conferret Lusitanos & Patres nuntio illo beaturus, quo nullum aiebat dignius æstimandum. Dùm expectatur Longobardus quem sibi Riccius dixerat successorem, in sepulchrum Riccius effertur ex templo nostro Pechinensi vbi ab anno iacebat depositus; nihil ex ritu Sinensi in ducendo funere inductum, omnia ex more peracta Christiano, cruce præuia, & Christianis amictu lugubri cum funalibus accensis, Patribus denique ceps, ante sandapilam, modesto demùm sequente comitatu, nec aliter factum cum die Sanctorum omnium sepulchro funus illatum est. Sacris enim diei solenniis condigno p ratu ritéque absolutis, producta sandapila parentatum est Riccij animæ solenni sacro, & officio pro defunctis, addita concione, vtrique apta, Sanctorum & Riccij tempori. Exin structo fidelium ordine sepulchrum versus procedit pompa: ossa Riccij portantur succollantibus quatuor illorum, dignitate gradúque præcipuis, & præmissis ad sepulchri oram inter quatuor cupressos Ecclesiæ cantibus ritúque omni Christiano, sandapila in substructam fossam dem titur; cui ministerio Doctor Paulus, vir talis, & toto regno tantus, manus etiam proprias commodauit, flens Patremque appellans Riccium, quem patris loco teneriter diligebat, & diligebatur ab eo vicissim, vniusque inter se animi & consiliorum ad propagandam fidem societate iungebantur, vt mirùm non sit eorum icones ad viuum expressas Christianum orbem latè peruasisse, vt quibus suo cuique in ordine ex æquo Sinensis Ecclesia plurimùm debeat. Cæterùm Riccij sacris funebribus, fideles non sunt passi deesse ciuilia, sed vrbana qua solent repetitarum proclinationum reuerentia tumulum venerati, post actas à Patribus gratias abierunt. Haud diu postea Pechini, en pompa ingens, longo, & splendido agmine per mediam vr-

bis frequentiam versus domum nostram incedere. Aula erat Præfecti Pechinensis, implebat vicos fulgore vestium, tympanorum cantu, & festis tibiis, tabulam sublimè præferebat ornatu, artéque pretiosam; tabulæ aream longè augustior tenebat epigraphe, quæ significabat Riccium in Sinas venisse regni æquitate, famaque pellectum; vicissim Sinas virum comperisse pari fama librorum quos composuerat memorandum; sed hoc lemma his verbis euolutum gratia sua carer, characteribus Sinarum dumtaxat quatuor, sententia illa integrè legebatur, ieroglyphico inuento ingeniorum tantùm illic præstantium; nec à nobis de nostra loquendi, & scribendi ratione vnquam capiendo. In infima tabulæ area minoribus literis hæc epitaphij dedicatio legebatur [Matthæo Riccio magni Occidentis Hoam Chieseius Præfectus vrbis Regiæ Pechinensis] nempè hanc tabulam mittebat sepulchro Riccij appendendam; quod honoris genus à tanto Regiæ Ministro, donum fuit eximiæ commendationis. Nanchinum quin etiam vltima Regni vrbs eáque Regia suos pariter ingeniosæ beneuolentiæ honores ad sepulchrum misit. Lingozuonus epitaphia duo tabulis insculpta marmoreis cum scripto à se in defuncti laudem poëmate. Vbicumque demùm Sinensis imperij nominabatur Christus, honoratus est Riccius iustis funebribus tanquam parens communis Sinensis Christianitatis, iuitque in posteros æterna cum laude ipsius memoria.

LIBER

LIBER III.

SVCCESSVRI Riccio Longobardi aduentum in Regiam, multa in quartum mensem distulerunt; serus nuncius impositi muneris; serus Quanceum onerariæ appulsus quæ recentes vehebat operas, subituras in eorum locum, quos victus incommoda, & pertinax in lingua condiscenda labor in tabem egerat, & erant Macaum ad Lusitanos medicos necessariò deportandi. Postquam autem vertente Decembri, tres illi quos expectauerat, fluuiorum delusis custodiis, applicuere tandem Sciaoceum, duobus illorum sociis Felicíano de Sylua valetudini reddito, & Nicolao Trigaultio Nancianum peruenit; tertium pro se Sciaocei reliquit Manuëlem Diaz Castroblancum, quem cognominarunt iuniorem, vt à seniori discerneretur. Nanciano inspecta, & Neophytis illic agentibus, bimestri per amnium anfractus nauigatione Nanchinum subiit, vbi nostris coactis, etiam Cataneo Sciamhaij degente, multa in consilium adduxit, commune bonum spectantia; prælius tamen de baptismi forma certatum est idiomate Sinensi tunc primùm composita. Carent enim Sinenses R. B. D. quibus efferendis, quæ similibus sonant substituunt: ad hæc ferre aures Sinarum nequeunt voces duas interiectis consonantibus duabus aut tribus, nec pronuntiare illas nisi perperam possunt. Dempto denique M. & N. nulla Sinarum vox in consonantem exit: ad hæc voces easdem Prouinciæ quindecim tàm diuersè inter se cùm efferrent vt suam per se seiunctam ab aliis habere linguam singulæ viderentur, timendum erat non mediocriter, ne absona vari tione illarum in ore barbarum aliquid sonarent sacra verba, vel significandi vim necessariam baptismo non satis retinerent: alia ex parte vsque adeò inuentu difficiles putarat Riccius characteres & voces, quæ natiuam referrent formulæ sacræ sententiam, potissimùm verò quæ Spiritum sanctum à spiritibus aliis inferioribus distinctum notarent, vt nulla sua linguæ peritia ausus esset Latinam formulam sinicè reddere, & quidem prouidè; quoad fide latiùs diffusa, & auditu lectúque intelligerent infideles quibus verbis significaretur à nobis verus Deus, & discernerentur personæ diuinissimæ Triados; transissentque proinde verba illa ex vsu veteri in ius significandæ vulgò, distinguendæque augustissimæ Trinitatis; quod etsi tunc post tantùm temporis obtinuisse sentirent Patres, diu nihilominùs inter se multúmque agitarunt. Longobardus annis decem & quatuor, Catanеus

1. Bapt. forma Sinensi lingua quàm difficil. quo modo?

Cataneus septemdecim in lingua positis, & apud Mandarinos dictionis laude florens Vagnonius, & alij, sacramque baptismi formulam Sinensi conceptam scriptamque vernaculo, Literatis Sinensibus dedere retractandam, pridem Christianis, fideique Mysteria & linguam apprime callentibus, quam cùm ij probassent, pro legitima deinceps habendam Patres statuerunt, Christianisque omnibus promulgandam, vt incidentibus necessitatum articulis ea vterentur, infantibus maximè in extremo periculo tingendis, quod simulato morbi remedio non pauci factitabant. Hæc & alia in rem Christianam dum Patres consulunt adest citatus Pechino nuncius profectionem Longobardi vehementer vrgens, quare assumptis secum Feliciano de Sylua, & fratribus duobus Sinensibus, Trigaultio Nanchini relicto quamprimùm itineri se dedit, missis priùs Hanceum qui stationem in ea metropoli locarent (de cuius progressu posteà) nam variis vrbibus, boni eiusdem desiderium testatis, fieri satis non potuit, ob penuriam operarum, & temporarij commeatus; quo Sciaocei quoque, vnde propiùs licet Macao distante, sic egebant vt dies hebdomadæ, seu non nisi orizæ aqua macerataæ demento vescerentur; paucissimum bubulinæ die dominico adderent, quàm nec bubulci, neque mancipia dignantur attingere; carnibus aliis præ summa inopia abstinerent quanquam & multis, & pretio vilibus: mulcebat has ærumnas Apostolici ministerij tolerantia comes, & character, maximéque fiducia lætaris quâ Longobardus vbique securos fecerat nihil esse nostris in posterum ab exilio metuendum: nostros vsu edoctos tempestates exire aut frangere; conciliatam iis à Riccio doctrinarum omnium præsertim Mattheseos famam, & amicitias potentes omnium Præsidum; cooptatos à Rege in vrbem Regiam, ipsósque aulæ domesticos ex nostris quatuor; instarque omnium tàm diu nos esse in regno versatos, vt Sinis per leges non licerèt ex eo nos pellere ne (quod ipsi hac lege cautum voluerunt) per nos Regni arcana, per nostros sequacem regnum proderetur. Hæc Longobardus apud se, & ad nostros; hæc Trigaultius etiam in Europa, hæc alij, quàm ardenter optantes tàm facilè crediti, haud quidem vt Riccium carperent eiusque suspensos perpetuò timores, verum vt illos iam partæ fiducia stabilitatis enarrarent: at enim Riccium sapientiùs timuisse, quàm isti iure confiderent quinquennio post nimium patuit, cùm pulsi extra Sinas, Macai ægrè constitimus, quam calamitatem conscivit Patrum qui Nanchini degebant confidentia hæc, libertásque in vsu Christianæ pietatis animosior quàm cauta; & demùm (contra quam semper inculcauerat Riccius) quòd perperam crederent, non esse in potestate Mandarini etiam offensi, nos regno extrudere; id verò grandi suo malo, experti sunt quàm falsò crederent.

2. Victus difficultas.

3. Falsa præsidentia, de stabilitate PP. in Sinis.

Quod autem nostros in Mathematicis exquisita peritia, Reipublicæ necessarios suaderet, hoc seculi huius anno vndecimo potissimùm clarum,

claruit, magno quidem exinde sed breui compendio, inciderat Lunæ defectio in anni præteriti medium Decembrem; horum momenta defectuum, vtraque in aula Regis Astrologi pro officij fide sic obseruant, vt si de summa imperij agatur, quæ quisque momenta laboraturi syderis, & restituendi notauerit, eorum Princeps in vnam eliquat certæ prædictionis sententiam, quæ ad Regem defertur, moxque ab Rege velocibus nuntiis omnes Prouinciæ in expectationem vaticinij ingentis arriguntur, cuius illis dies, hora, & articuli, editis literis asseruntur: hora media illo anno errarant Astrologi (quæ apud Sinas hora est solida, qui diem horarum nostratium viginti quatuor, in horas suas duodecim colligunt) grauis inde in Regnum offensio, indignatio omnium aduersus Astrologos, & decreta in miseros ab Rege erroris pœna, illi in præsens solliciti, in posterum prouidi, apud eum demissè expostulant, alienam se culpam luere; errorem hunc esse Astronomiæ Sinensis, & Calendarij abaci, non suum; nunquam fore certa & rata prognostica, ex vacillanti, & falso canone, cuius calculo minutim diligenterque instituissent; iuberet illum Rex corrigi, vt certæ de cœtero prædictiones ex eo ederentur. Hic animi omnium ad Patres versi; rogantur à tribunali rituum correctioni manum admouere, Calendarias tabulas emendare, & nostros de Astrologia codices sinicè reddere. Læti occasione læta Patres Religionis promouendæ, liberè respondent, se quidem Sinas nec eo consilio per infinita quæsisse discrimina, vt eas scientias traderent, quæ nihil aut parum ad salutem animi faciunt; nec eas didicisse, nisi ad oblectamentum ingenij, quod interponerent interdùm seriis: propositi sui & votorum fuisse summam vt cognitione veri Dei Sinas imbuerent, eiusque legis sanctissimæ, cuius accurata obseruatione homines in eam euaderent ad quam conditi sunt beatitatem sempiternam; Regis tamen in se beneficentiæ singulari debere omnia; eiusque tribunalis humanissimæ comitati; correctionem tabularum vltrò suscipere, & incubituros in eam accuratione tàm strenua quanti ea esset apud Regem, qui sua illam inter grauissima regni negotia dignatus esset commendatione. Placuit Magistratui responsum, Præses libello ad Regem retulit, Patresque ad hoc nominauit qui Pechini legebant, adiuncta clausula qua illis fas erat alios accire; ac ne qua vsus Sinensis ignoratione fallerentur, Doctores Paulum, & Leonem, adiutores operis acceperunt. Cùm his Sabbatinus de Vrsis Calendarij Sinensis digestos canones cœpit retexere; & Principi Mathematicorum commentationem tradere maiorum Planetarum, quam ad mensem perduxit huius anni 1611. Aprilem, quod à me non frustra hic notatur ad refellendos, qui malè prædictum deliquium, solis fuisse non lunæ scripserunt, cùm solis tunc esse nequiuerit.

4. Calend. Sinensis emendatio nostris à Rege commissa & cur.

Suspexit magnoperè Sabbatinus Sinensium veterum solers ingenium qui nulla systematis figuratione, & varietate fictorum circulorum quibus luminarium maiorum motus erraticos æquabili regula fixáque

diuiderent; nihilo tamen hanc minus feliciter indagassent, quam si principiis niterentur necessariæ veritatis, quod ipse imprimis breui complexus est apparatu, ad Astrologiæ Sinensis componendas cum nostris regulas, cuius initij partem do aliquam, quòd & historica sit, & huic elucidandæ materiæ opportuna. Sic ergo scribebat anno ante nostri duodecimo. Habemus chronico Sinarum ab annis retrò nongentis septuaginta supra mille Calendario vsos, quod ferè eclipseon computatione, & cœlestium motuum continetur, variarúmque obseruationum, de quibus inferiùs, principium huic dedit Rex Iao, qui scientissimos eius nomine Hi, & Ho, fratres duos nactus, iussit eos varietatem cœlestium motuum statis regulis definire. Secutus est bis mille post annos Cin Hoam Rex, qui anno imperij sub triceſimum quarto proscriptis librorum studiis omnes igni addixit, præter Medicos, Georgicos, diuinationum, & quod lugent etiamnum Sinæ Calendarios, quanquam annis deinceps centum nonaginta, illarum computationum ars tradi non destitit, & priuatæ dumtaxat vocis disciplina in futurum transmitti, donec Rex literis æquior imperio potitus, seruatos ab eo incendio, latebris, & subterraneis cauis libros, diligentissimè requisiuit, primisque honoribus, & vsibus reddidit. Sic restitutæ integrum Calendarij regulæ, quas vt demus illas ipsas esse à veteribus inuentas de prænotionibus eclipseon, & annuo temporum ordine, sed emendatas ferunt quinquagies quinquies, factúmque id vltimò ante annos tercentum ab Astrologo illustri Coscencino. Præter hoc suum propriè, sibique cariſſimum Calendarium abacum, alium retunt quo Mauri ex Persida Tartarum donarunt tunc Sinis dominantem post verò repertum in palatio Humuuni, Sinarum à Tartaro fortissimi vindicis) qui regni sui anno, quinto decimo, verri sinicè mandauit, adducendam ex eo correctionem Calendarij Sinensis: sed eius interpretes Mandarini duo ex Collegio regio, Planetarum intacta speculatione, quam nunc etiam is liber exhibet, vsum tantùm illorum verterunt, & obseruandi experientiam, quam vnam percipiunt Sinenses, & ex Oroscopis nonnihil; ignari de cœtero contemplationis, & causarum.] Hæc de Calendarij negotio, supremi apud Sinas momenti Sabatinus, & necessitate illius subindè exerrationes certioribus regulis emendandi. Postrò datum quem diximus à Præside Rituum libellum Rex suo probauit Rescripto, quod Typis editum, vniuersóque mox vt moris est regno, per cursores sparsum, incomparabilem nostris famam, & auctoritatem peperit; gratulati sunt illis Mandarini, solennibus officiis demandatum ab Rege operis tanti Prouinciam; Gubernatores appensis per compitabulis, optatissimo nuntio populum recrearunt de Calendario à Patribus magni Occidentis rectè instaurando. Incumbebat operi Sabbatinus cum Paulo & Leone laboris sociis; defectionem aliquam syderum operiebantur, cuius cum alterius Europa acceptæ obseruatione, stabilirent longitudinem Regiæ Pechinensis; latitudines vrbium metiebatur Iacobus

bus Pantoia, cùm præstantissimi negotij successum mathematicis Regij miserè corruperunt. Regem perinde libello supplici adeunt, vt si opus ipsimet iam per se absoluissent, quòd nostri solùm inchoarant; nec erubuit cupiditas impudens Calendarij velut emendati, pro quo nec digitum mouerant præmia poscere honores & quæstus immodicos, & astronomicæ organa, & alia impudentiæ tàm audacis vt pertæsus Rex petitionum insolentiam Calendarij, cogitationem prorsus abiecerit sic illæ de Calendario indice restitutæ non temerariæ expectationes, in fumum abiere. Ergo Sabbatinus habitatione palatij imita, & ædis sacræ sepulchro Riccij proximæ, excogitauit aliud quò persuaderet Sinis, nostrorum nemini defore vnquam in publici bonum illas artes, & propensissimas voluntates quas in Riccio adamarant. Molitus est machinam aſſellendis ab imo profundi cuiuslibet in sublime aquis, & transfundi gradatim in vasa, alia aliis altiora, quod apud nos vulgare & obuium, illic nouum, inuisum, incomprehensum, vniuersum. Foras Pechinum exciuit ad spectaculi admirationem, tribunalium Præsides, & Collegas, Taolios, Colios, regni Administros, Principes Eunuchorum; primò tamen ingressu reuerentiæ humilis officia debita Saluatoris imagini exsoluebant cuius titulo inscripta fuerat ædes sacra; tunc Præses Rituum, Tienciutam vocauit, hoc est *Templum Domini cœli*, manſitque loco nomen. Vnus cognatione Regis & grauitate prudentiæ illustris, inspecta operis machinatione, Patres Scingin, & omninò Scingin appellauit quod homines sanctos, & planè diuinos significat, beneficentiæ scilicet in publicum natos, sed castæ, ac nobili, & ab suo quouis priuato commodo alienæ; procul ab auaro Bonziorum quæstu, & sordibus, qui nisi immensis pretiis nihil docent; exacturi omninò ab Rege templum in qualibet maiorum vrbium, si quid Patrum labori simile inuenissent; hinc idem nostros & arcta necessitudine, & salutaribus consiliis dignatus est ad firmandas illorum in regno sedes. Ad hanc aulæ tàm prona erga nos gratiam, & communia omnium studia, exiliebat gaudio Doctor Paulus, in re Christi agenda nostris haudquaquam inferior, ventitabat ad eos stupens liberas in regno ipsaque illius vitalia eorum stationes, reclamantibus perpetuo ex Cantonensi tractatu Mandarinis contra Lusitanorum incrementa, & Externos quos in regno passim, & regni visceribus alerent; inde fieri negabat potuisse nisi diuinitùs, vt iis mechanicis peregrinis tentarent & promererentur omnium fauorem, suadebátque Sabbatino, vt eorum artem scripto libro proelis committeret; librum ex vernaculo, Sinensi in aulæ nobilem traduxit, & elegantem ornare illum proœmio voluit Præfectus regiæ admonitionis, idemque multis optantibus cùm locus non esset, suis saltem laudari adscriptis nominibus tùm se, tùm librum voluere, nullum tamen ex iis quibus licuit locum dare, tanti fuit quanti proœmium celebratissimi Mandarini, qui tàm magnificè in laudes exciuit legis à Patribus traditæ, nihil vt posset vberiùs

§. Mechanica artificia quã vtilia ad fidem introduc.

à Christiano expectari; ad vtilitates verò sperandas ex machinis, quarum artificia edebat liber, addebat sufficere, quod ipse Pechino festinaret abire, vt occuparetur meritum importati primùm in suam Prouinciam Chiansiensem illarum inuenti, vsúsque per eam latissimè frequentandi. Pro illo item quo præ nobis Sinæ publici commodi, priuatim honore ac studio tanguntur, non pauci argentum gratuitum sculpturis characterum, figuris, & reliquis vulgandi libri tumptibus sufficere. Absolutum opus Sabbatinus primariis quibusque Magistratuum obtulit, etiam Colais, qui prosecuti sunt auctorem muneris, & munus honoribus, supra omnem morem eximiis.

Postremò Præfectus Regionis Pechino subiectæ, eiusmodi machinis duabus Patris dono acceptis, omnes iuris sui Pagorum & vrbium Præfectos ad festam acciuit gratulationem; machinas geminas cultu sublimes magnifico equis imposuit, & numeroso comitantium ordine inter vexilla, & tympana sonosque tibiarum, circumuehi iussit per frequentissima ciuitatis, dignas videlicet omnium admiratione; mandauit præterea similes nonaginta sibi fabricari, quas dono in vrbes alias mitteret, edita denique lucubratione illas mirificè illustrauit, qua inter cætera, prædicabat regnum, cœlo debere plurimùm, quod Patres sibi à magno Occidente misisset ditaturos inuentis, & commodis Sinas, ingeniorum suorum præstantia, fulciebatur his in aula præsidiis Patrum sedes, nutans identidem validéque concussa, prædicato, nec sat vnquam purgato Externi nomine velut hostis, & Lusitanorum exploratoris. Qaare aduertit religiosè Doctor Paulus & cum eo nostri Deum nobis subindè has occasiones subiicere, fouendæ populi, & Magistratuum gratiæ Regisque ipsius, vt pauló post etiam contigit. Cùm ex Eunuchis fauore apud eum pollens, mentem illi iniecit habendi quatuor mundi partes tabulis totidem seiunctas grandibus adscriptis quæcumque ad eas attinerent delectabilibus & scitu curiosis. Illas Pantoia ex magisterio Riccij deuisit, fusque ad certam amussis cosmographæ descriptionem gradibus, & regionibus absolut. Præterque proprias, & historicas appendices, etiam politicas adiecit, fusiores tamen de Christi aduentu, animorum immortalitate, æternùm beata, æternùm misera; Christiano cultu, eique addictis magna gloria Regibus, & nationibus; de Monarchiæ demùm Ecclesiasticæ splendore, quæ Doctor Paulus accurato labore ad dignitatem argumenti stylo nobili exposuit, Frater Niua Iacopus, auri, & colorum luce varia vbique & vndique elegantissimè decorauit. Et eò denique euasit prima operis perfecti species vt eam suspicerent cum incredibili gaudio Eunuchi, & duos nostrorum, eius artifices, præter quam soleat fastuosissima indoles omni beneuolæ comitatis significatione afficerent; Rex eò sic delectatus est, vt eum cupido ceperit, vberioris historiæ, quæ quicquid vsquam est cognitu iucundum, & vtile narrando perstringeret.

6. Geog. tabulis quatuor, Rex diuina docetur.

Succurrit

Succurrit hinc Patribus ingens ardor Christianismi approbationem, & promulgationem solemni diplomate impetrandi nullius tribunalis recensioni obnoxio, quod fuerat tertium Matthæo Riccio & supremum votum: nam duo priora fixas in Sinis, & Pechini sedes, sua virtute iam obtinuerat; de hoc tertio monere aliquid fidelissimi amicorum, & aulæ columina, certioris semper putarant nocumenti, quàm boni probabilis. Homines aduenas, animorum, & vitæ Societate iunctos, non minora in regno adeptos quam ipsos indigenas miraculum esse compertæ nostræ, perluasæque innocentiæ. In Religione propaganda, quod vnum erat nobis propositum, pergeremus sanè eadem moderatione quam tenuissemus in ea inducenda; versari nos in gente partim studio idolorum nobis inimica; partim regno, & sibi magis cauta suspicosa, & timida, quàm nostri secura. In faciendis itaque Christianis sic agendum ne factionem cogere videremur, & numerosæ turbæ ostentatione credulum in peius populum terreremus, Primatésque ipsos, qui Prisco sectarum, etiam Sinensium exemplo docti, censerent à nobis coniurationibus præludi. Hæc tam sapienter, altéque Riccio insederant vt intempestiuam semper iudicarit rei tàm lubricæ postulationem. Pantoia nunc & Sabbatinus, præsentibus gratiæ nimiùm confisi fauoniis, & Aquauiuæ Generalis ad Riccium, paulò antè defunctum epistola, feruidiores facti, rem denuò referunt ad amicissimos Mandarinos, de petendo saltem eodem iure libertatis quo secta idolorum, etsi alioqui extranea toto regno Sinarum fruebatur; verùm in iis fuit nemo qui petitionem approbaret, quòd excellentia legis nostræ cœlestis & diuina, nullum esset in Rege amoris sensum impressura, vt qui delitiis, libidinibus, & abdomine sepultus, vix præ mole aruinæ proferret pedem; vix palearibus ex obesa ceruice aretrorsum pendulis anhelans spiraret, vix loquens audiretur, nisi si quando iratus fureret. (talem hunc iis depinxerant Eunuchi) qui si fortè petitis annueret, nunquam fore vt eius Rescripto Siuseius subscriberet nisi à Colais & Externorum, ac Rituum. Præfectis retractato, cùm id in minimis etiam, ex lege Sinarum inuiolabili nefas sit omitti, hos verò pro fide officij quod gerunt dissuasuros id Regi procliuiùs, memoratis querelis Cantonienſium, quàm pro suo erga nos amore in nostri fauorem sua suffragia collaturos. Quibus intulit Doctor Paulus, de Regni negotiis vix vnquam consuli, quin de pellendis Macao Lusitanis, inptimis ageretur, terque illo eodem anno, datos contra Patres libellos supplices, quòd ipsi quoque Macaenses essent. Hæc ille quàm certo affirmaret, amici clàm nobis indicarunt, inter eos nimirùm consiliarios, quorum probè tenebant arcana, de nobis multa cogitari, & suspectas fieri excursiones nostras in vicinos pagos, ad cogendos cœtus sequacium, quasi vrbs Regia Pechinum tot ciuium centenis millibus angustum præberent labori nostro campum. Proin cautiùs nobis & parciùs aliò excurrendum, ne dùm paruis inhiaretur lucris, sum-

mæ totius iactura fierent. Optatis igitur excluſi maioribus Patrès cepto deinceps inſtitere, neque clàm penitùs, nec tanta in luce, vt de ſe rumores ſpargerent nocituros: ferebántque religioſæ operæ non pœnitendos fructus, ſi minùs numero; dignitate ſaltem, & nobilitate perſonarum, in quo partem obtinuit non paruam Doctor Paulus, quod & pietatis ardore induſtrio, Literatos excelſi nominis ad Patres perduceret à quibus diuina ſolidè edocti ſacris fontibus tingebantur, & ſanctimoniæ tùm priuatim ſuæ, tùm domeſticæ exemplis, quam profitebatur legem validè prædicaret, caſtimonia præſertim & demiſſione ſui, duabus inter Sinas tàm peregrinis dotibus, quàm eatum auctrix, & magiſtra lex Chriſtiana: iungebat his patrocinia, & ſubſidia miſerum & pauperum; plebeios tumultus, & Magiſtratuum inſectationes quibus conflictabantur Chriſtiani, auctoritate, precibus, gratia magnarum amicitiarum denique ſedabat; cúmque illum Deus in diuinis, ſtylo illo ſuo ſublimi & grandi clarè ac proprie explicandis ſingulari donaſſet ingenio nihil vſquam noſtri dabant in publicum, quod Pauli cenſura non probaſſet. Quem ſi tunc Deus in Colai gradu à quo proximè aberat locaſſet, omninò ſtatuerat eò Regem adducere, vt de immortalis animi ſalute audiret, ſperabátque agente ſpiritu increato, ex ſemibeſtia, in verum hominem rediturum foreque ingens inde miraculum, vt abſque miraculis Sinarum imperium Chriſto ſubderetur. Tunc mecum, aiebat, Patres, religio, Chriſtus, paradiſus, Orbis totus triumphabunt, cœterùm Pechini die cuiuſuis hebdomadæ ſexto docebantur fideles Chriſti vitam mortemque meditari, & quotidianis virtutum profectibus ſeipſis fieri meliores; pueri bis quot hebdomadis credendi rectè & agendi præceptionibus inſtituebantur, quâ ex vtraque diſciplina prodibant virtutes heroicæ, illuſtriáque illarum monumenta, paupertatis voluntariæ, amoris erga inimicos, propugnatæ viriliter aduerſus aurum, & inopiam egenæ caſtitatis, aliáque fortia & rara, ſed reliquis per Sinas ſtationibus noſtris communia.

7. Mandarini Neoph. virtutes exim.

7. Eruditorum Neophyt.

Hac tamen Chriſtianitate Longobardus Inſpector, Nanchinenſem agnouit glorioſiorem, fidelium numero Mandarinorum beneuolentia diuinæ legis æſtimatione: erant hi fructus laborioſæ ſolertiæ, vnius Vagnonij ſociorum altero Sciamhaium, Hanceum altero profectis. Ad huic eius animorum ædificio æterno, præmittenda eſt fabrica materiati templi, quò illic religio poſſeſſionem iniuit iuridicam manſuræ habitationis, illi non imparem, quâ ſectæ aut illic vernaculæ, aut ſæculis quindecim ius nactæ ciuium fruebantur. Primam fabricæ huius cogitationem Vagnonio Mandarini tres indidere, vehementer hortati vt Magiſtratuum prompta ſibi beneuolentia vteretur; excuſantíque ingenuè ſuam egeſtatem, quotidiano etiam victui ægrè neceſſaria ſuggerentem; ex iis vnus Doctor Leo, templo ſolùm emit; primam ædificij partem duo alij extulerunt, promouit certè ſua manu opus, eius auctor & dominus, & benignitatem quoque idololatrarum in illud contulit. En autem inter hæc adſunt Pechino à Patribus literæ quibus Vagno-

8. Nan hinenſ. Chriſtianj tus templum ædif.

nium grauiter deterrebant ab illo opere, nisi ex assensu legitimi tribunalis, neque nos tam firmis hærere radicibus quin posset leuis vnius legis transgressio, grandem nobis pœnam accersere. Probatum Patrum communem cautionem amici Mandarini, seu assensum illum impetrandum rei alterius petendæ specie, sic esse stylum curiæ Sinensis vt obliquè petatur & dissimulanter, quod directò postulatum conijcitur fore obtentu difficile. Postulata est ergo suppliciter immunitas in perpetuum a iure annuo, quod fisco pendebant domus quinque, ad extruendum Domino cœli templum, solo æquatæ concessaque est prolixo diplomate, cui intercedere ausi coactores, de subdola illa priuati lucri aucupatione plagas publicè retulere, nos verò alterum, & tertium, priori expressius diploma, quo illa immunitas prædicabatur data ob constituendum Domino cœli templum. Huc Præses Collorum (qui Regis sunt admonitores) ætate ac morum integritate venerandus, absenti Vagnonio, & legi quam docebat (præter amplissimum diploma) laudes attribuit quibus non posset ampliores ardentissimus Christianus: eius colloquium expetit, conuiuam adhibuit, & inter multos eiusdem Ordinis sapientes, primo ad mensas loco honestauit. Templi materiatio Sinensis partim muro surgebat; partim lignei septi commissura; designatio verò ex Europæ architectonica, quam longè Sinensi pulchriorem magno statim concursu ciues frequentarunt. Vicini tamen ad tribunalia vario strepitu detulere, quod officeret eorum luminibus & vmbram domibus faceret; illinc bonam fortunam ad eorum fenestras aduolantem, offensuram ad proceritatem ædificij, & retrò agendam; hinc vmbram illius, de cœli aspectu infelici, fore illorum domibus ominosam: contendebant ergo secari medium debere. Vagnonius sanando delirio verba, & operam perdebat, vnus ex delirantium Magistris, viarum experientia famosus quibus bona, & mala in domos subeunt, tumultum sedauit, & rem totam confecit; interrogatus, eius templi, quam latè se damna porrigerent, respondit, à templo bonorum omnium auctoris, & cœlestium Domini, nihil mali timendum; bonum omne sperandum, eiusque vmbram futuram domibus pro tutela ita stulti vnius sapientia opportuna, multis stultitiam ademit. Sed validior alium tametsi breuior exagitauit insania, spectanti de fenestra, obiecta est oculis marmorea crux templi frontem exornans, resilit velut ab aspectu draconis inuolantis, fenestram occludit, Christianum amicum adit desperabundus & eiulans, & funesti signi lethales influxus per fenestræ rimas penetraturos domum vociferans; cui Christianus quid crux esset, quid Crucifixo deberent homines, quibus nos eripuisset malis, quàm infinita bonorum æternorum felicitate cumulasset, vbi explicuit; repentè crucis amore incensus Christianum se esse professus est, infortunij metu, spe læta detersa fausti tatis quam exindè à cruce, impatienter expectauit, multóque tùm confidentiùs cùm Inuentæ Crucis beatissimo die consecratum est Deo templum. Solenne Sinis est nouam habitaturis domum non tantùm momenta legere quæ

fortunissima somniant, sed lacinioſa præterea inanium Rituum obſeruatione, auerruncare ab ea omne infortunium, & sub eodem secum tecto beatitatem vitæ perennaturam in æuum accersere; Æquum putarunt Christiani, nec vetare Vagnonius; potuit, piè in templo nouo vsurpare, quod suis in domibus superstitiosè Ethnici vsurpabant, in quo id vnum in commune spectarunt, vt denuntiarent vrbi vniuersæ, Dominum cœli, eiusque præcones habere publicum in ea templum: festa igitur in veste procedunt, & longis ordinibus, variorum sonorum multa distinctis symphonia, vrbem qua erat maximè celebris obeunt, prælatis effusa copia in vsum templi donariis, quorum religiosam largitatem etiam Ethnici, sed magis ferentium & suplicantium collectam modestiam mirificè laudarunt. Dedicati honos & fama templi creuit paulò post duabus tabulis elegantissimi, ornatus quarum in altera hæc epigraphe legebatur *Templum cultui diuino sacrum*, in altera *Domus Literatorum magni Occidentis.* Has non ita pridem baptismo tinctus, ex Principibus Mandarinis splendido miserat comitatu, templi & ædium foribus appendendas, quod honoris genus apud Sinas reuerentiam loco addit, auctori tabulæ æqualem, cuius etiam in calce nomen habet adscriptum, Patres tàm illustris ad Christianismi gloriam priuilegij extare voluerunt æternam memoriam, saxea in templo lamina his verbis incisam. *Nanchini, aula veterum Regum Sinensium Patres Societatis Iesu posuerunt, & Deo Optimo Maximo primum templum publicè dedicarunt.* His etsi magnoperè reficeretur Patrum labor; at multò iucundiùs & copiosiùs, sanctis Neophytorum profectibus; ostentum certè diuinæ gratiæ ingens erat homines modo turpitudinum omnium demersos cœno, tàm repentè ab omni non vitæ solùm & cupiditatum, sed cogitationum, atque imaginum fœditate abhorrere, vt post alterum, & tertium mensem confitentes, vix Sacerdoti posset subiicere quod posset absoluere, quanquam in mercimoniis, & negotiis verterentur, & in promiscua exemplorum impudentium fœditate: virtutum autem supra vsum communem edita dedecora, molestum est legere, quia longum, nec ad legentium saliuam satis nouum; paupertatem extremam, sed insontem, & lucra improba calcantem; misericordiæ vtrobique animis atque corporibus, impensa subsidia, solutis alienæ sollicitum, & strenuum studium; nominatim verò infantium quos erat ex vitæ limine præceptura mors sempiterna, nisi Christi baptismus liberasset, cœteráque eiusdem feruidæ charitatis. Vrbe sibi trifariam diuisa Patres, Neophytorum totidem eruditebant cœtus, ne suspicionum vmbras præberent Mandarinis, si ad templum nostrum simul omnes vidissent confluere; quartus nihilominus peculiaris, apud nos cogebatur cœtus, sublimioris disciplinæ, qui nutantes in fide, à Christianis moribus deuios; morbo, & miseriis afflictos indagarent, suáque tùm ope, tùm Patrum iuuarent; vix æquè aliud Christianismi admiratione idololatras perstringebat, vt ille præstantium hominum

hominum ad ægros humilis aditus, cui nihil simile suis in sectis obseruarant: ad hæc dabatur opera vt iidem sodales in occasiones subitas in promptu tenerent; modum formámque ritè baptizandi, nam magno numero censeri poterant quibus pronius nihil erat quàm Christo credere, & baptismo tingi; sed tenebantur vinculis pessimæ consuetudinis, & imbecillæ voluntatis quæ mortis vicinæ validiori metu dissoluta exhibebant illos baptismo idoneos. Optassent complures Christi legem integrè persuasi, ethnicè viuere, & mori Christianè: opem rebus afflictis nostro in templo implorabant, referebántque, prodigiosis subindè curationibus; nec omittebant posteà debitas beneficio gratias, sed iubebant filios ad Christi Saluatoris effigiem orare, illámque accensis facibus & odoro suffitu venerari. Discreuit tamen Nanchini hoc anno 1612. seruos suos ab alienis Deus. Grassans enim Boa pestiferis papulis, pænè omnes necauit Ethnicorum infantes, Christiani suos, aquæ lustralis hausto exiguo seruarunt. Magnam quidem illic iacturam fecimus, Chiutaisi Ignatij morte, cui profectò debet quamplurimùm & Societatis & Christianismi per Sinarum Regnum fundatio. Ciamiscij oppido tractus Nanchinensis piè vitam clausit, quam ab Exercitiis S. Ignatij, ex principiis æternis duxerat innocentem: multos huic nobis Deus substituit in magnum fidei splendorem. Vnum cuius maiores armorum gloria nobilitauerat pellendis barbaris extra Sinas, octogenario proximum; & tunc etiam suorum dignitate illustrem; huic Vagnonius ex baptismo, Pauli indidit nomen, Deus de Pauli in Christum amore, & præclaro exemplo partem non minimam, alterum Hiu Ioannem, eius aulæ Cancellarium; & Cham Thomam Doctorem, inter admonitores Regis, Magistratum gerentem, olim Riccio carum, & mente Christianum; tunc ita in omnes à Vagnonio versatum partes vt de vxoribus duabus alteram ad suos remitteret, alteram sibi honestis nuptiis copularet. Auctoritatem Christianæ legis huius viri claritas in tantùm extulit, vt præter plurimos omnis Ordinis Literatos tractura fuerit tres eius Collegas, omnésque Taolios qui supremus est eius aulæ Senatus, nisi polygamos inolita retinuisset væsania, quidam tamen ex iis lustrandos baptismo filios dedêre; contulere nonnulli ad templi fabricam. Christianismo fauerunt vniuersi. Hæc dùm secundis aguntur flatibus inter nobiles Nanchinenses; auxit pariter in luce populi, sacræ fidei nomen confidentia stolida Ciaicumorum, (constat ea secta ex idololatris) qui aut indignati Deos suos comburi aut verecundati eorum contemptum, ausi sunt certamine publico cum lege Christiana idololatriam committere, seruatum huc vsque ab aduenis ad vitandos tumultus silentium, interpretati diffidentiam, & timiditatem; nunc sua prouocatione, ius defensionis cum nobis imponerent. Fuit pleno vtrimque æmulorum auditorio disputandum. Producere illi Theologam suorum turbam; nostri fratrem nostrum Sinensem solùm, sed pridem exercitum ad fallacias co-

9. Infantes aqua lustr. sanant.

10. Chiutaisi Ign. mors pia.

11. Frater ex nostris Theologos idol. expugnat.

rum, absurdi, & pugnantiæ conuincendas. Hic primis petitionibus, doctrinæ illorum singula tentare firmamenta, quæ seorsim vltrò fateri sua cogebatur; coniuncta nequibant concedere, quod ea inter se pugnarent; dissimulare illi angustias, quibus premi se illicò sensere, vociferari audaciùs quò peiùs arctabantur; demùm alius alium intercipere dicentem, loqui omnes velle, nemo quid vellet satis scire, secum ipsi pugnare, mutuisque se inuicem salibus, & conuitiis mordere, frater ex aduersario spectator, tacitus, & silens, eorum discordia vincere, & quæcumque illi vicissim inter se arguerent, & damnarent iis in Christianismi laudem & triumphum frui. Spreti ergo à suis, & dirui deuoti abiere, cautique in posterùm dormientibus canibus barbam non vellere, nec iussos quietem tenere Christianos, timiditatis accusare. Sed his huius æui annis duobus vndecimo, & duodecimo, Nanchinum maius nihil protulit quàm apertos Euangelio aditus in Prouinciam Cechianam, à Pechinensi, & Nanchinensi, Regni primariam, & ipsam quondam sub Sungæ Regibus regni caput; aliquantò nunc minorem dignitate; cætera propemodùm æqualem, viris, vrbibus, naturæ beneficiis, artibus, opulentia illustrem, quàm orizæ, aeterici tùm crudi, tùm facti, quæ Regi pendit millionibus innumeris taxata pondera testantur. Iaponiæ ad ortum obiacet; in eam horis viginti quatuor, si ventus adspiret traiicit. Hanceum habet metropolim, Marci Pauli, vt ferunt Quinsaium; vtcumque res sit; Hanceum Sinæ, terræ dicunt paradisum, atque vt cœlum Deos suos sic Hanceum ciues, suos beare: in plana distenditur delitiis omnibus pinguia; Cientamo amni leuca integra lato ad austrum alluitur; ad occasum lacu aquas suas in vallem deponente cinctam amenissimis collibus; sui ambitus milliarium quadraginta, palatiis, templis, sepulchris, horti, cœnobiis, musæis coronatur, continetúrque firmo è sectis lapidibus aggere, qui viam circum euntibus siccam præstat & commodam; vbis amplitudo, fortè Nanchino inferior, verùm suburbia si addas incredibile dictu, visu tamen testatum, milliaria centum amplectitur; multas, præter vsum, Sinis omnibus communem ædes tollit in altiram contignationem, riui ex lacu, & flumine in vrbem deducti eúmque suburbana, millibus aliquot pontium iunguntur. Ædificiis splendet, numero, & magnitudine operum superbis, tùm profanis, tùm sacris, adeóque etiam Saracenorum fanis. Frequentatur, Maio, & Martio peregrinantium ad idola concursu; qui dies exigunt ad genua Deorum noctes, in expilandis ciuium domibus, turres illic visuntur quatuor, quales aliàs retuli, nouem Ordine contignationum in altum eductas; arcus item illi quos diximus ex elaborato marmore trecenos, & peritæ architectonices iustis ex regulis constructi. Vrbis medium mons factitiùs tenet, ex quo eminet templum ingens, custodi vrbis Spiritui, Cimo Hoamo sacrum; templo inferior, columnis immanibus ligneis incumbens turris horologium sustinet, Saraceni vt ferunt

prisci

12. Cechianæ Prouin. & Quancei opes, & multitudo.

priſcum opus, dùm penes familiam Iuenam Regnum eſſet. Conflant hanc machinam multa vaſa, quæ aquam filatim acceptam, ſingula in ſibi proximum tranſmittunt, donec ſupremo & capaciſſimo totam rediderint, extat huius ex vmbilico ſtylus horis notatus duodecim, quas aqua paulatim aſcendens contactu indicat; turris cuſtos vrbi ſignificat Arithmetico charactere vaſto, numerum horæ pro tabula in proſpectum exponens. Orizæ ſaccos quotidie, decies mille dicuntur abſumi, & eſt ſaccus centum hominum demenſum; horum autem quotannis milliones duos, dena & quingenta millia Regi pendunt; crudi pondus ſerici librarum ter mille millium ſoxcentarum; texti laboratíque bis mille ſolidos, & quingentos pannos, neque propterea ſic exhauriuntur, quin veſtis ſerica ſit iis decuplo vilior, quàm nobis lancea: ibat tertius iam annus cum Nanchino, dierum nouem itinere, in hanc vrbem Prouinciæ Principem, expetebantur Patres à grauiſſimis Mandarinis; & impetrati denique ſunt hoc anno vndecimo, ex Longobardo illac tranſeunte, miſſique P. Cattaneus cùm recens aduecto ex Europa Trigaultio, & F. Sebaſtiano Mendezio Sinenſi, optimo Catechiſta. Maio ineunte vix naui exſcenderant, cùm in eos aſpectum defigit adoleſcens, quaſi ad ſe magnoperè pertinerent, ſubſiſtens primum, dein quo attentiùs illos conſiderat lætior, tandem ſalutat reuerenter & niſi, ait, me fallit animus, mea cauſa Deus in has oras vos egit, ac me primum occurſu hoc veſtro optatiſſimo beauit, ex vultu, & habitu, Literatos vos puto magni Occidentis, quod cùm eorum vnus annuiſſet, ergo, inquit, me habete diſcipulum, & Chriſtianum facitote, vno enim ad hoc veſtrarum manuum miniſterio egeo, legis veſtræ arcana, veſtris dudùm libris apprimè doctus, & idolis exutus ne reſiduo quidem domi eorum cinere: fletu & gratiis ad Deum ſalutarunt Patres omen opimæ ex ſolo benè colendo meſſis, quod adhuc incultum, per ſe iam edebat Chriſtianos: nec enim is tantùm iuuenis præſtolabatur eorum aduentum. Multos Riccij librorum aſſidua lectio, & virtus, præter egregia honeſtiſſimi Chriſtiani monita, iiſdem deſideriis inflammarant; quibus paulò ante incitandis prodigium quoque præceſſerat, Chriſtiano enim Pechini baptizato Hanceum reduci, filiolus grauiter ægrotauit: mater in idolis & ex idolis tota, exhauſtis Medicis accerſit ex multis maleficiorum ſcientiſſimos venditores; ſubodoratus ſacrilegium maritus, domo exturbat fraudulentos, faciente nequicquam coniuge periculo filij, & idolorum fiducia; exclamantéque aduerſus parricidam, & legem remedia vetantem, quæ ſola poſſent filium ſanare: quamobrem viro foris in alia diſtento, ſublatum inter brachia filiolum, delubro proximo importat, ſparſiſque in auras ad ſatietatem coram idolo votis & lachrimis, ſuis eadem brachiis domum refert, quem ſibi finxerat pedibus rediturum, virum non latuit fabula, vxore acriter obiurgata, fide ardens, delubrum idem petit, infortunium idolis ferens, deiecta ſuis altaribus, confrin-

13. Præuenientis gratiæ documentũ.

git, proculcat, dissipat, ius vitæ ac necis vni proprium Deo, sacrilega dæmonis vsurpatione violatum vindicat, magno statim iræ egregiæ præmio, domum enim regressus valentem cernit filiolum, adhuc tientem illi matrem, nec sui satis, nec attoniti gaudij capacem: hinc multorum curata insipientia; caleari sperníque vtilius quam adorari Deos in puero experti; potentiorem iis viuere spiritum statuerunt; & hunc esse Christianorum Deum qui à Diis offensa læsus, illorum exterminatorem beneficio præsenti muneraßet. Hancei Patres Doctor Leo, suo palatio collegit, illuc ad parentis reuersus exequias, quem Cathecumenum obisse vidimus: ornato cubiculo, aráque composita, operati sunt primum sacris, die B. Michaëlis auspicatissimo, quem tantæ patronum Expeditionis idcircò legerunt, quòd minor tanto Archangelo vindex non esset optandus, ad legiones dæmonum exturbandas quibus si alia vsquam inter Sinas, ciuitas illa miserè seruiebat, suum & ipse Doctor Leo post vnum & viginti dies sacrificium obtulit; ad hoc, festum edixit augustissimæ Trinitatis; accumulari iussit in palatij aream omnia simulachra, quibus catenus mater, coniux, familia reliqua, (omnes tunc ad Christianismum prompti, & alacres) cultum detulerant; facem rogo ferali, non auersus, sed indignans, & gestiens subiecit ipsemet, nec passus est aceruum cineris ex eo relictum, amoueri; gaudens illo facti adeò insolentis nobili monumento causam illius intelligi, nimirùm quod esset Christianus; & deos apud se haberet veri Dei legisque ipsius sanctissimæ Doctores, quam autem prolixè id assecutus sit vt constet, aduertendum est inter Sinarum deliria hoc esse non pessimum, quod putent Deos humana specie, deuotas sibi Prouincias visere, lustrare vrbes, amicitioribus nonnullis se prodere, ægris, egentibus, stupidis, sterilibus, omnibus, sanitatem, diuitias, subtile ingenium, fœcunditatem, beneficia varia conferre, vtque præ cunctis opinor gentibus, præstigiatoribus abundant Sinæ, nihil faciliùs quàm vt aliqui eorum, Deos eiusmodi assimulauerint, & suis præstigiis fidem huic fabulæ fecerint. Vndecumque id somnium fluxerit; ingressu nostrorum in palatium Leonis, breui rumor clarus vulgauit in populum, duos humana specie maiores, ad Lincitanum Mandarinum (erat is Doctor Leo) diuertisse, totam proinde ipsius familiam insuetis lætitiis gestire; omninò illos ex Diis esse humano cultu peregrinantibus: hoc plebis credulæ anile commentum dùm rident Patres; en tibi Leo epistolam iis legit, quâ ex vrbi Præfectis quatuor-viris vnus rogabat vehementer, ne se vellet celatum de Diis hospitibus quos domo exceperat, dehinc, essentne libenter visentem excepturi? & quos visenti ritus præscriberent. Misereri Patres & simul indignari cupiditatem hominis alioqui cordati, nec simplicis, quem spes aliqua boni grandis tàm facilè cerebro mouisset; respondit Leo, quos vocabat Deos homines esse reliquis similes, alterum diu Nanchini versatum, alterum recentem, vtrumque non cœlo, sed

13. Insign. fides Doctoris.

sed alio ex orbe; posse liberè aditi, & quibus solent graues Literati cerimonijs salutari; at ipse maiores addidit præmisso libello professus eorum discipulum; verum enim verò ex longo de diuinis & æternis inter se & Cataneum sermone, præter oblectamentum ingenij, sterile nihil secum retulit. Bimestri fuerant apud Leonem Patres, & futuri spebus ex præterito erectis, domum quam incolerent quærebant quæ posset etiam populo patere, cui Mandarinorum palatia nisi vocato non licet ingredi; commeatum ad hæc in menses quatuor Nanchino allatum, nunquam siuit Leo ab his attingi; eius verò sumptibus tamdiù ali, videbatur non parùm existimationi officere quæ iactabat vbique Christianæ legis doctrinam, & professionem à nobis deferri gratuitò, nec vllis stipendij, honorum, aut munerum pretiis constare.

14. Mand. suprem conuersio.

Erat in iis qui ad nos crebriùs adibant, ex profapia Iam, Mandarinus, Leone superior, Prouinciarum olim iure regio inspector, & Præses examinum ad promouendos Literatos, quod munus ab Rege non creditur nisi lectissimis inter millia Doctorum, & sapientium plurima; tunc parenti vtrique decrepitis vitam domi longè ab ambitu, & negotiis ducebat, pietate illa venerabilior, quàm honoribus gerendis. Porrò quod idolis adhæsisset, tùm communi errore, tùm eius priuato factum erat, cùm tutiùs crederet Deos sequi, & remotiùs ab impietate; quàm cum Literatis post cæcas de Deo disputationes, inuentionem illius desperare, indagationem negligere: totus autem erat in cultu virtutum ex quibus Sinæ sanctimoniam metiuntur, potissimùm verò propensæ in publicum beneficentiæ, inter alia famulum alebat suo sumptu, qui suum in fano remedium quoddam absque pretio ægrotis diuideret, sed iussis priùs adorato idolo supplicare, vt vim inderet medicina, quàm illa per se non habebat; hoc ergo ingenio ad parendum Deo si eum agnosceret docili, & perspicaci ad eum si quis ostenderet agnoscendum, primo de diuinis Cattanei congressu delectatus est vehementer; deinc regustaturus eadem crebriùs, fuit apud eum assiduus; tùm ne inuento solus thesauro frueretur, ciues suos omnes, in illius partem adsciscere studuit, die igitur quodam è re nata interrogauit Cattaneum, ecquid ea ciuitas digna videretur in qua consisteret, omissa cura sedis alibi statuenda? ab ea si quam longissimè abesset, futurum profectò eius voti optatissimum motum Hancei vicere, quando itineribus tàm longinquis id vnum egisset, vt Dei cui seruiebat, notam mortalibus gloriam faceret. Habiturum Hancei auditorem confertum, & facilem, & religiosæ mentis sed insonti errore abrepto in idola ductorum suorum cæcitate, vt quid ergo Hanceo abiret, & frustra meditaretur alios populos in quibus vtiliùs operam locaret? verbis inde omissis; facto agi res cœpit, testatus Cataneus nihil sibi optatiùs Hanceo, de legenda illis habitatione idonea mouit; eum interim Mandarinus in secessu suo suburbano non segnem habuit

in diuinis Magistratum atque vt erat ipse pro sublimitate ingenij, subtilis & solers discipulus, non primo, nec breui, nec perpetuæ dictionis conatu expugnandus quâ ferè vtuntur Literati, sed impressione ad difficultatem quamlibet singulari, & quidem tàm pertinaciter, vt interdùm ad mediam noctem produceretur pugna. Tria illum præ cæteris nequibat concoquere; vnum quod homines, sua quondam virtute insignes, & beneficiis in populos magnis, honore omni cassos, inuolueremus eadem quâ sceleratissimos pœnâ, iidemque inferis, quod ea ignorassent quæ scire nunquam potuerant, alterum de restituendis in vitam mortuis, quod putabat nec posse à Deo fieri; neque sat nobis conducere, sed inhorrescebat ad tertium velut sacrilegum Deóque indignum; Deum videlicet hominem fieri extremáque omnia tùm pati, tùm perpeti; & mirabatur Cattaneum tanta sapientia, & doctrina virum, adeò cæcutire vt non videret hoc pronuntiato auferri à Deo quicquid boni haberet; quicquid mali esset in eum coniici, & quidem ad cætera flexilis, expugnari se à Cattaneo non ægrè fatebatur: incorporati verbi mysterio tanquam in scopulo hærebat pendens, quòd diuinitati probrosum id crederet: arridere hic homini Pater, grauiter quidem in religionem, sed religioso animo erranti; exorsúsque ab homine condito, & felicitate immortali ad quam erat à Deo conditus, lapsum eius docere ex beato illo & æterno gradu in æternam mortem; eius redimendi nullum in homine ius, aut præsidium fuisse, hinc necessitatem redemptoris Dei & hominis, qui Dei & hominis filius, offenso Deo satisfactionem exhiberet diuinam, vnaque remedium præberet, & exemplum; ad hæc illas eius viuentis ærumnas, & morientis dolores contumelioſos, pensata ingentibus præmiis resurgenti, aliáque huc pertinentia luculenter edisserere quorum nouo perstrictus fulgore stupensque Mandarinus, hoc verò exclamat longè aliud est, quàm ex nihilo omnia creare, & nutu solo mundum construere. Restabat vt mente Christianus, vita etiam talis esset; à cuius limine mox pedem retulit, cùm admonitus est de abdicanda vxorum altera; quod censeret naturæ instinctui, & nobilitati contrarium, remittere vxori nuntium innocenti & benè meritæ, & cui filium deberet, quo Sinarum Primores fortunatiùs nihil ducunt. Suspicatus itaque hoc esse, non tàm faciendo Christiano necessarium præceptum quàm perficiendo consilium, rogabat Cattaneum paulò lentiùs festinaret, nec se die eodem vnaque opera Christianum esse iuberet & sanctum, nec valens ab se impetrare vt acquiescerer indicenti, nullam posse vsquam immunitatem dari ab hac lege, Doctorem Leonem consuluit, quem norat olim difficultate simili perplexum: cui paucis Leo Christi legem, sanctam esse pariter vt veram; Regi si fiat Christianus, nihil posse licentiùs quàm regni postremo concedi, legem enim hanc Dei esse qui communem sanctúmque imperium in omnes mortales, communi æquitatis & sanctimoniæ exerceret iure; cuius responsi seueritas quæ videbatur

hominem

hominem auersura, illum ardentiùs ad baptismum incendit, suauitate Spiritus increati, potenter sibi eius animum mancipante; vxorem alteram ad suos in perpetuum à se allegauit; condicto die, tota conspicuus dignitatis suæ magnificentia processit ad sacratum fontem; ritè à Cataneo tinctus, à Leone susceptus, Michaël nominatus, vitam deinceps eximiis quæ inferiùs recurrent, in Christum meritis, exemplis in homines, sancto exitu clausit tunc in palatium reuersus, pannos Cataneum sericos, & argenteos dono misit; quibus modestè ac religiosè remissis Cataneus, adiecit aliquot precatorias coronas, & sactas imagines, quarum illam quæ fuit S. Michaëlis, curauit Mandarinus exquisitè ornatam loco palatij perhonorifico in ara statui, accensis coram lampadibus, profusáque odorum copia; texit autem colotis cramoesini serico damasceno à Rege accepto, quod nauatæ Regi fidelis operæ monumentum solet in familiis perpetuùm seruari: quam verò morbis charitas ethnica consueuerat antea suppeditari medicinam, continuari eodem in templo iussit, sed electis inde pro potestate confractisque idolis, erexit pro illis Saluatoris præclaram effigiem, hoc lemmate inscriptam [hæc est imago filij Dei, qui potest solus animis salutem & corporibus conferre, ab illo petat qui ea indiget.] Post, negotium aggressus quo nihil habebat antiquiùs, ac difficiliùs, parentes in vltimum senium prouectos, idolis à puero pertinacissimè obstrictos, Christo asseruit, aliosque tàm multos, verbis factisque ad Deum conuertit, vt iam meditaretur idoneam aream ædi sacræ exædificandæ: ex iis interim triginta Cataneus baptizauit. Nec vlteriùs Hancei hoc anno itum, 1611. & victus pauperrimi incommoditatibus afflicta grauissimis nostrorum valetudo, auræque insaluberrimæ vitio; Nanchinum fuit vrgenti periculo subducenda; quàm dùm admodùm lentè reficiunt, nec interea Macao subsidij quicquam accipiunt, aut sperant ab Indiis, ob classem Batauorum, & Lusitanis nauibus imminentem; frequentabantur interea literis nobilium hospitum Michaëlis, & Leonis, exigebatur ab iis promissi reditus fides beneuola, precibus, argumentis, desideriis multorum vrgebantur qui esse optarent Christiani. Rogabat præsertim Michaël ne reuersioni causarentur obstare paupertatem, si viaticum, de suo, & domus, locarium offerre, victum quoque quo ipsi tàm tenui vtebantur ab se dignarentur, si aliter nollent, paupertatis saltem nomine sumere, viderent etiam atque etiam tàm longas ad reditum moras, an possent iure tot hominum à quibus optabantur saluti præponere: his tamen hoc vnum euicturn ex Patribus vt Longobardum Pechini consulerent, an esset aliquid de illa tunc temporis remittentem subsistentiâ inexorabili ne oboli quidem à Sinis admittendi, & rescripsit prudenter longobardus in sententiam Michaëlis, videri remittendum, idque rei præsentis necessitatem exigere; simul P. Felicianum de Sylua misit Cataneo socium & pro Fernandio, ex aura pestilenti nunquam restituto F. Franciscum de

Lagea

Lagea Sinensem. Celebrato Nanchini Pascha soluerunt Hanceum anno 1612. sexto die Sciamhaium appulsi excepti sunt incredibili gratulatione a veteribus Catanei alumnis, quem pari ab se dolore amiserunt, exactis illic opimo prouentu duabus tantùm hebdomadis, mœstum item miseréque affectum, quod paratissimis ad diuina, opitulari diutiùs non valeret; promisit quod vnum licebat, quàm posset sæpissimè per eos transiturum; confecto itinere Hancei Michaël incomparabili sua voluptate, in ædes induxit, nostris ministeriis opportunas, & plebeiis iuxta, vti nobilibus apertas; in iis aula in sacellum ornata, rem sacram facere, docere Christiana, baptismum celebrare, quò primùm lustrati octodecim; & centum paulò post; paruus ex innumerabili numerus, quos ineuitabilis veri fulgor à Deorum cultu auerterat penitùs, fecerátque baptismi cupidos, sed pessimæ consuetudinis amor inolitus ab eo arcebat. Abibant repulsa illa tristes; quidam celsitate sanctimoniæ Christianæ ad quam eniti recusabant; seueritate alij quam non licebat ad cupiditates eorum abiicere, omnes Christianis quo fruebantur bonum cum admiratione inuidebant; vita & moribus idololatræ, affectu Christiani. Singularis Dei eluxit bonitas in illuminanda cæcitate cuiusdam atmorum Mandarini cæteroqui probi vt est probitas militaris, sed obstinatissimæ idololatriæ; haud quidem ex praua, vt multi consimiles tenacitate viuendi licentius; sed metu insuperabili errandi, suóque errore pereundi, si Theologis patriis, & quos toto regno adorabiles prædicabant abiectis numinibus, suo ignari hominis iudicio adorandum sibi statueret, peregrinum, Diis omnibus inimicum, sectæ suæ Magistris exosum, stetit in hac erroris pertinacia religiosa obfirmatus contra impressiones varias Christiani pariter Mandarini, quibus iam non modo irritis sed & importunis; pepigit futurum vt esse molestus desineret, nec apud illum in posterum de secta mutanda hisceret, si vel vnum & quidem perleue ex eo impetrasset; nempe vero Deo dumtaxat semel supplicaret, vt si vel propria ignoratione, vel fraude aliena exerrabat; in viam reduceret. Placet ethnico pactum, promittit, domi tectum conscendit, aram aperto sub cœlo statuit, & adornat. Schedas aræ duas æquali reuerentia imponit, alteram Tienciu (qui cœli est Dominus, & Christianorum Deus) Martis, sui idoli alteram nomine inscribit; adiectisque circum luminibus, largáque odoribus acerra; ante illa prouoluitur nomina, fronte sæpiùs humum verrens, inde arrectus in genua; intiméque affectus, vter, inquit vestrum sit verus quem quæro Deus, demissé precantem respiciat, seque ita mihi aperiat vt hinc à religione anxia & dubia liberet; illinc à falsa superstitione, nam quid aliud possim homo miles, & illiteratus nisi vt verum inuestigem quem profitear Deum, & cuius præceptis obsequar? mei vteruis est, misertus curam gerat; meque hac inextricabili ambage quâ implicor agnitione sui manifesta dignetur euoluere; pergentem abrupit haudquaquam imaginaria

17. Conuersio prodig. Ducis.

imaginaria ſpecies, videt reipſa ſchedam veri Dei inſcriptam nomine, ab altari, in ſinum ſuum deuolare, immotâ alterâ; eandem licet non ſine horrore, ſuo vt fuerat reponit loco, ſed ea ſecundùm, & tertium, ibidem repoſita ei ſe in ſinum reſtituit, quâ tàm euidentis prodigij beneficentiâ, votis ſuis & gaudio impar, procurrit ad ſuum tanto hactenus cultu propugnatum Martem, eôque fruſtatim contrito inter feſtos adplauſus fidelium ſacris fontibus expiatur, & beatæ ſorti congruâ nomenclatione Felix appellatur.

Quantæ porrò noſtris voluptati fuit, ſedes Hancei ſtabilita feraciſſimo conuertendarum animarum ſolo, tantùm prope mœroris attulit, Sciaocenſis eodem hoc tempore euulſa ſtirpitus, haud certè iacturâ per ſe magnoperè dolendâ cum multis iam menſibus Ferreira, & Dias Chriſtianum gregem ne vno quidem auxiſſent capite, vſque adeò illic inualuerat rumor à Quanceenſibus Mandarinis, idem eſſe fieri Chriſtianum, & Regni hoſtibus fœderatum, ex quo etiam duorum, & viginti annorum operosâ culturâ collecti Chriſtiani, niſi rarò ſe nobis, & tacitè in conſpectum non dabant. Sed erat hæc ſedes rei Chriſtianæ tàm neceſſario vſui, vt vix niſi per illam ſperandus eſſet in regnum aditus, prima enim Regno excludit naues quæ ad commercia Quanceî admittuntur: eius euertendæ cauſas omnes vnà complectitur vicinia Macai, & quod vitari non poterat cum Luſitanis commercium. Sic ergo res habuit, triennium fluxerat ex quo Longobardus Macaum miſerat, de negotiis quibuſdam ſtationis ſuæ Sciaocenſis, & de mittendis ad ſe, ſi quæ ab Europa vel India veniſſent literis, intercipitur in reditu nuntius cum faſciculo literarum; à ſcrutatoribus vectorum, percurſantibus continuò fluuium, Sciaocenſi Præfecto ſiſtitur; præcipitato examine, in mancipium perpetuum Regi addicitur; Longobardus exilio damnatur, vterque non alio reus, niſi alicuius cum Luſitanis commercij. Deerat ſententiæ mandatum exequendi, cùm ad funus maternum repentè lex Præfectum euocauit, pependit intereà Longobardi cauſa, tabellarius clauſus eſt carcere; literæ ab interpretibus compertæ præter domeſtica nihil habere, tamen quod Macao venirent in omnem euentum aſſeruantur in tabulario capitalium cauſarum, nec itum vlterius à menſe Iunio anni 1611. quo F. Antonio Leitano patria Sinenſi conceſſum eſt, vt ſepulchro noſtrorum proximè condendus Macaum portaretur ſemiiam mortuus, ex vomitu ſanguinis, & diuturna phtiſi. Et verò Quanceo tranſiens, in oneraria in qua ei locum dederant Luſitani, biduo poſt quam eò appulerat obiit; iuuenis ſui odio flagrans, demiſſione religioſâ valdè amabilis, & poſtrema illa in ægritudine cruciabili, & longa, patientiſſimi doloris, dùm vſtionibus ſexaginta igni applicito, aperiretur totum corpus in totidem vulnera ad extrahendos vitalibus humores mortiferos, ex ſtylo Sinenſium Medicorum; quæ tormenti acerbitas vultus eius ſerenum minimè turbauit; quin & mortuo acceſſit oris color quo viuens care-

16. Sciaocenſis Reſid. deſtruitur.

17. Patientia eximia F. noſtr.

bat. Viæ comes, & valetudinis curator F. Dominicus Mendezius post eius obitum curam omnem adiecit ad tabellarium in carcere iuuandum, dùmque illi ad victum pecunias, ad salutem animi pia consilia suggerit, die quodam repentè (seu dæmon, seu desperatio id fuit) fratrem barbarè inuadit, humique affligit vociferans; eccum, ferendas mihi literas hic dedit, huius causa in isto carcere triennium marceo, gulámque obstringens præfocabat, nisi socij captiui furentem amouissent: accurrit & custos carceris tumultu excitus, & iectâ vtrumque catenâ sistit Aitao, classis & externorum Cognitori, qui nullo insontis, & rei discrimine, plagas causâ inauditâ, singulis quindecim tam crudeles inffligit, vt ex iis Mendezius diu iacuerit, incrudescente in longum malo per auaram chirurgi barbariem, qui recisis circum liuidis carnibus, ne suputrescerent iis sanguis, tamdiu malo peius trahebat remedium, quoad aliquid acciperet, Dominico, carcerem subeunti, cùm detractæ fuissent ipsæ, aptiùs de more cessuræ, nihilque penitùs relictum longo cruciatu chirurgo luit quod ære non poterat; fuit tamen leuis præ aliis quos octimestri carcere passus est! reis præpositus homo ferus, & Mahumetanus, Christianum rescissens, & societatis religiosum, ægrè se tenuit quin iteratis verberibus subderet; commendant illum tanquam nouum tironem, tribus è reorum numero pessimis (vt illic fieri vsus est) qui omni verborum, & calcium, punctionum, verberum, & contumeliæ genere patientissimum iuuenem vexabant assiduè; pedes præterreà, & caput nudum; & vestis semitectum lacinia, nuda in humo quietis aliquid attrito, si posset, corpori captabat, oryzæ id tantulum quod ad mortem arcendam dabatur, per se ipse, licet plagis contusus, & lacer, ad ignem aqua macerabat: quibus nihilominus id assecutus est, vt tanto raræ patientiæ ostento suos quoque illos carnifices, virtutis suæ haberet laudatores, cùm vidissent ardentem indole iuuenem, virtute mitissimum, neque iniuriis, nec doloribus commoueri, post breuem somnum consurgere, flexisque humi vbi iacuerat orare genibus ad multam diem quâ vexationes in illum solitas repetebant. Dedit Macaum ad nostros & aliò literas, igni ardentes generoso, quarum apographa nostros in Philippinis, & India, mirè affecerunt: aiebat hoc vnum se dolere, quod ij propter se dolerent; rogabat pro se ne essent solliciti. Expetiisse carcerem, verbera catenas, & poposciisse à Deo sæpiùs, nunc se voti nimirùm diuturni compotem gaudere, gauderent ipsi secum, perque illam quâ se dignabantur beneuolentiam, nihil mouerent ad sui liberationem. Explicabat denique Rectori perspicuè animi sui interiores minutias, dubia proponebat, quærebat nonnullos quos Christo pepererat, an posset illic baptismo tingere, & cùm diu noctúque totus in vsu virtutum heroico, & cum Deo esset, expostulabat ipse de se, rogabátque ex carcere si fortè existet in tirocinium remitti, ad reparandum animi vigorem illic miserè syluescentis] de se quidem hæc ille; sed hunc, & alios fratres nostros

Sinenses

Sinenſes Longobardus anno proximè ſequenti, Aquauiuæ Præpoſito laudauit, accuratiſſimos in religioſa obſeruatione, & in aduerſis egregiè fortes: erant ij à puero Chriſtiani, natique Macai, & educati ſub Patrum diſciplina, nec tamen priùs adſcribebantur noſtris, quàm decem annis aut pluribus ſuam nobis probaſſent conſtantiam. Cognito Sciaocei, F. Dominici carcere, tentata in caſſum omnia vt eximeretur, adeò ſuſpectum habebatur clandeſtini cum externis commercij; ſcripſiſſe Macaum, nemo vt Pechini ex potentiſſimis inter Mandarinos etiam Chriſtianos, noſtrorum amicis interponere auderet aliquam facti eius excuſationem: terrebat omnes, Colai funeſta, & recens calamitas, ob hoc in ordinem redacti, quin & ægrè ferro ſubducti carnificis, quod Regem Corai, Sinenſis clientem, docuiſſet per literas de componenda cum ſuis pace, nec ſatis tranquillo animo ferebant, à nobis Macao, & homines, & vitæ accerſi commeatus, & mandatis inde noſtrorum regi, qui Prouinciæ præerant: quæ cùm eſſe occulta non poſſent, capitales nobis creabant accuſationes, à Cantonenſibus præſertim Mandarinis, eam ob rem fuiſſet, iudicio Riccij, tolerabiliùs, opinari Sinas, viui argenti congelandi arcanâ nos atte viuere, ædificare & domos emere, quàm Macaenſi ſubſidio annuo, quo Luſitani crederentur noſtros pro ſuis exploratoribus in regno alere.

Menſem iam octauum in duro carcere agebat Dominicus, cùm vnus de quatuor ciuitatis Rectoribus cauſam eius abſoluit: leniuit Præfecti ſententiam qui poſito munere parentaturus defunctæ matri pendentem omiſerat, tabellarij ſeruitutem perpetuam bienni mutauit, ex qua licet indignus, noſtrorum beneficio eſt exemptus; Longobardo indultum vbiuis habitare, præterquam in Prouincia Cantonenſi. F. Dominicus ex Cechianenſi oriundus in eam remiſſus eſt, quam longiſſimè Macao victurus, inde probatam à tribunalibus quatuor ſupremis ſententiam, prorex etiam cùm probaſſet, nullam cuiuis reliquit ab ea prouocationem: & nominabatur ſolus in ea Longobardus qui pridem Pechinum conceſſerat; Ferreira, & Diaz de quibus ſilebatur, priuatis tamen ad Sciaocei Præfectum literis, iuſſi ſunt exire, illamque Prouinciam inquieto metu, & perpetuis ſuſpicionibus libare; nec iuuit tium & viginti annorum fides, & probitas cuius teſtes pro nobis ſe dabant omnium Ordinum Mandarini Præfecto apud illos ſuperioris mandati neceſſitatem excuſante; nec Ferreira volens pro ſe & ſociis ſatisfacere Præfecto, obſirmato ſcilicet nihil remittere, niſi ex quo ſibi compendij aliquid rediret. Nuntiata Sciaocei ſententia, facinoroſum Hoſiorum in quo noſtri degebant ſuburbium, inſanis impleuit lætitiis, vertitique cum Bonziis noſtræ domui vicinis, ne quid de iure ſententiæ laxaret Præfectus confirmare illum machinis omnibus contendunt; prodit ex Quanhiai eorum templo ſeditioſus tympaniſta qui peluis decumanæ pulſu incondito, & magnis clamoribus vicina cogit;

in templum accurrerent quibus honor Deorum, & suburbij cura cordi esset, rem agi consilio dignam, & vtroque spectantem stipatur populo templum, denuntiatur Quanceo allata, exilij in nostros sententia, omnis illa turbæ ethnicæ & Bonziorum fex, ebriis gaudio vocibus sibi gratulatur, tamdiu expetitum, tot contentionibus versatum negotium; & cùm minùs speratur confectum; proclamatur, abirent in rem malam extranei dæmones; nisi vltrò abirent pellerentur; aut domi comburerentur viui, si Mandarinis intercedentibus Præfectus parceret executioni. Remiserat populi primus furor cùm adiunctis suburbij seniores, meditato inter se consilio seligunt oratorem qui se coram & suo nomine poscceret à Præfecto, sententiam in opus conferri. Postridiè fixis per vrbem programmatis inuitantur, quibus boni communis inesset amor, die quinto adessent (erat is Aprilis secundus) pro tribunali Citu hoc est Præfecti, vrbis ad vrgendam ex collatæ sententiæ de eiiciendis aduenis executionem, & securitatem vrbi Sciaocei, atque imperij, lapidatione interea, famosis foliis, contumelia, & minis incendij sæuitum in Patres, vt electionem fuga præuerterent, & latrocinio imminenti domum; vitam furori hostium obiectam permitterent, Stato die in vnum coeunt Bonzij expeditionis huius signiferi; Siuzaiorum effrænis iuuentus, seniores suburbij, absque numero populus, & quod illic mirùm, actores cùm essent, omnes tamen reorum habitu, quo illa doloris mœstissima specie Præfectum sibi facerent proniorem, at is in ea Præfectura recens, & pusilli cordis, multitudine conturbatus, neminem admisit præter Oratorem natura, pecunia & arte ad mentiendum, & fallendum fabertimè excusum, qui fanda, nefanda in Patres, in Macaum, in Lusitanos debacchatus, concluſit Præfectum compellans; tametsi quæcumque dixerat quantumuis grauissima, nullius ponderis apud eum forent, videret etiam atque etiam per Deum, an fas esset ob duos aduenas vrbem miseriis, tumultu Prouinciam, regnum perpetuis suspicionibus, metúque agitari; Sciaoceum, & Quanceum, vrbes, omnemque Prouinciam Cantonensem tendere supplices ad eum manus, tanquam liberatorem, & parentem. Subiecta his humili proclinatione libellum porrexit quo Patrum exilium flagitabant. Præfectus cius priuatin intererat nos abire, libenter audiuit perorantem, nil quod sanctè affirmauit innocentiæ nostrorum se habere tot testes quot erant in vrbe Mandarini, nec fuisse illos vnquam ad tribunalia delatos, quin pronuntiaretur aduersus deferentes; sed Macaensibus, & Externis tanto nexu obstrictos, & Regno tàm periculosos, tolerari non posse; proindè agerent ipsimet, vterentur iure sententiæ, illosque eiicerent: qua inconsultissima potestate, quid erat aliud quàm eorum vitam carnificum manibus, efferati nimirùm populi prodere? quare mox pœnitens reuocat Oratorem, præcoci tumentem victoria; vetat quicquam moueri, adfuturum se quamprimùm, & exilium Patribus indicturum.

indicturum. Expectabant illic non exiguo numero Christiani, quo tes esset itura: ex iis Leo nomine, natu grandis, solus in toto suburbio Christianus, & aduersus irata in Patres odia durando fortis, præcurrit domum, tristis euentus prænuncius quem singultu, & fletu, palmisque faciem verberans quàm ore verbisque expressiùs narrabat, post hunc alij accurrunt mœsti, seipsos cum luctu, & lachrimis inculant, indignos se Patrum consuetudine fuisse; se suis peccatis armasse accusatores impiis viribus quibus electionem Patrum extorsissent. Adest postridiè domus Præfectus cum Bonziis, senioribus, & suburbana omni colluuie. Solus ipse cum paucis excluſa turba, in aula consistit, nec sinit Patres coram apparere, vt quos nollet præ reuerentia reorum cultu calamitoso, & humili, trementesque de genibus, damnationis suæ sententiam audire; accito igitur in eorum vicem F. Dominico Mendez; iubet ab se per illum Patribus indici discessum pararent, & quo mallent cúmque Sciaoceo abirent, testem sibi Deum quantùm ægrè dolentérque id ferret, quorum obseruaret, & diligeret merita, sed cogi Proregis, & tribunalium mandatis ad hoc imperandum, illosque similiter ad parendum; nec illis debere videri grauius quod vrbis inimicissimæ vitare oculos, & capitalia odia iuberentur; quocumque secederent, haud paulò melùs iis fore. Prudentis esse consilij amouere illinc suspiciones obstinatissimas, & quàm longissimo à Macaensibus recessu, grandius aliquod infortunium præcauere. His præterquam opinio fuerat placidè, & humaniter dictis ædes obit visendi gratia; sacrum altare cum supellectili & ornatu miratur; nauim Patribus defert ad ea in tutum euehenda; & amplissimum diploma, quo forent à rapacissimis redemptorum vnguibus immunes. De indiciis paucorum dierum ad vendendam domum quod F. Dominicus interpellauerat, nec statim negauit, nec annuit; sed presso tantisper animo domus possidendæ, Mandarino cuidam, decernendum permisit, qui condicta cum illo sententia pronuntiauit fabricam soli esse, in quo fuerat constructa; solum & ciuitatis esse, & Patrum discessu ad eam redire; emeretur nihilominus, & Patres nummis quinquaginta, iuridicè illam ementi addicerent, nec potuit aliud expungi. Ergo April. 25. anno 1611. Ferreira, & Diaz cum fratribus duobus natione Sinis, Sciaoceum deseruunt, anno voluente vicesimo septimo ex quo Riccius Sciaochino, stationem illuc transtulerat, quæ nunc dierum itinere quatuor in interiorem Regno vrbem Nanhion transfertur, comitati sunt Patres aduerso flumine Christiani, cum inexplicabili dolore, nec sedauit eorum lachrimas, quod sponderent se quàm possent sæpissimè Sciaoceum reuisuros, fuitque pio imperio opus adigerentur vrbem repetere qui volebant omninò illos vsque Nanhion prosequi. Omnes è ripa nauim secuti sunt oculis dùm cerni potuit, iacturam non consolabilem deflentes eámque gemitu, vocibus, & proiectis humi frontibus querentes.

Inter hæc Hosij suis cum Bonziis suburbani, victoria illa tumulent;

quàm de Christianorum Deo, Deos suos tulisse delirabant, breue id gaudium luctu damnisque ingentibus mox luerunt. Postero quàm Patres excesserant die, torrentes ex niuibus & pluuijs aquæ de Prouincia Hugnanensi aduersum decurrunt in amnem, qui suburbium alluebat & proni fluminis oppositio aluco refusæ, æquatis aut superatis aggeribus domorum subruunt ad duo millia; pontem qui vrbi iungebat suburbium ruptis catenis abripiunt; vrbis muro quà ripæ alteri imminebat perfracto, iniqui Præfecti euertunt palatium, & latissima stagnatione ex ligneis domibus confusas lignorum congeries asportant; nec strages hic metam posuit, subsecutus est interitus arborum, & recessu aquarum, limoso ex solo teter vapor, morbum induxit pestilentem: quæ tàm velox, & euidens eiectionis nostræ pœna, tantùm abest vt idololatras mouerit suburbanos, tentarunt quin etiam illam Patribus imputare; Mandarini & ciues tàm certò habebant persuasum Deum verum vlciscì suburbanorum crimen qui nostrum exilium Præfecto suaserant, vt huic essent auctores nostri reuocandi; & diris omnibus suburbanos, vbicumque occurrerent deuouebant. Liberato aquis, siccóque iam solo domum nostram Præfectus sibi asseruit, angustas eius cubicula in aulam complanauit, quam inscripsit grandi charactere, *alacritatis aulam*, eámque luxuriosis illis compotorum suorum, dedicauit cœnis, & Mandarinorum sibi similium, & epicureis deliciis. Bonzios serò pœnituit, Patrum viciniam Mandarinis mutasse, vt qui præter contemptum, & purgandæ aulæ molestissimum onus, nihil inde sibi lucri collegissent.

18. Sciaocenses cœlitus puniuntur.

19. Nanhione exiguus fructus ob fictam pietatem.

Sciaocco profecti ferreira & Diaz aduerso flumine Nanhin peruenerunt: emporium est opulentissimum Nanhion, confine ad septentrionem Prouinciæ Cantonensi, & eo præcipuè nomine externis celebratum, quod secundus sit in Sinas aditus quo semel superato Pechinum vsque nihil eos remoretur; Etsi verò censetur intra fines Cantonensium, sed eos odit vt barbaros, & Sinarum Tartariam eorum nomenat regionem, vtpote aduenis infestam ex quibus appulsis regno; ferè vrbs illa constat. Fecit hoc odium, & reuerentia Ricij ab anno viginti etiam tùm vigens, vt Patrum exilium libenter colligeret, tantumque iis exhiberet beneuolentiæ, & honoris, vt obliteraret in iis sensum calamitatis Sciaocensis. Præfectus in primis visentes se obsequij gratia extra palatium deducens ad confertam qui foris expectabant curiosorum turbam; En, inquit, par hominum, quos solùm videre faustitas magna est; quod ab eo profectum viro, diuturnum in ciuibus nostri desiderium magnoperè auxit; nostris vicissim ardenter optantibus ea in vrbe retineri, tùm vt opem subinde aliquam Christianis Sciaocensibus commodarent; tùm vt nouos in regnum, quà solùm dabatur, operarios inducerent; Duabus igitur ab suo aduentu hebdomadis conducunt domunculam, in ea cubiculum decenter vestitum, Saluatoris effigiem eleganter ornatam in altari locant; nullo præcone concurritur,

concurritur; Mandarini, & ciues, spectant, mirantur, interrogant, quis homo? quis Deus? quem ea referret tabula? nostri & Patres, & fratres Sinæ duo, præstò semper in officioso habitu, tàm bonis occasionibus vtuntur, & prima mittunt salutis semina; post paulùm scholam aperiunt, docent legis diuinæ arcana, & sensim auditorem ad sacra baptismi comparant. Inauditum illud & prodigio simile, quod etiam feminæ gestatoriis in sellis accurrere, vt spectarent & ipsæ cœli Reginam in sua imagine, & explicatiùs discerent, quæ sibi à Maritis, & filiis fuerant leuiter indicata; sed honestatis publicæ decoro exclusæ foribus, illic paucis de augustissima Deiparæ, eiusque immensis dotibus audiere. Hoc experimentum Christiani pudoris magna, secuta est religionis existimatio, cuius Magistri essent in eo seruando adeò accurati. Verum enim verò incredibile illud Ethnicæ pietatis, & animæ studium quod notabant ea in vrbe Patres, sperabántque in messem animarum copiosissimam exiturum in contrarium vertit. Certò credunt animos immortales, quod negat reliqua Cantonensis Prouincia, idcircò cæteris agrestior & peior. Complures à teneris ad decrepitum senium vitam omnem, die nullo excepto, leguminibus & herbis exigunt; cepas tamen, & allia non attingunt, ne suis idolis, quibus ædes, & templa refecta sunt, tetrum illum odorem inhalent. Sodalitiis abundant virorum, & mulierum crebris, statisque illorum in cœtibus, psallunt, Deorum laudes cantant, in quibus symphoniacis organis voces iungunt graui iuxta gratóque concentu. Mori priùs quàm pulicem necare, ne patrem fortassis in eo perimant; migrare animas in alia corpora; nullum animal esse quod olim homo non fuerit, sitque reipsa nunc item, quantùm ad animum, sed bestiæ corpore, vitáque damnatus belluina. Pœnis verò quàm miris se afflictent, quanta in egentes liberalitate exhauriant incredibile est, vt securi post mortem Regi se sistant tenebrarum, à quo suus cuique attributus est tabellio, priuatis cuiusque tabulis adnotans, præclaram hanc operum seriem, quâ se coram perlecta, immunes pronuntiet ab inferorum octodecim (tot enim enumerant) supplitiis cruciabilibus, & rediuo in manca, egena, & infelicia corpora regressu; mittátque in artus sanos, ingeniosos, & nobiles, quibus in Mandarinos denique fingantur pro vitæ meritis minores, aut maximos, tandémque annorum saturi, Paradisum Indiæ subeant, à Diis videlicet promissum quos sua in Sinas benignitas detulit. His imbutos pars veris, pars veri aliqua similitudine fabulosis putarant nostri dociliores fore ad indubitatam religionis Christianæ felicitatem & doctrinam, experti tamen sunt in suis erroribus, & cultu Deorum pertinaciores: Bonziorum nempe fraudulento suasu obfirmatos, sed fallacibus exemplis longè tenaciùs. Sunt enim ex iis qui mali dæmonis instinctu obitus sui mensem, diemque horámque prænuntiant, & prænuntij fama, spectatoribus ad conditum curiosè suspensis, considentes ipsi splendida in veste, sereno

&

& renidenti ore operiuntur mortem, de illa sermonem alacres cum iis trahunt tanquam vitæ momento fortunatissimo quo mox spiritus euchente euolaturi sunt in beatas Deorum suorum sedes, quâ fraude prænuntij (quod est dæmoni facile) reipsa completi, sectatores illorum miserè inducuntur vt sibi quoque ab iis promissam, beatitatem mortis, nihil addubitent ratam fore si constantes in obsequio Deorum ad extremum durent. Hinc illæ in futuram vitam sponsionum felicium eò certiores quò emptæ pretiis immanioribus à cœli Magistro & gubernatore spirituum syngraphæ: is archimagus Pechini, degit, sed suos in aliis vrbibus maximè Nanhione alebat Ministros qui suas præstigias, & has tutrim cœlum commeatus solennes syngraphis venderent. Vrbis ergo ingenium à religione vertenda eò auersius quò certiora salutis pignora tenere se in ea confidebat, ingratè respondit nostrorum expectationi; adde quod nec ipsi se satis liberè in opus fundebant, cùm ea ciuitas indicti exilij finibus clauderetur, starentque in procinctu semper ad eam deserendam. Haud fuit tamen adeò vanus eorum labor, quin Literati nobilis eiusque filiorum baptismo celebri pensaretur, ipso B. Patriarchæ nostri sacro die, à quo & Ignatius dictus est. Creuit posteà numerus tingendorum, primum ad duodequadraginta, inde ad quinque supra quinquaginta; quibus Sciaoceo reginti denique accessere. Menses aliquot Patres egerant Nanhione, cum improuisus Pechino adfuit Longobardus, ad hoc à P. Pasio vocatus Macaum, vt nostrorum in Sinis stationes pro suo munere, cum illo inspiceret, mors consilium Pasij interuertit. Quare Longobardus in Europam, & Romam P. Nicolaum Trigaultium destinauit biennio tantùm postquam Sinas intrarat, sed animosum, & prouidum, experientissimum rerum Sinensium, & cui tuto posset illius itineris, grauitas committi; Nanchini Trigaultius operam dabat Sinensibus literis. Nanhionem appulsus, cum Longobardi mandatis Macaum enasit, non sine periculis in Cantonensis Prouinciæ traiectu: inde versus Malacam & Indiam vela fecit anni 1613. Februario, quem octennio post in Sinas reducem, sequetur sua gestorum narratio. Longobardus ne frustra mortuo Pasio venisset Nanhionem, nostros illic fregit stabilire; Proregem ad hoc, eorum saltem conscium fieri curauit; qui Rescripto parcens si dissimularet se quicquam scire, censeretur ex stylo Sinarum annuere. Sumptis inde animis tentare ausus est abiectam Sciaocei nostrorum stationem reparare, vt suus vnà nomini Christiano sanciretur honos, & ille vnicus Euangelio in Sinas aditus permaneret liber; ne auarum factum Præfecti Sciaocensis, pessimum contra nos, & exitiale in reliquos Mandarinos exemplum traheret. Munuit negotio difficili viam apologetico eloquentissimo quod à Doctore Paulo scriptum acceperat, ipse Proregi Cantonensi, per fratrem nostrum Sinensem Sciaochini porrexit. Hic (ne leuidensa, vt minimum obiter, fraudetur sua laude) ille est qui religiosos Lusitanos, Hispanos, &

20. Sciaoceum PP. reuocantur.

& alios varij generis vectores, naufragij duplicis miserabiles reliquias efficacissima opera seruauit; naufragi ad insulam Hainanensem captique illicò, traditi fuerant iudicandi Cantonensibus Mandarinis, quorum gratiæ summa fuit vitam iis seruare, verum in carcere, deteriori morte ipsa; hoc solùm reis quòd essent externi, nec aquis præfocati Eorum miseriis frater optimus succurrit, & solerti manu causam apud Proregem tàm industriè tractauit, vt iis libertatem, nauim, viaticum, vsque Macaum exoraret. Iam quòd Patres spectabat Sciaoceum remittendos in possessionem suæ domus ab iniusto Præfecto vsurpatæ, Præfectum eundem vehementissimè terruit. Bonzios acciuit & suburbij Primores, multùm eos rogans, ne Patres sinerent illuc restitui; at hi longè ab iis qui fuerant diuersi, & quanquam seriùs, damnis suis consultiores facti, negarunt penitùs obstituros se Patrum reditui, ne iterata fluminis eluuione mergerentur. Taolius inter hæc Nanhionis & Sciaocei superiori iure Præses improbissimum Præfectum diu reluctantem, & tergiuersantem compulit ad iudicium quod tulerat iniquum palinodia rescindendum; & edicendum iuridicè posteriori sententia, erratum ab se in priori; Patres malè damnatos; nunc illis vt ante fuerant integra esse & salua omnia, quam summo imperio, ringenti extortam sententiam, beneficium suum Præfectus videri cupiens, ad Longobardum eam misit testificatus alacritatem singularem ex Patrum innocentia nouis cognitionibus comperta; dumtaxat enixè obsectabat honoris sui ratio haberetur, nec priùs Sciaoceum Patres repeterent, quàm Magistratu decessisset, quod ei vltrò assensit Longobardus. Promulgata verò Sciaocei reditus nostri sententia mirùm quanto adplausu ab illo Hosiorum tàm pridem nobis infesto suburbio tecta sit, quàm insperata conuersione voluntatum, & linguarum, maledicta & calumnias, doctrinæ nostræ commendatione mutauerint, sibi vt aiebant, antehac ignoratæ. Fastidio fuerit eiusdem prope extremi periculi distincta narratio, ex quo statio Nanciana surrexit clarior & gloriosior auctore periculi manifesta Dei vindicta multato. Vitabant eatenus domum nostram Maiores Mandarini, quod inter Vanfuos sita esset, Regis nempe cognatos, gentem in omnem iniuriam effrænem, & vnius tantùm instigatione in nos debacchantem; huius supplitio animosiores Mandarini, nostrorum palàm susceperè tutelam. Præfectus vrbis edicti publici domum nostram ornauit monimento simul, & honore; quo Patres, & eorum legem magnoperè laudabat. Ecclesia quidem, vt primaria in vrbe, personarum nobilitate minimè illustris, sed honesti populi vniuerso cœtu & virtute Deo charissima, proin crebra pellendi morbos & dæmones insignis poteſtate: ipsi quoque pressi aduersis ethnici, Iesum & Mariam in opem vocabant, faces cereas & odores mittebant ad eorum effigies arsura; crucem, aquam lustricam & nostrorum preces, malis suis remedium adhibebant. Comœdi quin etiam vndequaque curiositati spectatorum captare materiam soliti, Christianis

11. Comœdi Ethnici

Christum honorificè, & Christiana repræsentat.

rebus in scenam producendis, nihil de suo scurrili audebant inserere, prodibat personam Dei cœli gerens planè vultu eodem, colore & ornatu quo apud nos depictum obseruauerant Saluatorem; circumstabant illum, vt consueuerant ante aram humili reuerentia Christiani; ille tota eius quem imitabatur assumpta maiestate, sublimi è throno leges iis dabat, hoc est præcepta Decalogi ne verbo quidem ex iis prætermisso. Spondebat constantibus in eorum obseruatione beatam immortalitatem ad quam illos in cœlum secum esset rapturus; sin autem væ miseri: nam legum suarum violatoribus paratos inferos, non esse inferi falsorum Deorum, verorum dæmonum similes, qui ex Indiis in Sinas venerant emendicaturi venerationem, Bonziorum fallacium rogatu inde forsitan extrudendi. Sic illi loquentem cœli Dominum inducebant: eratque re vera Christianorum vita, summæ Ethnicis admirationi, sed ea præcipuè in cor vnum & animam coagmentata illorum charitas, alienis perinde vt propriis calamitatibus sollicita, nec solùm viuentibus, sed etiam mortuis solita opem ferre: ad hæc spontaneæ afflictationes vltra quam deberet ex molli & ignaua Sinarum indole expectari; senesque ipsos in hac secum lucta iunioribus præsilè, feruida vnius probauit pietas (nam erant complures quorum fœcem ætatis ab anno septuagesimo ad nonagesimum Christus gratiæ suæ dignatus miraculo fuerat) sed in iis vnus tàm crudo diu, & sæpè verbere in semet sæuiebat, vt ad crepitum plagarum horreat eius familia, præsertim filius. Admodum adolescens, & nondum Christianus, qui morbo posteà ad extrema vergens, cùm esset baptismo expiatus, mortem quâ Sinis nihil potest esse formidabiliùs, sic amauit, vt breues quæ supererant eius moras ferret ægerrimè, adeò illum certa fiducia Sacerdos noster animarat potiundæ mox beatæ immortalitatis; pudebat eum nihilominus Christo se sistere tàm incultum, nullo pæne è ornatu meritorum, vt cui pridiè Christiano eras forsan morituro, serum esset ea colligere. At hic succurrit illi memoria flagellorum quibus assuesse parentem nouerat, rogauitque vt se parte illorum dignaretur, suâque ipse manu eadem quæ sibi infligeret verbera: petitione filij fractus senex bonique illius æterni gaudio, non sensit naturam abhorrentem à dura filij moribundi verberatione, nec addubitauit an fas esset; plagas ei inflixit ducentas (qui fuisse videtur eius modus) inter pias vtrimque & dulces lachrimas, quibus pium vtriusque errorem, visus est non aspernari Deus imò iuuenis paulò post, inter lætas vitæ quàm prægustabat expectationes, & gratulantis parentis festiuos fletus animam efflauit. Hinc parens Deo gratias acturus in templum ad nos venit, quibus factum narrauit, & se illis debere professus est, quod beatum in cœlo filium haberet. Tàm certa & firma cœlestium persuasione sustentabatur bonus senex! eratque hæc eadem diuinorum fides Christianis Nancianensibus adeò communis, vt eorum vni, mortem filij quadrimi: simul venirent gratulatum quod certo se sciret receptum cœlo

14. Quanta vis gratiæ Neophyt.

15. Flagell. voluntarij moribundi.

filium

filium possidere. Tantæ huius in morte fiduciæ dùm causas inquirunt Ethnici, sola eius nominatione velut ictu infausti syderis pauere soliti, percepta illarum firmitate, iis se adiunxerunt cum quibus mortem non timerent. Magno prouidentia diuina, bonitatis suæ sensu Patres recreabat, dùm iis non infantes modo, verum & adultos, & natu grandes, morti temporariæ proximos obiiciebat subducendos morti sempiternæ in beatam vitam, dolentes maximè quod hanc seriùs cognouissent, nec possent tunc aliud præter mortem ei impendere. Ad hoc Patres feruida quorundam in alienam salutem sollicitudine vtebantur, & inuestigabant moribundos in quibus eorum quæ sani audissent, reuiuisceret aliquid sanæ mentis. Ex iis suo è pago Marcus, Christianus egregius, reuertebatur Nancianum, cum muris propior videt mortuum efferri, extra vrbem de more humandum, & ex prætereunte sandapila vocem audit prodire quâ exterriti vespillones onere proiecto diffugiunt. Accedens Marcus recludit Sarcophagum, puellam inuenit annorum septemdecim enixè obsecrantem, ne sepeliri se viuam pateretur, seruam se esse hominis Ethnici, quem ipsa nominabat, (eratque pridem Marco notissimus, vt qui Christiana institutione frustra illam baptismo parare laborasset; quòd nollet cum Christo mores induere Christianos. Cauentem herum ne ad mortem ægrotans domi moreretur, quod Sinæ putant ominosissimam, defectione sensuum repentina captam, iussisse illicò sarcophago claudi, & pro mortua efferri. Cui Marcus non poteras filia in manus incidere huic tuo articulo magis propitias, faxo, nisi tu non vis, vt hac è misera quam perdis vita, in beatam transeas, eámque immortalem. Arridens illa tàm optato bono, volo, inquit, omninò, nec viam ignoro; noui enim te probè nec alia egeo catechesi, ab ea quàm ex te didici, audiebam quæcumque meo hero tradebas, & vera iudicabam, ardebámque desiderio baptismi, sed conditione seruitutis, vetabar de me statuere: interrogatam paucis Marcus vt sensit abundè scitu necessaria percepisse, sacro fonte lustrauit; nec vllo circumquaque inuento qui sustineret illam domi suæ mori; coactus est noctem aduigilare ibidem morienti, vbi cœlo albente placidè obiit. Istiusmodi euenta diuinæ gratiæ quosdam procul vocantis in Christo victuros, alios in Christo morituros, illustria fuere & multa Nanciani, in quibus nonnulli post triginta Magistros variorum errorum mutatos ad indagandam veritatem, ad Christum denique appellabant tàm euidenti sæpiùs, & inusitato prærogatiuo diuinæ operæ, vt recogitato eo Christiani stabilirentur solidiùs in susceptæ fide, & æmularentur Patrum perpetua studia in conuersione animarum. Hoc igne instinctus Literatus, nomine Stephanus vir sanctus, Nanciano in patriam sex dierum itinere reuersus, sodalitium coëgit Catechumenorum, quos rudi interea Magisterio informatos Patrum cupiam perficiendos daret in absolutam Christianismi formam, Christianam doctrinam, Catechismi partem, & augustissimum

23. Baptismus puellæ dum effertur.

24. Conuersi in conuertendis aliis ardentes.

Iesu nomen suo excusa ære, larga manu in quamplurimos tribuebat, & strenuitatem nostrorum in Christi negotio quoad laico licet, iuuabatur diligentissimè, aiens, cùm ij leucarum tot millia & discrimina emensi, ærumnas perferrent, & vexationes continuas, in quærendis Sinensium animis, æquum esse illos ab Sinis iuuari, ad inueniendum quod quærebat. Sic ille pariter quem ante meminimus in armis Doctor, celebris Mandarinus, Nancium munus Apostoli erga suos milites obibat, præibátque illis virtute nobili ad conuersionem, omnemque probitatem, & filios (quos dederat Patribus educandos) totámque familiam de morum suorum pietate fingebat. Viros eiusmodi præstantes quod religioni latiùs proferendæ aditus facerent, instituebant nostri eo consilio & cura vt possent aliis Magistri esse. Ad hoc item ipsi vt apti fierent, nullis parcebant incommodis, quo sacrificiis diuinis aliisque promouendæ virtutis præsidiis interessent, nec defuere qui per amnis restagnationem vmbilico tenùs longè in templum euaderent: iam ille apex charitatis mori pro fratribus prodigæ, in quodam præ aliis Sin Philippo excelluit, magno quintum iam annum, probitatis amnis documento erat Christianis, & pestilentiâ grassante, ministerium & vitam, contactorum leuandis miseriis addixerat, tactus non multò post ipsemet, & ritè sacris procuratus, ad vltimum halitum tollendis ad cœlum manibus & oculis, signanda fronte signo crucis, Iesu & Maria nominandis, quoad planè defectus viribus, labiorum motu, animi cum Deo prodebat colloquia: & amorem crucis, quam pollice altero, in vola manus alterius ducebat, aderat morienti mater; mortuo dolere nescia, & felicitatis ostentans, narránsque pignora, prolixas preces, dura ieiunia, noctes pernigiles, flagella, cilicia, quibus tàm boni filij iacturam læta solabatur. Ad hunc item vitæ contemptum pertinet, quod Nancianenses aliquot Christiani, locum forte ingressi quem multis statuis Ethnici adornarant, non sunt veriti signum crucis aduersum ducere; conspicati hoc Ethnici, & experti Deos seu dæmones suos, eius signi aspectu diffugere, pugnis, calcibus, fustibus inuadunt Christianos cædúntque ad satietatem quorum fuit nemo quin contumeliam atrocem quam procliue iis erat prohibere, magno sibi honori ducerer, Vnus Matthias nomine, in quem potissimum sæuiebant, vt proceritate & robore ad resistendum validior, sic patientia clarior, Martyrij memor quod sæpé à Deo petiisset parum est, aiebat ad ea quæ pro Deo meo perpeti cupio; vel occidite si lubet, nihil obstitero, nec in vos digitum mouero. Accurrentes verò aliunde ad hunc strepitum Christiani, gaudere, gratulari, omnes domum nostram pariter venire, lætóque à Patribus amplexu excepti cum illo ante aram beneficij gratias agere: haud fuit tamen suum scelus Ethnicis impunè illius auctor & signifer paucis diebus interiit, alios pœna minor quidem; sed grauis secuta est ad prohibendam cœlitus à Christianis assiduam Ethnicorum insolentémque

24. Neophyt. mors peste cont. infer.

26 Ardor fid. & patientiæ Christ.

que iniuriam qui ferre non poterant vicinos sibi Christianos, quòd istorum cuiusvis propinquitas, illorum enervaret Deos, facerétque ad postulata beneficia debiles & inertes.

Sciendum enim Taosios genus maleficum planéque dæmonibus obstrictum, nusquam suas magis quàm Nanciani fraudes & incantamenta venditare, quæ Deorum suorum appellant miracula, dæmonum scilicet quibus vtuntur familiariter. Ad inuenienda vel amissa vel furto sublata, domos consulentium adeunt proprio cum augurali habitu cuius pars castula linea nostrati similis; solùm aqua secum allata leuiter irrorant; figuris inscribunt Magicis; preces addunt longas, & concentum, ad tympana & tibias aptum; adest dæmon; rei amissæ locum, aut sublatæ furem, euidenti responso indicat. Morbos quoque eantu triduano, alterius choris & succidaneis, permolesto sanant; sed iis suæ artis, & lucri cardo est, euocare animas in hanc lucem, extorquere ex iis vt scitantibus propinquis respondeant, quibus inferis teneantur; quas pœnas luant, quibus sacris, largitionibus, peregrinationibus, & à quo Deorum, suam velint deposci liberationem; his dæmon haud quidem aspectabilis, sed voce tanquam è longinquo summissa, & debili respondet; vel mox occupato Taosij corpore, defuncti persona, colore, vocis sono conformatione omni Taosium induit, & lingua illius quæsita enunciat. Fingunt & fontes interdum animas ex dæmonum manibus elabi, vt domos reuisant, sed retrahendas illicò in suum carcerem, vtque illas agit in rabiem. Cruciatuum vis, qui primum occurrerit, vel extraneus, vel ignotus, illum ictu occulto in morbum & lectum deiiciunt quoad intereat. Huius porrò in domos reditus, ex quibus morte excesserant, diem, & momenta præscribunt Taosij, vtque sit maior mendaciis fides, præmittunt opera dæmonum, nocturnos strepitus quibus interea familiam territent; quare appetente quem prænunciarint die, domo euadunt omnes, & ne animal quidem quod viuum cupiunt in ea relinquunt, nec priùs ausint pedem intrò referre quam Taosius domum expiarit, compulerit que maleficam animam infestos suos repetere; id autem præstat stricto ense pererrans cubicula, & punctim cæsim, ritu bacchantis animam illam petens; post quæ domum tunc puram renuntiat, & reductis habitatoribus, sudoris lympharici, quo madebat accepto pretio discedit. Hac ergo de causa Ethnici Christianos procul à vicinia arcebant, quod vel iis contigui, vel fortuito obuij dùm suis montes diuinationibus instaret; non posset à Diis odor Christianorum ferri, & emasculata respondendi, vis & falleudi concideret Verum enim verò quibus mens sanior, prudenter argumentabantur Christianorum Deum sua vnius vmbra, Diis Oscianorum, & Taosiorum omnibus plus posse; imò nec esse Deos, sed dæmones, qui Christiani cuiuspiam, aut rei Christianæ non sustinerent præsentiam, quare ipsi quoque omissis Taosiis, diuinum Iesu nomen, sacras imagines, & alia Christianorum præsidia, suis malis remedium

26. Diuin. & euocationes anim. etiam Christ.

nec frustra adhibeant. Plus tamen contulit ad æstimationem legis Christianæ, quod euocatæ per Taosios ab Ethnicis animæ Christianorum amicorum, & interrogatæ vbi essent? egerentne aliquo? vellentne Taosiorum sacris, & incensione chartæ inauratæ aliqua leuari; respondebant seu illæ ipsæ, seu Deo volente pro iis alius; aut se beatas in cælo agere; aut bono loco esse, auersari se ipsorum piacula vtpote illis nocitura, nihil sibi profutura. Hinc per vrbem rumor saluos esse omnes Christianos; fortunatam domum in qua obisset Christianus; nullos in ea metus reuersuræ ad necandos domesticos animæ: nihil opus eam subinde relinquere, nec enim vnquam persenserant infestationibus esse obnoxium quibus ædes aliæ laborabant. His victi argumentis Sinæ, religionem Christianam erant libentissimè amplexuri nisi boni omnis scientiam & possessionem innata superbia, sibi arrogantes puduisset, pro peregrina auitam relinquere, quam si licuisset, volebant cum Christiana retinere.

Habet anni 13. & 14 residuum, Patrum quinque in Sinas capitibus alcæ ingressum horum vltimus Ioannes Rodriguez arcanas Bonziorum requirebat doctrinas, quorum apud Sinas Bibliotheca duplex, sectarum duarum idololatriam magnis voluminibus continebat; & susceperat Rodriguez conuicendam ex iis pertinaciam Bonziorum Iaponum à quibus expulsus fuerat. Priores duo Iulius Alemius, & Petrus Spinula Sinensi habita, tentare aditum aggressi, nummis viginti venditi sunt proditione perfidi Nauarchi qui Macao illos Quanceum vexerat vbi nummis centum ægrè vita incolumi ex Mandarinis redempti sunt. pœna supplitiorum crudelium indicta, si conspicerentur denuò intra Sinas; quam ipsi ne possent fallere, vultus illorum ad viuum expressos publicè affixere. Centum nihilo seciùs artibus, nocturnis, & aliis per cæca, semitas itineribus, mutatione lemborum, oris & vestium, in cassum laborassent, nisi eorum industriæ obsecundassent custodes genij nautis enim Sinensibus fidelitatis mensura lucrum est, viuos tamen sed nudos à se amisere, Deo illorum barbariem mitigante; inde per secenta exploratorum effugia, & mille oculos, suspicacissimam, & infestissimam Cantonensem Prouinciam præteruerti applicuere denique Nanhionem cum Francisco Sambiasio, Aluaro Semedo, & Ioanne Rodriguez. Horum quatuor sine mora Longobardus Nanchinum destinat, Literatorum characteri & idiomati operam daturos. Erat illic nostrorum apud Mandarinos tàm firma tantáque gratia, constabátque tàm certo nihil ab iis quæri præter Dei vnius cultum legitimum, vt hæc tàm aperta ad numerum nostrum accessio, suspicionem iis nullam iniecerit. Mandarinus quidem ea in aula recens, nostrique ignarus criminosis in nos ad Regem libellis, suum illi securitatis publicæ studium nisus est commendare, inculcata illi veteri cautione cauendi ab nostris & Lusitanis periculi, cui nefariam subdebat Christianæ legis accusationem. Rex etsi natura timidus, & credulitate præcipiti, suspectos solitos

solitus seuerè præuertere, Mandarinum spreuit, nec vllo responso dignatus est, Patres enim Pechini in aulæ oculis experimentum sui tàm perspicuum dabant, vt ex eo intelligeretur, de illorum sociis quid esset sentiendum. Deus verò scelestum breui de medio sustulit, & verè an falso rumor increbruit, sublimè correptum à dæmone, solo inde allisum planéque confractum, quod pronum creditu ostenta fecerant quibus vexatos iniuriis Patres, & Christi quam docebant legem vleiscebatur Deus, multósque hoc fræno ab eorum insectatione inhibebat. Inter quos, Primates Eunuchorum pro malignitate improbæ nationis, fuerant nobis semper metuendi, vt qui essent cultus Deorum sacrilegi fitmamenta, & ædificandis eorum cœnobiis & templis nomen studerent æternare quod in posteris suis non poterant: egit tamen illos aliquando spectandarum cupido machinarum, quibus fabricandis instabat Sabatinus, salutati ab eo demisse pro genio ambitus quo tumeat, eicurari primum, & obsequiis leniri, post sensim nihil minus sentientes in colloquia deflecti de anima, eiusque sempiternis tùm pœnis tùm præmiis; ad extremum capi, & pellici, non iam curiosa organorum quæ machinabatur nouitate, sed desiderio discenda, referendique codices catechismi, quos etsi fructus non essent alium daturi, magnum fuit in palatium subire. Hinc vnus speciem præferens, Eunuchorum imperio dignam, superbo, & splendido trecentorum è suis comitatu ad eum venit; Sabatinus pro gradu & maiestate illa salutatum, in templum vt erat solitus, induxit Saluatoris in quo erat Riccij sepulchrum) ad honorem sacris imaginibus exhibendum; illic in sacello Reginæ Deiparæ augustam effigiem conspicatus Eunuchus perculsus est subito reuerentiæ magnæ sensu, visáque illi est grandius aliquid humano præferre, vtque illam audiuit cœli Dominam esse, corporatique Dei matrem, quæ illum & Virgo sacris visceribus concepisset, & peperisset Virgo, officiosos in eam summissionum ritus integrauit, hæsitque hominì tàm viuax eius venerabilitas & maiestas, vt in palatium regressus Sabatino deferret per nuntium, quicquid apud Regem in sua foret potestate. Præter eius animæ salutem & Christianismi patrocinium nihil ab eo admisit Sabatinus. Eundem apud Mandarinos sortita est fructum lucubratio Pantoiæ, cui *Céche*, hoc est *septem victorias*, indicem præfixit quod de septem capitalibus vitiis ageret expugnandis ex quo literatis a quibus auidè terebatur perspicuum constitit virtutis Sinensium quæ præter speciem nihil habet, & Christianorum quæ tota interior discrimen, Sinensis item sophistices quæ sterili tinxit virtutum contemplatione; & Philosophiæ solidæ, quæ omnem applicat formandis perficiendisque moribus operum: quare vtriusque doctrinæ partibus describendis Sinensium vita graphicè pingebatur probitatis fuco sibi vnicè placens; & Christianorum ex interioribus dictatis, instiæ rationis effingens, ac poliens exterioris sanctitatem: quod erat Sinis adeò probatum & euidens, præsertim diuitibus vt argentum, prouentus,

26 Eunuchisensim ad fidem affic.

27. Pantoiæ contra septem P. opus.

27 Mutat. dextræ Excelsi per bapt.

prouentus, remque omnem domesticam, Christianis securi famulis crederent, quibus ante baptismum ne nummum quidem, fugæ aut furti metu fuerant creditum. Ex iis verò dùm quæreretent domini, vbenam heri fures, perfidi, helluones tàm repentè nunc sobrij, fideles, alieni custodes? respondebant heri se idololatras, hodie Christianos, aliis vixisse legibus, nunc aliis viuere; recitabántque sub hæc præcepta Decalogi, & pœnas violatoribus à Deo positas omnium, etiam cordium inspectore, quibus si minùs euincebant vt compiscerentur honestatem cuius magis admiratione, quàm desiderio afficiebantur; amabant saltem illam eiusque sectatores, & Magistros; eique dilatandæ beneuolentiam, & auctoritatem libenter impendebant. Quæ causa Patres exstimulabat vehementer vt assiduis misericordiæ operibus assuefacerent Neophytos suos cùm præter alia, nulla esset tàm potens ad conuersionem Ethnicorum ab idolis, etiam Doctorum probitio, vt cum ope suorum destituti, experiebantur Christianorum beneficentiam nunquam sibi deesse, ex quo fortiùs quàm rationibus quibusvis argumentabantur sanctimoniam Christianam suppetebant & quotidiana eiusdem virtutis in Literatis, Oscianis, & Taosiis documenta qui suæ conscij immortalitatis, vt æternùm beatam obtinerent, infinitos trium illarum riuos sectarum exhauserant, nec vsquam alibi quicquam repererant, in quo illorum vel acquiescceret ingenium, vel animi conscientia, nisi in Catechismo Matthæi Riccij, hoc laudense perlecto multi, dierum interdum quindecim labore ad Patres veniebant à quibus edocti pleniùs, & fidelium adscripti numero, credendi firmitate, & integritate virtutis cedebant nemini, potissimum verò, inflammato ardore vocandi, quamplurimos in partem eius boni, quod tantoperè sudarant. Multos eiusmodi censebat Cataneus in noua sua Hancei Ecclesia, non plurium hactenus quàm quingentorum numero diffusa, iam tamen aliarum, parente, & alumna, quatrium, quatuor sex dierum spatio dissitas operarij nostri statuebant. Cataneus articularibus maximè genuum, & acerbissimis innexus doloribus nihilo segniùs operarij optimi superabat vices. Hanceo quotannis Suncianum, & Sciamhaiam excurrebat, illam Ioannis, hanc Pauli Doctorum patriam, vbi consanguineos illorum quotquot essent fuerant Ethnici, baptismo lustrauit, aliosque quinquaginta, anno proximè sequenti totidem, præter illos quos ad Christi fidem bene illic affectos reliquit. Eius socius Felicianus de Sylua, cùm F. Francisco Lagea Sinensi, Chiuseum vrbem excoluit, vbi dies intra septemdecim, Ethnicos septuaginta sacro baptismate Christo dedit, magno, inter Sinas tàm breui tempore, & raro numero, sed vitæ præstantia insigni. Fuitque postrema hæc Feliciani excursio: ex contorsione & doloribus viscerum, nulla medicorum sagacitate aut arte restitui potuit, etsi ad hoc Nanchinum remissus Christianos haberet omne subsidium prodigos, diceréntque si posset sanguinis balneo curari.

tari, se iusto parciùs suo & filiorum sanguine vitam hominis emptu-
ros cui salutem deberent animarum tot ab eo periculis & ærumnis
tàm longinquo ex orbe quæsitam ; iis mense integro cruciatibus ex-
haustum, profluuium sanguinis abstulit, Christianorum luctu incon-
solabili, anno seculi huius quarto & decimo ætatis trigesimo septimo;
Euangelici apud Sinas ministerij nono. Parentes habuit Lusitanos,
mentem suscipiendis in Dei gloriam arduis, & conficiendis parem,
Nanchini summam viuus, & mortuus apud Christianos veneration-
nem; quam triennio post auxit mirificé spectaculi nouitas cum Scin
Mandarini tyrannide barbara (quam tunc referemus) recluso eius sar-
cophago, corruptionis expers apparuit, & suaue olens cadauer. Anno
verò æui trigesimo septimo, cùm effoderetur refoderetur transferen-
dus in locum aptiorem, innata eidem sarcophago, prodiensque ex illo
rami vnius herba in multa passuum centena serpere solita ; elato demùm
sarcophago scaturiuit fons ex solo cui incubuerat, quæ tametsi non
negem potuisse naturæ miraculo fieri, sed Christianorum pietas meri-
tis eius attribuit.

27. Feliciani sepa mirabile.

Nunc priusquam in annum subeo 1615. ingressu operarum in Cocin-
sinam faustum, reddo quæ huc ideircò reieceram cùm de infinita in ce-
remoniis Sinarum agerem occupatione, quod eius impeditissimæ ob-
seruationis occasionem hic annus daturus esset perillustrem : funus vi-
delicet Reginæ matris, cuius frequentia, ordo, & maiestas tribuna-
lium sex, & Collegiorum, hoc est regni totius excellentissima ingenia
exhausit, & successu quidem tàm omni ex prospero & optato, vt Ri-
tuum Præses quem Lipu nuncupant, eius apparatum, elationem cada-
ueris, Regisque sub hæc munificentiam libris tribus complexus, ad-
miratione rei tantæ attonitos populos latè perstrinxerit : diligebat eam
Rex affectu intimo non priuati solùm in matrem officij, sed quod su-
pra feminam prudens, decennis filij, regnique nacta gubernationem,
periculosis temporibus, periculum omne ab eo depulisset, & in ex-
plicandis negotiorum labirynthis quorum mole ingenti eius guberna-
tio premebatur Regum veterum maximis præstaret. Vitæ ad hæc, si
Bonzios audires, ex quo Sinæ fuerunt sanctissimæ, quam eius laudem
fuit per commodum ab iis præiudicari, quos multis iam annis suo
ieiunio saginabat ; verbis ipsa illorum fraudulentis, & futuri promis-
sionibus victitans. In milliones exit auri pondus, quod ædificandis
eorum templis, atque cœnobiis ; & ingurgitandis sumptuoso victu
porcorum illorum gregibus, effusè proiecerat. Huic eius vitæ octoge-
simas demùm annus finem imposuit die lunæ secundæ nono, qui nobis
in Martium exeuntem cadit anni 1614. Efflarat vix animam cum signo
dato repentè vndique, toto quoquo versum imperio veredarij præci-
pitant, nuntiaturi vbique tristem casum ; indicturi vbique Vanfuis, seu
Regis propinquis, accepto mox nuntio vt humi quinquies procum-
bant ; fronte solum quinquies feriant, & velint nolint fleant. Inde

28. Regin. Sin. funus.

septem & viginti dies tùm ipsi, tùm Ordo Mandarinorum vniuersus, eorúmque vxores nisi veste funebri non vtantur, qui Magistratibus fungũtur ipsique adeò Prouinciarum inspectores, mœsto silentio excipiantur palatiis quæ Rex habet vbique vrbium præclara, nec vllos admittant in eorum ingressu crotalorum, tibiarum, aliorúmve instrumentorum sonos; minium diluto cœrulo signandis literis, & Rescriptis mutent; luctum populus omnis signo aliquo funereo præferat. Pechini autem Mandarinis illico indictu splendidi ornatus in tristem mutatio, hoc est alba talaris ex cannabe, pro phrigionica; crassus funis præcinctu duplici renes premens, extremis antrorsum ad terram pendulis, pro zona gemmis, & auro bullata; agrestes ex palea calcei, vel stupeo licto textiles, pro delicatis & sericis; tegmen capitis à consueto minimè diuersum, sed per vrbem fuscum, albo autem panno ad ingressum regiæ inuolutum, & pro vittis illis amphotidum specie aures radentibus, longæ à tergo in humeros ex candido tæniæ. Fuit hic Mandarinorum cultus quoad Reginæ cadauer humatum est, hoc est mensium quatuor spatio. Aliis verò cuiuscumque forent conditionis & ordinis pileus candidus, in septem & viginti dies, edictione tàm seuera imperatus, vt eius obliti, publica verberatione à carnifice mouerentur. Rex ipse non dispari à Mandarinis cultu, nisi quod magis etiam aspero dolorem testatus, in matris palatium, horis aliquot ab eius obitu secessit: illic triduum elixa oriza ieiunus exegit, orizæ ad diem tertium decimum (in quem etiam tota vrbis carne abstinuit) ipse aliquid insulsi adiecit oluscuIi; quod defunctæ matris miseram animam, vt pœna vlla leuare non potuit, leuauit hunc saltem aliquo saginæ immanis oneroso. Statis præter hæc horis quotidie, luctum ante cadauer instaurabat, procidendo; fronte humum verrendo, multa odorum fragrantia suffiendo; quod Regina vxor, filij, secundariæ Reginæ, & de Eunuchis familiares magis, & intimi, omnes funerario habitu itidem factitabant. Illic etiam Rege coram, lectus, vestes, vasarium, & omnis defunctæ quamuis ditissima supellex ingenti aceruo concremata, & in cinerem redacta, qui magna diligentia collectus, depositus est in templum solenni comitatu extra vrbem seruandus; cadauer tertio post obitum die, parato capulo clausus est: erat id capax mattæ grandis extentæ, & puluinatorum toralium varij generis, fabrefactum verò de arboris radice contra subterraneum humidum, & æui cariem duratura. In eo Rex ipse maternum corpus quo situ maximè decebat, in puluinis illis composuit, & quidem tanta mundi totius muliebris spectandum superbia, vt sponsa regia iuuenis, non anus mortua videretur; huic tamen Rex plenis manibus, vnionum imbrem tàm densum impluit, vt centum millibus aureorum æstimaretur à nonnullis vniones autem pyropis, saphiris, omnique alio gemmarum flore variauit, aureis demùm circum quinquaginta, argenteis totidem panibus coronauit, defixis denique postremùm in eam oculis flens, se se subduxit.

subduxit. Clausam sandapilam Eunuchi collocarunt in aulæ intimo ream spectante, in qua Rex die postero mensas inuenit quindecim cibis largè instructas quos ipse, cum suis, reficiendis mortuæ manibus offerret vt qui putentur in inferis millies tantùm recipere, quantùm hic pro illis confertur: erant autem eæ inferiæ, porcus, veruex, fructus arborum, placentæ, mustacea, & his similia. Dùm autem matri parentat Rex filius, regni Summates, & Mandarinorum primarij quatuor Ordines (ad hoc solum in palatium inducti) publico luctui sua item nauarunt officia, reliquis verò qui Pechini degunt Mandarinorum tot millibus imperatum adessent altero obitu die ad fores palatij maiores; taxatam dolendi, & flendi mensuram ibidem implerent, inde quatriduum & tribunalium suorum ædibus secubi, à domo procul & vxoribus transigerent, abstinerent se vino, & carnibus; post hæc tribus continuis diebus ad portam eandem regiæ decumanam pullati, mane & vesperi, præscripto numero proclinationum, fronte humum lamberent, & decies quinquies ex imis ruptum visceribus lamentabiliter, heu! exclamarent, interpungerentque illas doloris voces, longis & miserabilibus suspiriis: nec putandum rem ioco vel minus seriò obitum, adstabat ab aula seuerus exactor funerarij illius tributi, qui suspiria numeraret, & vim prope doloris ponderaret, iussæ quoque sunt vxores Mandarinorum quos dixi Principum, quæ sunt eius regni primariæ dominæ, sub diei exortum ad easdem fores conuenire, ornatu omni non modo abiecto, sed capitibus neglectim panno candido obuolutis, calceatis è rudi cannabe pedibus, vestemque pariter cannabinam indutæ sed laxiorem vsitata, promissisque, & amplioribus manicis. Bonzij cœnobitæ, & quoscumque penes fanum aliquod erat, campanarum sonis minimè parcebant, vtpote singuli, millibus pulsuum triginta taxati; Doctores Collegij regij eliquabant sua ingenia in amplificandis titulis quos longa serie in demortuæ laudem à Prætorio Rituum acceperant. Instabant toto nugarum suarum conatu Mathematici, momentis duobus diuinandis quæ forent tùm ad efferendum palatio cadauer, tùm ad humi condendum ominata, ne Patribus quidem cessare licuit, amicorum suasu consolati sunt dolorem Regis eleganti compositione. Diem mortuæ efferendæ propitium, Mathematici renunciauerant Lunæ sextæ nonum; horam ante meridiem quartam, humandæ verò diem Lunæ eiusdem quintum & decimum; horam decimam matutinam; quæ puncta temporis nihil non paratum ad complendas exequias offenderunt. Renouata in primis lamenta, & lachrimæ, sacrificia, & ieiunia miseris Mandarinis, eorúmque coniugibus indicta; & cœtera, quæ tædio fuerit iterum legere, vti & munus sacrificio par, ab Rege oblatum, honorandæ auorum memoriæ in templo palatij consecratæ: cum extraordinaria mœroris imagine inter incensiones pannorum solidorum ex pretiosissimo serico, & aromatitis vini, multis conditi mysteriorum tricis: subsecuta his illa in spe-

ciem sacra ; re autem minimè quæ sibi Rituum Dictatores seorsum singuli, variis in templis obeunda sumpsere, septem alij stellis errantibus, alij eorum elementis quinque ; nonnulli montium custodibus geniis, & rectoribus fluminum : portis Regiæ nouem ; & septem pontibus qua transuectioni funeris decreta erat via. Die dicto vna clausis cæteris panditur vrbis porta, montem versus Tiensceum quatta dissitum leuca, vbi erat paratus reginæ inter Sinarum Imperatores locus. Via illuc vsque solidè complanata, lata orgiis octo, prætendebatur vtrinque fune perpetuo ad altitudinem pectoris, quem nefas erat spectatoribus transilire, vtrimque item decimo quinto passu dispositi, qui flauenti arena, colore nimirùm regio, appropinquanti sandapilæ solùm insternerent ; vtrimque militum in armis continua series. Præibat ordo ingens Ministrorum præferentium Leones, equos, elephantos ad veri effigiem expressos ; Reges præterea, & heroes magnitudine gestorum, annorum laude, regendi æquitate, & beneficiis in publicum, posteris glorioſos ; vexilliferi deinceps, dracones aureos (regium insigne) crispantibus cantabris ventilantes ; sequebantur celsis in ferculis Rex summus tenebrarum, & Iudices inferorum ; post aceruæ, odorum copia, vasa & gaza immensi pretij ex defunctæ apothecis residua, quæ vnà cum illis Deorum, hominum, & animantium figuris, dùm humatur cadauer, igni sunt tradita. In his tamen ægrè spectabiliùs aliud, & miserabiliùs, ordine, silentio, maiestate, quàm interpositi curabant ex Eunuchis Mandarini sursum versum suas incessu graui, nutúque monentes decurias, ex illa verò infinitate populi viæ latera stipantis, væ ! cui excidisset vox altior, aut risus leuior, extra nempe verberatione pœnas insolentiæ confestim daturo Digesta in hunc modum pompa, succollant regali, machinamenti mirabilis feretro, milites trecenti, post orgiam quamque centesimam & octogesimam trecentis aliis, atque aliis honoris partes & ponderis cessuri ; erant enim mutandis sub nobili sarcina vicibus termille conscripti. Locatum in sublimi suo cum pignore incluso capulum, obtendebat pensile ex alto cœlum, circa feretrum lecta ephebororum manus, elegantissimis tabulis epitaphia portabant, non illa quondam in exequiis producta, sed elucubrata tunc à Collegio Doctorum in magnos defunctæ, & proprios titulos à Præfectis Rituum dictatos. Harum verò vna laudum funebrium ad sacrificium quodlibet recitata, pars ipsa sacrificij cremabatur. Capulum proximè sequebatur Rex cum Principe filio, tùm cæteri filij, cognati deinceps, & Reginæ, aspectu omnes supra modum afflicto : conficiendo spatio quod interiori regiæ & portæ palatij octauæ interiacet sacrificauit Rex quinquies, præter mensas hinc inde creberrimas pompam suffitu continuo vaporantes. Ad octauam hanc portam, matrem humi proiectus, & lachrimans vltimùm salutauit, & quod palatio egredi fas non esset, statuto pro se funeris curatore Primatum maximo in penetralia suorum concla-

uium

uium recepit. Porta demùm nona, funus decem millia armatorum in equis cultu magnifico extra palatium educunt, quibus ad montem sepulchro destinatum præierant millia quadraginta. Portæ vrbis, qua sola patebat exitus septemtrionali, mensis procul seorsum dispositis vxores aderant Mandarinorum aulicorum, & incensioni aromatum largæ, miscere lamenta, & gemitus, & luctuosas inclinationes nitebantur. Illic etiam Regni primaria capita; illic Præfecti cœnobiis patru suo, sua mortuæ sacra exoluerunt, vt & Regis propinqui ad flumen ab vrbe haud procul; sed verò propius nemo luctum expressit Bonzius siccophantis qui cum patrona idolorum magna iacturam dolebant largitionum eius immanium. Hi parentalium fabula, turmis quatuor ferè acta in vrbem rediere, nec vlteriùs eo die processit pompa. Occumbente sole Præfecti exequiis Mandarini, de genibus tremuli, & peculiari sibi reuerentiæ formula mortuæ supplicant, gratum habeat ipsorum propositum de transigenda ad oram fluminis salubri loco nocte illa; & velut edita ex sacrophago vox annuisset, læti sarcophagum sub tentorio deponunt; giro duplici mensarum vasto cingunt altero naribus multa fragrantia recreandis; refouendæ animæ altero ingenti ciborum copia; sub hæc de assuetis Regis conspectui Eunuchum expediunt, qui esse Reginæ prosperè & primum illud iter, quam commodè actum Regi significet. Hinc illa exequiarum absque numero turba, circa sandapilam tensis storeis ad somnum & cibum succedit, quæ de fisco regio præbentur. Sole postridiè surgente heterni Mandarini, precum ad defunctam officia iterant, ne grauetur secum iter repetere, & suo ipsorum obsequia vti; moxque repeti iubent iter non expectato ab ea responso, iisdemque hunc diem & reliquos confici ritibus, & minutis ad Regem nuntiis sex enim toti dies, insumendi erant conficiendis ab vrbe ad montem milliaribus ægrè duodecim, & poterat luctus tàm elaborati, majestas & grauitas in longum facile differi. Die tandem quarto & decimo sextæ lunæ ventum est in montem, vbi sandapila transfertur in feretrum longè priori magnificentius, & sumptuosius, vt in eo noctem Regina quietius duceret. Summo mane ritus supremi & maximi inchoantur sacrificatur iuuenca terræ, ingens serici numerus; & vina odoris incocta aromatis; terræ videlicet genio præmonendo, vt tantæ feminæ condignam meritis pararet quietis perpetuæ sedem. Hæc dum igni cremantur, vice Regis funeri præsidens lectissimum ex epitaphiis quæ portata tabellis diximus ipsemet clara voce legit, moxque cum inferiis aliis arsura in ignem coniecit, post hæc redacta quoque in cinerem vexilla regia, elephanti, leones, animalia, homines, dij subterranei, qui picti, fictive in ferculis gestabantur, ciniſque vt factum iam fuerat obseruandus in templum delatus est. Succedere his sacra nouem, à Mandarinis totidem, nouem locis facta placando illorum genio tutelari & recolendæ Regum memoriæ quorum illic visuntur sepulchra, & illa denique ap-

petente diei decima, quam Astrologi Reginæ humandæ felicem addixerant, omnes de genibus, pronique in faciem obsecrant. Digeritur breue id quod restat itineris explere, id vbi descriptis lentisque passibus perfectum beatum se putat cui contigerit demittendæ in fossam sandapilæ manus admouere, & terram iniicere, atque hinc tandem vltimùm exsoluto lentissimarum proclinationum lacinioso officio Pechinum redditur; interiori custodia militum quingentorum, totidem exteriori portæ; ciuitas funebribus, & luctu liberantur: parentalium Ministri pretium operæ ab Rege accipiunt. Datur plena rei & vinctis amnistia, dumtaxat exceptis quos extraordinarij sceleris, nefaria desinet grauitas, condonatæ prætereà pensitationes vndecumque fisco regio debitæ ad vsque Reginæ obitum: vbicumque annona laborabat, erant autem propè in extremis Prouinciæ integræ, leuati sunt tributo pauperes; stipe de fixo, & regiis horreis donati, ad sementem & victum indidem pariter, agricolis suppeditatum est: grauissimæ demùm contributionis ad restituendam ex incendio regiam imperatæ, pars tertia toti regno remissa. Hæc librorum trium breuis epitome, quos de hoc funere vulgarat Rituum tribunal, Sinarium genium abundè explicat, totum videlicet in officiis, & vrbanitatibus Rituum, in quibus omnem iacturam temporis lucrum putant, eóque vt in sacris sic in ciuilibus, tùm viri Principes, tùm pro facultate priuati etiam tàm intolerabili obseruant superstitione, vt si quilibet homo Deus, & quæuis ciuilitas etiam priuata, publicum sacrum foret. Hoc nempe se solos morum Magistros existimant, nullos sibi officiorum elegantia, grauitate, varietate, & multitudine aut pares aut secundos. Nunc ad res pergamus anni 1615. quæ cùm primum nobis obiiciant Euangelij áditum in regnum Cocinsinæ, iure lector videtur exigere cuiusmodi regnum sit, quidve illi cum Sinis in Religionis negotio, quod erit item suis annis de regno Tunchini explicandum.

19. Cocincinæ Regiæquale.

Cocincinæ nomen, ex vero corrupit vulgi temeritas & imperitia. Chiaoci, vel Annan potius vocari debuit, quæ vox aut quietem ad austrum, aut quod alij malunt, rem significat ad occasum sitam, & quæ vnum olim conficiebant regnum Cocincinam simul & Tunchin notat, Sinarum imperio ad occasum & austrum, eiusque pars quædam bello parta; post bello recepta ex Rege ignauo & mulieroso, qui perduellem suum tributarium habere maluit quàm hostem. Diuulsum à Sinis regnum duplex, Tunchini postea Rex furiosus, & efferus, integrum sibi asseruit ablata Ciampæ domino Cocincina, transmisitque tamdiu in feros hæredes, quoad eius auus qui Cocincinæ nunc imperat ab Rege Tunchini, Præfectus in eam mitteretur. Hic magnæ mentis & animi iuuenis, sic eius sibi asciuit imperium, vt nullis deinceps aut armis aut artibus Tunchinensis aduersus illam quicquam promouerit, etsi alioqui triplo & quadruplo, militum numero minorem, sed enim Iaponum catapultæ atque acinaces; tormenta bellica

Batauorum,

Batauorum, & Lusitanorum ex crebris ad Sinum Hainanum naufragiis piscantur permulta, & triremes centum in perpetuo ad pugnam procinctu, formidabilem tunchinensi vsque adeò fecere, vt modesto contentus, nec ita constanter impenetrabili tributo, vexare illam omiserit. Cocincinæ situm planities facit Orientem versus in Sinensem protensa oceanum, illinc vnuecimo ab gradu, Regno Ciampæ ad austrum confinis; ad decimum septimum prouecta Tunchino iungitur, occupatque in longum milliarium circiter trecenta sexaginta, ob eius aliquem ex aquilone in argentem flexum: latam faciunt quidam milliaria viginti, alij quinquaginta, forsan rectè vtrique, sed diuersis ex locis eam mensi. Excelsorum montium vallum perpetuum illam soli beati planitiem à vasto dirimit & horribili deserto, quod ipsis cum montibus, Cocincinæ sunt appendix ampla, sed prope inutilis; desertum quippe in milliaria ducenta sterile, purúmque sabulum; montes agrestibus frequentes, & barbaris incolis, sed libertatis ita tenacibus, vt se suæ quisque in qua natus est rupis, aut syluæ dominum ostentans ne Regi quidem Cocincinæ tributum aliud præter amicitiam solam pendat, quòd nihil ab ipsis præterea inter illos montes nisi damno maiori & sumptu quàm lucro possit exigere: at illa montium feritas, & hominibus ac feris inuia deserti vastitas Cocincinam & Tunchinum, ab armis Cambogiæ, & Lao regnorum confinium egregiè defendunt, præstantque iis idem sed abundantiùs quod Ægypto Nilus fœcunda camporum irrigatione; præter portus quos magno numero immissis per transuersa plana in mare fluminibus efficiunt commodos, sic vt plaga vna leucarum viginti, seu portus, seu ostia, seu receptacula nauium numeret sexaginta: illa verò aquarum eluuio quæ totam operit Cocincinam in autumnum cadit: nam quòd cœlo torrenti subiaceat, suis propterea non caret habitatoribus, vt nimium facilis antiquorum argutabatur credulitas; suas habet quatuor anni vices. Vrit certè illam ardenti sol æstu rectâ illi imprudens, dum ad nostrum, eiusque tropicum progreditur & redit. Vbi verò accedit propiùs ad circulum æquinoctialem, tunc montes primum imbribus pluuiis infandi, post aquarum vim tantam in subiecta deuoluere vt oppleti lacus & fluuij omnia inundent, eluuione denique semper noua confusis mari aquis Cocincina omnis, pars Oceani fit: quæ per triduanas pluuiæ inducias cùm paulùm remiserit, ruptis iterum, & quarto, & sexto sæpiúsque subinde inducíis debacchantium imbrium luxuries diluuiis totidem latè omnia per autumnum mergit. Quod tempus incolæ conuiuiis mutuis, vestitu florido, omnique hilaritatis genere celebrant, & circumobeunt inuicem nauigiis, inuicem gratulantur, ipsóque sua cum aula Rex lætitiæ agit potissimas. Exinnimirùm restingui æstus violentior, spirari aura iucundior, cœlum aquilonibus serenari; fœcundari solum conceptu tàm vberi, non ex aquis modo irriguis, sed ex pingui limo post aquas deside, vt messe triplici

triplici annum ditet; quanquam hæc ipsa felicitas, vltroneæ annonæ saturos incolas, infelices facit & ab omni artis necessariæ labore alienos, hanc enim haud rarò inertiam autumni siccitas fame toto regno lethali castigat, quodque deterius est refertur interdùm sacrilegè in Christianos, id infortunium Deorum strage commeritos. Ad hæc dum aquæ nauésque omnia obtinent, commoditate incomparabili quoquò versum lignorum immensa pondera mittuntur: est enim lignea domorum omnium materiatio, & columnis altè supra notam mensuram eluuionum suspensa ligneis. Ducunt hæc ligna suis è montibus, scapo æquabili, & procero recta, vltra modum crassa, rotunda tamen & velut in columnas nata. Horum duplex genus eximium, alterum nigrare ad ebenum accedens; rubescens alterum, insigne vtrumque, duritie, pondere, & soliditate, humido & aquis inuiolabili; vtrumque cuiusvis cædere volentis arbitrio liberum. Parietes ædium componunt tabulæ, sed quia lubet auram frigidam captare, ductiles; æstate quin etiam mobiles ad substituendas earum loco texticulatas ex arundine quæ dum arcent aspectum, frigus excipiunt. Facit quoque ad alacritatem diluuij lex prudens, quæ animalia vndis intercepta, addicit primo occupanti facitque dominos in subducendis iis prouidentiores. Scaphas mille videas huic intentas venationi aquatili, tùm domi lætas cum amicis ex præda epula, agitantes: nec minus quam terra frugiferum mare; soluunt quatuor ante noctem horis quotidie piscatorij lembi innumerabiles, post solis occubitum onustis piscibus reuerruntur. Æstimari vix possit, quantùm pecuniarum inuehant Iapones, Sinæ, Macaum, Philippinæ, Malaca, præter contermina Ciampam & Tunchinum; his situs opportunitate, & opulentia mercium emporium celebre præbet Cocincina; sericum profert Smensi crassius, sed abundantius, durabilius, & minus operosum, quo vbi naues illorum omnium implerit, habet quo suos rusticos, & bubulcos sæpico vestiat quàm lana, & quouis alio vilius. At merces diues est duplici, quæ vt cariophyllum Molucis; Bandæ nux odorata; ita Cocincinæ est peculiaris, & propria: de altera subinde aliquid cernimus in Europa; describunt alteram auctores oculati, & multi, & integræ fidei; lignum Aquilæ priorem & Calambæ vocant, duplex vna eadem ex arbore; adultum, Aquilæ; annosum Calambæ vocabulo; vtrique pretium benefica cerebro, & mira ponit odoris fragrantia, debilior viridi, & adolescenti; senili ac propterea Calambæ fortior; decrepitæ verò vehementissima & maximè diuturna præsertim si teredinem senserit, modo nodis vigeat intactis, vtpote nativo imbutis vnctuoso, ex quo illa exspirat odoris præstantia: abundant Aquila ij montes, quos Moi appellant, habentque diximus pro muro inter solitudinem vastam & regni frequentiam, licet cuiuis hæc ligna recidere, licet arborum illarum grandia corpora in strues congerere, quæ per illos portus non magni veneunt, transuectæ in Indiam centuplo

30. Lignum Aquilæ, & Calamba.

centuplo emuntur, maximè à Brachmanis, qui sibi ex iis rogum parant, quo pretiosiùs post mortem crementur. Calamba Regibus intacta seruatur, nec indagatur nisi magnis difficultatibus & periculosis, tùm quod beneficio aditus inaccessi cæsorum manus exit, & in iugis montium inuris senescens in Calambam ex Aquila euadit; tùm quod ventis frustatim decussa, vel senio, in acumina incidit rupium, aut valles tigribus, elephantis, & leonibus infestas, quare libram Calambæ Cocincinenses quoque aureis sedecim facile coëmunt; Iapones ducentis, & si fingendo ceruicali sufficiat etiam quadringentis, ego multa dùm verso ex iis regionibus perscripta, multos comperi Reges ceruical ex Calamba pro delitiis habuisse, quod eius odor & mirificè delectet, & cerebrum magnoperè roboret. Mercem alteram Europæ ignotam penitùs nidi efficiunt auicularum marinarum: in Regni extremis quæ Ciampæ obiacent, mare frangunt innumeri scopuli cum horrendo aquarum fremitu: hunc nidis ponendis securum recessum sibi anes legerunt hirundinibus haud multum absimiles, eodemque cum iis nidificandi ingenio; mittunt enim ex ore viscosum quiddam & saxis affigunt, luto tamen vt hirundines non miscent, sed marinæ spumæ quam carpi ab iis, & cum eo tenaci qui stomacho illorum innascitur humote confusam, in nidi fabricam rostro iaci. Hoc verò quicquid est in eam nidi firmatur duritiem, quæ oua dùm fouentur, & pullos tuto sustineat, quibus exclusis & cœlum mutantibus, barcas vectorias iis nidis indigenæ onerant. Coloris sunt viridis flauo mixti, pellucent, aquâ diluuntur, saporem referunt ex compositione quadam aromatum indeprehensa mirabilem, qui solus omnia ciborum genera exquisitè ad gulam condiat. Huius sunt apperentissimi Iapones, & Sinæ, crebrisque onerariis, aromatariam mercaturam his nidis faciunt. Hæc de ingenio cœli solique Cocincinensis pauca, paulò plura vt feret occasio; nunc de Societatis in eam ingressu, & fundati in ea Christianismi primordiis.

31. Nidi auium esculenti.

Ex Prouinciis quinque diuidentibus Cocincinam, nobilitant maximè Cancianam nundinæ quadrimestres. Portum illi efficit duplex sinus quem mare leucarum quatuor spatio perductum loco iungit, nauibus ab austro, & septentrione opportunissimum. Assueti loco Iapones, & Sinæ, bona Regis cum venia vrbem statuere, quæ vno ambitu duas potius iure, legibus, moribus, Præfectis diuersas videtur complecti ciuitates Iaponiorum, & Sinarum. Commerciorum facultate contentis Lusitanis ædificandæ vrbis solo vti non libuit, nec suburbicariis circum leucis quatuor quas vltrò Rex iis benignè detulerat, cùm nisi occidui nauigatione Macao non abessent. Eo transactis nundinis cùm redirent, tam multa Patribus narrabant de benè morata Cocincinensium indole, fida, in rectum flexili, externis perhumana, & facili ad permittendum cuique nationi patriarum legum ac morum vsum; cæterum cupida, quod erat præcipuè optandum, intelligendi si quid

32. Ingress. Soc. in Cocincinam.

ignorasset, paratáque id notis maiorum institutis præferre, si præstantiùs iudicasset. Auidè spes tantas diuinæ gloriæ bibebant nostri, sed quærebant quî factum igitur vt eò profecti ex variis Ordinibus, & Clericis, nullo sui relicto vestigio; mox inde obiissent demptis clericis quos fœda memoria diu fecit ei regno inuisos: & fuit tàm efficax qui suo per totam Hispaniam Orbis itinerario vulgaret, Regis filiam à se baptisatam, cum illustri cohorte Principum feminarum, se verò ab ea sanctissima scilicet Principes sui & Sacerdotis, & formosissimi amore capta interpellatum de nuptiis, & gerras huiusmodi fingi faciliores quam in lucem edi. Suggerunt mihi veteres tabulæ primam illuc Macao venisse Patrem Franciscanum, nec ibi hæsisse diutiùs quam onerarias Macaum referrent Etesij. Duobus præterea Macaensis eiusdem cœnobij, planè idem factum superioris seculi anno supra sexagesimum quarto, & quòd interprete carerent re infecta coactos discedere, matrona dumtaxat illustri, sacro fonte lustrata. Anno demùm post hæc duodecimo, duos item ex S. Augustini familia tribus aut quatuor baptizatis ab irato pulsos Mandarino eiusque militi nefcio quam à famulo suo illatam iniuriam insontes luisse. Sic destitutum colono agrum nostri aggressi sunt vertere, quod ne longa differra procrastinatio vrgebant literæ Præpositi Aquauiuæ quibus ardentes hortabatur vndecumque spes prudens inuitaret ad conuersionem eò rerum periti operarij mitterentur. Vrgebat & fauor, Indiarum Proregis, qui audito de Cocincinensibus iuuandis Francisco Vieta, non modo illum ad opus animauit, sed vectigali regio Malacensi, annuam pensitationem tribus alendis operariis indixit, quanquam ex his speciosis indictionibus ne obolus quidem expressus est. Postremo nostri ex Iaponiæ exules appulerant Macaum, quò deliberata in Christianissimi excidium Daifusamæ rabies illos expulerat; & Iaponibus Christianis in Cocincina degentibus magno erant futuri præsidio; & discendis lingua Iaponica Ethnicis. Hæc dùm nostri prudenter ea adeò Macaum, sua cum oneraria redux Fernandus à Costa Christiana virtute, & animi robore, etiam apud Indos clarus; naui exscenderat sanctimque ad Manuelem Diaz Collegij Rectorem detulit habere ab Rege Cocincinæ enixè iniunctum, vt Patribus aliquot persuaderet illuc migrare, rogauit maiorem in modum, tàm æquo Principis desiderio vt satisfaceret, & nobis ob vtilitatem Ecclesiæ plurimùm expetendo, nec plura, & iam Macai Deus in procinctu tenebat cui præ larum id opus aptè committeret Franciscum Buzomium Neapolitanum; qui Theologicum pulpitum tàm pridem cupita expeditione illa mutare monitus, respondere nisi vberibus lachrimis nequiuit præ magnitudine intimæ voluptatis, voti compos effectus, quod diu cælauerat, rabus à Deo munus Apostoli magis expectari, quam ab hominibus peti oportere. Huius egregio ardori duris exiliis, & perpessionibus accepto ferenda est Ecclesiæ illius fundatio, conseruatio, progressus & ortus

Christianissimi

Christianismi Tunchinensis. Additus illi est socius Iacobus Caruallius cum Iaponiis duobus Catechistis, & Fr. Antonio Diaz in quo breui post, condignè moribus reiecto ab Societate Deus exemplum terroris edidit. Caruallius anno non ampliùs in excolendis illic Iaponiis posito Iaponiam vnde fuerat proscriptus repetiit, vbi postea morte pro Christo pretiosa damnatus, gelidis in aquis extinctus est, nunc anni principio 1615. Macao cùm soluissent, ad diem eius octauum decimum Turone in portum subiêre, celeberrimum illud quod diximus Prouinciæ Cocianæ emporium. Illic suos Camallius dùm obit, & renouat Faifenses Iaponios culturæ penuria, sui ac Dei tantumnon oblitos, totus erat in sua Cocincina Buzonius, & iis cognoscendis quæ prospiciebat eius conuersioni profutura, ingenio, moribus, vitiis, sacrorum ritibus & doctrina, ex quibus confecit Cocincinam gentem esse ex Iaponia mixtam, & æqualiter vtrimque temperatam, nec totam in literis, & (vt Sinæ) & bello ignauam; nec prorsus ferocem (vt Iapones) & in armis totam; statura pariter his maiorem, illis inferiorem. Cognouit illic academias haberi, & gradus literarum, cuiusque meritis, probatione variorum examinum assignatos; seruari præterea reuerenter Philosophorum veterum quædam autographa, de moribus, religionibus, politicis, diuinis, de orbe condito, de animorum post vitam hanc sortibus, de Spiritibus & Diis: linguam iis duplicem in vsu esse, vulgarem alteram, & vernaculam, peculiarem alteram Literatis, velut apud nos fuerit Latina: illam characteribus ter mille, seu quod idem vocabulis variè accinendo, & pronuntiando significationem indere omnium quæ vulgò occurrunt. Sed intelligendis libris frustra det operam, quem illa quam diximus characterum Sinensium infinitas fugerit, quibus etiam vtitur Cocincina, sed diuersè ab Sinis pronuntiat, vt hieroglyficæ imagines, eædem cernuntur ab omnibus, sed sua quilibet significatum earum lingua effert, licet aliis ignota. Sermo denique à peritis locupletior Sinensi iactatur, sonantior, & recitationi musicæ propior. Iam impedimenta sementi Euangelicæ obstitura haud paulò plura quàm in Sinis, dempto illo Sinarum væsano aduersus externos odio, florebat vbique idolorum cultus; ancillæ vxorum, virorum eædem concubinæ, earum numerus prærogatiua magnificentiæ; familiaritas dæmonum etiam adspectabilium, iuris quidem famulam præbentium operam; pueris & feminis nefariè consuescentium, hinc se Buzonius facilè diuinans quanta manerent pericula, quàm atrox dæmonum vincenda rabies, regni sibi deuoti propugnantium tranquillam tyrannidem, sapienter prouidit singulari sibi Christi fiducia armandum pectus, & generositate animi supra morem robusta opémque à Deo præcipuam tàm arduo operi enixè flagitandam. Dubius verò quo maximè habitu deberet incedere, animaduertit cuique liberum relinqui vt patrio suo, vel quo alio mallet vteretur, & idolorum sacrificos Onsaios tàm distinctos à nobis

Buzomius eò mittitur.

indui vt de nouo ab iis discrimine vestium, non esset nostris laborandum, indigenæ quidem abollas gestant amplissimas quinque aut sex, diuersi coloris singulas & manicarum laxitate notabiles, sed eas è serico tàm subtili, zona deorsum fissuris aperta tàm multis, vt aura tenui, vel incedentium motu ventilatæ, colorum veneres exerant varietate eleganti oculis blandientes. Similiter feminis, quanquam multa & ipsis cyclade stolatis, philocosmum ingenitum non deest in ostentandis coloribus vestium diuersis, vltimam enim quæ longo syrmate humum verrit, aliis atque aliis operiunt palmo semper ad quintam & sextam breuioribus, ne vllius color & elegantia sub alia lateat. Tonos in tergum prætereà capillos fundunt, sed nec tondentur vnquam viri, ex quo Sinarum imperium excussere, siue vt se ab iis secernant, siue vt illos detideant tàm sollicitè curiosos de colligendis ad summum verticem in tutulum crinibus; nudi tibiis, & pedibus, dumtaxat plantis si cui libuerit, subiiciunt soleas quas globuli quatuor digitis interiecti, pedibus adstringunt. Mandarinorum & Literatorum cultus est grauior. Nigram Damascenam variis vestibus superponunt, coerula ad collum & manicas prætextam fascia; caput galero tegunt, mitræ sacræ haud multum absimili vestem longo vsu nostris in Oriente iam familiarem Bonzonius retinuit, diluti cœruli gossipinam tunicam, sed nudis planè tibiis, & pedibus tùm ipse, tùm eum secuti ambulârunt, quod eæ quas dixi soleæ insuetis gressum maximè impediret. Orisam ad victum incolis communem adhibuit, aqua simplici tamdiu maceratam, quoad carpi baccillis duobus possit quos pro fuscinula scitè ac facilè assueti, ægrè alij & molestè mouent. Ac mirum nobis iure appareat, Cocincinam, carnium copia & pisce abundantem, præ sua orisa omnia spernere, & in conuiuiis etiam, quæ crebra instruunt, & ferculorum delitiis valdè magnifica, caput cœnæ orisam iis esse, primam famem orisa eos conficere, reliqua omnia fastidiosè ac velut gustando, carptim vellicare, damnent sanè Medici orisam coctionis in stomacho duræ, quater quotidie illa vescitur Cocincina.

Sed Buzomium angebat magnoperè linguæ & interpretis defectus quem etsi præter opinionem denique inuenit breui tamen licuit eo sui. Onerariæ Indorum & Macaensium Turonem ad commercia ituræ, interdum Clericos & Religiosos Parochorum vice vehebat secum, qui per eas moras interprete vsi, abucos baptizarant, verum interpres de lingua Lusitana omninò nihil sciens præter alucos numerorum nomina mercium, pecuniarum & negotiorum, iubebatur solum ex ethnico petere, an esse vellet Christianus; annuenti, mox baptismus dabatur hinc multa sibi Bonzomius pollicens, simulque ab eo quem nactus erat interpretè tantùm Lusitanicè perito quantum erat necesse vt ab ethnicis Bonzomij sensa exponeret, & suam vicissim Bonzomium doceret linguam, per eum illos qui dicebantur baptismo tincti, rogare cœpit quid crederent, nec vnum in multis reperit qui nosset quid sit Christianus,

Christianus, quóve differret ab ethnico nedum qui posset de mysteriis fidei respondere, cuius rei causam apud se meditatus, longè ab omni coniectam suspicatus est de animo baptismi ab histrionibus in scenam ridiculam deformati; cuius vt fieret certior, agentes ipsemet dum spectat, personatus in theatrum prodit Lusitanus, & multa nugatus quærit ex puero quem secum ducebat, an esse vellet Christianus, annuentique, ergo, inquit, subi; & capacem illi quem sub veste aptarat, ventris alueum pandit, subit in eum nudos puer; sexcentis histrio de grauiditate illa sua ridiculis, moratus spectatorem, denique puerum coram parit, conuersúsque ad illum abi ait, iam Christianus, es, in quibus Buzomius notauit verba quibus illi quos dixi Sacerdotes petebant ab ethnicis, an vellent fieri Christiani? aliud non sonare nisi an vellent fieri Lusitani, mutato videlicet nationis animo non religionis; Lusitani renasci, & viuere, nequaquam Christiani. Explorandis igitur ethnicis an Christo cuperent nomen dare, ante omnia formulam concepit ex qua illis diserte constaret Christiano quid esset credendum, tenendum, seruandum quàm constanti execratione vitandus idolorum cultus, & vitæ prioris improbitas æternùm abdicanda. Inde animum vertit ad Christianismum in iis emendandum, qui præter baptismi speciem de illo nihil habebant. Parandúmque gentis idioma multo labore, & vigilatarum noctium sumptu grauissimo: quod illi vtrumque fortunauit diuina benignitas; suauitate morum erat amabili, & religiosæ consuetudinis affabilitate, decori Sinensis obseruantissimus, quod Cocincinenses etiam in quolibet requirunt qui nolit audire agrestis, & barbarus; ad hæc memoriæ felicis, cum excellenti, quod rarum est, ingenio coniunctæ, quo præsidio linguam breui assecutus est multitudine vocum, proprietate accentuum, & sonorum varietate impeditissimam, eiusque sibi grammaticas regulas, & commodum lexicum concinnauit. His dum incumberet priuata interim dictione cum suo interprete ad dicendum publicè comparabat sese, repetente isto confestim & coram verbis maximè propriis Cocincinensi lingua, quod is Lusitanè pronunciauerat, quæ tamdiu prius exercitatio quam in publicum se daret, tenuit, vt videri posset timidus potiùs quam cautus at desistèt ab ea citiùs, in procliui erat vt Christi annuntiator vera, falsa populum duceret interpres, quo ad hoc interea vrebatur dum linguam haberet ita expeditam vt neque accentu, nec prolatione fallere posset auditorem, quod in homine accuratissimo religionis necessariæ metus fuit, non superuacanei scrupuli, cùm æquè pronum nihil fuerit, quàm vt vocem illi notissimam, fallente lingua pronuntiandi modum delicatiorem, in contrariam verò, significationem corrumperet. Sed has moras cautæ festinationis pensauit Deus intra paucos menses, messe annorum complurium, Turone Ecclesiam statuit ad forum mercatorum; baptismi sacra, die Paschæ solenni celebrauit, decem ritè lustrauit solos, sed virtutis magnitudine

31. Error in bapt. defectu linguæ.

multis pares vt vel vno in puero patuit Augustino qui Patrum obsequio se vltrò mancipans primus fuit inter Cocinsinenses, & Tunchinenses Catechistas quorum virtus magnanima carcere, tormentis, & mortibus Ecclesiam illam magnificè illustrauit. Tunc primis adhuc hærentem radicibus non dubitauit Bonzomius succutiendam à Dæmone, vt prius quàm coaluisset eam à Christo reuelleret, quare illos præuertens impetus, Sinoam se contulit aulam tunc regiam Tunchino confinem & Regi conspectu, modestia, & sapientia tantoperè placuit vt eius omnibus postulatis prolixè annueret. Postulauit autem licti sibi potestatem in eius regno commorandi, veri Dei legem in eo promulgandi, & constituendi sacras ædes, in quas conuenirent Christiani, quibus ab Rege solenni diplomate, liberalissimè concessis soloque insuper ad templi fabricam in ripa fluminis Turonem spectante Cacianum transiuit Prouinciæ illius primariam, vbi hospitem nactus est nobilem ethnicum, Christianæ matronæ Franciscæ nomine germanum sed more patrio Ioannam matrem ex filia dictam eiusdem appellationis. Illi ante annos triginta baptismum contulerat Franciscanus, huic eremita S. Augustini. Ea in vrbe Bonzomius ad populum dicens de cruciatibus sempiternis in quos veri Dei ignoratione ab iis raptabantur quos veri Dei adorabant loco, alij quidem cœlum, nonnulli veterem eius dominum regni; idola reliqui dæmones & idola; qua oratione ita vrbem commouit, vt in ea trecentos exiguo tempore haberet discipulos quos aquis piacularibus renatos, elegit Christus in fundamenta eius Ecclesiæ anno seculi huius quinto, & decimo, Cocincinensis missionis primo, quorum fastis aut secus narrandis successibus annorum sequemur ordinem; nunc stationum Sinensium Christianos progressus nunquam ante tàm fastos reuisamus, infaustissimo omnium & immanissimo turbine in ruinam actos nisi nos præpotens Dei manus in Sinas reuocasset vnde nos impotens Mandarini furor exilio irreuocabili exterminauerat res est relatu paulò prolixior, quia variis casibus interpuncta, sed tristis vbique, & lamentabilis. Accessiones ethnicorum ad Christi Ecclesiam copiosa in Prouincia Cechiana, eiusque Metropoli Hanceo ortus habuere tàm diuersos, & inter se pugnantes, vt eorum admirabilitas numerum superet, & gratum fuerit opinor harum vnam aut alteram legere. Erat Hancei Doctor Michaël (eximius ille propagator fidei, & defensor) sed in conuersione aliorum felix, infeliciter laborabat in expugnanda pertinacia idololatræ vxoris, cæterùm feminæ virilis iudicij, sed quæ idolis & Bonziis ad amentiam addicta, nullis rationibus mariti persuadebatur melius sapere, exhauriebat sese in Bonziis per nuncios, & largam stipem frequentandis, quorum flagitia vitæ asperitas dissimulabat fuco sanctiori, & quod erat in ea obstinatione præcipuè dolendum, filios quatuor totúmque suum gynecæum in eodem secum errore obfirmabat: at hoc demùm anno Deus illam cum suis quos secum perdebat mariti precibus donauit. Hanc enim

33 Matrona per Dæm. ad fidem conuer. titur.

enim feminæ iniecit dubitationem æquè pronum esse suos Bonzios secum falli, vt cum suo coniuge Doctores magni Occidentis : esto, illi numero vincerent, sed isti doctrina, & sapientia, dúmque ista inuicem committens, & secum litigans extricare se tàm graui ex dubio non valet, modum eius soluendi quod pessimum potuit pro optimo legit; idola consuluit ac ne Dij quorum agebatur causa, sibi mendacio cauerent, sic ab iis quæsiuit explicandæ viam dubitationis, vt nescirent responsum qua de re ederent. Vsitatum est Sinis oracula dæmonum sciscitari, & reddi vt cuiuis libuerit voce quidem aut nullo apparente formata in aëre; aut in ore arreptitij consulentis; scripto autem, suspenso penicillo quem prius tinxerint, & subiecta charta cui dæmon penicillum ducens responsum inscribit postquam veneficus incantamenti artifex, verba solennia præfatus fuerit. Et narrabat Doctor Michaël mirum visu, sæpè inter amicos versatum dùm alius alia penicillo pendente quæritaret & acciperet responsa; accedente se propiùs, penicillum stetisse immobilem, nec vlla venefici cantione ad perficiendum responsum cogi dæmonem potuisse, iussum autem à se in cœpto pergere illudque absoluere, obtemperasse illicò & penicillum mouisse. Semel quoque ab se diuino compulsum imperio dicere, cur præsente se sileret muta manu, & cassus viribus ? aliàs de secta idolorum quid esset sentiendum, ad primum scripto respondisse coacti silentij hanc esse causam quod quòd esset Christianus, ad secundum idololatriam præter mendacium n hil esse. Ergo prudens mulier certum sibi volens oraculum in quo deinceps conquiesceret animus, desineretque in perpetuum vacillare chartam inscribit syllabis duabus Ciu, & Tæ. Illa Dominum (cœli nempe) qua Sinæ Christianorum Deum, ista qua significant idola; mandat seruo fideli clam pergat ad famosissimum illic mantem, spiritum idoli nominatissimi per eum interroget, singulare ad singulas syllabas & distinctum oraculum exprimat, sintque responsa eiusmodi vt iunctis sententiis omni se in posterum quo iactabatur angore liberent: sciuerit, necnè Dæmon quæ res ageretur, Deo certè per suum angelum cogente, voci, Deorum signanti, responsum subiecit in hæc verba [quando animo discruciabatur & perplexam mentem sedare non poterat; pœniteret illam peccati sui, & illud doleret; diuersum iniret ab ea quam tenuerat antea viuendi normam, magnam sibi exinde polliceretur charitatem; voci alteri verum significanti Deum hoc oraculo satisfecit, irent inquit, vxor & maritus ambo eadem via, futurum vt inde magna potirentur charitate, & multis simul cum ea bonis] hoc ad se mulier oraculo duplici, tàm aptè ad votum mentémque allato cohorruit, tanquam vocem audiret cœlo missam, & religionis quam professus fuerat maritus iam secura, suscipiendo illius pignus egregium ad Deum præmittit, quicquid penes se Deorum habebat, euertum, confractum, proculcatum in cloacam proiecit, dignam diuinitate illa sedem. Exin cum filiis quatuor, & familia vniuersa,

34. Timet Dæmon Christ.

uersa, Christianis mysteriis diligentissimè erudita festo corporis Christi. Lustrali fonte purgata est, gratulantibus illi sibique Christianis singularem hanc Dei beneficentiam, & viro potissimum diuturni tandem desiderij sui & precationum beatos exitus extraordinariis gratijs, & lætitijs prosequente, mox enim flexis ad aram genibus quàm domum Patribus vtendam commodarat, clara voce ac palam tunc ista donauit, sacellúmque in ea breui post ad Christianorum cœtus sacros supellectili, & ornatu instruxit. Non ita insolens, sed magis pauendum quod etsi reo non profuit, sed Cathecumenum vacillantem in proposito stabiliuit. Christianus, vt erat solenne, cum ethnico agens amico & sene de Deo & æternis, perpulerat hominem vt docentem audiret Cataneum à quo sensim & probè paratus baptismo diem dixit; vxor furiis acta, & desperabunda sic miserum versauit priùs quàm esset baptizandus vt cum in cultu Deorum secum retineret, ac ne pudor fallendæ quàm dederat fidei vetaret à proposito resilire; pulsanti amico vt senem ad sacrum fontem deluceret scelesta mulier occurrit, dolores excusat quos tota illa nocte vir erat perpessus grauissimos; ij vt remitterent, non redituras tàm citò vires quibus domo liceret progredi; non posse se dutiùs ab illo abesse, sub hæc fores tàm præceps occludit, & similis verè festinanti vix vt amicus salutem mandare per auolantem potuerit; tunc marito, gestiens Christianum lepidè ab se lusum, surge ait amici securus. Ego illum in longum distuli, dies interim stropham suggeret aliquam, quâ tuum honorem in tuto ponamus: at enim flagitiosa femina euentu nimis verò sacrilegum luit mendacium, quos finxerat mariti cruciatus, iis verè correptus triduo moritur, semet ipsa incusans, & homicidij ream frustra vocans, Christiano fraudem quâ ludificatus eum fuerat, & fraudis pœnam aperuit. Quod etsi nequibat marito prodesse, Cathecumenum eius vicinia nutantem tàm salubri metu exstimulauit ad baptismum vt eius gratia cursu ad Patres procurreret, deinceps hoc idem in exemplum proponeretur similibus quos importunæ cognatorum & Bonziorum artes, à Christianismo deterrebant. Progressus inde Cataneus vt quotannis solebat suos Sciamhai reuisit Neophytos impertiuitque diuinis mysteriis, & præsidiis augendi feruoris: Ethnico Christo adiunxit quinquaginta; sed messium copiâ vberior cæteris Prouincia Nanciana, non tantùm numero, sed sanctimoniæ splendore, multos vicinis ex vrbibus exciuit ad spectandum, qui gestorum vi, quàm fama fortius expugnati, auditores se Cataneo dabant, ritéque expiati fidem quam hauserant, latè in suas patrias diffundebant, propagaturi multò feliciùs nisi spes tàm lætas in medio cursu tempestas obruisset. Cenchianum tamen in his infortunijs fortunata

35. Chiencianũ Euang. infertur vt minimè.

Euangelium hoc anno suis mœnibus excepit, & ferè intra mensem suorum ciuium centum, & viginti, futuri pignora baptismo obruit. Vrbs est Chiencianum ampla, sic cœli & soli temperie, amœnitate, delitijs,

delitiis, feracitate, & salubritate si qua in Sinis eximia; proinde optimatum frequens & voluptarius secessus. Aquis vndequaque viuis abluitur, lacubus exiguis duobus,& flumine, cuius ripas in longum planúmque distenta occupat; cingitur modicis collibus qui paulatim assurgunt in montes sed minimè horridos, aut si quid in iis syluosum, arte manúque emendatur, aut varietate oculos oblectat. Ciues Europeum magis sapiunt quàm Sinense, ore, genio, moribus, nobilitate animi, mitè comes, & vbi gloria inuitet magnificè sumptuosi; cati de cœtero & supra modum politicè periti. Iis ab honesto & graui mercatore, prima veri Dei affulsit scintilla: profectus siquidem Nancianum negotiorum causa videre Patres & alloqui studuit,homines è mundi finibus aduenas, vi posset in Patriam reuersus de iis narrare, illos describere, & rerum peregrinitate amicos vt fit delectare inductus igitur ad illos à familiari quodam suo, vt ex iis de vno & vero Deo, de falsis numinibus, pœnis æternis & præmiis audiuit,horrore subito correptus non illa quæ captabat noua, sed ruptum de cœlo tonitru insonare auribus credidit, proiectísque negotiosis curis tanquam futilibus cœpit diuinis se prorsus tradere de quibus edoctus plenius Baptismo renascitur annos iam natus sexaginta, tantísque vnà delitiis animi cumulatur, vt redux Chiencianum beatitatem vitæ Christianæ deprædicaret perpetuo,fungeretúrque Apostoli munere cuius in Baptismo acceperat nomen Bartholomæus appellatus; ac ne aliunde quàm cœlitus suppeditari illi crederes quæ docebat, homo scientiarum rudis, & illiteratus, nobilem Literatum suis illis primis conatibus, errorum reuicit,fecitque vt etiam Nancianum adiret,vbi Christiana institutione amplius imbutus, Stephani nomine,inauguratus est Christi Baptismate; inde Cienciani paribus studiis cum sene optimo Bartholomæo iunctis, magnis eam vrbem, & præclaris concussit motibus, tumultuante in cassum Bonziorum amentia, & iras de cœlo ob stragem Deorum suorum furiosè minante, quos ignis,& malleus palam esse ligna & lapides probarant. Iámque illic ciues ætate ac iudicio maturi, quadraginta nondum Christiani, viuebant Christianè, Christianorum sibi adsciuerant nomina, dies illorum colebant festos, imitabantur cœtus, in quibus Deiparæ, laudum eius coronam vnà recitabant, legebant aliquod Catechismi caput,musico organo celebritatem decorabant. Postquam verò decem ex eo numero Nancianum, concordi consilio nauigassent, & obseruassent illic duabus hebdomadis Neophytorum virtutes heroïcas iis deinde suscepto Baptismo cùm rediissent laudandis, sodales suos nobili æmulatione inflammarunt:narrabant enim mutua inter se velut patre vno genitos charitate, sollicitudine, & amore iungi; diuinis, & æternis curis nihil anteponere; ad sacra leucis interdum octo, noctu, & pedites, per omnem cœli iniuriam accurrere, etiam viros graues si quid admitterent, dignum licet excusatione & venia, pœnam sibi publicam poscere; flagellis, cilicio, ieiunij assiduitate (quod Sinæ ferunt ægerrimè) in seipsos sæuisse, gloriabundos quoque damna, & contume-

Quàm potés Christian. exemp. ad conuersth.

lias narrare solitos quibus odio Christi, affecti essent ab ethnicis: horum sodales admiratione, inuidentésque illis tantùm boni, communi nomine ad Patres destinant qui sibi aliquem peteret, à quo non modo fierent Christiani, sed Nancianorum documento sancti, qui missioni præerat Ioannes Rocca, eò iuit & Frater Pasqualis Mendezius Sinensis: Sacellum amplissimum instructu ornatum magnifico inueniunt, vbi die Simonis & Iudæ Apostolorum festo Rocca diuinis operatus initium docendi fecit, exponendíque auditoribus Christianissimi principia quæ cum vno contextu tradi simul omnibus non possent, & nouus perpetuo decedenti auditor succederet, ob sacelli angustias, tametsi capacis; eadem sæpius erant repetenda, nec audientes forma scientiæ perfecta poterant ita fingi, vt post niti seipsis absente Magistro valerent. Fecit hos populi concursus, ardens Stephani pietas, qui fixis per vrbem programmatis, [Notum sit, aiebat omnibus, appulisse huc à magno occidente, Magistrum legis veri Dei, quæ vitæ sanctitatem docet sola, & immortalem animum, in sempiternam felicitatem inducit.] Eam ob rem Rocca sacelli, & temporis excluſus angustiis, vt tantùm populum mutatis vicibus integrè doceret centum viginti ex eo legit, quos acriori disciplina sic fingeret, vt possent reliquis doctrinæ amussis & exempli esse. Fuêre ij ferme ordine Literati; quidam etiam Mandarini, digni omnes honore & obseruantia, quos accuratissimé institutos solenni baptismate lustrauit: nec se intra muros hic Dei spiritus circumscripsit, sed eodem igne per vicina excurrens, numerosas latè in Ecclesias fundebat sese nisi operarij defuissent qui assidua cultura plantis teneris adessent, maiori alioqui damno in virulenta gramina descituris, quàm fuisset lucrum ex earum satu. Verum missionis tàm prodigæ fructus vberrimus, & illustrissimus rebus aduersis continetur, quas procliuè fuit etiam crudiores de rabie dæmonum expectari. Ex Neophytis Chiencianis, nobilitatis luce, & ingenio clarus, Vin Matthæum æquabat nemo; Literatorum, ad obrusam multorum examinum inter competitores primum; meritorum promulgatione toto regno, vt fit, nominatissimum, auctúmque ab Rege censu liberali, & in procinctu fortunæ celsioris: familiam is secum vniuersam sacris fontibus obtulit, & quæ sancti ardoris fuit palmaris victoria, parentem vtrumque annis senes, inueteratos idolis à puero, & quantum in iis obfirmatos tantùm à Christiana veritate legéque alienos. Erat Matthæo filius, annorum duodecim qui dum familia reliqua instituitur ad Baptismum, differebatur ab auo quoad esset paulò ætate maturior: doluit puer magnopere, aui consilium, cui obstare non poterat, tentauítque merito assequi, quod suis precibus negatum iri sentiebat; librum ergo doctrinæ Christianæ cuipiam ex domesticis surripit, eúmque noctis vnius spatio memoriæ mandat. Postridiè libro reposito, apud auum dolet excludi se ab iis qui erant propediem diuino fonte consecrandi, se quidem illorum cedere nemini; & missis pluribus ad rem veniretur, prouocare se omnes confidenter ad respondendum de rebus scitu necessariis; hic de se forsitan bonus senex, memorandi vim in puero æstimans, nec putans ab eo tàm citò

17. Illustr. Christian. Chiencianus, eiusque filij.

percepta in quibus ipse tamdiu laborasset, mœstum ab se dimittere noluit; petenti annuit vt cum aliis lustraretur, sed hac lege, cui satis ab eo fieri non putabat posse ante alterum aut tertium annum; nempe vt se coram, Christianam doctrinam in præsens ad verbum prout mente tenebat scriberet; si ab archetypo, ne verbo quidem hoc est syllabæ vnius varietate aberrasset, baptizaretur sanè cum aliis; sin autem, aiebat, & hoc me perperam flagitares, & ego id tibi pcius annuerem, conditionem puer incunctanter admittit quæ scriptionis illius peritissimos terruisset; ac vel ingenij bonitas vèl subsidium Custodis Angeli fuerit, Christianam doctrinam integram ex sua vnius memoria sic auo descripsit vt ne apice quidem dissideret ab Typis edito exemplari.

De se idem spondebat frater quadriennio natu maior, qui & Pauli nomen, & eum ardorem ex Baptismo tulit quem in vetere Christiano quilibet iure suspiciat. Sed Cathecumenus adhuc è schola rediens, parenti se sistit, & vetat, inquit, Deus domus huius expiationem differri diutiùs; iubet me omnia simulachra quibus tàm diu fœdata est in aceruum vnum congerere, & prout digna sunt habere; hoc Dei Imperium vi tanta sentio cordi meo indici, vt si maximè nolim, non possim illi non obsequi. Extemplò sub hæc, gaudente plurimùm parente, admouet operi pulchro manum, & quod ille seruarat ad complenda Baptismi solennia statim exequitur. Domi quicquid vbique idolorum prostabat, aut latebat, deiicit, eruit, proculcat, & contumeliæ in illa satur, in rogum sic ea digerit, vt igne subiecto metallica consumerentur à ligneis, reliquorum nec vmbra superesset. Sensêre acriter dæmones probrosam iacturam, & Pauli sororem viro nuptam aspectabiles terruere, minat se ignem igne pensaturos, & parentis domum acturos in cinerem; quibus formidabiliter perculsa, misit qui parenti hæc renuntiaret. Sed longè alium ex iis mimciis tulere fructum. Erat Matthæo hortus, & supremo in horto delubrum, turba statuarum & pulchritudine, magnæ apud vulgus venerationis; iubet Matthæus omnes à famulis in viam publicam raptari, & spectante vicinia comburi, at viles animæ, aut iram dæmonis aut vulgi furias veriti non sunt ausi eas attingere; quare Matthæus, si per vos, air, comperendinantur, non propterea euadent, intentóque aduersus delubrum digito, finite inquit, è schola redeat meus miles; domúmque intranti statim mandat exturbet eo fano cateruam illam simulachrorum & dæmonum. Vergebat in occasum dies, nec temporis breuitas mandatum distulit. Prodit iuuenis animosus, facem ferens qua incensis statuarum barbis, earum mentum oráque vstulat, & deformat. Pulchriores ad Patrem nostrum mittit tanquã partem venationis exoticæ, álias euertit, nec eo vespere plus vltra die insequenti iubet illas sibi domum trahi, incendij publici breuitatem, priuati ludibrio & prolixitate iis muraturus, coquendis enim in culina cibis diu ignem præbuere. Hic verò tumultus ethnicorum eiusmodi fuit, vt terrere quemuis potuerit Matthæo & Paulo, animis minorem: duo, illa ex multitudine à turmis dæmonum duabus

correpti, vlulatibus pauendis ciuitatem miscebant vniuersam, ex quo voluit Deus cæcis ethnicis perspicuum fieri, quàm nihili foret aduersus Christianos quicquid dæmonum est, licet ab his adeò contemptim & ignominiosè calcaretur; suos vice versa quàm dirè cultores, & adoratores Dæmon laniaret. Hinc se paulò fusiùs explicans Matthæus ad vicinos, strage Deorum in rabiem actos, referebat se olim quamdiu cum ipsis idola coleret nunquam fuisse à vexationibus dæmonum liberum, nec potuisse ab iis absolui nisi professione Christiana; quare illis plurimum auctor erat ne iugum illud reorum spirituum diutiùs paterentur, nec pergerent in exitium animæ, Christianorum Deo debitos honores carnificibus suis exhibere, valuitque hæc adhortatio apud multos quos Patri dedit auditores. Bonzij verò quos ab initio procerum erga nos, & populi amor inhibebat, ne quas animo coquebant iras in nos effunderent, Deorum suorum clade tàm publica & probrosa tenere vindictam nequiuêre: designant illam suo more malignam, & immanem, exerturi cum Rocca renauigaret Nancianum. Tunc apparuêre famosa folia portis vrbis affixa, quibus Dei numen & legē sacrosanctam, Bonziorum fœx inuerecunda & impia traducebat; subdebāt autem de P. Rocca, dæmonem illum peregrinū eò ex plagis occidentalibus, aduenisse vt ementia sanctitate regnum penitùs exploraret, suósque deinde Macaenses armatos in illud induceret. Vocabāt Primores ciuitatis in defensionem Deorum & patriæ; diem dicebant quo à Mandarinis publicè peterent pestilentem Christianorum exscindi sectam, quæ multis corruptis, impunè in plures grassaretur, subsistebant omnes ad hæc formosa programmata, & prout erant animo affecti, de iis aduersa inter se iudicia magno strepitu iactabant, cùm ecce Paulus ex musæo in vrbem regrediens, & ipse substitit, libellum legit, decursisque vix prioribus lineis in illum inuadit, palàm que lacerat; festinus inde in alias portas, reliqua eius apographa refigit, & dissipat, dempto quod detulit ad Patrem; cui Pater vera confutatione hoc efficaciùs quò modestiùs respondit, portísque iisdem properè affigi per Paulum, & Stephanum, duósque alios audentiores Christianos mandauit. Erubuêre scilicet calumniatores, cùm teneri se manifestè per eam cernerent, veritíque ne noua criminatione, peiora sibi crearent bella, non modo abstitere, sed refutatis programmatis se fuisse auctores negauêre; consultò nihilominus discessum Rocca differre statuit, ne buccinaretur à Bonziis, fuga metum pœnarum, & pudorem criminum vitasse, hinc illi tempus datum sodalitates duas cogere pietatis, certis deuinctas institutis, quibus Matthæum præfecit, & Stephanum; prouectioribus Baptismi formulam solennem in casus necessarios tradidit; fisúsque absente se, complures ad Christum accessuros, sodalitio item Cathecumenorum initium dedit; & Magistrum, vt excurrentes subinde illuc nostri ad baptismum paratos inuenirent. His ita commodè ordinatis Rocca, & Mendezius, tandem mœsto sui & incredibili desiderio relicto, miris gaudiis Naucianos suo reditu recrearunt.

At

At sanctimonia virtutis plusquam Neophytæ, Nanchinenses præstabant cæteris, & Apostolicæ culturæ affluentiùs respondebant. Huic Vagnonius instabat sedulo, linguæ præsidio, quam habebat loquendo, scribendóque expeditissimam, summéque elegantem: eius specimen primum fuit, de mysteriis fidei tractatus Christi vita & morte comprehensis, rudimentum quoddam maioris operis, quod post hunc iam pridem editum, volumine duplici in lucem misit: alias eius lucubrationes postea memorabo, quibus mirificè in publicum profuit. Vir præterea religionis magnanimæ, & si qua re notandus, nimiæ forsitan generositatis. Longobardus illarum Inspector & Præses stationum, Christianismi Sinensis vocabat hortum quam Vagnonius regebat, florentem videlicet omnium virtutum delitiis, Baptismorum solennium continuata crebritate, & conuersionum frequentia, in quibus nunquam deerant Literati, qui Magisterio illic insigniti ab suo statim regressu in patriam, in Christi præcones mutabantur: alios quoque agebat vis tanta diuini spiritus vt per medium populum simulachra sua ad pedes Vagnonij suis humeris deportarent, adorationem qam iis detulerant, iustis in ea opprobriis vlturi; quidam secespitis, securibus, & cultris armatam familiam immittebant ad ea coquinario aptanda foco; stupori ethnicis Christianorum vita erat, sodalium maximè quos Deiparæ conscripserat nomine, cui verò venire in mentem vnquam potuisset, feminas pro illa qua tenentur solitudinis lege arctissima ea processuras, vt ipsæ item Deiparæ simul & Angelorum titulo congregationem sibi conscriberent in ædibus matronæ nobilis & grauis? quò se interdum conferebat F. Sebastianus Fernandez Sinensis annorum sexaginta, de Deo, & diuinis ad eas dicturus: primigeniæ demùm formosam faciem repræsentabat Ecclesia Nanchinensis, omni genere intimæ in ægrotos, egentes, mendicos, vno verbo omnes; indiscriminatim beneficæ & exquisitæ charitatis, ipsique adeò pauperes & lectos & qualiacumque inopiæ suæ subsidia sibi & familiolis detrahebant, ne Christianæ in alios pauperes largitatis merito priuarentur, ac si nihil supperetet quod darent, ministerium saltem & seruilem operam ægrotis exhibebant qua in miseros etiam ethnicos effusissima beneficentia nihil potentiùs Christianismum persuasit, cùm se alioqui ab ipsis deseri parentibus solitos viderent, si fastidioso aut prolixiori morbo languere contingeret. Sed multo maiori accuratione inuigilabant saluti animorum, & quisque in omnes sollicito intentus oculo, si quem in fide aut moribus intepuisse animaduerterent ad Patrem deferebant, vt de remedio videretur. Iis porrò inerat sensus conscientiæ tàm tener vt procul venirent ad eam leuandam leuissimis nec prope culpandis lapsibus, negaréntque se vllum posse onus illius perpeti: ad hæc vsus meditationum, voluntariæ afflictationes, & magno gratiæ diuinæ miraculo, irreuocabile castitatis seruandæ propositum, cuius in communi licentia fœdarum libidinum constanter assertæ, fuêre fortia illustriáque documenta. Itémque fidei in Christum immobilis & lætæ, inter vexa-

38. Nanchin. Ecclesia floret.

tiones parentum & agnatorum inimicas, satagentium suos à Christo dimouere. Perstrinxit adeò Christianus hic splendor ciuitates etiam longinquas, vt hoc iam anno magnis spebus operarij strenui legerentur: mihi verò hoc Theatrum Christianæ virtutis nusquam videtur in spectatores efficacius fuisse quam mutatione Eunuchorum. Præterquam quod enim Bonziorum toti,& quanto ignauæ, tanto obstinatioris perfidiæ, flaritiosissimi sunt & opum felices. At hi quoque exemplis Christianorum luculentis permoti, sigillatim nonnulli, tùm multi, post omnes promiscuè Vagnonium visere, adire sæpè, & colloqui familiariter, de Deo & animo dicentem iucundè & auidè audire, dictisque ita capi, vt adhuc nescientes, essent iam prope Christiani. Agnoscebant enim vocabántque in preces verum Christianorum Deum, & si quem inolitæ à puero linguæ lubricum egisset ad proferendum idoli sui nomen, admonebatur à cœteris, & dictum emendabat. Hinc nouis in dies profectibus vsque eo creuere vt sodalitium inter se conflarent, cogerentque Vagnonium, illic ad se de rebus animi acturus, ne grauaretur interdum in palatium venire: quod vitauit is quidem tanquam grauissimè suspicionibus obiectum; sed non vitauit quo minus à Vitelleschо Præpositо reprehenderetur quod in conuersione ethnicorum Apostolico fructui nimium indulsisset, attendissétque magis præsenti lucro quàm futuris damnis quæ aduersarij mouerant, eius imprudentia proritati, cùm moderatiùs agentes antea placidè tolerarent. Inde verò quod consecutum est nec sinit historia, nec eorum informatio taceri qui missionibus his aut præsunt aut seruiunt. Cordatissimi vir iudicij Riccius Christianissimi Sinensis fator longa doctus experientia viderat, seu magis diuino vt reor instinctu, non posse in regnum suspicionibus credulum, aduersis inimicum, nouis rebus infensum, legem nouam subitè ac nouum Deum nisi dissimulanter & tacitè; futurum alioqui vt eo pellerentur, fuerat hic item Valignani & Pasij sensus, qui ex officio Inspectoris prudenter id quoque præuiderant. Certi omnia ex eo apta, tanquam nostri negotij cardine vt vel esca vnius curiositatis aucuparemur nobis Mandarinos peregrinæ scientiæ cupidos ad conciliandam per eos Euangelicæ prædicationi gratiam, & fauorem. Senserat idem Longobardus, postquam in Riccij cunctationes ab se improbatas amicè iocatus, iisdem cunctationibus ab eodem subductus exilio fuisset in quod se ac nostros nimium festinans induerat: ac licet sociis, Vagnonio maximè persuasissét hærere nos in Sinarum regno tàm altis defixos radicibus, vt aduersarij nullas pertimescenda nobis esset potentia, suspenso tamen & ipse Pechini & cœteri vbique promouebant gradu & timido, vti plus minus libertatis Præfectorum, & vrbium præbebat fiducia, ex quo securior & maior sequebatur fidei sacræ amplificatio, noui Christianorum cœtus, & ij veterum fructus quos modo narrauimus. Sed his malè deceptus Valentinus Caruallius Prouincialis qui nunquam pedem in Sinas miserat, apud se obstinauit abiiciendas in posterum cunctationes Riccij, & vrbanos

39. Ea felicitate PP. immoderatiùs vtuntur.

meatus,

metus, præferendam in altum libertatem Apostolici muneris, & ministeria; supersedendum iam Ethicis, & Mathematicis; fuisse illa, pontes eatenus & machinas architectonices, ædificatam Ecclesiam per se consistere, illa deinceps quæ adminiculo fuerant impedimento esse. Hæc ille per litteras, in quibus duos habuit inter Sinas suffragatores huius consilij, alterum studio pietatis sed parum prudenti; alterum scopo vt quidem visum est, non satis laudabili, vtrumque non impune. Literis mandata subiecit Caruallius ad Manuelem Diaz iuuenem, & in Sinis operarium vt inspiciendis stationibus nostrorum suas vices obiret; Mandarinorum amicitias, aut secus promiscuè habita, mathesim, ethicam, & quauis alia scientiarum crepundia palam proscriberet; vsum retineret Euangelij solius, imò quod Paulo, Michaëli, & Leoni Doctoribus grauiter doluit, visumque prodigio simile seuerè vetuit à nostris incipi emendationem Calendarij Sinensis, quàm si ab Rege deferretur, voluit recusari. Hæc rebus nouandis dura & præceps Prouincialis edictio; cui vtinam similes non forent nobis sub stylum venturæ, quibus profectò faciendis obedientiæ sanctæ cæcitas oculata eò magis cauere debuit quo minus cauebat iubentium incogitantia, quæ iis licet inuitis in vastationem tendebat illarum missionum, dum locorum & hominum imperiri scire plura, & volunt, & audere, quàm qui mediis in rebus, & conuersionibus animarum diu versati, certiùs quid prosit, quid obsit pronunciant. Iis ergo Caruallij edictionibus sua expectatio respondit, sollicitæ moderationis, & securi metus abiectio, vbique spiritus ingens ardor, Nanchini præsertim, festorum solennia, cœtus sacri, publica diuinorum, & confidens exercitatio, multæque gratulationes tantorum auctoribus bonorum. Mota dehinc atroci tempestate, versóque in turbines, & contraria omnia tranquillo, culpa omnis in vnum collata est Vagnonium, cùm essent potiùs culpandi, qui agendi habenas ei laxauerant.

Quanquam & ipse culpa non caruit rigidioris ingenij quo iure quidem, sed imprudentiùs saluti studens ethnicorum, inimicos sibi fecerat Bonzios, traducendis assiduè propalam eorum flagitiis, quæ causa fuit non minima calamitatum quæ illi consciræ sunt: videbat scilicet eam luem Euangelio propagando magnoperè obstare, confictis malignè in Christum calumniis plebem; Mandarinos vi auctoritatis aduersus Christianos incendere; præterquam quod inflictæ iis pœnæ non rarò in nos recidebant vt Pechini hoc anno contigit, vbi suorum sequacium cogebant cœtus clandestinos, & publico noxios, quòd in veneficia, & magica denique exirent: quæ res aulam maximè turbauit, expressitque Rescriptum à Rege quo pœnis grauibus sectæ cuiuscumque priuatos consessus damnauit, sic nostra duo illic templa per aliquod tempus solitaria iacuêre. Nanchini è contrario apertè cœpit Bonziorum genus quoddam circumforaneum cateruatim prodire, suum turmis singulis proprium, & distinctim schema inter se conditum, compositumque

que ad laruam sanctimoniæ ad præstigias reipsa, incantationes, & emungenda marsupia. Pulsi hodie cras iidem aderant, sed ita transformati, vt tanquam valdè nouos nec ante conspectos admiraretur plebs stolida; horum manipulus è squalida & exangui macie collectus (quo maximè Bonzij opinionem pœnitentiæ affectant) sub primam auroram, vrbis compitum occupabant, & sua quisque se lignea cauea claudebat, ad mensuram corporis exacta, & clauis præfixa intus horrentibus. Stabant ad fores, huius socij strophæ duo vel tres, sistebántque populum ad spectandum miraculum prodigiosæ sanctitatis. Densæque mox circum coronæ sancto sacerrimus sycophanta de fenestellæ foramine monstrabat sese cum cadaueroſa sua & afflictissima facie, vnáque illius edens causam, aiebat se post duros labores diuturnæ anachoreseos in acuta rupe præcelsi montis exantlatos, cœlitus monitum de ædificando templo; quem nominabat Deum nescio quem, aspectabilem sibi adstitisse, insisse sibi templum poni, præfixisse mittendis fundamentis diem, vetuisseque priùs orizæ granum aut aquæ stillam in os iniicere, aut somni momentum capere, quàm sumptus collegisset complendæ fabricæ sufecturos: eius inediæ testem se dare os emaciatum quod cernerent; coactæ insomniæ intenta in corpus clauorum acumina. Deo enim iubente, fieri aliud non posse; cum his oddebat fenestræ pessulum; stipem largam metebant à stulta plebecula lepidi comites ædificando templo, hoc est ventribus Bonziorum: iidem sanctæ actores fabulæ sub noctem sua in cauea infaustum vulturem, in commune hospitium reportabant vbi ab Nanchinensium crumena lautissimè; de simplicitate epulabantur salsè & lepidè. Verum his multo alij peiores, de obseruata diligentissimè Christianorum vita & moribus mimum suum agebant, leuandis egentibus, iuuandis ægrotis, visendis carceribus, ferendis patienter, gratulandísque sibi iniuriis in nullo absimiles à Christianis videbantur, nisi quod vbique lucrum & pecuniam spectabant; ac Lipni quidem, quod præest Bonziis tribunal, captos, cæsos, & multo plagarum cruentos sanguine eiecit extra vrbem, sed hæsit Christianis næuus quidam dubij nominis, & suspectæ famæ, ne fortè aliquid prauæ mentis, probitatis fuco & ipsi fouerent. His ergo in legem Christianam damnis & veteribus in illam Bonziorum odiis Vagnonius, auersiores ab iis concepit animos quàm expediret ab eo exeri, & quos illi suggessit religiosus ardor, sed eo euentu quem præcaueri oportuit. Et de multitudine sceleratorum proritata maturè prospici, velut bonæ causæ effectum improbum: gesta enim scribo, non Angelorum sed hominum, quos vt longè multúmque perspicaces, quædam fallunt interdum ac fugiunt, & discunt suo periculo quod posteris prosit, maiori quin etiam fortassis compendio notat historia errata bonæ mentis, quam culpas improbæ quæ se vltrò produnt viris bonis, quibus eas nosse, vitare est. Quantus nihilominus in Apostolico munere Vagnonius fuerit, annorum quinque & viginti ostendet series, ad quadragesimum pro-

40. Specie sanct. pecunias captant.

ducta

ducta huius æui, & si quem illic patrem habuerit, certè non habuisse meliorem.

Non fuere tamen procellæ huius venti primarij Bonzij, sed Mandarinus Chio Scin nomine; qui eam & conflauit solus, & primus impulit. Ab aula recens Nanchinum aduenerat in Collegam Lipu, hoc est tribunalis Externorum simul, & Sacrorum electus; à puero quidem idolorum cultor, nunc palmam ambiens inter eorum defensores. Patres ergo nactus in sua potestate, tùm ratione peregrinitatis, tùm religionis, aures vltrò Bonziis præbuit; extemplo vt appulit ab eorum aditur Prænubibus; rogant si quid dij curæ sint, nam se illa gratia indignos, carcinomata illa occidentalium Doctorum cum ea quam tradebant exterminaret lege, tot iam locis diffusa, & pulsorum exitio deorum omnia occupante, vt propediam malum remedio careret: cùm autem illius erga nos simulatæ Pechini amicitiæ crederent, putarunt precibus addendum pondus quo illum à nobis dimouerent; addunt aureorum sedecim millia in beneficij gratiam cessuros; quibus tamen nihil erat opus, nisi vt pridem occulte inimicissimum vehementiùs inflammarent: tot demum precibus, ieiuniis, & pœnis spondent se coram diis acturos vt exoraturi prolem masculam ex iis essent, qua impatientissimè carebat, hoc vero tàm bellè ab iis præstitum, vt eius paulò post vnicam filiam mors præcox abstulerit. Lamentabatur secum suam orbitatem, cùm illuc ab India Brachmanes appulit ex iis quos Iogos nominant, & idololatræ pro sacrosanctis venerantur: hunc ipse diuinis excepit honoribus, & multum indignantibus Mandarinis suas illi vxores duodecim procumbere in genua voluit, vt fœcunditate ab eo donarentur. At scelestissimus sycophanta præoccupatus instinctu Bonziorum, filium Mandarino à diis promisit vnum, sed plures, si eniteretur hoc beneficium emereri, pellendis Patribus extra Sinas, & eorum lege diis exitiali. Non erat impotens idolorum cultor agendus stimulis quò sua pridem sed dissimulata in Christum odia rapiebant, & qui deorum suorum amenti studio, famæ iacturam & olim, & tunc incurrerat. Magistro vsus erat in Theologica idololatria suo quodam agnato, literariis gradibus ingenti laude insignito, sed insolentissimè arroganti, quare desperata tot inter millia parium, & præstantiorum prærogatiua doctrinæ & gloriæ, simulatione sanctitatis, ad eam admolitur: caput attondet, cultum mutat, exuit Literatum, in Bonzium vertitur, repentè fit sanctus, non ex farina triuiali, & vulgari, sed qui gestatores haberet discipulos, statueretur ab iis in altari, prostaret illic tanquam Deus, adorationibus ethnicorum sacrilegis coleretur, quas illi omnium primus exhibuit quo de hic agimus eius discipulus Scin Mandarinus, qui auctor etiam illi fuit vt Catechismum Riccij confutaret; suadenti senex nonagenarius morem gessit capitibus quatuor suo cuidam operi subiunctis quibus totus erat in refellendo illo & deridendo Christianorum vno Deo quem asserebat Riccius, sed eius impias dormitationes, & superba delitia Doctor Paulus tàm acu-

41. Crudelis, ignominiosa, & fraud. PP. electio.

minato apologetico patefecit, tantámque par aduersariorum tàm dispar auctoritatem addidit Christianis, tantùm passim ludibrij, & pudoris tùm seni deliro, tùm scriptionis socio, nedum consiliario Mandarino, vt dolore vterque rumperetur. Erat tamen senis execrandi effrons impietas alio domanda supplitio, suam enim illam detestabilem scriptionem clauserat in hæc verba, [sed missis, aiebat, argumentis Theologicæ indagationis; rebus ipsis, & factis agamus; si est Christianorum Deus adeò pauendus, & ad omnia quæcumque libuerit tàm potens vt illum nobis effingit Riccius, prodeat sanè vlciscatur me sui contemptorem, qui sexcentis illum exsecrationibus deuoueo, & odi] admisit diuina æquitas sacrilegi silicernij nefariam prouocationem; dum se celso componit in altari, bibiturus consuetas adorationes, seu vindice Angelo, seu carnifice dæmone ruit præceps, iacétque confracto capite mortuo similis; retenta ob hoc solùm vita vt voces impias vera palinodia reuocaret; fatetur se Scin Mandarino volentem obsequi, probè sibi perspectam impugnasse ac dedecorasse veritatem, quam suo Catechismo clarè docuerat Riccius; traxisse se eandem in foueam complures, proindè se desperabundo animi dolore cruciari: quæ Christianis ipsimet Bonzij metu pleni narrarunt, sed subticuere improbi, quod iis subiunxerat, veram scilicet esse Christi legem; Patres Occidentis qui eam prædicabant veraces esse, vnique illorum doctrinæ insistendum. Hinc pudore infami affectus Mandarinus grauiori exarsit odio in Christianam legem & Doctorem Paulum, quod Pechini post paulùm audaciùs protulisset in Literatorum nobili corona; vbi cùm fortè incidisset de legis diuinæ præstantia sermo, debacchatus est in eam fœdissimè, è contrario legem idolorum prædicans tàm claram & solidam, vt quisquis eam impeteret, videretur rupem capite quatere: at hic pro magnitudine animi atque ingenij semper seipso maior Doctor Paulus, gradu licet honoris tumidum, ita palàm reuicit, eiúsque idola, homines fuisse sceleratissimos, & furcam commeritos, vt accensus ignominia, & rabie, mutus abiret Mandarinus: pressæ tunc iræ, loco & tempori frænos remissurus. Nanchinum redeuntem nouo ebrium gradu Magistratus, prosecutus est Hancei peculiari veneratione Doctor Michaël, eius in Doctoris ambitu sodalis & vicissim ab eo ad conuiuium inuitatus, excusauit id sibi licere, quod resciisset simul acturas illic comœdiam feminas, nec esse ab iis expectandum nisi lasciuum aliquid; & probrosum: offenso autem & repulsæ causam quærenti Mandarino, sextum protulit decalogi caput, quo illa etiam vetarentur quæ mentis occultæ fuscarent castimoniam, & nitorem: quod brutum animal indignanter ferens Michaële ab se parum comiter dimisso fremere, furere, maledica in legem vomere quæ vsitatis quoque interdiceret ludicris. Extirpandam hanc esse radicitùs exportandámque cum suis præconibus in extremum vnde cum iis venerat occidentem, accendebat has irarum causas immanis ambitus Colai, cuius dignitatis per fas & nefas

obtinendæ

obtinendæ cardinem censebat, hostilem in Exteros animum, & securitati publicæ sedulo satagentem: sedulitatis huius exquisitum specimen daturus, atrocissimas criminationes libello digessit, quem occultè ad Regem cùm mitteret, amicis in aula primariis maiorem in modum commendauit, nec hi seu præsentem, seu proximè speratam viri potentiam veriti, commendationi frigidè seruiere, accusationis capita hæc erant. Patres regnum ingressos, contra leges Sinarum, quibus externi ab eo excluduntur, regni vrbes præcipuas incolere; pestilenti doctrina, deorum adorationem à maioribus probatam sacrilegij culpare, parentales honores mortuorum damnare vt impios: Deum suum Tienciu nominare, nempe Dominum cœli; velut æmulum Regis & riualem quem vnum Tienzu, hoc est cœli filium Sinæ vocant, cuique par in terris nemo sit. Suo illi quotidie cœli Domino rem sacram facere, quanquam pœna mortis liceret nemini præter vnum Regem sacrificare cœlo. Ad hæc apprimè callere chemicam, familiarem Philosophis occidentalibus, gentum viuum in verum, & legitimum figere, sibique inde sequaces emisse, multitudine iam formidabiles, plebeios quinque viritim nummis; Literatos donis, & incantamento scientiarum externarum, nomina sibi adsciscere quibus inter se noti, Sinis essent ignoti. Cœtus domi cogere numerosos, in iis quid agerent latere penitùs; at hoc tantum secreti, & eas tenebras nihil boni præferre, nam & noctu interdum conuenire, & albente aurora ne obseruarentur diffluere. Contesseratos denique omnes esse signo Crucis quod soliti essent in frontibus ducere, seque inuicem ex eo internosse. Hæc porrò videri non aliò tendere quam ad conflandam factionem, & mobiles populos agendos in res nouas: eam ob rem non posse huic malo diutiùs remedium differri, nisi publicæ salutis pernitie. Id verò remedium vnum esse Patrum necem, & sectæ illorum proscriptionem capitalem, quod foret sibi, si Rex annueret, promptum & facile, vt cui iam cùm crediti Magistratus, & communis boni, huius periculi fecisset inditium. His oneratum suspicionibus libellum Mandarinus penès quem ius erat eius approbandi, amicitia, cognatione & muneribus occæcatus Regi mox porrigendum curauit; sed enim eius auctor post expectatum frustra bimestri Rescriptum, sperni se ab Rege intelligens, longéque nos alio quàm putasset beneuolentiæ, & existimationis loco esse, cœpti amens dolore, quærebat abrumpere cuius honorificum successum desperabat. At hæc eò versante accidit, quod impium hominem quo cœperat proruit, cuiuscumque tandem euentus periculo, & machinam illi suggessit Dæmon vrgendi sceleris qua moras crudelis negotij denique expugnauit: tanto illud secreto agitabat, vt pauci hoc nossent, stuperéntque inter se Mandarini, barbariem crudelissimi delatoris, qui suspicionibus confictis Regem adigeret, ad securitatem imaginariam innocentium sanguine firmandam. Inter conscios rei fuit qui pro amicitia veteri, significauit concisè aliquid

Doctori Michaëli: nimirum obiter hoc solum; delatione Scin Assessoris, Christianismi causam apud Regem nunquam deteriùs laborasse, Michaël quem nihil ea causa vrebat acriùs, assurgit in defensionem apologetico vehementi pro lege Christiana, conuenit Assessorem, addit ad eum pro Patribus ardentes commendatitias, defensionis Apographum ad Patres mittit, monétque Nanchino de feræ illius vnguibus proripiant se se, Hanceum maturent, suo illic præsidio tutos fore dùm detumescéret is furor. Distabat Nanchino biduum Doctor Leo, duarum præfectus vrbium, qui acceptum à P. Vagnonio, Michaëlis apologeticum, egregio ornauit procœmio, & multis excusum ectypis Nanchino, & alibi sparsit. Premebat hoc opus toto ponderis rationum, & styli grauitate Assessorem Scin tacito nomine; sed minimè dubio; damnabátque illum mendacissimæ, & immanissimæ calumniæ inuentorem: teneri ergo se manifestè cernens celatæ perfidiæ simul viam aduertit, qua vna poterat profligati honoris dedecori exire; si nempe Rex Patres tanquam iure damnatos pœnæ adderet. Libellum alterum ad Regem nouis grauatum delationibus, vectigario certo tradit Præsidi Rituum Pechini reddendum, à quo infimis precibus petebat, si quid apud ipsum valeret amicitiæ fides, & amici honor eximeret se ab infami nota quàm sibi æternùm hæsuram videbat, nisi Rex libello rescriberet, codicem & ipse in eandem sententiam scriberet, rogabat; Regíque simul vtrumque offerret. Hæc amici mandata Præses dùm parat exequi, etiam supra quam rogibatur, Collegæ Principi Mathematicorum quo nihil minùs cauebat, venit in manus, libellus Scin ad Regem datus: à quo ad Patres sibi in paucis charos illico delatus, ab iis Paulo Doctori traditur, qui responsione luculentissima confutatum misit ad Præsidem; Patrum causam iniquissimè impugnatam commendans, imputaturus sibi quicquid in eam contulisset. Sinensi vafritie Præses, Leoni, & internuntio, eius discipulo Mandarino, Patribus, & eorum causæ promittit omnia; innocentiam illorum cordi sibi haud secus, & curæ futuram quam Doctori Paulo, sub quæ perfidus, Scribæ suo mandat literas condat ad Regem supplices, aduersum Patres, quàm posset criminosissimas; at is è conscientiæ dictatis, Patrum, legisque Christianæ contextas legibus condidit, cui acerbè iratus Præses, hoccine inquit, est, quod dictaueram argumentum? nihilo Scriba minùs confidenter, ex hoc, ait, æqui & iuris vindice tribunali, non debere de Patribus aliæ prodire literæ, nisi si fortè meliores; sed enim admonitione ingenua & proba nihil motus Præses ferus, literas ipsemet componit, libello Scin duplo sceleratiores, quibus defensiones proborum æquissimas præuertens significabat Regi, non defore qui causæ nostræ patrocinarentur, ex primariis etiam Mandarinis, sed eos ab se castigatum iri, velut consortes externorum, & fraudum socios: esse vero tàm iustam, & regni bono tàm necessariam eiectionem Patrum,

&

& religionis quam docebant, vt esset interpretaturus Regis mentem ex eius silentio, si ad libellum nihil rescriberet, ac pro officij munere, Præfectis mandaturus vt Patres vbicumque ij forent conquisitos, è regni finibus tuto exportarent. Qui tamen agerent Pechini, radices illic misisse altiùs quàm vt eos tentaret reuellere, hac homo nequissimus clausula exasperandum volebat Regem ad rescribendum acerbiùs, & festinantiùs. Verum die Augusti quintodecimo Rex, libellum vtrumque in reiectitiis posuit, forte minùs aduertens, professum Præsidem se Regis silentium pro eius assensu habiturum. Palatium est in aula Nanchinensi, quod nouorum emporium commodè dixerim: inde quicquid à Rege, quacumque de re rescribitur, per veredarios quatuordecim in omnes Prouincias multis apographis funditur. Et fas est sed viris proceribus datos ad Regem libellos similiter per eosdem vulgare, etsi adhuc pendentes in responsi expectatione: sic illi Præsidis, & Mandarini Scin libelli duo, veredariis traditi, mensis eiusdem nono & decimo nunquam priùs auditis rumoribus, regni totius iudicia inter se commiserunt. Nostros enim doctrinæ, scriptorum, sanctitatis, & gestorum fama notissimos legebant ab tribunalibus aulæ vtriusque primariis deposci, tanquam reos, à Pechinensi quidem ad exilium; à Nanchinensi ad supremam pœnam, latente interea mutationis repentinæ causa; Erant præter Vagnonium Nanchini tres nostri Sacerdotes Longobardus, Semedus, & Alenius, adest iis Pechino ab sociis nuntius nocte intempesta die Augusti tricesimo, libelli vtriusque reddit apographum, monet sibi & rei Christianæ, quam possit optimè consulant. Primum ergo illi coram sacro altari, Deo se integrè deuouent, ad omnem ipsius hostium ferendam barbariem parati; multis deinde cum lachrimis tenerit item illi tot Ecclesiarum periculosam, & debilem commendant. Demum in commune decernunt, vt se cum Alenio Longobardus inde alio subtrahant, cùm præter exilium Christianis damnosum, nihil possent ab Assessore Scin expectare: ad iuuandos roborandósque Christianos Vagnonius maneat, tùm quod is probè tota vrbe notus, tùm quod in libellis supplicibus notatus de nomine, & suspicionem criminis sua absentia videretur facturus. Socium illic retineat Semedum cui ex morbo vix conualescenti nusquam alibi esse tolerabiliùs poterat. Ac Vagnonius quidem ad primos afflatus sæuituri Scin Assessoris, Christianos strenuè obarmarat, assiduitate pœnarum supplicum, & precum, martyrum exemplis fortibus, omnique adhortatione, & responsis interroganti de professione fidei tyranno vel edendis, vel vbi liceret declinandis. Nec iêre in auras monita, rebus ipsis magnificè probarunt haudquaquam illud Sinensis indolis molle, ac pauidum, & in desertiones imbecillum, sed Christi gratiam præpotentem secum pugnare, & vincere. Postridie status ab aula cursor, armorum Præsidi, & Assessori Scin, libelli gemini reddit exempla cum mandatis examinandæ Patrum causæ, ille per familiarem nobilem quid ageretur Vagnonio indicat, &

pro suo in illum æquitatis & amicitiæ studio apud eum dolet ab Assessore Scin ea incusata à quibus norat eius probitatem quam longissimè abesse; sibi quidem non esse integrum defugiendi mandatum cognitionis iuridicæ; at si benevolè monentem audiret occupaturum prudenti discessu exilium, ignominiam, & forsan duriora, quæ essent ei à iudice timenda irato, potente, & palàm inimico in cuius veniisset potestatem. Hoc si consilium placeret indulgere se illi viginti dies ad vendendam domum, & profectionem Macaum versus adornandam; productarum quin etiam has inducias longiùs, ac fortè Regem interea, quem sciret nobis esse benevolum, aut nostri miseratione, aut intercedentibus Mandarinis, & Colao quos habebamus in aula peramicos, ita Rescripturum vt non foret necesse Nanchino abire. Sic ille pro sua comitate, & benevolentia erga Patres: at sceleratus Scin arrogata sibi tota vtriusque iuris dictione, Patres in carcerem coniicit, vsus ad hoc agnato Taolio Sun, regionis in vrbe quintæ, quam Patres incolebant proprio iudice. Hic multæ noctis silentio cingit eorum domum armato milite; Vagnonio ad aram summo iam mane consistenti, nuntiatur in aurem, occupari satellitio domus fores, expectaríque illum à tribus Primmafuis visendi specie in aula domestica iam consistentibus; traditur simul quem vocitant vrbanitatis liber, fuitque necessariò vt exciperentur sacer ornatus deponendus. Sunt autem Pemmafui notæ infimæ Mandarini, alicuius in populum iuris, & reorum vbi opus est procerum prehensionibus designati: & tres quidem hi missi erant non modo vt Patres caperent, sed ignominiosè, & pessimè haberent; præterquam quod Sinis solenne est vt capti, suspectæ potissimum in regnum fidei, perinde à satellitibus, & plebe vexentur, vt si forent damnati, & ad cruciamenta iam traditi. Sed hos Patrum, in vrbe auctoritas ab imperatis barbari Assessoris abstinuit, & è contrariò in omnem erga illos humanitatem & reuerentiam induxit. Eorum vnus demissè Vagnonio proclinatus significauit Patres Mandarinis quibusdam primariis venisse in suspicionem, iussam domum illorum introspici, & eos sub custodia teneri: cui sedatè Vagnonius & domum & Patres, esse in eorum potestate; ac dum alij duo sigillatim domi scrutantur, signántque omnia; Longobardum in ripa cum Alenio hæsitantem, per iuuenem vrget, moras omnes abrumpat, seque inde remis citatis eripiat. Erat iuueni Donato nomen, virtus egregia, & de conuersione ethnicorum præclarè merita; datus est eunti custos miles, qui suæ illum bonæ fidei permisit, & verò iuuenis tacito nuntio perfunctus domum redit, salutatúrque à custodibus ianuæ ludibrio & sannis liberaliter, quod fuga valens sibi consulere, concluderet se se denuo in illorum manus. Ignorabant nimirum & hunc Vagnonij pridem discipulum, & sex alios domum pridie venisse præsentis periculi conscios, noctem illam cum nostris obituri, ad piam vt aiebant animæ suæ institutionem, re autem vera vt si occasio non deesset pro Christi fide cum ipsis morerentur. Mirabiliùs quod multi cùm

domum

domum resciſſent armata ſeptam cuſtodia confluxere, ambientes cum noſtris, & pati & mori; qui ſe ad ianuam dum obſiſtente milite proturbant, ex iis tres intrò ſe penetrant, magno cum intuentium ſtupore, vnus inter omnes excelluit vir ſenio frigens, ardens pietate, nomine Ioannes qui ad primos rumores calamitatis ſecuturæ, ſe familiámque vniuerſam Chriſtianam & Sanctam Deo vouit, in mortis eiuſdem cum Patribus victimam: ac ne quo interceptus caſu in confuſo lateret populo, vexilla ſibi, ſuiſque parauit ſingula, & ſuum quidem, tùm reliqua, nomine proprio, familia, patria inſcripſit, & profeſſione clara Chriſtianitatis, cuius præcipua credendi, & viuendi adiunxerat capita; fixum erat ſeni magnanimo ad primum ſtrepitum erupturæ in Patres internecionis, cum inſtructa vexillis familia, vel domum ad Patres aduolare; vel iis, in carcere ſi forent, accedere. Laudauit præſentem apud Chriſtianos Vagnonius, & fortis exempli dignas gratias egit. Seorſum verò ardorem inhibuit, nec ipſi profuturum, & aliis noxium, eáque tàm confidenti nouitate ſpeciem præbiturum rebellionis inchoatæ, actis humiliter gratiis bonus ſenex, quoad ſuos facilè acquieuit; ſe verò ſolùm id ætatis, & debilitatis, cogitationem factionis moturum nemini: vt ergo primum ædes noſtras militari clauſas manipulo cognouit, tempus eſſe ratus quod præſtolabatur, deuotionem ſuæ fidei, amoris, & capitis Deo factam inſtaurat, & geſtans manu altera vexillum, coronam altera, per confertam turbam ad Patrum fores denique emergit, interrogatúſque ab ſatellitibus quid infortunij quæſitum veniſſet, in iis ædibus, vnde eſſent in mortem & carcerem abducendi quotquot illic deprehenderentur? Et hoc infert ſenex quæſitum veni; mortem, aut carcerem ex communi cum Patribus cauſa, quorum & diſcipulus ego ſum, & religionem ob quam rei fiunt profiteor. Cuius en! apertè inſcriptam vexillo mea manu ſummam gero, & oſtento: cúmque his legendam obiicit. Hæſere milites ad inſolentiam ambitus inauditi, & ſeu foret defecti ſeni), ſeu Chriſtianiſmi delirium (quod ipſi vno habebant nomine) iniecto faucibus laqueo, & brachiis funè, ſenem illis duobus ſiſtunt Mandarinis, qui etiam domum aduenerant; vbi vultu quàm priùs lætiori, eundem coram repetiit animum quem militibus profeſſus fuerat, mouitque Mandarinis admirationem roboris Chriſtiani, quantumuis id auerſarentur, noſſéntque optimè non eſſe delirium imminuti capitis, quare iuſſis licet detrahi vinculis, accenſuere illum ſubituris eandem cum Patribus aleam. Inter hæc adeſt à Præſide armorum tertius Pimmaſuus eiúſque de reis ſententiam refert: Patrum crimen aliud non eſſe niſi quod eſſent extranei, & legem docerent regno illi nouam; quare aliam non eſſe commeritos pœnam niſi vt remitterentur vnde aduenerant; ſed honorificè pro conditionis ſuæ dignitate. Semedus Nanchini ſubſiſteret dùm conualuiſſet. Geſtatoria ſella Vagnonius ferretur militum ſeptus præſidio, qui vim plebis contumelioſæ ab eo defenderent; vincti præcederent in paria reliqui. Milliarium duorum

rum viam duodecim milites gestatorio affixi magno vix labore, minis, fustibus, armis ipsis per submotum populum perrupere, tandémque inter conuitia, execrationes, & rabiem innumerabilis populi via publica illum statuere, vbi horas duas ad fores palatij spectaculo fuit, dùm Taolius otiosè rationem modúmque captionis, intùs à Pimmasuis audiret: quo vero animo hæc inter opprobria Vagnonius sterit, narret ipsemet qui tulit quàm ego meliùs. Silere, inquit, non debeo beneficium planè singulare quo me Deus affecit exeuntem, eo enim sensu intimæ obtuit voluptatis, vt risum præ gaudio non possem premere, etsi cum auditem palàm ab ethnicis velut ineptum derideri; sed me acri simul doloris oppositi affectu pupugit cùm attenderem me alienis gestatum humeris commodè & decenti habitu portari, Christo pedes, vincto, nudo, raptato inter ludibria turbæ popularis tribunalia obeunte: quanquam non defuit per hoc iter sua tolerantiæ seges non modica. Consistens identidem vt satisfieret quibusdam, volentibus de facie me nosse, clamore, conuitiis, omnísque genere contumeliarum, excipiebar ab infesta plebe, custodes ipsi, quod prohiberentur sæuire in me crudeliùs, brachiorum carnes quàm violentissimè poterant vellicabant. Steti ad fores Taolij Sun horas duas argumentum fabulæ, & ludibriorum vulgo circumfuso, dolendus nemini præterquam puero Christiano qui per medios lictores accedens propiùs, suam mihi operam detulit si qua re esse vsui valeret.] Hæc ille, pergénsque de Taolio narrare, Assessori Scin vt cognatione, sic barbarie propinquo, ait nunquam inflecti potuisse vt se in conspectum admitteret; explosisse concessam semodo misericordiam, & raptaretur aiebat in carcerem, si pedes ire non poterat; si nequibat ibidem ex morbo sanari bonis auibus esto moreretur. Dum augetur concursus vulgi petulantis, & probra in Vagnonium, & legem Christianam, deiecit opportunè procacem illam proteruiam Christianus nomine Matthæus, responsione ad stultitiam eorum idonea. Hic in nostrorum obsequio ad suam vnius & aliorum salutem, iam triennio versabatur, & vinctus duobus funibus per duos lictores trahebatur simul in carcerem, cúmque æstuans siti & prope deficiens, aquæ pauccillum popoſciſſet, vociferari cum militibus populus, & magno tumultu vetare ne quis illi aquæ inferret stillam; incantamentum id Christianorum esse; immurmurare doctos in aqua siphum pauca verba & euanescere repentè ex oculis; idem istum moliri, ac velut certò deprehensum, tùm ipsum, tùm Patres, & religionem Christianam sacrilegis inceſſere vocibus, tanquam maleficam & diabolicarum Magistram artium; absurditatem eius stultitiæ vel inuita fuit deridens Matthæus, quæ verò, inquit, improuisa hæc nobis captio venerit? & non potiùs ante mensem præuisa, meditata, impatienter expetita? quo si minus insanum ethnicorum de Christianis errorem correxit, ora certè iis cum pudore occlusit. Ab Taolio demùm expediti, viæ reliquum ad carcerem peragunt non reorum quidem sed honorarium

rarium in Pimmifuorum palatio; qui & ipſi comitati ſunt intrò Vagnonium, & cuſtodibus benignè commendarunt; ſubmiſerunt etiam lectulum, & per triduum cœnam; rara illic beneficentiæ gratia, vbi cum traditos ſibi reos peius tractent cuſtodes, quàm remo addicti apud nos ſoleant; his tamen aliquid obſeruantiæ detulerunt, quamuis ſemper diffiſæ, ac trepidæ; velut maleficos lemures accepiſſent ſeruandos, adeò malignis & horrendis de illorum vita calumniis tenebantur: quare ad illos aliquot noctibus armatorum lictorum vigilia excubauit, quoad animaduerſa illorum animi quiete, patientia, & alacritate minimè ſimulata, notata inſuper orandi conſuetudine, & canendarum Deo laudum ob carceris dedecus & perpeſſiones, quæ pro ſua in eum conſtanti fide perferebant, agnouere tandem, longè eſſe ab iis quos ſibi finxerant diuerſos, irridebántque deinde apud Vagnonium ſuos illos metus ob quos iis tot noctes tàm laborioſas conſciuiſſe plurimum dolebant: cúmque vrbe paſſim vniuerſa, maximè verò per tribunalia, multam eorum & præclaram virtutem deprædicarent magnificè, eſſetque pronior laudum fides hominibus laudare neminem aſſuetis, mirum quantùm, in noſtros & Chriſti legem affectus ciuium, & iudicia verterentur. Sed iis Aſſeſſoris Scin barbarum pectus incruduit, cùm in edita ſibi deſcriptione noſtrarum recularum, nec veſtigium armorum, nec argenti legit; ſed libros dumtaxat pauculos, precatorias Virginis coronas, nummos omninò ſex & decem in alimenta familiæ totius, ſupellectilem ſacram, & familiarem vtramque pauperem: ſuſpicatus ergo ex inſano Sinarum delirio pondus magnum argenti ſolidi ex viuo transformati defodiſſe nos in hortulo extra muros, ſepulturæ noſtrorum deſtinato, poſtquam eo euerſo nihil reperit, deſperatione probandæ in nos calumniæ, & aperto teſtimonio eiuſdem ab ſe concinnatæ vindicatæque in nobis per ſummam iniuriam, efferatior quàm priùs, eo ipſo die Semedum domi iacentem claudit, turma vallatum militari, cum famulis, & Chriſtianis aliquot feruidis quos illic Pimmafui non abnuerant remanere. Laterna procul è feneſtra pendet, & volentes clàm fortè illac aufugere tenebris interdicit; nocturnæ vigiliæ ad vſque auroram agitantur, eo tympànorum, crepitaculorum, & peluium ſtrepitu, iis clamoribus, & vlulatibus militum vt ſi Tartarus ad portas. Semedus eorum qui ſimul tenebantur confeſſionibus audiendis dat operam corroborandiſque in omnes caſus illorum animis: manè illuxerat, omnéſque eadem qua Vagnonius ignominiæ pompa per conclamantem in eos populum ducuntur in carcerem; mouit tamen complures miſeratio puerorum quatuor quos in Catechiſtas domi formandos Patres ſuſceperunt; molliuit aſpectus ætatis tàm teneræ turbas, exciuítque in Aſſeſſorem Scin earum odia, & deteſtationes facti erga pueros innocentes; quòd ne in ſontes quidem Sinæ hactenus vidiſſent. Excepit Vagnonius & ſui, eodem carcere accedentes; inter lætos complexus quos dat redditque vera hilaritas, non ſine adſtantium ſtupore addubitantium, virtus, an ſtultitia hæc foret. Certè homines

hoc rerum articulo tàm tristi, & peiorum expectatione, gaudere hilari, & exporrecta fronte, mirabiliùs fuit apud Sinas quouis miraculo. Mandarinorum autem pars melior quibus annorum diuturnitas experimentum nostri non dubium fecerat imprecabantur infausta omnia scelestissimo Scin qui causam atrociter capitalem bonis viris dolosè impegisset, & adhuc incognitam vlcisceretur crudeliùs quàm si foret integrè damnata: ipse quem suæ perfidiæ conscientia flagellabat ob confictam in nostrorum armorum, & thesaurorum accusationem, amoliri à se infamiam sceleris, & publica ex eo odia; commentus, Mandarinos ad conuiuium vocat, ratus fore vt inter epulas expiscaretur eorum sensum de Patribus, & eorum causa, de quibus obiter velut aliud agens quoties aliqua mutebat, toties ij tantò cautiores, quantò is nequior, demissis oculis & tristi silentio animum premebant, quanquam is consensus taciturnitatis eius acta in Patres nimis apertè condemnabat. Quorundam alibi libertas animosa, obiecit homini famæ suæ neglectum præferenti, non debuisse famam Sinensis nominis apud nationes exteras fœdare, viris contra ius & fas afflictandis, quos anni quadraginta longè alios probassent ab iis quos ipse Regi descripserat. Alius summæ vir grauitatis, Ebo dictus, multò probrosiùs in Literatorum academia perfidum affecit ausum enim in medio ponere, sua in Patres acta, plusne haberent æquitatis in profligandis Doctoribus legis diabolicæ? an fortitudinis in superandis aduersantium sibi difficultatibus? an demum pietatis in liberanda patria præsenti & periculoso in futurum malo? quæstionem paucis, disertisque absoluit, eóque hominem perduxit, vt responsionis inopia fateretur vnam sibi Patrum eiiciendorum fuisse causam, mentem improbam, & Legi Dei cœli contrariam: nam quò tandem aiebat ambitiosa hæc virtutum commissio de prærogatiua gloriæ ex eo facto in quo nulla earum partem habet? sed pergentem amicus indeprehensa manu auulsit, cumulatum laudibus tacitis aliorum, eiusdem cum eo sententiæ, verum imparis generositatis. Iamque proceres vrbis, qui sua in carcerem Patribus per internuntios sæpè obsequia deferebant, imo & ipsa plebs iis tantoperè infensa, tunc sæuas dedocta calumniæ, & de Patrum vita & moribus ab aduersariis etiam eorum custodibus persuasa, iras omnes & maledicta retorserant in caput Scin Assessoris, cum ea perperam à se satagens amouere peiora incurrit, & fauorem vrbis in Christianos auxit. Nanchini amplitudo, quinque regionibus distincta, Præfectis totidem ac tribunalibus sub vno regitur superiori Magistratu. Simulato metu perfidiosus Scin, ne Magi septemdecim, quales captos fingebat, vi aut præstigiis in fugam se darent, eos quintuplici carcere in eas diuisit regiones, dempto Vagnonio, cui abstulit Semedum & F. Sebastianum Mendezium, relicto solùm in socium Matthæo, laudatissimo illo quem memorauimus Christiano. Custodiis eorum singulis seuerè iniunxit eos quàm diligentissimè asseruarent, & quàm durissimè, ac deterrimè haberent, id quia nossent damnatis artibus

euanescere

euanescere subitò ex oculis hominum; hoc verò quòd mortem centies essent commeriti, nihil ergo in miseros ærumnarum & contemptus ab satellitibus omissum, quæ suamet indoles afflictandis expilandísque assueta carceribus, & incussus à formidabili Magistratu incendebat timor: quæ planè omnia impio Assessori in oppositum cessere: captorum enim alacritas, perpetuus de diuinis & ad Deum sermo, & inter varias patientiæ lentatæ cruces tranquillus semper & mitis animûs, custodum in eos sæuitiam, & sannas in reuerentiam verterunt, & reorum quos suo quinque custodiæ tenebant quintuplici carcere diuisos, vna & constans deprædicatio, eò nomen extulit Christianum quò nunquam ante pertigerat, omnemque calumniæ in caput auctoris Scin reuoluit infamiam, nec aliud vrbe vniuersa, nisi de Christianorum laudibus narrabatur, multò id tamen prolixiùs, cum nullius impulsu Christianorum ciuium nobilis charitas vltrò ad opem vinctis conferendam, & mutua præsidia conuenit. Nam cursores primùm quoquo versum vbi nostri agebant, mittere suo sumptu à quibus quid esset Nanchini turbatum monerentur. Inde viros quindecim legere, animosæ quidem sed non præcocis pictatis, singulas nempe in custodias tres viros, qui eas quotidie disiunctis oris inuiserent, iuuarentque larga ex communi collata pecunia; ad hæc egentes eorum familias suscipere alij de communi alendas contributione; designare quoque virtutis præcipuæ, legisque diuinæ studio ardentes, qui valdè Neophytos, & ambiguæ firmitatis in tanta consternatione indagarent, iuuarent consiliis, & corroborarent idoneis tempori, & periculo monitis. Hæc inter crudeles angustias documenta virtutum ingentium, Philosophiæ Christianæ splendorem fundebant magnificum, vt quæ simplicibus etiam satus inderet adeo generosos; ipse quin etiam Scin, & obstinato Regis silentio ad libellos complures, quos ad illum emendicauerat à Magistratibus amicis, & aduersa fama fatigatus, cogitabat quà posset honore integro à structa calumnia resilire, nisi eum egisset noua res, in omnes euentus præcipitem. Sic se res habuit. Longobardus Nanchino relicta, Caioicum adiit, Doctorem Leonem eius vrbis Præfectum consulturus. Auctor fuit Leo pro sua prudentia, Pechinum festinaret, vbi potentia Magistratuum amicorum, tyranni Scin molitiones sceleratas elideret. Processit ex voto consilium; hinc libelli ad Regem plurimi, & apologia pro causa Patrum, & religionis quam docebant, prudens & solidá, sed nihil horum ad Regem peruenit, quòd nullos ad eum peruios aditus Scini perfidia omisisset, nisi quibus inferri fallacia, & nocitura nobis contingeret. Libellorum nihilominus exempla cursores toto regno vulgarunt, quibus Scini reuincebantur accusationes fraudulentæ magno ad Patrum existimationem subsidio, ad causam nullo: ibat item Pechini apologeticum per manus, indignantibus grauiter Mandarinis, in apertas Scini & conuictas fraudes, atrocitatémque peruersæ iurisdictionis, quibus Leo compertis, Longobardo suadet vt Nanchini edendum curaret, illic Scinum, &

suos, forsitan verò victos, aut iudiciis procerum, saniora capturos consilia. Nanchinum properat F. Ioannes Fernandius Typographos sex ad opus adhibet Christianos; apud vnum ex iis cui Paulo nomen, cui editio breui absoluitur. Erat Fernandius vir sanctus, & generosis desideriis mirè flagrans, dolebátque maiorem in modum præreptam sibi ærumnarum, & carceris sortem qua feliciter socij gaudebant: quare inculcauerat homini Longobardus haudquaquam se illum ad captandam mortem, aut carcerem mittere. Nanchini clàm cunctis latens, editioni solùm incumberet, tanti ad Religionis obsequium momenti. Verum enim vero, de Fernandio & apologia, aliter Deo visum, nempe vt is quidem fieret voti compos, hæc prorsùs vsui nulli esset. Nocte igitur quadam in diem proximum vulgandam parantes, apparitorum turba repentè intercipit: proditore vnius ex iisdem Typographis & perductore patruo, deprehenditur incumbens operæ F. Fernandius, collo singulis iniicitur laqueus, stringuntur funibus brachia, & tribunalibus deinceps sistuntur quatuor, altero alterum onerante negantéque illos iure posse damnari, sed metu violenti aduersarij non auso absolueré. Cæterum id omne per prætoria dissita sparsum iter copiosam iis messem protulit, vt molestiarum, & ignominiæ à lictoribus & plebe; ac meritorum & laudis apud sapientes, constantia illorum in perferendis iniuriis valdè attonitos; certasséntque illum tolerantiæ agonem diutiùs nisi Præses supremæ dignitatis Tuciasuem vocabnlo, eorum miserias breui sententia pronuntiasset illos expertes culpæ cui pœna vlla deberetur; si quibus tamen secus videretur, iis vt satisfieret, cædi leuiter iussit Fernandium, deprehensæ typographiæ auctorem, & Matthiam quendam qui apologiæ autographum tulisse Nanchinum insimulabatur, adiecit denique se suam sententiam Assessoris Scini arbitrio subdere, vt eam pro suo imperio probaret, quod facturum sperabat, & illa miserorum calamitate plus satis habiturum; eos interea cum Vagnonio seruandos; plagis ergo multati quindecim, at non incruentis, coniiciuntur in eundem cum Vagnonio carcerem inter mutuas lachrimas, & mutuam animi consolationem; sed implacabilis Assessor ob missum Pechino apologeticum se coram suisque in oculis edendum in luce aulæ Nanchinensis; & tribunalium quatuor offensus lenitate sententiis totidem, Typographiæ conscios pœnam vllam negante commeritos, horarum septem examine illos omnem in partem ipsemet-versauit, nihilque subdolis & malignis de Christianorum doctrina, & vita quæsitis nactus, præter ingenuam quam nollet audire veritatem, eorum iudicium ad Taolium reiecit, qui molestissimo, perplexus & sibi vtrimque damnoso mandato siue insontes in Scini gratiam damnaret, seu illo inuito absolueret, medium sibi tenendum statuit; cognitione criminis omissa, quod probè norat nullum esse, Fernandio iterum, & Paulo honesto iuueni qui ædes edendæ apologiæ commodarat plagas viginti præter morem atroces infligit; sunt enim lictorum ex cannis duris & grauibus virgæ

virgæ, craſſis ambarum manuum amplexu; quæ per medium fiſſæ ab interiori parte acuta, & aſpera, rei in terram proni cruribus impinguntur; ſed cum hinc inde carnifices impactas, ex nutu iudicis, violenter, & longè ad ſe trahunt contuſarum carnium laniena riui ducuntur ſanguinis, imprimuntúrque vulnera prope curationis expertia, hos ergo lacertos hunc in modum remittit Taolius, ad Scinum, qui luſum ſe reputans integranſque apud ſe profligatam toties apud alios cauſam, interiectis lignis torquet innocentium digitos ad confractionem oſſium, & deliquium animi; ex iis tamen haud aliud exprimit, quàm quod vltòr, & libere faſſi erant, ſe veritati Chriſtianæ, & innocentiæ defendendæ operam commodaſſe, editione apologetici quod vtramque euidentiſſimè aſſerebat, diluebátque calumnias, illi per ſummam iniuriam offuſas: at mendaciſſimo confeſſionis eius interpretamento, conuictos decernit defenſæ legis Chriſtianæ, in Regni pernitiem iubétque ſe coram crudeliſſimè verberari, ſecluſo tamen ſene decrepito cuius eſſet necem luituras ſi expiraret in carnificum manibus; quod item metuens in F. Fernandio vbi carnes nudati vnum eſſe vulnus crudeliſſimum inſpexit, illum cum forti iuuene priorum verberum ſocio, & alios in tormenta dilatos remiſit in carcerem. Cruciamentis illorum intimè affectus Vagnonius, à prima luce ad noctem ieiunos, orizæ exiguo (quod vnum ſuppetebat) niſus eſt refouere, ſed eos vulnerum dolor, & magnitudine doloris deficiens animus, præſertim Fernandium omni leuamento prohibuit, præterquã frigidæ balneo ad detergendum vulneribus concretum ſanguinem: neque propterea in vllius ore, debilis fidei, & mœſtæ pietatis inditium lectum eſt, ſed expediti ad quæuis peiora, & alacris animi, quod de indole Sinarum formidoloſa & flaccida, vix audebant Patres confidere. Paucis ab hinc diebus, ſex in cuſtodias ſeiuncti, numero ſeptem & viginti, quam multis illis afflictati ſunt malis, tàm vberem ſanctæ beneficentiæ materiam Chriſtianis reliquis ſuggeſſere; in quibus Doctor Leo ſobrinum ſuum eò miſit qui auara barbarie lictorum prope nudos, contra hibernum frigus veſtibus munirer. Lapſis duabus hebdomadis accerſuntur à Scino ſpecie repetendæ cauſæ, reipſa ex iis audiendi quod poſſet ſua dignum vindictæ rabie ſimulare, dictum illi erat, Patres genus hominum eſſe maximè impium, qui naturæ iura intima exuti patre, matre, patria, relictis, orbe integro vagarentur: quid ergo, inferebat, iis credi poſſit? aut qua fronte nobis, Sinarum leges & naturæ inculeant, de charitate parentum & patriæ, dùm contraria omnia facto ſuo docent? aut Deum cuiuſmodi obtrudunt nobis adorandum? ob ſua ſcelera in crucem ſuffixum, quæ neceſſe eſt fuiſſe immania ne forent eo ſupplitio minora, quo totis vix quindecim annis inter Sinas reus aliquis reperitur: porrò illam eius in trunco infami probroſiſſimam necem, quam faſtu verborum magnifico velut triumphum attollunt, manifeſtæ ex iis argui falſitatis, cùm Deum negent corporeum, mortalem, dolori, & malis obnoxium; quid verò hic (ait

ad Fernandium conuersus) mendaciorum potes comminisci, quo Magistros tuos à fraudulentia, legem eorum ab erroribus defendat euidenter inter se pugnantibus; cui sedatè Fernandius, ego, inquit, si digneberis audire, non mendacio & fallaciis, sed veris defendam, tibique vt spero placituris, & faxit Deus etiam profuturis: inde ab augusto corporati verbi Mysterio exorsus, suum Catechistæ in eo explicando si vquam alias ministerium egregiè præstitit, eóque doctrinæ pondere, ac libertate spiritus, vt qui sua illa impietate argutandi responsionem omnem præripuisse se illi putauerat, instar arrepritij exilians, carnificem inclamaret, qui cognitionibus capitalium semper adstant, hunc absque misericordia cædite; quibus ipse nihilo segnior ad accipiendas quam illi ad infligendas, solito maiores animos ab nobili eorum causa ad eu attulit. Ictuum viginti vulnera, totidem aliis ante dies quindecim acceptis, tàm crudo verbere impacta sunt vt longè sanguis in vestes resiliret sedentis pro tribunali Assessoris, & suam feritatem eo spectaculo pascentis. Post hunc cædi Matthæum imperat, suspectum delati Nanchinum apologetici, quod is verum an secus inficiari noluit, ne cui sibi succidaneo torquendo foret occasio, & fidelitatem suam silens, ferrò patientiæ merita cumulauit. Satur in præsens Scinus duorum cruciatu & sanguine, transmisit eos in carcerem tertio dissitum milliari. Ponitur illuc Fernandius tortorum humeris, quod cruciamentis, & cruenta iactura exhaustus, ne in genua quidem niti posset; illi verò nec ociæ granum, si fortè appetisset; nec præter humum nudam lectus reficiendo datur. Adest medicaturus plagas Chirurgus carceris, consternatusque illarum periculo & horrore, dolet sibi quoque in illas sæuiendum, ne si parceret ferro, breui Fernandius interiret. Amputabantur viua canium frusta, deformi adeò laniena vt eam familiares etiam carceris, talibus assueti, ferre oculis non possent mensem tenuit cruciabilis illa curatio dùm coïre inciperent vulnera, tranquillo semper, & in Deum intento Fernandio cui vitæ residuum ardenter deuouebat, quin & in corporis laceratione sub ipsis carnificum manibus, voces ad Deum mittebat, tàm suaui amoris vnguento delibutas, vt iis emollitus iuuenis ethnicus fieret Christianus, & Vagnonio tingeretur: tandem vt potuit in pedes assurgere, ex medicatione imperita neruus coxendicis exiuit contractior, fuitque noui tormento remedij necessario subdendus. Opinor legentibus fastidio fuero si pergam pluribus de barbarie tyranni Scin, tango reliqua obiter. Literas finxit Vagnonij nomine, vt ex reddendo ad eas responso verbum aliquod in crimen vocaret. Doctorem Leonem ea columen Christianæ pefidus proditor eò tentauit inducere, vnde culpæ specie aliqua videretur inustus, & redigeretur in ordinem. Christianæ causæ examine toties defunctos variis Prætoriis traduxit quoad in aliquem à quo damnarentur inciderent; sed qui plus illius iniquissimo furori quàm æquitati concederet repertus est nemo: eius in gratiis omnes ad tribunalia omnia absoluti; quidam & carcere exempti, cum fœda eius

aut

aut maligni, aut inconsultissimi accusatoris inuidia & macula, ob quam capitales cum Mandarinis primariis susceperit inimicitias, quibus se inuisum intelligens ob dedecoratum suis furiis honorem totius ordinis, edictum passim tota vrbe affixit palmaribus literis, amplitudine lintei grandioris, datúmque in Typos, multis apographis Pechini vulgandum curauit, conflarat illud ex criminationibus in Patres, non iam suis illis, falsi palàm compertis, ne obstinatissimè improbus audiret, de comportatis domum armis, & factitio argento ad Regnum seditiosis largitionibus inuadendum. Omnis eius accusatio Christianis ritibus nitebatur, quos veneficij, & magiæ damnabat, vt cùm Patres suis sequacibus aquam inspergerent; illinerent oleum, immurmurarent arcana verba, quòd sacrificia, & sermones haberent domi ad frequentes conuentus vtriusque sexus (quibus & mentiebatur feminas adesse, cùm ad eas tingendas alia vt dixi ratio iniretur) quod diuerso ab Sinis Calendario & festis regerentur; quòd sacra cœli domino facerent, quæ nefas vlli erat præterquam Regi attingere, & similia, vera, falsa, & captiosis mendaciis in sensus detorta criminosos: post quæ lamentabatur suam, & regni sortem, cui ab gentis facinorosæ pernitie expurgando, famam, cutas, & operam absumens, Mandarinos haberet aduersantes, qui esse laboris in publicum socij cùm deberent, quos ipse reos omnium scelerum agebat, eos in sui, & iuris contemptum ij absoluerent: visa est duobus ex Mandarinorum plebecula Literatis expostulatio commoda vt lucrum à Scino ex ea exsculperent. Librum quisque componit in damnationem, & probrum Christianæ legis, sed deterior altero peiorem, natus hic in Prouincia Fochiensi, ad austrum Philippinis obuersa, & aliquamdiu Manilæ versatus, vidisse scribebat, patibulatum & flagitiosum à Christianis illic adorari; & promiscuè feminas, & viros in templa conuenire; narrabat de Sinarum nece, vltra viginti millia cæsorum; & de occupatis per iniuriam insulis, quicquid stylo mendaci dictabat cupiditas. Quam Assessor Scin liberali munere donauit, contexuitque nouas ex eo libro ad Regem literas, quibus metus illi pridem iniectos suspiciosissimè proritabat, ne quod eæ insulæ ab externis, idem ab iis Sinæ denique sustinerent, subodoratus est fortè Rex sub violentia inculcatarum toties accusationum latere aliquam atrocis odij contra reos labem: certè ne huic quidem etsi grauissimæ respondit. Quæ dùm volat per manus, & oppositis defensionibus à Doctore Paulo refellitur; iacent mense iam nono in situ carceris ærumnosi è nostris quatuor cum cœteris Christianis. Sunt enim Sinis loca carceri destinata, in luto magis quàm in vdo, aptioráque excruciandis lentè quàm asseruandis reis, quos rarò morte afficiunt. Ad aquilonem carcer palis pro pariete vallatur cœlo fortuito peruiis; à tergo penitùs clauditur, intus hominum fœx, & ferè exspes libertatis, sibi ægrè ferenda, aliis intolerabilis: illic cibus nostrorum orizæ quarta pars demenso pauperum tribui solitæ; olerum subinde aliquid, sed quæ ob penuriam lignorum coquenda erant in

diem

tertium, & quartum. Semedo & F. Fernandio delitiarum nescio quid, interdum appositum, oua anatum cruda, salinariæ spumæ incrustatione in menses plurimos duratura; & stabant obolis duobus optima, erantque vnum quod dabatur solum in duos ægrotos diuidendum. His confectis calamitatibus præter illas quæ Scino mandante adiiciebantur, periculosè omnes ægrotarunt, Semedus in extremis fuit, & cum reis quoque perduellionis mos esset, valdè idoneo exire de carcere, vt domi ex sacco sanarentur, flecti ad hoc tyranni Scin feritas nullis aut precibus aut fideiussoribus potuit. Clam tamen egit Vagnonius vt à Pimmafuis, id beneficij quibusdam impetraret, Semedo & Fernandio minimè, ne cruentæ bestiæ rabies inde furiosiùs insaniret; & verò barbarus Pimmafuos asperè obiurgauit, iussitque vellent nollent restitui carceri quos laxarant, quantumuis fortè animam agerent; vt certè agebat ex iis vnus inter clara eius Ecclesiæ lumina æternùm memorandus. Erat is patria Nanchinensis, Hia Petrus nomine, à quinquennio Christianus, forma, vt inter Sinas, egregia; ætate duorum & viginti annorum, habitu & specie corporis in paucis excellens; at pulchritudine animi, & interiori virtutum gloria melior, ducturus vxorem expressit à parente vt filij ius primigenium cum patrimonio, fratri permitteret, pro se familiam recturo, idem planè facturus si vt erat ex vulgo, ita principe ortus esset, adeò illi præ Deo & æternis cuncta viluerant. Ex voto castimoniæ Deo sacer (quod in Sinensi, & iuuene rarum) dici non potest quàm se studio acri obseruaret, quàm castigata sensuum moderatione promeritus sit Angeli cognomentum; corpus verò spontaneis pœnis quàm durè cruciaret, ne qua illud subiret annorum illecebra quos traduxerat ethnicus. Taolio Sun inter cognitiones iuridicas in Christianorum tanquam fabulosam ludenti pietatem, callosa protulit genua ex assuetudine orandi, volens hinc illum coniicere quàm non temerè idem sentire de aliis deberet, negans de cœtero id magni faciendum si conferatur cum integra vitæ ac morum transformatione quam edit in suis Christi professio, & quam de ipso se probabat, olim nequissimo puero, post adolescente pessimo, tunc Dei gratia de præteritis vitiis nihil retinens præter luctuosam, & erubescendam eorum memoriam: ecqua verò esset è Sinatum tot sectis vna, ad quam quis accedens non peior fieret, sedum euaderet probior? quam confidentiam simplicitatis ingenuæ admirans Taolius, etsi Christianis instigatore amico Scin perinfensus, bene, inquit, communem in priuata tua causam perorasti. Mauult nihilominus parens, & nouerca pessimum habere, dummodo ethnicum, quàm Christianum & optimum: quam ipse illorum cæcitatem in æternos rogos præcipitem, prosequebatur mœrore continuo, & vexationes ab iis, maximè à nouerca pertinacissimas inuicto animo perpetiebatur, negare solitus imitatorem se Christi fore, nisi se agnum lenitate, & mansuetudine præstaret. Quare suo cuidam opificio acriter incumbens, factum ex eo lucrum parèti dabat, dempta solùm parte quam pauperibus

erogaret.

erogaret, morbóque iacentibus, quorum intimo sensu pungebatur: cui tamen labori, necessarium animo excolendo tempus liberaliter detrahebat, & quarto ab vsque milliari diuina mysteria frequentabat, in quibus Sacerdos notare vix poterat quo confitentem absolueret; hoc ille propriæ salutis studium ea felicitate, & gratia in alienam portigebat, vt eum nostri & alij ad hoc plurimum adhiberent. Ex quo dederat Christo nomen, nec aduersis vnquam, ac ne captus quidem, & cum Fernandio cæsus, doloribus serenum oris, & animi turbauit. Ægrotis demùm piam nauans, & alacrem operam morbum contraxit quo sensim absumptus est. Obtinuerat à Pimmafuis Vagnonius, vt domi curandus ad parentem ferretur; senex barbarus parens moriatur ait cum suis Christianis quibuscum vixit, ipsique, mortuum aut terræ mandent, aut canum ventribus; minis tamen coactus Mandarinorum, delatum excepit, nouerca flammam & rabiem spirante, omnémque in miserum sæuitiá paucis quos illum habuit diebus exerente. Quare missis ab Assessore Scino baiulis qui eum referrent in carcerem; læta spectauit moribundum auferri sibi ex oculis; lætior ipse sibique multum gaudens, quòd mortem pro Christo, sanctorum operum strenuo ambitu quæsitam reperturus esset in carcere; lætus recuperato illo Vagnonius, suo cum alacri Christianorum manipulo, sed mœsti proxima illius iactura; omnes illi ad mediam noctem cùm præsentes fuissent inter pia ipsorum vota, & monita placidè animam efflauit, nondum satur furendi Assessor Scin scrutati exploratores suos iussit, num quis adhuc halitus esset in mortuo, ne illum simulata morte, Christiani tentarent viuum recipere, & restituere. Petitum ad exequias corpus prærogatiuo dignas primi pro fide in ea Ecclesia interfecti; Præses carceris negauit Mandarinus, stolea inuolutum curauit efferri ad parentem, humandum vbi ei liberet. Caruit itaque funeris clari pompa, & cantibus; nequaquam piorum comitatu partim exposcentium eius preces, partim illi suas pendentium. Secundus vltronei cum Patribus carceris calamitatibus confectus est Hieronymus, sequebatúrque proximè moriturum, ille quem diximus Matthæus, carnificum verbera fortiter cum Fernandio passus: & iam Vagnonius, maligna febri ad extrema tendentem, quærebat pio cuipiam Christiano curandum committere, cùm is accersitum flens iunctis manibus rogauit, ne conditionem sibi eriperet tàm beatam, mortis in carcere pro Christo oppetendæ, quod ea petiit significatione doloris mœstissimi si petitio negaretur, vt visum sit inhumanitatis ei obsistere. Tanta erat illorum fidelium animi constantis excelsitas, & tàm heroïca virtutum ostenta victricium in summo æstu difficultatum vltimarum; nec istorum modo quos tenebat carcer, sed aliorum toto regno, quorum suis locis occurrent illustria decora. Nusquam enim fuit quò non pertigerit tempestatis huius refusus fremitus: nunc decumanos tyranni conatus exequamur ad exterminandos toto imperio Euangelij præcones. Ad hoc rabiem vltimam triplici ma-

china intendit, malignitate Bonziorum, Eunuchorum auaritia; existimatione Magistratus Lipu cuius erat Assessor. In primis itaque Eunuchos aggredi Nanchinenses, vilissimos genere, fortunis & opibus reges, cupiditate insatiabiles, & quouis pretio venales; salutare, adire, frequentare officiis sed nocturnis ad vitandum pudorem depressæ dignitatis, omisso denique rationum & precum imbelli telo, eo sibi pondere expugnare quo norat ad se facilè pertrahendos, præsenti videlicet, promissóque argento quo ab iis expressit ad Pechinenses Eunuchos maximè Palatinos quicquid ad suum aduersus Patres explendum furorem, putauit validiùs; Bonziorum fuit maior procliuitas vtpote in communem causam. Legit ex iis triginta præcipuos, & loquacissimos quibus vnum præfecit ex omnium fraudibus, & flagitiis concretum: Pechinum proficiscerentur, tribunalia omnia, omnes obirent Mandarinos, expostularent, perorarent, & qui erat vnus & totus negotij cardo, supremum Eunuchorum per quem solum ad Regem patebat libellis supplicibus aditus, quantolibet pretio emerent, vtique non quouis cùm esset opulentissimus, venalem; Decem ei millia nummorum numerarent, ex communi sua contributione, cui suum & ipse addebat symbolum. Sic pecuniis, & consilio copiosè muniti pergunt multis cum literis, & singularibus mandatis quæ legationis signifero seorsum credidit; in iis literas duas pestilentissimas alteras ad Colaum, ad Præsidem alteras Tribunalis in ea aula Lipu. Huic eius Tribunalis, quod certè vnum cum Nanchinensi erat, exponebat æternam maculam, si Rex suos duodecim libellos, ne verbo quidem dignaretur, videretutque aduenas quatuor viles & barbaros Ministris suis fidelibus anteferre, laborantibus in hoc vno vt proscriptione illorum & legis quam præcant sceleratissimæ, securitatem Regi, pacem regno asserant, & tranquillitatem, ibatque prolixiùs in exaggeranda ignominia communi Ministrorum vtriusque Tribunalis ex eo Regis silentio. Eunuchos palatij, Primores Bonziorum expugnandos sibi pecunia sumant; alij Monasteria, Prætoria, Mandarinorum palatia percursarunt, & conditis inter se Patrum calumniis implerunt de Christianorum decem millibus ad mouendam Nanchinum paratis; de paratu armorum & argento in stipendia militum domi deprehensis, de confractis idolis, & parentalium neglectu: ac de idolis quidem flocci fuit apud Mandarinos; de argento quæsitum vbi esset, & quamobrem non foret ad Regem perlatum? ad improuisam quæstionem obmutescere alij, responsione quidam sua intricare se se; clariùs aliqui fateri se nihil scire, nisi quod ab Assessore Scin accepissent, omnes metu publicæ verberationis qua solent perfidiam suam falsi testes ad Tribunalia luere, fuga exinde, aut latebris sibi consulere, fuitque ista eorum perfidia vnius confessione notissima, qui à Mandarino, notam iis inustam dolenti, & interroganti, cùm ducem haberent versatissimum in Theologia idolorum; cur non potiùs Patres ad disputandum prouocarent, vt legis quam fundebant

bant patefactis erroribus, & offensione; per se ipsi regno pudore infamiæ abirent pellente nemine, victores Bonzij triumpharent. Bonzius hominem mirari se indicans eorum quæ diceret valdè rudem, nos verò ait, manus conferere cum Literatis magni occidentis? nescis ij profectò cuiusmodi sint; certò nos & experti scimus. Libros perlegimus, quos in defensionem suæ legis edidere, sed post aerem si vlla vsquam est censuram, notare nihil potuimus quod solida nixum ratione, regni Bonziis vniuersis non esset ineluctabile: si secus id foret, putas quam suades disputationem fuisse nos tamdiu dilaturos? aut inde sperandam gloriam, immenso itinere & prensatione Eunuchorum sumptuosissima mutaturos ad extorquendum Patrum exilium, nimirum aliud non erat quo nos verteremus. Nam si pergat, vt facit, Christiana lex in populum, & populi Principes diffundi; periimus funditus, & clausis cœnobiis ac templis, de cœtero nobis victitandum est mendicato. Hæc à Bonzio Mandarinus in Christianam rem Patresque propensus ad eos retulit & calamitatum quibus iactabantur exposita causa mirè recreauit. Sed iis Bonziorum calumniis efficacius aurum fuit, & famæ ratio Præsidi Lipu impressa penitûs, quem ex benevolo, Pantoia fecit nobis apertè inimicum, nolens enim, Patre Sabatino de Vrsis videri minor, vetuit eum ad Præsidem visendi officio fungi, contra quam & mos, & ratio, & tanti viri poscebat studium, amicitiæ nimirum singularis cum Sabatino copulandæ. Pantoiæ item siniſtro consilio Doctor Paulus, scriptum continuit quo merita Riccij, donatúmque illi solenni diplomate ab Rege sepulchrum, & sociorum habitationem Colao memorabat, exoraturus omninò vt Pechini saltem nostri persisterent, pro reuerentia quæ beneficiis Regiis defertur, & propensissimo erga nos Colai animo. Colaus & Præses communi libello Patrum exilium à Rege postularunt, duas solum ob causas quas Rescriptum expressas retulit, die insequenti, Februarij quarto, Lunæ anni Sinensis duodecimæ; magnis quidem inditiis proditum, illud Xi, quo Rex Chirographo petitionibus annuit, Reginæ manu fuisse appositum primarij Bonzij precibus superatæ. Vndecumque tamen prodierit, decretum exilij ex eo conditur à Colao, denuntiatúrque Patribus per nobilem, eius filij præceptorem, qui nostris amicus, pari sensu doloris & humanitatis mandatum peregit, Decreti sententia hæc erat. [Cùm ex iuridicis tabulis inquisitionis ab Assessore Scin institutæ, constet legem aut sectam ab Alfonso Vagnonio eiúsque sociis doceri, quæ turbat, & decipit populum, videtúrque occulta moliri consilia de quibus nondum satis liquet, iubetur Præses Tribunalis Lipu perducendos curare in Prouinciam Cantonensem, & inter manus Proregis, aut Inspectoris deponere, qui eos primis impositos nauibus in occidentem vnde aduenerant remittant. De Pantoia eiusque sociis idem fiat, & turbari aula veraque desinat] consternatus mandato Pantoia, vnum à Mandarinis omnibus amicis rogans & supplicans responsum tulit, serum esse om-

nem remedij, quod iam nullum reſtabat conatum. Nemini quoque Eunuchorum tantum animi fuit vt eius literas Regi porrigeret, præterquam vni qui eam gratiam tanto pretio vendebat vt ei Pantoia non poſſet ſufficere. Deſtitutus igitur vndique ad extremum confugit miſerorum ſubſidium; etſi Magiſtratibus odioſum, quod innocentiæ oppreſſæ videatur illos arguere. Ad decumanas palatij fores ſe conferunt proclinationes illic obeunt & honores quos adhiberi throno regio vſus eſt; menſam ſtatuunt, & in menſa donum Regi offerendum, repetitiſque iiſdem honoribus recedunt. (Fuit donum Pantoiæ, Geographica tabula, cum ſupplici ad calcem libello.) Taolij verò eſt portas luſtrare palatij, & dona eiuſmodi collecta in Regis manus tuto tranſmittere. Varios in vtramque partem ſermones ſuppeditauit Pantoiæ factum; at Taolius quidem minimè officio ſuo defuit, ſublatam tabulam iuſſit in Palatium ad Regem deferri, cum ſupplicantis obteſtatione, ſed iis literas adiunxit aduerſum Patres acerrimas, quod cunctantiùs facerent imperata, & tempus violenter extraherent; Rege tamen vt vulgò eſt creditum, decreti contra nos exilij ignaro, libellos & tabulam Eunuchi combuſſere, ne quid poſſet de iis reſcire, ſic illa & vltima deſperatis rebus ſpes ita concidit, vt Eunuchorum quidam indignis modis Patres vrgeret ad diſceſſum, abigenti ſimilior quàm ſuadenti: eos tamen ingratiis ex domo vendita, tantùm pecuniæ confecere, quantùm Viatico Macaum iuſque ſufficeret. Communi præterea Magiſtratuum quorundam conſilio ſtatutum vt ſalua decreti Regij obſeruantia, Patres honorificè abirent, naui ſibi peculiari, & propria vehérentur, attribuerentur iis Famuli, & ſumptu publico vbique haberentur: ſed Aſſeſſoris Scin fautores, quod is Patrum honor in eius dedecus verteret, extorſere à ſuperiore Tribunali vt militibus præſidiariis duobus traderentur quibus alij per vrbes ſingulas pari ſuccederent numero, & commiſſæ ſibi, deductionis fidem, aliiſque traditæ omnes ſcripto darent. aderat fixus ad diſceſſum dies Martij decimus octauus Palmarum dominico ſacer. Extra vrbem in noſtrum Saluatoris templum fideles conuenerant, vbi Pantoia & De Vrſis, poſt diſtributas iis palmas ſacris operati, ſuprema monita, & triſtem parabant ſalutationem; ſed eam cœtus vniuerſi lamentabilis oppreſſit fletus; Doctor Paulus in iis ardentis fidei rerúmque pro ea geſtarum merito excellens diſcruciabatur dolore non conſolabili; nihil enim tàm arduum tàm ſibi acceptum & periculoſum fuerat, quod ſacroſanctæ fidei gratia non tentaſſet; ac licet Aſſeſſorem Scin toto ſuo furore, toráque prope aulæ perfidia & auctoritate, in Patrum exitium incumbentem nequiſſet frangere, obſtiterat tamen ne damnis maioribus in eos graſſaretur. Eius quoque beneficium extitit diploma quo iuſſu magni Tribunalis, ædes ſacra, & Riccij tumulus, doni Regij titulo, demandata ſunt cuſtodiæ præſtantis animoſique Chriſtiani, auaritia cluſa inhiantium illis Eunuchorum; & ſacrilegiis Ethnicorum, qui ſua in id ſacrarium inferre idola geſtiebant.

gestiebant. Præcauit item legitima interdictione, libellis infamibus quibus hominum flagitiosa fœx ventilare discessum nostrum, & deturpare statuerat. Obtinuit denique à duobus præsidiariis Patres deductu-ris, vt diei vnius confecto itinere, quacumque mallent liberos & solos pergere sinerent. Sic ij Quanceum appulere, vbi eos postea reuisuri sumus.

Vagnonij autem & Semedo calamitosior extitit discessus. Februarij nono & decimo Rescriptum Regis, Nanchinum peruenit Assessoris Scin execrabili dolore, quod præter barbaram expectationem negatum sibi eorum iudicium videret quos constituerat crudelissimo necare perduellionum supplitio; fremens igitur adhuc aduersus Vagnonium, ob omissa erga se salutatorij honoris obsequia, & dolens excidere se fama penitùs, ob impositas Patribus capitalissimas, & falsissimas accusationes, hanc homo sceleſtus in illa rabie insana minus insanam vocem misit, se laboriosam operam, & ingentes sumptus, & amicorum potentium pretiosas interceſſiones frustra perdidisse, frustra cœlum & terram mouisse, cùm Patres vitam incolumem, & lætam in patriam referrent. Sentiebant cum illo Mandarini omnes, Regemque omninò, singulari Patres amore complecti quod tantis eorum accusatoribus ne verbulo quidem respondisset, tandemque illos à Colao & Præside, Regni supremis capitibus peruictus, damnasset pœna, quæ iure haberi pro gratia poterat, vt salui in patriam redirent. Postridie itaque cursor decreti Regij perlator Vagnonium adit, & tanquam læti nuntij baiulus, descriptum in ampla, & ornata charta, gratulabundus offert. Gratulantur & per se aliqui, & alij per suos Mandarini; & quod eatenus inauditum tres Primmasui Iudices, nunquam pedem inferre in carcerem soliti nisi ad reos excarnificandos, gratulati sunt Vagnonio consuetis Literatorum vrbanitatibus, causæ ipsius prosperum exitum, & sublimem gradum quem Patres in Regis beneuolentia obtinerent. Hinc satis mirari non poterant, nullam inter hæc vt censebant tàm læta Vagnonio, consolationem à Vagnonio admitti, quoad ipsos quoque Christianos adire illum in carcerem viderunt, & suas cum eo iungere lachrimas, ex quo demum ab iis intellectum, diuinæ legis proferendæ studio, & amore, Sinas eo vsque anteponere patriæ vt apud eos essent libentiùs in perpetuo carcere (quod profitebatur Vagnonius) quàm commodè in solo patrio mansuri Decreti Regij executionem dum meditatur Scin exasperare sua barbarie, menſe integro instat Vagnonius roborandis in Christo fidelibus aduersus sæuitiam quàm post suum Nanchino discessum instauraturus esset impius tyrannus. Quas verò proximè ante illum ærumnas exhantlauit, sic narrat ipsemet [sexto inquit, decimo Martij, sisti nos sibi solos, me & Semedum, pro tribunali Scin imperat; ergo pedes, Semedo ex morbo in tabula per medium populum portatus, adsumus. Horas duas ego de genibus, humi iacens Semedo, examinamur ab eius Assessoribus duo-

bus. Quæsitum quo pacto, essemus, & quam pridem in regnum ingressi; vbi? quid rerum? quibusve sociis ageremus? vnde nobis ad victum suppeteret? tabellionis manu excepta responsa ad eum deferuntur, quibus ipse perlectis mittit qui collo vt vsus est reis iniiciat laqueum. Hic mihi in aurem ex Ministris vnus Christiani propinquus pio vt censui erga me affectu, dominum suum irato esse contra me animo. Argenti aliquid largiri lictoribus præuerterem à quibus essem omnino cædendus vt mecum leuiùs agerent. Præsto erant ad fores qui comitati me fuerant Christiani, præsto illis pecuniæ quas darent; vetus plagarum mihi condonationem aut acerbitatis ab iis vel obolo redimi; hanc in Christi causa & innocentiæ, mentem mihi tunc Deus indidit. Statutus ad tribunal hostis, & efferi, cur Sinas intrassem interrogor: de nostra inquio, sancta lege populum docturus. Hoc est, subintulit decepturus vestra illa lege quam sanctam dicitis. Ego, inquam, mi Domine, in nullius domum, nisi vltrò volentis subij; argentum aut munus admisi à nemine. De lege diuina cum adeuntibus placidè tractaui, eorum de cœtero remittens arbitriis vt de se statuerent quod cuique magis conduceret, nec potest vllus mortalium quæri, se vi, fraude aut à me deceptum, aut suo emunctum, aut re vlla fraudatum. Et prodeat, si quis est, audenterque accuset, & ecce duo falsi testes Mandarini duo, à quibus famosas lucubrationes contra nos duas Scin emerat. Venisse me alter per Philippinas in regnum obiicit, (quod erat falsissimum; cùm per Orientales Indos ex Lusitania venissem) ex ea me esse cruenta natione, quæ tot Sinensium millia trucidasset. Hoc pensi mihi fuisse Sinas esse homines emere ad Christianismum. Hic ego omissis quæ nihil ad me spectarent Philippinis, quæro ex eo vnde id hausserit, homines largitionibus induci à me ad Christianismum? ille hanc referre vulgi famam; damnat igitur aio, vulgi fama insontem? quam multa quotidie vulgus mendacia, etiam in Regem, & in aulam iactat? ad hæc obmutescens alteri locum dedit. Is verò, tres, inquit, in regno agnouimus, & admisimus religionum sectas; cuiusmodi ergo est hæc nouæ de cœli domino quam vulgatis? hoc ego ad eum minimè spectare respondeo, non esse has eius accusatoris partes de iis inquirere, stare me ad Iudicis tribunal, huic si quid præterea quæreret, vt ante fecerat, paratum me satisfacere roganti; quo ille similiter obtusus responso contricuit. vtrique Scin nutu significans paulùm secederent, dicturus sententiam ad me conuertitur, & mortem quidem nos esse commeritos quod legem nouam, & bono publico, pacique damnosam spargeremus, quòd tamen Rex pro sua clementia pœnam hanc nobis condonasses, eam se nobis pariter donare; solum, infit lictoribus plagas ei decem infligite; quas ipsi deinde gloriati sunt grauitate, tricenarum numerum æquasse quanquam mei misertus alter ex Assessoribus Mandarinis quibus prior de me credita fuerat interrogatio bis per nuntium commendasset ne mecum duriùs agerent; ij quod resciissent intercessisse me ne quid

ne quid ipsis daretur ad acerbitatem ictuum redimendam ob hoc atrociùs in me sæuierunt. Post hæc Scin ad Semedum pœnæ dixit eidem obnoxium, sed eius condonationem morbo suo gratus imputaret: ita in carcerem vterque remittimur. Damnationis barbaræ nimium clara iniquitas aulam commouit vniuersam, indignatam ausum Assessorem supplitio afficere homines à Rege absolutos, & quidem insontes, tandemque de tyranni mente non obscurè perdoctam voluisse nimirum sanctam Christi legem eum prosternere, præconum eius probroso & infami palam dedecore. Adiere me in carcere Christiani, multis lachrimis dolentes, quas, vt ipsi aiebant, eorum gratia sustinueram plagas; ego tametsi profiterer, nihil nobis aut glorioſiùs aut optabiliùs venire potuisse, idque tàm longo per maria & terras ambitu quæsitum, dolorem ipsorum lenire vix poteram, Ex iis Literatus vir grauis vocabulo Vam qui Pechino tàm procul huc venerat vt opis aliquid nostris ingentibus afferret malis, & largam ad hoc à Doctore Paulo stipem attulerat, comitatus est me à tribunali ad carcerem, & curationi voluit meorum vulnerum adesse præsens & continuò flens: dabant alij operam Semedo refouendo qui dies septemdecim moribundus, & præter calidam cibi omnis expers, cœpit tunc demum cibo, & viribus refici. Coalescebant post exactum mensem iam mea vulnera, & de mandato Scin à tribus Primmasuis, & duobus ex eius curia Mandarinis domum nostram deducor, vt accuratior me coram instituereturet eius scrutatio, cupiditate magis asportandi quod reperiretur, quàm spe reperiundi quod latere apud nos fingebatur; argentum videlicet & arma. Libros, scripta, sacras imagines, & matheseos organa; fisco Scini addicunt, supellectilis reliquum meo arbitrio permittunt; mox in carcerem reductum, paucis inde diebus, iidem iterum eodem me reuocant, vt adessem spectator dum ea supellex proiiceretur, in publicum, & clauderetur sigillis domus, quod ea præcipiti festinatione, & tumultuario contemptu factum, vt tolet ex ædibus, subito incendio correptis. In quo spectaculum occurrit quod horrore tunc adstantes; post verò cognitum, vrbem totam ingenti perculit admiratione. Producta in vicum Sandapila qua P. Feliciani de Sylua condebatur cadauer, eam vt cætera omnia Mandarinus alter volebat recludi. Auersabantur alij facinus inhumanum, & capitis pœna Sinarum legibus veritum. Nihilo timidiùs Scini Ministris vrgentibus, refiguntur claui, capulum aperitur; quod populi odia & Mandarinorum exsecrationes tyranno conscium immortales, & noais testimonium illustre innocentiæ per summam iniuriam ab eo affictæ, sed tunc illustriùs cum sarcophago aperto, Feliciani corpus ante triennium mortui, dempto nasi extremo, inregrum prorsus apparuit, quod summæ fuit in legem Christianam laudis; & accidit dum recluderetur, vt cœlum antea serenum misceri nubibus & tonitru notarent ethnici, statimque ad serenum redire cùm suum Sandapilæ tegmen est redditum, quod mihi tunc aliis cogitationibus distento; deinde animum aduertenti,

aduertenti, visum est ex vero notatum fuisse. Conturbati re tam insolita, Ministri facinotis impij, pressere illam silentio, & mandarunt efferri sandapilam, abiicique deserto extra vrbem loco. Quæ fuit nota tyranni immanitas erga Euangelij Ministros, responso eius testatior, cum petentibus ad sepulturam locum; sepeliant, inquit, vbi solent destitutorum cadauera: ego precibus iteratis, euici ab aliis, corpus quo mallem vt conderem; soli angulum per aliquos Christianos emi, vbi duo ex nostris fratribus qui Nanchini erant; illud humo mendarunt. Christiani nonnulli, sepulchrum sibi iuxta illud, ad subsidium animi legerunt. Et verò cùm Doctor Michaël è sua Prouincia per certos homines ad se iussisset adsportari vt honorificé condendum curaret; Christianorum Nanchinensium peruigili, perpetuáque custodia scrutum est, tanquam thesaurus, & amoris pignus venerandum, quo erga Magistros, & animi Patres afficiebantur. Postremò accepi colere Christianos frequentare locum piis colloquiis religiosis officiis, & sepulti confisos meritis illum apud Deum intercessorem adhibere. Hæc Vagnonius Macao, postquam illuc à Scino expulsus est. Habuit autem expulsio hæc velut actus atrocis fabulæ vltimus singularia memoratu digna.

Sibi enim pridem sua ex patria Duces addictissimos pararat duos cum octo militibus quibus id tutò negotium crederet; vocarat illos ad se quotidie, fidenter monens, quàm cautè nostros custodiri vellet; quàm malè vexari; quin & additur, qui possent venæno de medio tolli. Ab eo autem nunquam redibant indonati, & onusti promissis in posterum, eo ardore susceptí sceleris peragendi vt extra se positus videretur, nec posse aliud animo versare (quod ipsi postmodum custodes Vagnonio non dissimularunt) ne fortè illorum amantissimi Christiani multo auro redemptos, & cælatos in Sinis retinerent. Pij è contrario Mandarini, subodorati Bonzios in æstuario fluminis struere armatas insidias ad uecandos in transgressu Patres; & ipsi armis egregiè instructos eodem præmittunt, præsidio, & defensioni Patribus futuros, duosque insuper qui largitione liberali custodum lenirent ferociam, & Patres rebus necessariis iuuarent. At enim tyrannus vel id olfecerit, vel vt ingenium vexabat perpetuo in excogitando, quo posset Patres pessimè vexare, sua illi suggesserit rabies, repentè mutatus; terra iubet, non aqua exportari, vt dierum triginta per vrbes itinere fieret illorum calamitas grauior, & ignominia notior. Ad hoc ligneas ex palis caueas parat duas, quæ nisi sedentem, & arctè caperent; iis Patres includit, vetitos ad cibum aut somnum, seu quiduis aliud educi quoad Quanceum peruenissent, iter emensos dierum triginta. Est hæc pompa solennis terroris publici aduersus reos maximè insignes cùm ad supplitium portantur à carnificibus: quo minus eadem, Nanchino tota circumferentur Patres per eum non sterit, debuere quibusdam humanioribus Mandarinis vt satis haberet; celeberrimo traduci vico, vrbem mediam

secare.

secante. Ad hoc dum vltimus Aprilis expectatur dies, anni 1617. carcere, inquit Vagnonius in templum verso, à primo mane ad vesperam continuus eram in confessionibus audiendis, confirmanda monitis Christianis, in omnes casus, adeuntium constantia, sedandis eorum fletibus, quibus etiam custodum feritas emolliebatur. Dicto die stipati satellitum & lictorum turba ad Taolios deducuntur, qui tredecim numero (quotquot erant Nanchini) conuenerant. Ad fores Palatij iubentur capillos soluere, quos Sinæ, vt diximus, in verticem colligunt; solutos lictor ad ignominiam in funes duos ab humeris torquet. Superiorem quoque vestem coguntur iungere ad latus ei oppositum in quo cæteri eam iungunt, proprio barbaris, bonique omnis rudibus charactere. Iniecta demum velut noxiis belluis in fauces catena, & strictis manica ferrea manibus, per medios hinc inde satellites, apparitores, carnifices, armis, insignibus, cruciamentis terribiles, in Prætorium progressis, exprobrat Taoliorum Princeps, aduentum in Sinas, prædicationem noui dogmatis, damnosi, turbulenti, tribus ab æuo probatis ritibus contrarij; ob hæc illos quidem mortem commeritos, sed Regis clementia in exilium mutatam; Proin ne essent beneficio ingrati. Placide iter peragerent, & procul tumultu, ac suspicione nouorum motuum, ne quid inde illis grauius nasceretur. Iniungit item custodibus haberent illos humaniter, omnem ab iis iniuriam, & contumeliam prohiberent; sua è cauea vtrumque ad cibum, & somnum eximerent, tunc eos concluderent & abirent. Clausi verò sunt pessulis à Cancellario, tribunalis sigillo bullatis. Huius porrò formæ, iuridicæ species, qualicumque de causa fuerit vsurpata, fuisse horrenda dicitur, & formidabilis. Operiebatur ad palatij fores dum exirent vis tanta populi, vix vt multo sudore, milites angusto calle eos eduxerint. Vicissim Patres expectabant eadem se execrationum, & conuitiorum grandine impetendos quà primum in carcerem prosecutus illos fuerat populus, etsi tunc Literatorum cultu, Mandarinorum sella gestarentur, nunc probrosis ad ludibrium damnatorum conspicui caucis. Sed prorsus oppositum euenit, mœsto silentio & tristi gemitu illorum vicem miserta multitudo, diras omnes in tyrannum effundere, sacrificantem furori suo insontes homines, quos testata & nota probitas à capitalibus eius calumniis vindicarat. Ipsique custodes satellites, accedere ad caueas propius, consolari afflictos, spondere beneuolum comitatum, & amica per totum iter officia, Haud tamen ausi sunt triduo citiùs Taoliis obsequi, & angustiis caueæ ad quietem, & cibum eos liberare, ne per exploratores suos tyrannus Scin disceret humanitatis aliquid in eos impensum. quod Vagnonium proceræ hominem staturæ eruribus sic debilitauit vt cum inde prodibat, horam ponere cogeretur quoad se sensim erigeret in pedes, & capta genua multis ægrè deinceps mensibus restitueret pristino vsui. Vrbem & fluuium transuecti spectaculum fiunt innumerabili populo eorum similiter dolenti

miseriis. Eadem sed paulò longiùs incedens apparet Christianus quem consequebatur alius lento gradu. Vtrumque literis & pecunia instructos destinauerant Christiani Mandarini, vt Patres iuuarent omni ope, iisque adessent toto itinere; atque hinc transmisso flumine agmen instruitur pompæ ad futuram memoriam Patribus ignominiosæ, tyranni Assessoris detestabile inuentum. Præibant furciferi tres, cum tribus in hasta sublimè tabulis, tribunalium trium inscriptis sententia; Patres esse improbos homines, seditiosos turbatores publicæ quietis, nouarum legum, & sectarum Magistros; illósque propterea regno pelli. Fas esse nemini quicumque is foret accedere propiùs & eos alloqui, qui secùs auderet, extemplo à militibus plecteretur, & hanc barbariem seueriſſimè milites primis diebus obseruarunt metu tyranni Scin, quem sibi per exploratores non dubitabant imminere. Procul itaque occurrentes magnis clamoribus cogebant via decedere; in pagis qui ferè ad milliaria singula iter secant, si quem præ foribus suarum ædium curiositas euocasset, hunc intrò vocibus, sin autem fustibus retrudebant. Sequebantur tabulas, tribunalium vexilla, tubæ, tympana, capedines æneæ, continuo perstrepentia fragore; inde manipulus armatorum, quacumque transibant à pagis, & vibibus ex decreto mutandus. Sub noctem in diuersorio suis cum caueis recondebantur Patres in domus penetrale; tùm vallabantur corona triplici militum ad quam loci quoque accibant incolas. Ædes vigiliis cingebantur cum assiduo strepitu respondentium sibi tympanorum. Quarto demum die humanitatis aliquid affulsit. Educuntur Patres è caueis, vt somni aliquid iacentes caperent. Adest postridiè à Scino Scriba familiaris eius & intimus, de itinere cogniturus, & pro potestate in Patres vlturus, si quid interea mouissent & sentire suos dolores visi essent. Has inter cruces dierum triginta per tres Prouincias magnam reliquerunt (contra quam sperabant) innocentiæ suæ miserationem, potentis aduersarij oppressæ tyrannide; adiere illos officiosè Literati (non ausis custodibus dignitati obstare,) suáque flabella inscribi aliquo ab iis morum effato petierunt; beneuolentiæ pignore, editíque in illos obsequij monumento. Nanhione, prima Cantonensis Prouinciæ ciuitate, dies ad quietem illis concessus est, qui vnus fuit ex quo exierant Nanchino. Vrbis Præfectus nostris beneuolus afflictos inuisit P. Gaspar Ferreira illic agens mutuus ad illos dedit accepítque consolatorias, & pecuniæ subsidium misit quà iam cœperant egere quòd illis quos diximus iussos sequi Nanchino duobus Christianis nunquam ad eos adire propiùs argentúmque illis tradere licuisset. Sed profecturos Nanhione humanissimus Præfectus, tyranni Scin gratia odióve promiscuè habitis, nauigio commodo illos iuuit, quo secundo amni Sciaochinum peruenerunt, vt se Proregi Prouinciæ sisterent. Reuixere vtcumque illo octiduo nauigationis, ex itineris ærumnosissimi agitatione perpetua semimortui, actumque de iis erat, si longiùs aliquanto id foret, pascebatúrque hac spe tyranni rabies,

miseriis

miseriis ratus in itinere morituros, hoc duces custodiæ Patribus fassi sunt, hoc tam certò Nanchini creditum, vt eos pro mortuis lugerent Christiani ciues. Terram legerant Sciaochinum, cùm Magistratus omnium Ordinum in Prætorium Prorex vocat, adsunt postridie ingenti numero, cum magna spectatorum turba portantur coram in suis caueis, onusti catenis, & manicis Patres, extractos inde prouolutósque in genua sedate satis reprehendit, quòd nouam Regno legem ausi essent inferre, cùm multò fuisset æquius, leges ab Scinis discere, quàm Sinis suam tradere peregrinam; & perinde Sinis religione conformes viuere, vt lingua, cultu, omnique consuetudine ciuili. Tùm superbissimo Scin & similium tumore, nationibus exteris oportere Sinas Magistros non discipulos esse. Quin & suo quodam mordaci libello Scin, non est veritus Literatos nomine illo indignos appellare qui Patrum nostrorum sectarentur legem; qui verò illorum tantoperè doctrinam attollerent, suisque illustrarent proœmiis, Sinas spurios, & semibarbaros; cernens autem Nanchini augeri Christianos viris sapientibus, & doctis, censebat hoc damnatis artibus fieri, & visibilem dæmonem vocabat Vagnonium, qui cæcis vinculis eorum mentes sibi obstringeret. Proregi Vagnonius aliquam sui rationem tentarat in auditorio illo amplissimo; at is prima illi abrupit verba, quod reis nefas sit coram Iudice mentire; vitæ gratiam à Rege concessæ in lucro poneret meminissétque se grandi suo malo in Regnum subiturum, si pulsus à Rege aditum in illud denuò moliretur. Laudauit deinde custodes milites, quod Patres mitiùs habuissent quàm ferret crudelis iussio Scini Assessoris, & iis quotidie extra clathra suarum cauearum somnum capere indulsissent; consolatus est & Patrum molestias, fine illarum proximè instanti, commendauitque illos vni suorum Præfectorum, qui die postero Quuanceum illos perduceret, commeatum illic ad repetendam patriam à tribunalibus accepturos. In hac sæpiùs dicta Metropoli Prouinciæ Cantonensis, Christo, & patribus inimicissima ob suspectos in vicinia Lusitanos, auditi sunt comiter vbique pro tribunalibus contra omnem expectationem & dùm naues Macaum soluerent datus est iis carcer quàm commodissimus, sed peior, scribit Vagnonius, quàm sit in Italia pessimus, angustus, graueolens, captis adeò confertus, vt mouere gressum nisi per calcatos alios non possent; & hic inquit Præfectus carceris, vos vti licebit componite obseratisque foribus abiit. Erat nox prima, ipsique à pridiana vespera, post percursata toto die tribunalia ieiuni, nec orizæ grano, nec aquæ stilla refocillati sunt à quoquam. Ad somnum dùm circumspiciunt vbi fractum corpus proiiciant, caput tollit è vinctis vnus, ignotúsque ipse, & erga ignotos mirè affabilis, lecto exiliens compellit in eo decumbere, tabula erat duorum vix capax, storea instrata; in ea vterque actis Deo, & viro beneficio gratiis, quieuerunt. Summo mane Præfectus carceris, Magistratuum & Mandarinorum permotus suasu, frequentiáque Patres visentium,

illos è carcere in cubiculum transtulit. Vbi etiam summus Præses carceris Mandarinus, vrbana defunctus salutatione, ignorantiam excusauit, seque de illorum conditione, ac meritis iusto serius cognouisse. Ciuilitatis vacuæ verba sterilia, Christiani duo excipiunt, iussi vt diximus, Patrum iter sectari, tradúntque illis à Doctoribus Ignatio & Leone pecunias, quibus prohibiti fuerant eorum inopiam, & calamitates in itinere leuare. Viam inde Nanchinum remensi Christianos incredibiliter de Patrum incolumitate recrearunt, & sparsum à tyranno Scin rumorem præfocarunt de occupata ex insidiis Patrum custodia, deletâque penitùs à Christianis Prouinciæ Chiansensis. Post mensem illius honorarij carceris, Pechino pulsi Pantoia, & De Vrsis, vltrò se Magistratui exhibent, fidelitatis apud eum exemplo, tantò magis laudato, quantò nunquam à Sinis expectando, qui mortem leuiùs exiisse ferunt ambobus ergo cum Vagnonio & Semedo iunctis Bonziorum assignat cœnobium, vbi diuersarentur commodiùs, & nummi vnius, cuique in mensem angustam sportulam, Proregis nomine. Optabant Patres hærere Quancei saltem biennium vnde se faciliùs in Sinas & citiùs rebantur, quàm Macao reuocandos. Sed cum iis esset non tàm Scini decreto quàm Regis sententia indictum exilium, nemo sibi tantùm assumere ausus est, vt videretur contra illam iuisse. Fuitque gratiæ non vulgaris quod ex Regis mandato non remitterentur seriò in Europam, sed tantum remitti fingerentur: exacto enim illic octimestri Magistratus, Mandarino armorum viro graui tradit, Macaum cum præsidio vehendos, transmittendósque inde ab Lusitanis in Europam, aut Indias; cuius rei fidem à Primariis quatuor Lusitanis exegit Mandarinus, admisitque fictis subscriptam nominibus, dumtaxat ne Regis decretum Mandarini violasse notarentur. Regressum de cœtero in Sinas prout lubitum foret curare permissum est, rogati quin imò pro mutua inter se & illos beneuolentia, vt Lusitanorum erga Sinas amicitiam fouerent, ac si quid forsitan vtrauis ex parte offensionis nasceretur, placidè illam componerent. Applicuere Macaum medio Ianuarij anno 1618. & moram illic Sinis quoque nauarunt perutilem, quoad Scino nequicquam furente, reditum in Sinas impetrarunt. Pantoia; dempto qui fato functus est hoc anno, non leui iactura illius missionis ob linguæ manúsque Sinensis excellentem peritiam, sed planè incomparabili, si Pechini per annos septemdecim præstantissimas suas lucubrationes, virtute ac moribus æquasset. Prima erat de victoria virtutum aduersus septem peccati capita; altera symboli articularis & fusa explicatio. Tertia vnius ac summæ perfectæque diuinitatis probatio euidens; quarta de bonis, & maleficis angelis; quinta de conditione primi hominis, protractáque in posteros, eius ruina; & reparatione humani generis post diluuium Noëmi. Instabat autem Vagnonius eruditendis in fide Sinis qui Macai degebant, & nostris ex Europa idiomate Sinensi, & charactere informandis, & scriptioni voluminum

septem

septem quæ post in lucem prodiere. Sed hic ad veri notitiam facit, conditum Catechismum fructuosum, & grandem non esse solius eius opus, multos eidem admouisse manum viros doctissimos & peritissimos expeditionis Iaponicæ, (habet enim Sinas errorum Magistros Iaponia) ij Daifusamæ cruentis edictionibus Macai exules, ritus Sinensium ad examen denuò vocarunt vt discriminarent à sacrilegis innoxios, & ciuiles, quos nuper deinde in Sinas aduecti nullo discrimine in fascem confusos, impietatis condemnarunt, & nostros homines idololatriæ ac nefariæ superstitionis, qui eos vsurparent, & in Neophytis probarent.

Pendebant interea è sæuitia tyranni Scin tùm ex nostris, quidam tùm alij, quasi exulum vades in carcere, luituri omninò illorum pœnas nisi eorũ custodes renunciassent in reditu & minimùm ab iis in itinere turbatum, voluit tamen eorum sanguine, quos adhuc retinebat gratificari suæ voluptati, velut recens captos, nec miseriis diuturni carceris semi iam putridos, & sibi tot examinibus perspectos, ad tribunal suum illos citat; cognitionis absoluendæ referendæque domum libertatis, honoris, & gratiæ conditionem insinuat, si se deceptos à Patribus excusent, & reuertantur ad idola, quam conditionem, pari stupore ac rabie impiissimi tyranni, exhorruere tanta constantia ad vnum omnes vt nemo in iis non dico vacillarit, & erant numero sedecim, cum pueris quatuor ad Catechismum docendum educatis, sed mori millies per quicquid est atrox expeterent, quàm Christo amorem fidemque fallere. Fratres quidem nostri Ioannes, & Sebastianus Fernandez tanto se bono votóque tàm impares reputabant, vt nisi à profusissima Dei clementia spem eius aliquam sibi minimè arrogarent; de quo Sebastianus è vinculis sic ad Longobardum, [Scribo ad R. V. dùm adhuc licet, & haberi hanc opto pro vltima salutatione, nisi, quod timeo, illud à me diuinæ in amicos beneficentiæ magnificum præmium, mea scelera auertant, mortis inquam, pro Christo oppetendæ. Ad hoc omnes quæ Dei est gratia ingentes animos, & alacres gerimus. Cras Luna vigesima secunda, subibit Examen cognitorum F. Ioannes Fernandius; ego cum sociis vigesima quinta; eò dies proximè elapsos transegimus muniendo præsidiis cœlestibus animo, in nutus quoslibet diuinæ voluntatis. P. Aluarus Semedus à nobis diuulsus est, manicis ferreis, & crassa ex collo catena lætior quam si ad conuiuium pergeret; ego apud illum priusquam abscederet, confessione sacra annos retexui septem & viginti, quos diuina miseratione inter Dei seruos in societate exegeram, vt hoc apparatu vitæ meæ miserrimæ subeundam pro illo iacturam præuerterem, qui suam infiniti pretij diuinam pro me vitam dedit. Taceo libenter quam singularibus hunc meum carcerem beneficiis beauerit Deus, quantisque me voluptatibus perpetuo recreet; quòd iis exprimendis verba mihi deesse sentiam bonitatis illius munificentiæ sit sempiterna laus, qui tot reum malorum tot

beneficiis cumulat] hæc F. Sebastianus Fernandius, cui persimilia, & virtutis ardore paria, Ioannes Fernandius; Iam examen quod spectat, fuit id multiplex, & diuersum, haud quidem ex causa vel ancipiti vel obscura; cùm omnes haberet Scin confitentes reos se Christum colere, & Patres iuuare, quæ summa erat totius criminis, sed quod homo crudelis, ex iteratis cognitionibus, iterare illis tormenta cuperet. In iis quatuor, quos diximus pueros, & qui ad societatem fingebantur adolescentes duos velut impunè dimissos habuit, quòd plagis illos sex tantùm damnasset, sed ea qua solent impactis sæuitia; ob quam inter Sinas inuisam feritatem; contumelia, illata Patribus, in solutione capillorum, vestiúmque aduersa iunctione, exprobrata est tyranno, vt qui voluisset ea nota censeri eos pro barbaris, cùm ipse illis in teneros pueros inhumanitate, tùm se tùm Sinas, ingenio barbato, & barbaris legibus, regi, ac viuere probasset; iuuenum alter, cui nomen Ignatio annis & corpore debilior, idcircò cæsus est grauiùs, quòd interrogatus, cur cum Patribus degeret? ad condiscendam virtutem, & literas respondisset, Nempe infert tyrannus, apud Sinas virtutis crimiæ & literarum gymnasia deerant, vt necesse foret hæc petere à vagis fraudum nundinatoribus, simul eum mandat immaniter plecti, nec multo mitius cum eius sodali Ludouico actum; erat hic insigniter pius, & se per tempus patientissimi carceris, demensi sui brevis fraudabat parte, vt eam cuipiam Christiano egenti largiretur. Nec mouit tyranni cruentum animum, qua tenebatur adolescens quaque ipso in examine æstuabat febris; verbera eadem passus est, nihil morbo ipsius condonatum, nihil ipse rogauit condonari. His tàm dirè contusis, pueri quatuor partim Bonziis traduntur peruertendi, partim aliò destinantur. Ludouicum, & Ignatium iubentur milites, reducere procul in patriam, sed Christianorum industria, & ære restituti sunt, & ficto fidei syngrapho tyrannus à militibus est delusus. Prius tamen quàm Patribus illos in patriam remitti decerneret, cæteros cum illis Christianos multis defunctos cognitionibus, & tormentis, misit ad Tribunal maleficiorum, velut causæ damnatæ reos, postremam de se sententiam denique audituros; sed quàm atrocirer eos illic haberi voluerit, testes sunt literæ quas ad Vagnonium, & Semedum Quancei iunctos dedit Ludouicus. [Magno nos, inquit, & alacri animo incendit Deus, ad mala quælibet, vestro ducum nostrorum exemplo perferenda. Mense igitur exacto, omnes tyranno Scin sistimur & quatuor eius Mandarinis, examinamur omn . & cædimur. Plagarum sex tantùm mea sors tunc fuit, quod ægrotus essem. Paucos enim post dies reuocor, & ab eodem Scino vehementiùs obiurgatus, quod Pater Vagnoni] tibi operam darem; tacito quouis alio crimino, decem verberibus lictori me addicit: ad ea excipienda dùm me paro, redierè in mentem concepti sæpius ardores multa pro Christo patiendi, & voti mei compos, lætus Deo gratias egi, morbó grauiter laborabam & defectione

virium.

vitium ex febri, dierúmque iam septem inedia quibus nihil cibi admiseram: incruduit febris, verberibus, sed curatione illorum Deo ita volente euanuit, inusitato planè remedio. Dies aliquot fluxerant cum Augusti quinto & vigesimo, qui tutelari meo sancto Ludouico est sacer, damnamur ad verbera crassiorum arundinum, medióque in foro turbáque spectantium, pro tribunali maleficiorum, septuaginta plagis singuli cædimur. Deo laus qui me tanto beneficio dignatur: quàm multi enim, boni eiusdem se desiderio macerant, nec illud assequuntur? ego me ad eius apicem prouectum video.] Hæc de se optimus iuuenis; nec fuit alius reliquorum sensus, quem incendebant, tùm Christi patientis assidua meditatione versati labores; tùm fratrum duorum præceptiones, & exempla; Ioannes quidem Fernandius, tàm acerbè tot plagis toties & tàm grauibus est affectus, vt miraculi fuerit magis quam naturæ, vitam ex iis saluam retulisse. Post hæc demùm haud procul Nanchino relegatus est remulcandis per triennium nauibus; sed suam collo catenam semper trahens; & ligneis implexus manicis, sigillo iudicis obsignatis, cuius seruitutis Christianos tres consortes habuit. Ablegati sunt in varia reliqui, hac lege dumtaxat ne vnquam pedem in eam vrbem immitterent. At verò seni animoso illi quem diximus explicato vexillo nobiscum victurum, aut moriturum aduolasse, crudelissimus Scin hoc ipso indignantius iratus quàm aliis, infligi tamdiu verbera imperauit quamdiu vitam in iis valeret retinere, ne se alioqui reum eius necati faceret, postremo illum seruitute perpetua damnauit. Verùm & is, & Ioannes Fernandius, & cæteri omnes, qua Mandarinorum nostrorum gratia, quà Christianorum liberali contributione in libertatem asserti sunt. De Sebastiano tandem Fernandio expectabatur sententia, capitalius ob duo hæc reo, tùm quod Patres in Sinas induxisset, tùm quod vir annorum sexaginta, & probatissimæ virtutis, operam nauaret Patribus in eruditione feminarum, quo vtroque is gloriabatur, nedum vt ab se tentaret amoliri; sed obstinatæ pertinax Scini furor modum ex eo cognoscere quo Patres in Sinas induxerat, & Christianarum feminarum rescire nomina quas ipse docuerat, verum ex fideli, & constanti sene, quærendo, torquendoque, nihil extorsit præter Dei laudem, & gratiarum actionem; cæsus quoque & ipse sæpiùs, centum nunc plagis ad vltimum dilaceratus est. Ablegatúsque extra magnum murum limitem Tartarorum, in sempiternam seruitutem; sed crudelissimam, & morte qualibet sæuiorem, arcem illic Sinæ horribilem habent, torquendis, & tortoribus confertam, reorum fœce, custodum barbarie, & Mandarinorum feritate infamem & formidabilem. Futura illic erat Sebastiano sedes & seruitus cùm Christianorum erga Patres amor, non tulit hominem multorum saluti tàm necessarium tàm indigno carcere sepeliri. Cœpere inter se certatim contendere, quis eius & sortem & locum obtineret (& possunt apud Sinas à Ministris pœnarum, argento omnia obtineri) neque

neque hic parcitum sumptibus, prærogatiuam vicit inter competitores Marthæus, ille non semel antehac memoratus, & eò procliuiùs, quòd Sebastianum proceritate corporis, & oris specie propiùs referebat. Impetratum quoque vt deduceretur à F. Pasqualio Mendezio ad redimendas vexationes militum perductorum, potissimum tamen ad eius liberationem, quæ illi ex voto egregiè cessit: Pauli enim Doctoris commendatitiis munitus ad arcis calamitosæ Præfectum, Pechino venit, qui Matthæum non benignè modo, & comiter excepit, verum etiam vltro pronuntiauit innocentem, vt qui reus alterius criminis non esset, nisi legis strenuè obseruatæ, quæ suos (aiebat) sanctos efficeret, ad hæc illi prolixè detulit, optaret an mallet in arce secum honorificè remanere, an verò Nanchinum repetere cum pristina sua libertate, & iudico diplomate integræ absolutionis. Prætulit exilio patriam Matthæus, & deuotionis suæ auctus merito Nanchinum rediit. Scin verò tyrannis ab hominibus in ædes conuersa rabies, solo æquauit ædem sacram, domum nostram Eunucho pessimo & sceleſtissimo vendidit, ne posset vnquam ex eo redimi; quicquid fisco suo attribuerat, libros, imagines, res sacras ad fores sui palatij congesta sacrilegè cremauit; proscripsit legem Christianam. Hac edicti forma: execrabilem Patrum sectam quisquis profiteretur in posterum, idem illum manere supplitium quod in paucis illis Christianis ad terrorem editum vidissent. Denique triumphabundus significauit Regi se religionem Christianam euulsam radicitus, in Occidentem vltimum extrusisse. At enim sanguinarij Phalaridis cruentos ambitus consilia impia condigno exitu luserunt. Ne verbo quidem Rex triumphales ipsius dignatus est litteras: quo die Patres Nanchino expulit spe prolis masculæ à diis obtinendæ, filiolam vnicam patris dimidium morbus lecto afflixit, & Bonziis quicquid est dæmonem nequicquam cientibus & fatigantibus extinxit; pro illa quam petebat fama securitatis publicæ, suis periculis, & labore assertæ, ante vtriusque publica incurrit, & infensissima odia, quòd potestate abusus officij, priuato furori innocentium sanguine litasset. Colai denique dignitatem publici studio prensatam, & Regis gratiam tot supplicibus quæsitam literis, probroso silentio, & contemptu Rex illi rependit. Profectus nihilominus Pechinum, tam sinistra fama laborare se palàm sensit, vt de Colai Magistratu hiscere non sit ausus, sed Colaum animo gerens cùm venisset, collaterali etiam, seu Assessore amisso ingloriùs rediit, & à Mandarinis quorum est creandos Colaos Regi suggerere, nanti muneris exclusus maiestate, repulsæ dolorem, & ignominiam non ferens, priuatus in patriam secessit Christiani obstante iam nomine Nanchini reperiere suos cœtus, & pristina studia pietatis. Ipse ambitu iterato, lectus quidem est in Colaum, sed libellorum supplicum vis tanta scelerum eius accusatione interpellauit Regem vt ignominiæ vulgatæ impatientia, illi se muneri, aulæque subduxerit. In vtraque

vtraque tamen fauenti aduerſáque fortuna, nunquam non Patribus inimiciſſimus.

Vehementer quidem nouos Chriſtianos tempeſtatis huius atrocitas terruit, damniſque affecit grauiſſimis, tùm proſcriptione diuini cultus, & operum religioſorum, quibus fidei ſacræ inualeſcebat auctoritas; tùm eliſo curſu conuerſionis ethnicorum, ſed neque ſuis in poſterum vtilitatibus caruit. Scin nefariis euerſus conatibus, planéque ingloriùs ſui ſimiles aduertit, in legis diuinæ inſectatione, malignè pretium operi reſpondere. Illi præterea qualicumque noſtri exilij Reſcripto tantùm abeſt vt fides habita ſit, vt aulæ potiùs, totique populo, errorem exemerit pertinaciſſimum de ſuſpectis conſiliis quæ ſpecioſa Chriſti prædicatione à nobis tegerentur; cum tanta tot locis, & tribunalibus, tàm inuidioſa, & ſubtili tot examinum crebritate & diligentia, nihil eſſet in nobis ſiniſtri iudicij deprehenſum; ſuóque magno cum pudore denique coactus Scin, quas vomuerat calumnias reſorbere, & ad vnam redigere Chriſtianæ legis accuſationem, quòd eſſet aiebat illic noua, & auitis Regni contraria legibus. Nec verò editis per ſe ac ſuos in eandem libris, quicquam illi detraxit exiſtimationis & gloriæ. Tàm validis illos defenſionibus Doctores Paulus & Leo confutarunt, vt inde reuerentia, & amor in Chriſti legem, & Patres creſceret. Nec in vlla Prouincia quiſquam eſſet, qui Scini motus inſanis inuectiuis aliquid contra nos moueret; etſi erant ex noſtris quatuordecim in quatuor diuiſi Prouincias, octo Sacerdotes reliqui Sinenſes Catechiſtæ. Hoc ſolùm placuit Reſcripti Regij cauendum honori, & ſuſpenſæ apud illum cauſæ, vt abſtineremus publico, & ſolennes ad nos auditorum concurſus vitaremus, ruſticanis contenti muſæis, in quibus priuatim animorum ſaluti daremus operam. Nec deerant qui nobis latebras in ſuis illis ſuburbanis ſuo qualicumque præberent periculo. Certè Michaël Doctor, dùm Scin quàm maximé fureret quamplurimos habere potuit collegit, nec verecundia ſumptuum, & periculi quibus illum grauabant paſſus eſt ab ſe diſcedere. Qua ipſe animi celſitate velut beneficio communi promeritus eſt apud Chriſtianos parentis appellationem, apud Deum verò conuerſionem parentis vtriuſque, multis pridem, & diu lachrimis petitam quòd eſſent idolis tenaciſſimè addicti, præſertim mater, quæ ſe multorum pro iis laborum & largitionum fruſtrandam meritis ſtolidè dolebat, dici non poteſt quantis lætitiis, quàm dulci copia lachrimarum proſecutus ſit Michaël tantum Dei donum. Ieiunium dierum quindecim toti familiæ indixit (quæ centum conſtabat capitibus) ad agendas Deo beneficij gratias, & exorandam paucorum ſalutem qui adhuc ſupererant ex ea familia ethnici, quàm verò fortiter in defenſione Patrum & Chriſtianiſmi propugnatione partes egerint ſuas Paulus & Leo Doctores, illud aſſeri poteſt nihil ab iis omiſſum quod ardor exigat abſolutiſſimæ charitatis: Paulus quidem ſpretis Scin Aſſeſſoris, &c

43. Tyranni Scin conſilia euerſa.

44. Mendar. Chriſtian. ardor ſanctus..

suffragatorum illius odiis aperto Marte illum aggressus est ; eiusque perfidiam, & sceleratissimum animum toti aulæ regnóque palàm fecit quo in violentam, & crudeliorem tyrannica gubernationem agebatur; ac nisi fuisset pretiosior Patribus quàm ipsemet sibi, iturus erat in omne discrimen, & Mandarinatus, & vitæ ipsius. Sed conditio temporum, & potentia hostium perditorum erat eo propugnaculo cohercenda. Vbi tamen aduertit præcipitari res in vltimam ruinam, non sustinuit tacitus earum exitium spectare : libellum per se composuit Regi exhibendum, ea ardentem religiosi spiritus generositate, vt absque continuis lachrimis à nostris perlegi non posset. Mira de Patribus & eorum lege præmittebat, inde supplex ab Rege poscebat vt sectarum trium quæ vigent inter Sinas, scientissimos in vnum cogeret, & in defensionem suæ legis vel impugnationem Christianæ cum Patribus committeret ; hinc nisi communi auditorum assensu, & singulatibus sententiis Præsidum arbitrorum, Patres superiores euaderent, & causam liquidò vincerent ; tùm se mendacij, & impudentiæ conuictum, Rex condignis pœnis afficeret. Innocentiam verò Christianam, hoc experimento probari petebat. Daretur sibi regenda vrbs vilis, atque ignobilis, quàm Christianis institutis per Patres excoleret; seligerentur ex alia parte, sanctissimi quique ex disciplina Bonziorum, his nisi noui Christiani omni virtutum genere iudicarentur sanctiores; tùm paratum se fore ad pœnam quamlibet ex sponsione persoluendam. Conditiones has viri magnanimi, non tulit proponi, religionis status tùm modis miseris vexatæ. Doctorem Leonem gradu imparem Paulo, vrebat par in Christum amor, duarum vrbium lucrosam nactus, & clarissimam Præfecturam, mutare hanc minùs illustri, minúsque vtili ambiuit, modo in Prouincia Cantonensi, per quam vnus est Lusitanis in Sinas aditus, vt illac nostros accerseret. Magistratu auctus ampliori gratulatus est sibi eam dignitatem in qua plus posset Ecclesiæ prodesse, totámque illius honoris potestatem eò præcipuè retulit, Patrem qui missionibus præerat confestim per literas monuit, Macaum Patres euocaret, qui Sinarum linguam vtcumque discerent, se suo periculo quamcumque mallent Sinarum Prouinciam iis apertoros, & in ea tuto seruaturos. Iam qualis vita esset, in familiæ ipsius moribus legebatur, quæ precatione, meditatione, collatione mutua de Christi doloribus cœnobio propior quàm palatio videbatur. Quas verò delitias hauriebant ex diuinæ Eucharistiæ epulo, eas dictum quadraginta aut plurium promerebantur apparatu, orationibus, & spontanea sui afflictatione, quæ ab intimo pietatis cultu nunquam abest, eratque Leonis familiaribus solennis, vt & ieiunij Ecclesiastici obseruatio, Sinis licet idcircò valdè onerosa quod assueuerint quater vt minimùm mensam quotidie ponere. Abstinere se verò à carnibus prima noui anni & plena Luna, si sabbathum & sexta feria in dies illos inciderit, toti Regno festis lætitiis, & conuiuiis celebres, opus arduum

putant,

putant, & heroïco grandiùs, de quo tamen Neophitus iuuenis ſtupenti ethnico quòd iis diebus verno tunc ieiunio incluſis ieiunaret; doctè ſatisfecit, aiens olim ſe quoque cultorem dæmonum, eorum dierum iis ieiunia conſecraſſe; nunc ſe adoratorem veri Dei parem non fore pudori ferendo, atque opprobrio, niſi tantùm ſaltem veri Dei honoti, & amori daret quantùm dæmoni olim tribuiſſet. Duo triáve ex multis ſubiicio de priuatorum heroïcis dotibus in coniecturam plurimorum quos hinc iuſto maior numerus excludit. Chriſtianum Mandarinus quidam in aula Nandhinenſi clarus, filiis dederat pædagogum, formæ præſtantis & periculoſæ, huius amore puella famula ad inſaniam capta, poſt tentatum fruſtra & ſollicitatum diu & ſæpius, & blanditiis omnibus iuuenis pudorem, repetita crebro repulſa ardentior & impudentior, denique illum egregio munere conuenit, ſui erga illum amotis pignore, teſtata ſi reiiceretur, ſe nolle viuere, nec fore repulſæ ſuperſtitem. Acceptum munus fortiſſimus iuuenis ad Mandarinum defert, cauſam muneris narrat & moleſtiſſimam ac diuturnam flagitioſæ puellæ impudentiam; ac mihi quidem, ait, ruptum pectus ante diſſiliat, quam impuro amori aditum præbeam. Cœterum quia improbiſſimæ fœminæ perferre diutiùs importunas moleſtias iam non queo, & hoc turpiùs furit, quò validiùs à me reiicitur, aut ipſe te oro pro tua poteſtate de remedio videris, aut certò certiùs, exinde domum tuam pedem non infero. Nihil motus ad hæc Mandarinus, imo ait exinde te domi libentiùs quàm antea volo, nec minùs quàm filium diligo, de puella ſecurus in poſterum eſto. Quicquid puellaris amentiæ, & amorum finxit, meo imperio, & conſilio finxit. Probare volui quantum tibi tuto fidere poſſim, & credere; experiri præterea libuit, an Chriſtiana lex vt paſſim dicitur transformaret vos in aliam naturam, meliorem communi, an duraret vos in virtutem quandam, humana fortiorem. Puella quidem deinceps à iuuene conſtanter abſtitit, & Mandarinus hoc inter Sinas impudiciſſimos caſtimoniæ Chriſtianæ inuſitatum prodigium cum admiratione prædicauit.

47. Chriſt. Nanchin. virtutes egregiæ.

Addo huic feminam, menſium paucorum Neophitam, ſed virtute & animo maſculam, nomine Luciam. Dùm graſſabatur Nanchini Scin aduerſum Chriſtianos, iuſſa eſt pro tribunali ſe ſiſtere Chriſtianiſmi rea, eiuſque prædicatrix: bonum factum, inquit, vel enim detur occumbere quòd Chriſtum prædicarim, vel quòd eius cauſam animosè defenderim, viuere; vtrumque mihi in voto eſt. Opperienti dictum diem, miſit matrona Chriſtiana duos filios ſuos Literatos qui eius cauſæ patrocinarentur; illa remiſſo comiter eorum obſequio, ſi ſubeunda mors, inquit, pro Chriſti fide, defenſione non egeo; ſi defendenda Chriſti fides, hoc ipſa præſtabo. In prætorio itaque ſpectatoribus frequenti, ſolitóque tortorum, & cruciatuum apparatu, rogata num ſectaretur legem Patrum, eámque paſſim aliis ſuaderet, & perſuaderet; de ſe vt reſpondit; de aliis intulit, vtinam dicendo &

prædicando tantùm possem, nulla esset Nanchini femina, quæ nollet esse Christiana, postea de bono religionis Christianæ, & miseriis ethnicorum, tàm magnificè dixit & solidè, tantáque iudicis approbatione, & adplausu, vt parum abfuerit quin accusatores insontis heroïnæ damnarit ad verbera, iis ergo probrosa increpatione à conspectu amotis, absoluit accusatam, magni vt erat animi feminam plurimùm laudauit; Christiani gratiis Deo actis, defensionem liberam sanctæ legis gratulati sunt victrici, & domunculam vsque exhibuere illi honorem Comitatus; eò ferè vnà cùm accusatores adueniissent, excusata Christianæ legis ignoratione, facti veniam popoſcerunt. In ea quæ sequitur fuit erroris aliquid potiùs, quàm culpæ; Christiano nupserat ex iis vni qui erant Patribus carceris socij; hæc solitudinem pertæsa, teste omni probitatis suæ, ac pudoris carentem, bona mariti cum venia, secessit apud patrem suum; illuc ex quo intrauit, tumultuari mox ethnicus, & inhumanus senex, & continuò deinceps afflictam lacessere, quicquid morosa improbitas, & malus dæmon linguæ suggereret vomendo, vt à Christo abductam ad sua idola reuolueret. Hæc vbi maritus post dies aliquot accepisset, reciperet se domum mandauit, se pudoris ipsius vnicè securum, nolle religionis eius constantiam ob inanes metus in discrimen adduci, & tanta molestia vexari. Domum redux matronam in somnis conspicit augustiorem humana specie, vultu seuerum inter, & placidum dubio. Quærit imaginibus quid factum, quæ solito loco minimè cernebantur. Abdidisse illas in tutum se ait, ne qua iniuria tùm illæ, tùm ipsamet earum causa violaretur, tyranno Scin Christianum nomen immanissimè agitante. Matrona blandè reprehensam pusilli animi, & diffidentiæ, monet eas reponat suo loco, precandi coram iis, consuetudinem instauret; mariti curam Deo integrè committat; cuius ille pro causa pugnabat, eius innocentiam defensurum. Postremò vrget, pannósque ab ore infantis filioli quibus præfocabatur amoueret quod illa euigilans, nihil præter fortuitum somnium censuit; materno tamen vel amore, vel boni genij instinctu stimulata, exiliit, infantemque in cunis reperit, reuolutis in faciem pannis tantùm non animam agere. Inde in fletus vberes effusa, & timiditatis petita venia, icones sacras loco restituit, & coram de more ad vsque auroram precibus insistit. Tunc sui præ gaudio vix capax maritum adit, visum narrat, Christianos vna Christi causa, non vno carcere detentos magnoperè reficit, promissione illa peculiaris curæ quàm pro iis gerebat cuius ipsi pro causa vitam ponere gestiebant.

Consederant fluctus tàm diuturnæ, támque à me prolixè narratæ tempestatis, & cœpere nostri è suburbanis latebris prodire, quas illis haudquaquam mortis & carceris, sed profligandæ religionis metus suaserat, si confidentiùs Rescripti Regij maiestatem spernere obstinassent. Quanquam nec eæ quidem cuiquam illorum fuere otiosæ, sed centenis aliquot

quot ethnicorum ad Baptiſmum perductis frugiferæ. Præter culturam Neophytorum aſſiduam, ſed pompæ ac publico cauentem.

45. Sinas Tartari ingr. dùm Chriſti lex eiicitur.

Nunc tempus mutandi prolixiſſimi argumenti, & ſuſpiciendi cum multis ſapientibus Sinarum, diuini arcanum conſilij, cuius nutu in Sinas Tartari ſubeunt, dùm Euangelij præcones, & Chriſti lex ab auſtro extra Sinas à Rege pellitur, fuitque ſtrages impreſſionis illius in regnum prior, imperij aditus quod ſubinde tentatum, paucis denique ab annis Tartari occuparunt, magno Religionis veræ compendio. Certis enim ad nos perlatum eſt literis P. Ioannem Adamum Scial familiari vſum comitate qua dignabatur illum Tartarus Sinarum Imperator, impetraſſe ex eo noſtris vndecumque gentium veniſſent, liberos in Regnum aditus, facultatem diuinæ legis promulgandæ, & ædificandi Deo templa, nulli Mandarinorum iuri, poteſtative obnoxiam. Iam ſi velim belli huius cauſas, caſúſque perſequi, vbique Sinenſibus funeſtos, longè extra lineas iero, meque ab iis idcircò libenter abſtineo ne illos impugnem, qui longè ab iis diuerſa ſcripſerunt quos rerum geſtarum habemus teſtes pænè oculatos, dumtaxat ex his libellum hic reddo quo Præſes Senatus bellici, Sinarum Regem Vanlié conuenit anni 1618. Auguſto menſe, quòd multa ex eo in præſens non parum faciant. [Hoc, aiebat, imperij veſtri ſexto & quadrageſimo, Luna ſexta, Scianſcius tribunalis Pimpu Pechinenſis hunc Regi libellum porrigit, occaſione Tartarorum qui perfracto à Septemtrione magno muro, in Leaotunum Prouinciam inundarunt. Terogat ô Rex quàm demiſſiſſimè! vt rem tanti cures, ærarium ſine mora pandas, militem conſcribas, commeatum pares. Eam ob rem opus eſt vt noris quod Mandarini ſub muro agentes Septemtrionali, hoc menſe me monent. Tartaros nimirum tota illa Prouincia affixis palàm programmatis edixiſſe, tantùm ſibi eſſe hominum & armorum quantùm opus ſit ad hunc orbem Sinarum ſubiugandum; diem quoque prælio dixiſſe, atque obiiſſe. Per apertum intereà murum egiſſe noſtros in effuſam fugam, ingentem eorum cepiſſe numerum, eoſque pridiè quàm confligeretur ſacrificaſſe, magnis vocibus Ducem ſuum, Pechini Regem acclamantes. Ducit aliquot centena hominum millia; neminem ex iis non egregiè armatum. Prodiêre in pugnam ex noſtris Duces octo ſupra nonaginta: duo in iis ſupremi; militum millia trecenta, pugnatum, debellati Sinæ, Duces duode-quadraginta periêre, alter ex duobus ſupremis; cæſorum numerus infinitus; capta multa millia; proculcati in fuga, & receptu ad mille, interfecti ex Præfectis Sexcenti; viciniores campo vrbes tres habitatoribus vacuas, eodem prælio occuparunt. Ad hæc tàm funeſta conuenimus Colaus & cæteri aulæ iſtius Mandarini, conſulturi vnà de vitando tàm præſenti, & graui periculo. Videtur cœlum, dicere liceat, iratum nobis, pro hoſtibus ſtare, alioquin iis ad tantam noſtrorum non fauiſſet ſtragem, nec primo impetu tres vrbes ſubegiſſent cœlo vindice

47. Admonitio acerrima ad Regem Sin.

id factum & mecum alij obseruant, nec obscurè loquuntur manifesta prodigia. Prouincia hæc Pechinensis, pluuiæ stillam anno proximo non sensit, cuius siccitatis insolentia incredibili stupore mortales siderauit. Vicinam Sciantunensem famis rabies adegit ad fœdandum humanis carnibus macellum. Nanchinensem talparum & murium vbique lues innumerabilis & improuisa infestauit; Pechini duæ de quinque partibus Regij tui palatij conflagrarunt; turbinis glomo vrbem peruolante, dirutæ turres quinque; soles vidimus duos alterum alteri superuenientem, sunt hæc omnia ominosa, sed ominosior ille in palatium, parricidæ, ad occidendum Principem filium ingressus, remque peregerat, nisi repentè occursum malo esset. Quod tamen ad nitas tàm horrendum, clamorem altiùs tulerit Mandarinus, fidelitatis suæ testem, eius fidei præmium accepit quod perduelli sicario debebatur. Eum enim carcere damnasti, frustràque hactenus ad eum liberandum laboratum est à nobis quà nostris precibus, quà innocentiæ illius comprobatione ex quo nobis nimiùm constitit, te neque supplicum nec innocentiæ inculpatæ vllam habere rationem. Fatigatus præterea tot libellis Proregum, dolentium australes, & aquilonares Prouinciæ tributorum oppressas mole in summis versari miseriis, querelis illorum surdas aures perpetuò dedisti. Surdas quoque tuis Mandarinis qui toties supplicarunt, in publicum exires & more maiorum ius diceres, vt regni tui administratio, cœli filium, qualem te dicimus minimè dedeceret. Respondisti enim valerudini tuæ imbecillæ, hyemem non esse idoneam; expectauimus dùm annus miteſceret, primáque noui anni Luna ver primum reueheret. Tunc tantùm abest, vt verbo alicui satisfeceris eorum libellis, quin & acceptos in ignem coniecisti. Sic tuo clausus palatio, edis, bibis, dormis, nihil pensi habens præterea & quæ essent curanda potissimùm non modo negligens, verum neque de iis moneri sustinens; sed ab instantibus atque vrgentibus auertens oculos. Hinc numerus cladium, hinc bella, & cœlum faxit, ne pax omninò nos deserat, quòd minari visus est fluminis finis palatium peruadens dùm pro limpido, vt solet, cruentus apparuit. Sed habet nos magis sollicitos quod ex Prouincia Scianſienſi, tertia Luna huc scribitur, terruisse illos spectrum hominis, veste crocea, pileo viridi, flocco in manibus plumeo passim vociferans. Regnat multos iam annos Vanlié in Sinas, regnandi tamen ignorat artem, manet in palatio, & stertit; perit interea populus mala fame, Duces ferro hostili conciduntur, regnum omne in ruinam præcipitat. Conturbati hominis vocibus Mandarini, & Prorex, frustra mox illum vndique requirunt; ille monitione hac defunctus, videri desiit. Sed vates nimis verax quas pati cœpimus calamitates designauit: denuo igitur etiam atque etiam te oro, moras vt omnes remedij amputes, aperto ærario largis stipendiis exercitum facias, nec modo grassantibus obsistas malis, sed eas celeriter obuiam grauioribus quæ nobis imminent.] Sic Præfes

consilij

consilij bellici, pro ea libertate quam Reipublicæ Mandarini erga Regem vsurpant legum, & regni negligentem quantumuis illum cœli filium nuncupent, idemque Vanlié acerbiùs aliàs perstrictus est à monitoribus Mandarinis, metúque ac minis ab eo abstitit, à quo illum nec iuris, nec boni ratio dimouebat. Subsecutus libellum Præsidis cometes ille ingens trimestri post, Nouemb. 10. anni huius 1618. debus inde quindecim trabs in cœlo ignita, ductáque ex iis Mathematicorum præsagia Sinas tenuere magno terrore attonitos; nec regem latebant qui totus erat in versandis consulendisque prædictionum libris, & Collegij sui Astrologis.

Hoc demùm tàm vario, ac tanto strepitu expergiscitur Vanliè, bellum parat; Martio anni consequentis, aduersus Tartarum, militum educit sexcenta millia, pugnatur passim, dubio interdum, aduerso vt plurimum Marte. Donec totis vtrimque viribus commisso prælio, debellati sunt Sinæ, refertque Vagnonius se audisse, tùm multiplici vexatione, tùm iusto & vltimo prælio ad trecenta millia Sinarum occisa, & in iis florem bellatorum ac Ducum, tantus alios inuasit stupor, vt dictitarent Sinas ab equis Tartarorum vorari, & sorberi vinos. Campi dominus Victor, præda & spoliis immensùm auctus Leaotunensem cepit Metropolim, vrbes duas vicinas, igni dedit; octo fetè Pechino leucis castra posuit; eáque Regem trepidatione, ac rerum omnium desperatione obruit vt cogitaret in oculis populi per mediam vrbem aufugere, & iis metum palàm suum exhibere, quibus nunquam exhibuerat maiestatem. Deterritus est ab eo proposito, quanquam ægrè, ne arx imperij suo Rege orbata desereretur simul à Ciuibus; & eius culpa Tartaro cederet. Tunc versus ad cœlum, Mandarinis mutationem vestium & cultus in luctum; ieiunium omnibus indixit; testatus idem se quoque præstare, & sacrorum ingenti numero parentari militibus voluit quorum in campo iacebant cadauera; inferis animæ torquebantur. Erant Pechini tunc è nostris quinque in varia seiuncti, Saluatoris ædem seruabant fratres duo, cum Riccij sepulchro, quod ab vnguibus Eunuchorum Doctor Paulus prosperè tutatus fuerat. Sacerdotum alterum habebat domi Nazarius è stirpe regia præstantissimus Christianus; alterum cum fratre, insignis armorum Mandarinus. P. Franciscum Sanhiaium Doctor Paulus elegit hospitem, suo prorsus ex ingenio, & ardentissima fictum pietate. Agenti ergo cum illo sæpiùs de sacræ fidei propagatione succurrit animo posse in Coria, seu Coraio spe messis vberrimæ sementem fieri; nec fuit difficile ingeniosæ charitati conficiendi negotij modum inuenire: funesta illa pugna qua profligati sunt à Tartaris Sinæ, cæsa sunt Coriorum millia ferè duodecim sed nemo in fuga, nemo infami à tergo vulnere, omnes aduersis confecti pectoribus, & gradu quem obtinuerant pugnando cecidere. Hinc certò inualuit, ad hoc animi robur si ars accederet, & meditatio campestris militiæ, fore Corios bello Sinis decuplo meliores. Ad

48. Rex Sinar. Vanlié debellatur à Tart.

hoc

hoc Paulus Doctor scripto docet mittendum in Coriam aliquem ex superioribus Mandarinis, qui gentem illam armorum vsui assuefaciat, instúmque ex ea conflet exercitum, qui vnà & Sinis animos faciat, & Tartarorum impetus retundat. Hoc Pauli scripto, nihil potuit plausibiliùs venire, nihil rationum momento solidiùs, nihil inhibendo Sinarum exitio certiùs. Hinc à Præsidibus armorum, supplex conditur ad Regem libellus qui festinato responso consilium probauit, hortátusque est ad iter & præfecit executioni Doctorem Paulum cum extraordinaria potestate. Suam ipse ad hoc detulerat operam, quòd alioqui Mandarinis perinde ferè sit auelli extra Sinas vt extra mundum exulare: noui huius honoris velut misso cœlitùs nuntio, totus in Deum animo effusus singulari se illius munere agnoscit ad regni vnius conuersionem adhiberi: nuntio mox Sambiasium eodem beat, amboque in genua beneficij auctorem reuerentur, & suos illi denuò sudores vitámque adeò in hoc fidei sacrosanctæ obsequium deuouent. Dúmque vasarium tanto Magistratui paratur in externum regnum profecturo, libris ab se partim compositis, partim è Riccio depromptis parat in Coraij primùm, post toto deinceps regno illo Christi nomen, & leges inferre. In procinctu ad discessum stababat, cum grauissimus Consiliarius prudenti suo, sed maligno instinctus dæmone rem omnem discit, Pauli iacturam in Coriam ituri nulla sat in armis Coriorum peritia pensandam fore potiùs in aulam si abesset, vocandum ad securitatem regni, quantò nunc minùs ab aula remouendum: parem consilio, prospicientia, casibus elidendis huic esse neminem. Rebus in ruinam vt erant vergentibus, posse incidere, vt bono exercitu vtilior sit bonus Consiliarius. Non defuturum idoneum alium qui bello Corios assuefaciat, sic peritum ex iis fortemque exercitum præstò Sinis futurum nec defuturum excellentem Consiliarium. His persuasus Rex, mutauit sententiam, Pauli nihilominus illustre meritum dignitate auxit quinque gradibus altiori, etsi contra vsum morémque pugnaret aliquem fortuna omissis gradibus desultim crescere. At is longè acerbiùs doluit præreptam sibi occasionem rei pro Christo eximie gerendæ Sinarum imperio pretiosiorem, quàm repositis pro ea honoribus acquieuit. Sambiasium quoque, vt iacturæ insignis, ita & mœroris socium ex interuersione tanti negotij lugentem consolatus est, expectatione meliorum, quæ assecutus est postea, sed multo leuioris ad salutem hominum momenti. Occurrit hic anno 1613. ad medium Februarij, Nicolaus Trigaultius in Europam missus, quò per necessarias ambages difficillimorum itinerum, sexto tandem vix anno peruenit. Passis in austrum velis & portus Indiæ obiens mercatorum negotiis celebres, applicuit Bandaram, seu portum Bassium, in Sinus Persici faucibus, è regione Ormuzij situm. Illinc terra Bassorum Persidis delatus coactus est Euphratem radere, Bagadad, & Massiul attigit quas Babiloniam veterem & Niniuem aiunt. Inde se in deserta Petreæ Arabiæ immisit, quibus dierum

49. Pia Doctoris Pauli industria ad propag. fidem.

49. Disturbatur.

50. Trigaultij iter ex Sin. in Europ. cui bono, vel fœtus

dierum quadraginta itinere traiectis Heliopolim venit, nunc vulgò Alepum in Syria, tùm Alexandretam seu Scandronam ex qua mari Mediterraneo Hydruntem appulsus percursa Gallia Germania, & Hispania, Indicam nauigationem Vlissypone iterauit Aprilis sexto & decimo anni 1618. equidem tunc eram, sæpiùs infelicem, semper ancipitem, ob statas ventorum periodos qui tardiores ad discessum naues aut medio in cursu deserunt, aut compellunt, rasa inter insulam S. Laurentij & Africam ora in Mozambico hyemare, infestissimo Europæis cœlo, quanquam nec eò vsque distulit lues quædam naues in nosocomia totidem vertere, quarum altera, è nostris in Sinas duos & viginti; duodecim altera in Iaponiam vehebat. Vix oram Africæ bimestri legerant cum pestis illa repentè se fundens lethales statim notas in contactis prodebat. Paucos præteriit immunes, in quibus ipse Trigaultius tunc solùm decubuit cùm valere alij cœperunt, & virium robore morbum denique expugnauit; ex iis quos secum ducebat quinque non integro dierum tredecim spatio in mari sepeliuit. Hoc societatis homines tributum annuum persoluunt Oceano, seu Deo potiùs, eiusque gloriæ cuius in iis studium tàm certa pericula adeò non retardant, vt è contrario apud Generalem multorum annorum ambitu ea sibi deposcant, & quidem iuuenes non è triuio lecti, sed iis instructi dotibus, quæ sint muneri tanto pares. Neque aleæ ignari quam subeunt, certè vel ex quo dominum Lusitania mutauit ex decem & septem qui portu soluerant; nouem iter consumpsit. Paucis deinceps annis ex vndequadraginta, mare viginti sepeliuit. Nouemdecim antea Vlyssipone conscenderant, Ex iis præter tres semiuiuos nemo Indias attigit. Philippus Trigaultius Nicolai frater, paulò quàm applicuisset Goam interiit. Sed quinarium illum quem mari sepultum diximus magnoperè illustrat P. Paulus Cauallina, patria Bononiensis, Italus natione, Mathematicis excellens, sed gradu virtutis excelsior: Deo in Indias vocanti, obtemperauit ægrè ac timidè, vt peruincendi metus difficultas obedientiæ præmium augeret. Reputabat animo se in itinere morituram, nec satis capiebat cui bono Italiam sua operâ priuaret, non collaturus eam in Indias. Exagitauitque hic illum timor quoad extra Europam nauigauit; aliunde apud se statuebat, parendum omninò vocanti se Deo seu victurum inter Indos, seu viuendi finem in mari facturum. Et verò fortiter paruit, fuitque valentior animus ad vindicandam sibi pugnantem naturam quam ad deprimendum animum natura, quam illi de se victoriam arduam pensauit Deus (quo ferè assolet) suauissimo tùm desiderio moriendi, tùm eius desiderij cumulo, morte videlicet, præter magnanimam obedientiam, charitatis merito quæsita, & insigni: consolabatur iacentem Trigaultius quod non videretur eius morbus vti aliorum pestifer, & lethalis. Cui Paulus futuri conscius, cuiusmodi cúmque sit morbus, inquit, certo moriar, quod tàm hilari animo affirmauit vt rogandum putarit Trigaultius vnde id

LI. Petri Cauallinæ illustris obitus.

tàm certum haberet, data fide secreti respondit, se cum P. Terentium cerneret ex lue mortifera conclamatum, vitam suam Deo pro illius vita magno desiderio despondisse, scire se ratum à Deo habitum id votum; cæterum immensas debere se Deo gratias, quod se hominem nihili tanto viro succidaneum admisisset, qui magno præ se intervallo futurus erat vtilior, nec Trigaultio scitanti quicquam præterea retulit, sed sexto quàm ægrotarat die obiit, scripsitque Trigaultius vidisse neminem tàm certa proximæ salutis fiducia gestientem: animam agenti, & intercluſa iam voce, Trigaultius quo recreaturus illum esset probè gnarus, in aurem illi tacitè iubilum D. Bernardi succinuit. *Iesu dulcis memoria, &c.* At is tàm dulci excitus nomine, collecta vt potuit voce, sic vt audiretur canens, & moriens secutus est canentem. Vitam huic socij Sinensis expeditionis, acceptam retulerunt; oraturum enim se pro extinguenda lue receperat, & nuncupatum ab iis votum quoddam S. Xauerio oblaturum. Eius itaque morte, desierunt mori, & itineris reliquum sani peregerunt: ac promontorium quidem bonæ spei Iulij 25. aggressi sunt, sed ante diem Octobris quartum Goam non licuit tangere, vbi relictis qui studia nondum absoluerant, cum aliis Macaum anno sæculi nono & decimo vertente applicuit. Præcurrerat aduentum eius fama, & optatissimus afflictis comparuit, vim enim donorum pretiosam, & ingentem vehebat à Principibus Christianis Sinarum Imperatore dignam, horarias præsertim machinas, libros, & tabulas, (omnia labor exquisitæ manus) quæ annis abhinc denique non paucis magno Christianæ rei compendio Regi oblata videbimus. Attulit quoque sacras reliquias, & supellectilem altarium splendidam; eius quo potissimùm egebant nostri spes magis quàm aliquid ratum & liquidum, commeatus nimirùm ad sustentationem operarum. Ad hæc multa prærogatiui iuris, quædam speciosa magis quàm necessaria, quæ Inspector & præpositus Prouinciæ questi sunt in Europam ab eo impetrata; longè grauiùs expostulaturi, si angustæ illi Ecclesiæ, ac prope quotidie vacillanti, quod per eum non stetit, secum duxisset Episcopum, quem nec potuisset in Sinas inducere, & nostros omnes apud gentem lege ac natura exteris inimicam, in discrimen vltimum coniecisset. Euicit quidem vt ab Iaponia distracti Sinæ, Viceprouinciæ nomine per se regerentur, cùm præter duodecim socios, paucas sedes, nullum Collegium haberent, nisi erepta Iaponiæ Macaum iis tribueretur. Hæc ab Aquauiua cadente iam senio concessit, successor Vitelleschus ex reuerentia rescindere noluit, sed cauit ne inter Sinas, & Iapones, nostri mutuis inuicem necessariò apti, fulciendique præsidiis aliquid caperent detrimenti, si duobus subessent Præpositis. Quare decreuit vtrobique, seorsum singulis fore ius suum integrum regendi, sed ab vno tantùm Inspectore, seu Visitatore Prouinciæ suspensum. Facultate præterea sacri recto capite celebrandi diu expetita, tanti dignitatem mysterij à vulgi contemptu vindicauit. Sinis enim

præterquam

præterquam quod deformis est nuda crinium structura ; etiam caput aperire vile habetur, & rusticum. Hanc à Paulo quinto Trigaultius, facultatem breui diplomate reportauit anno 1615. vigesimo Martij à sacris quæsitoribus condito. Verum ea lege ne vulgari pileo vterentur, sed quo soliti essent in sacris pulpitis : aut qui alioqui haberet aliquid maiestatis. Postremo nostris indulsit Pontifex vt idiomate Sinensi diuinos codices redderent, non plebeio illo, & omnibus noto, sed Literatis peculiari, & proprio, támque diligenter, & religiosè non modo vt sensuum interpretatio textui, sed verba etiam quoad fieri posset responderent. Verum qui præerant, opus haud ita necessarium laboris tamen adeò lubrici, diuturni, & ardui Patrum nemini credendum iudicarunt quantumuis in ea Literatorum lingua plus annis triginta versato, imò quod Sinensibus dabatur ad sacros ordines promouendis vt possent eodem sermone ad aram vti, administrare sacramenta, & pensum officij Ecclesiastici persoluere, non constat vnquam reipsa vsurpatum ; his ad initium anni 1620. narratis, qui nouum imperio Regem dedit priusquam de illo, & conuersione Reipublicæ agamus, reuisendus est nobis in Cocincina Buzomius illius conditor expeditionis, quem illic ante quinquennium, magnas gerentem expectationes reliquimus.

Ac principio quidem fluebant illi omnia ex voto magnis ethnicorum accessionibus ad Christum, formabátque is suos Neophytos ad eam animi & morum sanctitatem quæ esse aliis censura posset. Et erat hæc odij causa, quo illum tacitè prosequebantur Onsaij sacrificuli idolorum, post fundata præcipuè templa duo, quibus construendis larga Christianorum magnificentia, & in frequentandis egregia pietas eorum oculos acerbè perstrinxit. Sed eorum furorem occultum premebat Buzonij gratia apud Regem, qui adeuntem non modo humaniter & honorificè, verbis, & muneribus ornarat, sed amplam illi fecerat potestatem, Christum prædicandi ædificandi templa, Christianorum numerum absque numero augendi. Quibus Macai auditis mittitur qui ea exploret ; additur eunti Sacerdos alius Franciscus Pinna operam ibidem Buzomio iuncturus. Pinnæ secundus, & florens ad animarum salutem aditus primis diebus mirificè blanditur, sed tanta paulò post tempestas ingruit, vt tantumnon perderet funditus quicquid antea partum erat. Cocincinam quod pridem scripsimus, vt Ægyptum Nilus, statæ quotannis ingentes pluuiæ, & fluminum ex iis immensæ restagnationes, vbertim fœcundant. Verum huius æui annus decimus septimus, pertinacissimo sereno, ita eam fefellit expectationem, vt ne stilla quidem, cœlo velut irato & æneo flueret, excluságue serendi copia, certa toti regno instaret fames. Huic auertendæ, cum sacris nefandis, fatigatos Deos, cœlúmque Bonzij non mollirent, mali causam inter se, non errantem naturam, aut elementa deuia esse statuerunt, sed scelus, cuius spreta, deserta, profligata, patriorum Deorum maiestas pœnam repeteret ; proin nullo eos posse piaculo efficaciùs placari quàm Patrum

51. Siccitas cœli Christianis imputatur.

sanguine, qui legem inuecherét horum magistram sacrilegiorum. Sed quò mitiùs ageretur, & Rege inoffenso cui erat Bózomius in paucis gratiosus, rem esse per populum tentandam annonæ desperatione incipientem iam furere. Concitatus itaque populus fremere, concurrere ad fores palatij, vociferari magnis clamoribus & Patrum exilium flagitare, ad placandam eorum expulsione deorum iram; & Regi repetitis nuntiis turbas discutere conanti repetito & ipsi vlulatu, minari sibi violentas manus, nisi annueret, sibi enim esse tolerabiliùs voluntario laqueo semel interire quàm fame diuturna quotidie: denique Regem expugnarunt. Patres humanissimè per suos admonet, si se diligerent vt eos ipse vicissim amabat, redderent hanc suo amori vicem, necessitati cederent tantisper, post biennium redirent; se libentissimè illos recepturum, nec fieri aliud in præsens potuit ne insanienti vulgò obiiceretur Regis caput.

Portum adeunt, discessum parant, nauim quærunt, sed frustra. Aliquantò priùs omnes abierant, & flabant tunc venti lege immobili quadrimestres, vela facturis planè contrarij. Hac tamen Patrum comparatione ad discessum placatus populus, perinde ab iis metuere desiit vt si extra Cocincinam essent. Hæsere interea inter vigulta lacunosa, & aquis residibus putrida, ex quo factum vt soli paludosi, & cœli æstuosissimi afflatu omnes ad mortem ægrotarent, nec vllis precibus exorari se passi sunt ethnici vt curandi in vrbem referrentur, imo apud illos Christiani partitis horis excubarunt, ne quod maximè timebatur eorum obitum ferro præuerterent ethnici: quo tempore duo contigere quæ acerbissimo dolore, Patrum auxere miserias. Alterum prospectus flammarum quibus templum Turoni ardebat, Bonziorum suasu à plebe incensum. Alterum inductæ magicis cantibus pluuiæ sacrilegum, & detestandum miraculum Osaij cuiusdam meritis attributum, prodibat is sua ex eremo vt cruciabilis vitæ suæ ostentatione vulgi captaret admirationem; fortassis etiam, insignem gloriam adepturus, si quod Bonzij omnes, piaculis omnibus, votisque in cassum contenderant ipse vno verbo, imperans, magis quam impetrans de cœlo extorqueret. Conscendit ergo dicta die in montem populo comitante, suas immurmurat impias cantiones, stipatur cœlum grauidis nubibus, eáque mox copia pluit quæ vitandæ fami abundè succurreret: hinc omnes certatim acclamare, vestes & vestigia lambere, triumphantem in vrbem inducere. Rex ipse secum habere voluit inquilinum, & regali munificentia excepit, insultantibus ethnicis Christianorum imbecillitati, qui ab suo illo cœli Domino quem Patres iactabant Deorum omnium potentem; aquæ gutram non valuissent exprimere, Onsaiu vir sanctus pluuia affluenti dicto citiùs exorata regnum vniuersum recreasset. Quæ sibi toties exprobrari cum Christiani ægrè indignantérque ferrent, matrona præcipuæ in illa Ecclesia virtutis dolentes consolata, prædixit non diu fore cùm pro-

53. Magus pluuiam ciet.

deretur

deretur Osaij Bonzij scelerata simulatio, eiúsque probro fœdata concideret omnis illa ethnicorum iactantia: & vero in aula flagitiosus sycophanta familiarius agens cum feminis quas sermonis, & oris gratitate fecerat minùs cautas, vnam ex secundariis Reginis, deperiit, tandemque constuprauit; & solemni damnatus iudicio defossus est viuus. Hinc versæ in ethnicos vices, requiritare ex iis Christiani satin' perciperent cuiusmodi esset venefici sanctitas ex qua imber subitus fluxisset; & ad omnem occursum vel solo aspectu rubore suffundere. Paulò ante quàm hæc euenirent Deus in hospitium commodum ex illis paludosis, & lethalibus lacunis Patres collegerat. Pergebat in aulam, Pulocambis Prouinciæ præfectus, qui ex itinere audito Patrum exilio, & calamitosa statione in qua ventos Macaum opperiebantur, misit qui nummos decem ad Buzomium ferret, ad quem intimè afficiebatur, & polliceretur se sua triremi Pulocambim vecturum, daturum illi fabricando templo solum gratuitum, & legis diuinæ propagandæ liberam facultatem. Sed promissi moras anteuertunt Iapones Christiani, Patres per obscurum noctis silentium subductos Faifum deportant, rebúsque oportunis liberalissimè consolantur non absque ingenti vicissim præmio, singulari nimirum in omnibus vitæ ac morum emendatione. Faifi partem Sinenses incolunt, Iapones alteram sed suis vtrique legibus: eius vrbis Præfectus, correctione illa morum iucundissimè affectus, de illius auctore tam multa magnificè Turoni audiuit, non modo vt is Patres intra Cocincinam vltro retineret, sed rogaret etiam Præfectum Pulocambi ne in Prouinciam reuertens illos sibi vbique eriperet, cui tanto emolumento essent; sic demum amica lis dirempta, vt Pinna Turoni remaneret, Pulocambim Buzomius cum fratre Dias & Augustino Catechista peterent, nouæ Christianitatis semina iacturi. Est vero Pulocambis sonátque Malaio sermone caprarum insula: sic illam vocarunt Lusitani; quod capræ figuram repræsenter, in Cocincinæ extremis, ad austrum sita est, & iuncta Ranrano, Ciampæ regno confinia statuit. Vrbs eius primaria Nuocman, illic Prouinciæ Præfectus Pinnam omni per mensem integrum comitate amicissimè recreatum, elephanto sublimem imposuit illustri cinctum comitatu, vt possessionem iniret soli, quod illi ad domum construendam, & ponendum vero Deo templum liberaliter donabat. Inter hæc Macao Lusitani primis vsi reducis anni ventis, Petrum Marchezium pro Sacerdote, Christophorum Borro pro nauita in Cocincinam secum aduexerant, occupaturos Buzomij vices quem erant Macaum curationis gratia reuecturi, cùm aut fortuitò naturæ aut Dei miraculo repentè curatus est coëunte absque vllo remedio absessu pectoris quo laborauerat, nolente opinor vineæ Domino tot eius sudoribus cultæ, aliis eam manibus credere, qui vero illi subsidio venerant quantumvis habitu simulati, agniti tamen sunt, primámque in rabiem Bonzios, & populum agebant, nisi opportunè imbres copiosi totam mersissent regionem: sua

54. Nouæ per Cocinc. missiones.

enim quisque tunc ad negotia & hilaritates adiiciens animum furere desiit, didicitque aduentum Patrum haudquaquam siccitate à ciis ratis vindicari ; sed à vero Deo optatis pluuiis fortunari, cœlo donec appellerent suspenso, ad eorum appulsum cogente mox nubes, & vbertim profundente. Quæ ratio perceptu facili, non omnem tantùm de Patribus Regi exemit dubitationem, sed fecit etiam illi cariores. Et quia metuerat ne Lusitani mercatores eorum offensi exilio, suis portubus abstinerent, maiorem in modum gauisus est conspecta naui quæ Patres aduexerat, eiúsque Præfecto viro piissimo insinuauit vsum commercij mutui non fore perpetuum, nisi Patres liceret habere comites nauigationis, & deprædicanti eorum merita; respondit fore sibi gratissimos ; visendi officium vltro iis oblatum, benigne admisit, & coram duritiem qua præter illorum merita, suámque in illos beneuolentiam vsus fuerat anno præcedente partim excusauit, partim etiam culpauit ; verum plenissima satisfactione deletam voluit eius memoriam statione scilicet in regno firma, facultate prolixa ædificandi cum domo templi, & Euangelij prædicandi, quàm plurimos possent initiandi sacris Christianis, optandi denique si quid ab se peæterea cuperent, sed concessis abundè contentos humanissimè dimisit. Hinc Buzomius Nuoemam reuersus dùm cœpta promouet fundatæ Christianitatis, & duos recens aduectos comites, instruendos curat Cocincinensi lingua, orbatur illo tàm sibi addicto, vrbis eius Præfecto quem repentina mors, seu morbo seu venæno ictum, vt tetigit abstulit. Cauit sapiens Deus ne incrementa legis Christianæ & ruinas idolorum, vnius hominis fauori tribuerent ethnici. Mense Iulio superioris anni pompam instaurarat, qua inuectos elephantis Patres domum miserat adeundam, quam sibi non pridem constructam iis donauerat; sportulam ex aula perpetuam accipiebant ab eo in mensis singulos ; gaudebat audire illorum pater, quod illic tantum est amoris tamque insolens pignus, nihil vt posset ex eo desiderari maius, nisi vt fieret Christianus: quòd autem illic error communis sit, vna functos, mortalium cura, iucundè aut secus affici, redireque ad suos, & illatis morborum, inopiæ, funerum, aliisque calamitatibus pœnas à filiis vxore & nepotibus exigere, si quid de annuo exequiarum ritu neglexerint, vel intercepta quæ inchoauerant, & perficere auebant opera, non sategerint optato sibi fine absoluere ; ob hæc Ondelinus defuncti Præfecti natorum maximus, vt paternos manes sibi totique familiæ haberet propitios, in patris erga nos beneuolentia, amore tùm ipse, tùm fratres, & propinqui omnes stetere immobiles. Quantum Ondelinus iam per se illos summè diligebat, & suspiciebat Buzomium maximè, iisque se dederat in fratrem ; quod parens, aiebat dùm viueret, dici pater illorum annuisset. Huius verò amoris specimen primum dedit, cùm patris obitum improuisum iis haud minùs quàm ipsi luctuosum acerbè dolentibus, egit officij gratiam, confir-

55. Mortuos vltisci viuorũ iniurias.

mauitque,

mauitque, se viuo nihil vnquam desideraturos, quod potuissent à patre obtinere; ad extremum duobus elephantis splendidè phaleratis, magna stipatorum frequentia remisit domum, quo genere honoris, & beneuolentiæ argumento, nostrorum sedes euasit firmior, & fidei sacræ authoritas venerabilior. Dùm verò illic Pinna, & Borro linguam discunt, eandémque perficit ac polit Buzomius; Marchesius Faifi Iaponum saluti acriter insudat fratre Socio eiusdem nationis, erat enim Iaponibus incolis vrbs frequens, aduenásque interdum ad mille numerabat quos annuæ ad quæstum excibant nundinæ. In iis ethnici complures; multi apostatæ, quos tyranni metus in desertionem præcipites egerat; reliqui baptismum, & fidem retinentes, cætera ethnicis prope pares, periuri, quæstuum iniquorum, & concubinarum amoribus perditi, quodque Iaponibus generositatis deprauatæ vitium est familiare nimis & proprium, vindictæ implacabiliter appetentes. Morborum tot támque grauium curatio sedula duorum qui Faifi erant laborem industrium fatigauit, postea etiam aliorum, quos Deifusamæ crudelis impietas idcircò exilio damnarat, vt exularet cum iis è Iaponiæ Christi fides. Redibant ex iis subinde Faifum cum Macaensibus Lusitanis, vt vario schemate personati, mercatorum, militum, nautarum, penetrarent se in Iaponiam ignoti; ventos illuc, & naues dùm præstolarentur, Iaponibus Faifi sese strenué commodabant, eóque libentiùs & fructu maiori, quo erant in eorum lingua apprimè versati. Templum ergo imprimis Faifi positum, habitæ conciones, malis præsentibus sanandis appositæ, reuixit emortua multorum pietas, excitati sunt ab infami lethargo, religiosi sensus vitæ innocentis quàm in Iaponia sub Patrum exegerant disciplina, redibant ad mentem desertores, & multis cum lachrimis, cognatáque Iaponij animi celsitate sistebant se Patribus: haud tamen ante Sanctorum cœtui restituebantur, quam eruditentur denuò fidei rudimentis, tametsi Iapones non tàm ignoratio diuinorum, quàm calamitatum metus, & tormentorum atrocitas deiiciebat ex gradu fortitudinis Christianæ. Vniuersis demùm integrè persanandis ita est consultum, vt se Faifus ab ea quæ fuerat planè dissimilem gaudens miraretur, ethnicorum verò qui ex Iaponia Faifam commeant, quadraginta solenni baptismo lustrati sunt, & summus nauium Præfectus quæ anno sæculi decimo nono appulerant Regem adiens Cocincinæ, immortales ipsi testatus est gratias, Iaponiensis Ecclesiæ nomine, ob impensum Patribus amorem, susceperitque se, & omnes Lusitanos fore illi omnium debitores quæ Patrum causa præstare dignaretur. Perspecta inde nostrorum paupertate, quæ rerum omnium egena, nihil à quoquam rogabat subsidij; per se ipse ab inferioribus Præfectis ipsisque adeò ab idololatris corrogauit iis largam stipem, ad quam etiam Sinarum illic gubernator se benignissimum præbuit. Huius anni fructum solito pleniorem, auxit magno prouentu iubilæi sacri denuntiatio, cuius beneficio fruituri, per infestissimos typhones, Taifum plurimi concurrerunt,

§6. Faifi Iapones strenuè iuuantur.

57. Legatio Macaensis ad Regem Cocinc. fructuosa.

concurrerunt, dùm in Iaponia tyrannus Christianos exscindere modis omnibus conabatur, & clarum suæ virtutis specimen Faifensibus reliquerunt. Accessit huic rerum faustitati, solennis ad Regem legatio quam Lusitanorum Macaensium religiosis studiis adornatam, & magnificentia donorum splendidam iidem obiere Lusitani: huius summa erat; Patrum commendatio singularis, & Christianismi, cuius proseminandi labor, haud alio in ipsis calebat ambitu, quàm eius populorum salute sempiterna. Id sibi Rex & planè perspectum fassus est, & summè gratum; culpæ item seipsum damnauit pellendis è regno Patribus, ob soli siccitatem falsò iis tributam; Deum cœli iurauit, nunquam in posterum, cuiquam se aures contra nos daturum; iámque se filio Principi, & locorum Præfectis mandasse, nostri gererent curam, & nobis fauerent, vt quos ipse haberet carissimos; post quæ Patres duos legati comites, iussit proximos throno considere, quod honoris genus dei seruis, flocci erat futurum, nisi magnum hinc pondus accessisset eorum laboribus, ad vrgenda nouæ illius Ecclesiæ incrementa. Aderant enim nouum annum Regi felicem optaturi, regni proceres omnes quibus ille Regi tam familiaris, & vicinus consessus, tacitum erat Imperium obseruandi, iuuandi, & tuendi, quos illa Rex tàm peculiari beneuolentia dignabatur. Honorificè tandem, & perhumaniter dimissos, secutum est ab Regina munus, amplus ex serico & solidus pannus, quòd essent, aiebat pauperes & satis miserè à vestibus parati; cessit nihilominus is pannus ad vestem altaris haud multo meliùs ornati: Regis donum fuit ipsius manu (quod rarissimum est) subscriptum diploma quo fiebat ipsis libera potestas, vbicúmque regni lubitum iis foret habitandi, & pœnis grauibus subdebantur quicumque titulo peregrinitatis placidam in regno mansionem iis contenderent, vel molestiæ aliquid inferrent: hoc tuti, lætique munere Faifum reuertuntur, vtque mos est priuilegiariis, diploma Regium foribus appendunt, magna ethnicorum admiratione, & pari Christianorum plausu. Repetamus nunc Sinas, tres Imperatores, trium mensium spatio visuri; duos sepulchro iam conditos; tertium suo in solio sublimem: ille quem toto huius historiæ decursu memoraui Vanlie, rerum potitus per annos à puero vndequinquaginta, hoc tandem viuere desiit, dolore vt fertur amissæ matris, & vxoris, neque immeritò vt qui publicis calamitatibus nihil mouebatur, priuatis interiret, & qui suos tributis premebat violentius quàm armis Tartari, ex magnitudine doloris proprij, sentire vel serò disceret communes. Matre igitur, & vxore hoc est sui dimidio orbatus sensim contabuit; ab ineunte interin Iulio ad Augusti finem, exhibere se tandem hominem, & Regem cœpit dùm supremorum tribunalium accitis præsidibus expulsionem Tartarorum extra Sinas enixè iis inculcauit, & ciuilium Præfectorum cum militaribus concordiam magno publicæ rei detrimento simultatibus laborantem. Aduocato deinde filio natu primo philosophatus

losophatus est de inanitate rerum caducarum, nec esse in iis felicitatem reponendam quibus denique tempus finem imponeret, cuius vanitatis seipse tunc in exemplum dabat: porrò Imperium regnorum quindecim cuius illum hæredem relinquebat, quanto maius, tanto grauiori pondere ferentem premere, ac dubitare se plusne inde honoris & commodi quàm molestiarum hausisset. Tum versus contra se anteactæ vitæ damnauit pessimam rationem, & infelicis gubernationis exosam populis prauitatem, quàm se tunc fruftra dolebat agnoscere, cum posset tantùm dolere præterita, emendare per tempus non liceret: consolari se tamen quod eum relinqueret Regni sui hæredem non exempli; nec aliud, inquit, æquè abs te curari percupio, quàm vt via insistas viuendi, ac regendi, viæ quam tenui prorsus opposita, quò vel Sinis planè animo excidat tàm improbi Patris Imperium; vel tàm præclaro filio successore mihi gratulentur; paulo post, suprema effatus verba efflauit animam. Pridem enim ritibus sepulturæ quos seruari vellet, rebúsque aliis, testamento prouidè cauerat. Princeps fuit Imperio dignus nisi regnum suum auaritia inexpleta, otij fœditate, & segnitie infamasset, quanquam hæc vtcumque virili prudentia duæ feminæ supplebant, increpabántque subinde, ista virum amoris fiducia; hæc filium auctoritate matris. Testamenti eius pars maxima longam continebat tyrannidis suæ accusationem censebátque ipse sua distinctè scelera, & Prouinciarum expilationes, quibus successorem satisfacere volebat. Ærarium iubebat pandi, suffici ex patrimonio regio belli neruum in stipendia militum; Præfectis armorum in pugna cæsis, honores funeris, & sepulchri; suffragiorum vero leuamenta eorum animis inter cruciatus apud inferos detentis: vxoribus viduis & pupillis è fisco alimenta: breues mihi, subdebat soluantur exequiæ, dies ad summum septem & viginti non excedant; nec ad eas de more Proreges conueniant, nec supremi armorum, & literarum Mandarini, nec vbicumque sunt, funebribus nisi per triduum vtantur quo item spatio suas concludant comploratione. Hic finis Vanlié Sinarum Monarchæ, cuius Imperio Matthæus Riccius Christi fidem post tot secula intulit rediuiuam, quam ipse Vanlié neglectim, & promiscuè habuit; permissam aliquamdiu, deniqne expulit. Sequitur locandus in solio Vanlié successor. Haud scio plus possint grauitatis simul & leuitatis Sinenses præferre, alias sapientissimi, quàm in admittendis honoribus, in quibus tamen beatitatis apicem statuunt. Iis improbo ambitu, & arte qualibet prensatis, demumque ex aula impetratis, grauari se cum magno fastidio simulant, excusant priuatam quietem, otia studiorum, curas domesticas, & ab amicis & agnatis, nihil non agi, moueri, dici gaudent vt adigantur ad eas dignitates, quarum desiderio effræni, & cupiditate impotentissima vruntur, vincunt ad vltimum amicorum preces, & studia, vinci ardentem, & repudiati fictè Magistratus, moras breues tàm impatien-

58. Vanitas Sinarum contemptum honoris simulantium quem insanè appetunt.

ter quàm dissimulatè sustinentem ; sed amicis tanto molimine iam fractis ita se permittit , vt contestetur vim sibi fieri , dum videri vult ab eo abhorrere , quod reipsa ad insaniam deperit, nempe vt virum se ingentis animi , seipso contentum , & sua virtute , reliqua omnia , ex mentis suæ arce despectantem ostentet , & quod idem est apud Sinas magnificè simulet. Verum hanc fabulam ludit haud pàrlo magnificentiùs nouorum Regum inauguratio. Adsunt Colai & Præsides , Regi nouo supplices procidunt , regnandi cupidine flagrantem, obsecrant dignetur labans Imperium fulcire ; is velut improuiso percussus nuntio , negat obfirmatè tanto se ponderi ferendo parem , quod certò nec velit minui , nec auferri : certatur verbis & precibus , cunctatur dies. Scrutantur Astrologi , punctum temporis ominatum , ad imponendum illi diadema ; Rituum Tribunal nomen ei cudit duorum characterum , tantò illustriùs quantò rerum gestarum tempora non ab Imperij aut seculi ortu , sed à primo tantùm regnantis anno ac nomine computantur; Augusti decimo octauo coronatur cum sol medios æstus diei accenderet quem ei articulum pro felicissimo Mathematicorum ars vana legerat , paternorum enim annorum numerum , dierum suorum numero non æquauit , fefellitque pariter Taician nomen , quam ei appellationem Rituum Præsides fabricarant sonabátque apud nos diuturnum florere. At is corona insignitus sesquimensem vix integrum cùm floruisset emarcuit ; venæno vt fama est sublatus. Lutere illum Sinæ non fictis lachrimis , vt qui paucis diebus magnas sui mouisset expectationes , speraretúrque periclitantibus ne periret, iis præsidijs succursurus , quæ post eius mortem nemo tulit. Coronam imperij non plus octiduo suscipere distulit annorum sedecim ipsius filius , Tienchi , hoc est cœlum apertum nominatus , qui breue solum regni octennium huic historiæ suggeret.

59. Nouus Rex inauguratur.

Primis regni eius duobus annis , æui nempe huius vigesimo & vigesimo primo , magnum sibi res Christianorum spondebant incrementum nisi Pauli Doctoris sanctum & sapiens inuentum , tyranni Scintebies disturbassent. Præerat Paulus lanistis & ducibus , Sinenses militis aduersus Tartaros ad bellum fingentibus. Officij huius opportunitate prudenter censuit posse Patres non modo in publicum (latebant enim qui exilium vitarant) sed in Regis quoque restitui gratiam regnóque tàm necessarios probari , vt nullius deinceps potestati essent obnoxij. Cogitabat ergo machinas bellicas , & peritos earum libratores à Lusitanis mutuo petere , cum iis Patres , quàm possent plurimi venturos , nec aliud exigi vt ea in arte docti crederentur , nisi vt scirentur fuisse Riccij comites , quem opinione omnium , nihil machinarum bello vtilium latuisset. Tanti negotij , & peregrinorum etiam armatorum metu tàm lubrici , censuram expetiit ab amicis duobus , Michaële , & Leone Doctoribus , qui tunc Hanceí morabantur; consilium probant , ex communi assensu Michaël & Paulus Ma-

60. Sinæ à Lusit. auxilia petunt & PP. Machin petitos , Legationesillustri.

cauus

caum excurrunt; vbi mox Paulus grauiter ægrotauit, iámque animam acturus Patronæ optimæ Deiparæ Virgini exitum commendabat cuius præ oculis habebat iconem. At hic imminenti clarissimi comitis iactura vehementer afflictus Michaël, faculas cereas coram imagine Virginis accendit, procumbit in genua, orat duarum horarum spatio, & lachrimis pluribus quàm verbis, vitam illi precatur; inter quæ, post ea retulit moribundus sibi magna in luce cœli Reginam adstitisse, cum Angelorum etiam famulatu, & vocem auditam iubentis æquo animo esse, nec enim morbum hunc fore lethalem. Viso abscedente putauit Paulus Michaëlem qui aderat, eius fuisse participem, & incipiens cum illo veluti conscio de maiestate Virginis agere, & pulchertima specie obsequentium & Angelorum, miratur se non intelligi, nec potest ipse sat intelligere visam sibi Reginam Deiparam, nondum ad sacram Eucharistiam admisso, Michaëli admisso, & præsenti non visam. Cœterùm eius spectaculi copiam esse sibi vita quam eo receperat pretiosiorem; quod ne fortè visum existimaretur imaginosi ægrotantis, posthidie Medicus sanum reperit, & valentem. Lætus singulari parentis optimæ in Paulum beneficentia Michaël, simul doluit vehementer se quoque pariter beato aspectu non esse dignatam, statuitque illum quocumque tandem labore promereri. Ducere igitur ieiunando & orando dies; noctes humi iacere, & in iis durare, quoad sensit sibi nescio quid interiùs suggeri, & sonare, monito simili quo Apostolum Thomam Christus correxerat. Beati qui non viderunt & crediderunt; præter quod nihil ausus vlterius petere, etiam cupere desiit. Legatorum pietas insigne.

Audita Macaensis Doctoris Pauli postulatione, tametsi Batauos Fitandi Iaponiæ portu parare contra se classem validam accepissent, magno tamen plurium consensu tormenta bellica quatuor Sinarum Regi dono mittunt cum libratoribus totidem, qui sunt nihilominus ingressu prohibiti à Quanceensibus Mandarinis Prouinciæ Cantonensis. Dici non potest donum, quanti Rex fecerit, quantáque voluntate Michaëlem & Paulum qui peruehendum curauerant Mandarinos crearit, & in hoc omni negotio legatos, quàm præterea nobili, & fideli fama dedocti sint Sinæ, malè sibi timere à Macaensibus tanquam ab hostibus, quorum toto regno ab austro ad Septentrionem munus spectauerant; velut pignus maioris, & prouinoris auxilij, cum belli expectatione minus premerentur. Secutus est hanc famam Præfecti Lobi Sarmienti ex Iaponia reditus, vulgatúmque eodem authore, nihil esse à Batauis, quòd nihil possent, timendum, quamobrem statim Senatus consulto, Lusitani centum splendidè armati, pari numero serui, & alij milites, Sinarum Regi auxiliatores decernuntur. Ducendos suscipit Laurentius de Cis Vellius, bellum à puero, paterna institutione eximiè doctus, & armorum laude inter Lusitanos clarissimus, quem nec laudis illius, nec lucri amor, ad ancipitem illam, Prouinciam incendit, sed præclarus ardor fidei Christianæ, cui promouendæ

secum erat ductorus, quoscumque de nostris impetrasset, ipsomet Sinarum annuente ac postulante Rege. Quod prodigium nouitatis Leonis Doctoris sapientiæ debebatur; nam belli negotiis aduersus Tartaros Præfectus, persuaserat Regi, in eo rerum, & necessitatis discrimine, Lusitanorum auxilia omninò acciri oportere, & Matthæi Riccij socios. Supplicem Regi pro hac re libellum armorum Senatus probauerat; Rexque ad hoc diploma miserat Macaum, quod subsecuti sunt ab Rege Legati, Paulus & Michaël Mandarini, legationis hujus inopinæ, nec priùs vnquam audita nouitate, splendore solenni, proprij sibi cultus, & magnificentia comitatus, perstricti Ciues præsertim nobiles Lusitani, curiosè mirati, spectare, assectati, omni bonoris officio prosequi; sed illud præ omnibus cum intimo grati animi affectu suspicere atque attendere; Sinarum Regem ad legationem hanc animum induxisse, Legatorum vtrumque esse Christianum, vtrumque tàm cultæ & religiosæ pietatis, vt primum illius specimen vbertim omnibus præ gaudio cieret lachrimas, & eorum laudes qui ad Christum perductos ad eam sanctimoniam formarent. Vrbem enim ingressi Legati, rectà in templum cùm venissent, vix intra limen pedem intulerant, & sacrum altare toto humi corpore prostrati adorarunt, iterarúntque septies eandem adorationem, priusquam se coram altaris crepidine ad precationem componerent; qua peracta regressum ex templo, ritu eodem & numero versus sacrum altare proiecti distinxere; illustri sanè Lusitanis, reuerentiæ documento, locis diuinis exhibendæ; hanc certè Legati edebant adeò sinceram, vt in tota oris, & habitus conformatione, religiosæ mentis pietas legeretur, quam ita feliciter imitati sunt Lusitani vt illo vtrorúmque permoti spectaculo ethnicorum nonnulli Christianis adscribi voluerint. Datur Legatis duobus Senatus; homines decem petunt librandis exercitos machinis, illorum quatuor vicem pleniùs obituros, quos regni aditu prohibuerant Cantonenses. Iis Regem vti velle ad centenas æneas triginta dirigendas ex nauis anglicanæ haud pridem naufragio subductas, ex quo non temerè coniicere liceat machinamenta Sinarum bellica, opus esse aut valdè imbecillum, aut eos librandi peritia carere. Etsi poterant Regi sufficere tormenta noti, & consueti vsus, cum arcu Tartari eminus; acinace cominùs aut lancea pugnent, & equis paulo melioribus quàm Sinæ; sed qui explosionem machinarum non ferant, eóque tonitru consternati, si desit fuga campus sessores excutiant, disiiciant ordines, omnia misceant.

Malignus politicus Scin Lusit. auxilia disturbat.

Restitutis in Regis gratiam Patribus, solenni quin etiam legatione, in aulam vocatis, gratulabantur omnes Christiani, gestiebant præceptis animo, mutationis tàm inopinatæ beatis euentibus, cùm in procinctu summæ faustitatis, turbo repentinus omnia dissipauit. Agebat tyrannus Scin Hancei in patria priuatus; quod imperio nequibat, instabat precibus, vt exterminaret Prorex toto regno Patres; & iniquis

quis admodum oculis cernebat se spreto Doctorem Michaëlem, multos domi ex iis hospites habere. Consolabatur nihilominus solitariam hanc imbecillitatem, semper aliqua vmbra potiundi Magistratus in quo posset, quod vellet; cum ecce tibi ab Rege in Colaum, quæ summa est post Regem dignitas, nominatur. Cúmque sit Sinis tanquam lege sanctum, in eiusmodi prosperis, animum ostentare superiorem vtraque fortuna, Scin gaudio impotens, nec sui iam capax, ea dementis lætitiæ dedit, admisitque prodigia, vt decori omnis immemor videretur: At hæc illi breui planè in oppositum verterunt; viri duo insignes, fideique perspectæ ambitiosum hominem accusant apud Regem; alter Regis ipsius admonitor; alter Scini frater natu primus, & domesticorum spectator scelerum, quæ Regi exponebat. Et erant eiusmodi vtriusque accusationes non modo vt plus satis essent ad abrogandum Scino Colai honorem, sed caput amputandum. Quamobrem Rex diu sustinuit eum ritè in aulam accersere ad assumendas notas collati muneris, nec fas est cuiquam euocationem illam accessu præuertere. At is iussu captato edicti Regij quo redire in aulam regni Administri iubebantur, quos Tartarus imminens in fugam dispersérat, post anni moras iis se se immiscuit, tametsi ex iis non esset, suumque id iter exorsus est à suspicione criminosa quam mouit aduersum Christianos aiens sibi paratas ab iis insidias, & præsidiarios quingentos à Prorege poscens vt se contra illas muniret. Cui dissimulata Prorex eius superbia, itineris pompam, præsidij specie augere molientis, Christianos respondit, esse legum suarum obseruantissimos, quarum vna vetabat omnem cuiusvis iniuriæ vindictam, eóque responso fictum eius metum, & tacitam arrogantiam elusit. Pechini miris de more honoribus dùm illi aduentum, & Colai munus gratulantur supremi Mandarini, nunquam oculos à Paulo amouit, & ex vultu iniquo, & toruo aspectu, nemo non facilè collegit, oportere Paulo esse inimicum qui vellet Colao Scin amicus esse. Nec se huius furor diu continuit, erupere continuò ipsius in Paulum apud Regem sceleste accusationes, ob quas aulæ tumultum, tranquillo secessu vitandum putauit. Nostri ne improuisò tenti, exilio irreuocabili perderent quicquid laborum Sinis impenderant, abdidere se in latebras extra publicum infrequentes, & solis notas Christianis, incerti quò tandem tyranni Scin ira se frangeret, certique nihil iam spetandum, de quinque illis operariis, qui palàm & apertè dati erant militibus comites. Vix enim aulæ inierat limen Scin Colaus, cùm inuehi cœpit aduersus imprudens, & anceps consilium, de accersendis auxilio Lusitanis, & quidem ratione vt ipse iactabat ineluctabili, nam si valent, inquit Lusitani, Tartaros expugnare, multò faciliùs subacturi sunt Sinas, qui expugnantur à Tartaris, vt quid ergo domum, vocetur hostis potentior, ad debiliorem extrudendum. Cædi à Tartaris casus est; aut si culpa, militum culpa est, non nostra qui

præsumus; at nostra planè sit, omníque carens excusatione, si armatos externos induxerimus in aulæ viscera eósque non minus Tartaris, regni huius beati cupidos, & nobis hoc magis formidandos, quod eos plus armis valere confitemur. Narrabat Fratri nostro Pasqualio Mendezio Ie, antiquissimus trium Colaorum, & nostrorum patronus, impressione decies iterata conatum se frustra illum abstrahere ab ea persuasione, institissèque illi, Lusitanos, & Patres machimenta bellica tàm eximiè callentes, fore regno plurimum vsui; nulli autem vel periculo, vel damno; sed hæsisse semper in sententia sua immobilem. Cessit tamen hæc peruicacia commodè Lusitanis, & scilicet ab aula, & Cantonensibus repulsam passi sunt. Iunctis enim paulatim nauibus Batani, iusta classe, aggressi sunt Macaum, eo vtrimque belli Marte quem breui referemus. Ex nostris aliqui Colao Scin quamlibet inuito, ante, postque initum ab eo Magistratum, in regnum penetrarunt. Parabant se pridem ad hoc periculum in Collegio Macaensi ad menses Aprilem & Nouembrem, quibus mensibus Lusitani Quanceum nauigant ad mercaturam Sericorum. Quanceum appulsi Literatos ore habitu sermone assimulant, & per obscuram ac pluuiam noctem, interiora regni captant capitali prorsus discrimine, si forent à custodibus deprehensi, qui calles etiam deuios quos consectabantur, scrutari non omittunt. Bono genio duce illorum oculos euaserunt, aut non sunt agniti pro externis. Manuel Dias Castelblancus Pechinum nauigio peruenit, vbi Sambiasius cum F. Pasqualio Mendez curam gerebat fidelium: neque Sabatinus de Vrsis numero defuisset, nisi Deus hoc ipso seculi anno vicesimo; ætatis quinto & quadragesimo ad mercedem vocasset decennij: perpessionibus malorum constanter exerciti in fundatione Ecclesiæ Pechinensis. Fuit & P. Ioannis Vremani ante aliquot menses non leuis iactura. Hic ortu Dalmata, ingenio eminens, Matheseos in paucis eruditus; quodque omnia præcellit, Apostolici spiritus, suæque haud segniùs virtutis quàm alienæ studio incensus, mortem ipso prope Sinarum in aditu quem diuturnis in Lusitania, & Macai optarat & expectarat votis inuenit. Coactus ima in naui subsidere vt Mandarinorum Quanceensium exploratores lateret acerrimos, nocte quidem parata, lembo se tenui in terram coniecit, sed ex sentinæ in qua latuerat humore, situ graueolentia, frigore, (December enim tunc sæuiebat) eò correptus est euersi stomachi cruciatu, vt Nanciani constiterit, & lento illic mensium quatuor dolore consumptus sit; accurrit opem iacenti laturus ex nostris fratribus Sinensis, & iam non hominem sed exsuccum cadauer, & compagem ossium reperit: vnum illi erat in morbi acerbis remedium audire legentem aliquid de diuinis, & cum Deo loqui, discessu potissimum vicino qui sanctiori hebdomada contigit anno 1621. Hunc eius obitum præcesserat reditus Aluari Semedi ab exilio, & Trigaultij ab vrbe, acceptissimi quidem Literatis ob aduectam secum ex Europa

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ropa librorum copiam, sed generatim omnibus, ob allatam Bellarmini sapientissimi Cardinalis ad Christianos Sinas epistolam, tam sanctam aptámque illorum tempori & conditioni, vt si foret iis officio patet, & præsens expertus quæ boni pastoris sollicitudine egebant. Visus est illis Romæ spectasse diuinitùs, quàm tunc immaniter in Ecclesiam Sinensem debaccharetur tyrannus Scin, computatísque temporibus, in necessariam Epistolæ scriptio cadebat malorum præsentium consolationem. Sed enim videnti, ac vaticinio, nihil opus hic fuit; norat vir, Dei ac diuinorum intelligens, esse adeo solenne Ecclesiarum fundamenta, sine lachrimis, & cruore inter ethnicos non mitti, vt si aliud contingat, miraculo id assignandum sit. Huic Epistolæ ne multi responderent, idcircò Patres obstitere, quod capitale sit incolis literas extra regnum dare. Sed teneri nequiuit Doctor Leo, quin omniũ nomine ad Cardinalem redderet literas quibus inter alia [mirificè suspicit illam eius in Sinas charitatem propriè ac singulariter Christianam, vt quæ minimè ad eos attenderet, velut gentem, natura, moribus, & cœlo externam, & barbaram; sed caram, amabilem & perinde acceptam vt si foret, aiebat, vobiscum vna gens, & vnus sanguis, idque propterea quod idem sit omnibus pater deus, vita eadem, fides, & gratia, paradisus idem, & patria.] Sub hoc fere tempus egere cum Patribus Doctores Leo, Paulus, Michaël, & alij quidam de pilei forma quem adhiberi à Sacerdotibus sacrificij tempore oporteret, ex beneficio priuati iuris à Pontifice concessi. Ne essent iidem cum profanis quos gestant Literati, sed præferrent aliquod arcanum, venerabile, & sacrum, placuit igitur inter multos varij generis, quadratus è nigro serico pileus, palmo altior quàm nostri, fascia prætextus diuersi coloris eleganti, & portarum trium, tribus per singula latera figuris, repræsentante B Ioannis cœlestem, Ierusalem nationibus vndique patentem vniuersis, Apostolorum duodecim præconio in eam vocatis. Hinc huius pilei vsus inualuit, quem mysterij adumbrati intelligentia Christianis fecit gratissimum. Non dabo his annis duobus conuersiones numerosas præcedentium annorum, tametsi de nostris viginti, diuersæ Prouinciæ colonos habuerint, tredecim Sacerdotes, alios Catechistas, at passim baptismo lustrati sunt vix plures sexcentis; quòd per Regis edictum, & Scini tyrannidem, nusquam liceret consistere, aut aliquid nisi clam & extra publicum agere; ac fatebatur Scin Patres homines esse doctrina excellenti, vitæque inculpatæ, sibique id post tam accuratas, & iuridicas quæstiones constare certius quàm cuiuis alteri, procul tamen, & quàm longissimè arcendos, ob doctrinam religionibus auitis inimicam, & amicioti necessitudine suos discipulos & sequaces cum externis iungentem. Nulla erat tunc nostris toto regno sedes; nulla ædes sacra nisi ad Riccij sepulchrum, Pauli Doctoris solertia ægrè nobis seruatum; præbebat illis hospitia priorum benignitas, vbi ad paucos

61. Pileus in sacro qualis?

62. Scin, vitam & doctrinam nost. laudat, regno tamen pellendos ait.

paucos dies, & quoad poterat secreto, intra conclaue aliquod nouum, & obscurum excitato altari diuina obibant, & administrabant, tradebántque ethnicis eorum rudimenta, nec fuit vllum vnquam tempus quo foret cautiùs, & gradu magis sollicito sempérque suspenso incedendum, victore Tartaro hinc vrbem Regiam terrente, inde nouis quotidie variarum sectarum coniuratis, eodem planè quo fermè nunc omnes hæretici genio, ad deiiciendam Monarchiam, & æquandos plebi, Reges, & Proceres. Eam ob rem ab aula exibant sæuissima edicta quæ cœtum omnem de Religione priuatum aut publicum pœnis trucibus damnabant, quibus etiam aliquot Christiani pessimè habiti spreta feruore inconsulto Patrum consilia, & diligentiam tendi, miserè luerunt. Pechini multo suspiciosiùs, vel ipsum peregrini nomen, vndecumque terrarum is esset, præiudicium cumbatur proditionis clandestinæ; idque adeò certum vt periclitatus sit Doctor Paulus, quod P. Sambiasium secum domi teneret, quem & si non ideo passus sit aliò migrare, ne vitam illius sibi propria carorem obiiceret cuipiam inexorabili Mandarino: at Sambiasius ne tantum virum, reíque Christianæ decus, & columen, in ruinæ discrimen adduceret, clam eo aufugit, mutandísque subinde latebris exploratorum euasit lynceos oculos à quibus semel passu vix gemino disiunctus, Deo tamen volente visus non est. Hinc officium, & locum P. Manueli Diaz Castelblanco cedens Nanciantum perrexit, quo in itinere iucundum foret, sed longum scribere de Præfectorum & vrbium ad eum æmulo & benenolo concursu, gratulationibus & hospitalitate, quamuis omnes Idola colerent: eam enim à Deo & natura sortitus erat Sambiasius indolem, vt esset acceptissimus apud omnes, eósque innocentis, & ingenuæ consuetudinis amabilitate non adscitia sed innata sibi mirabiliter deuinceret, sic vt illum etiam ethnici cupidissimè audirent, de Christi misteriis, & præceptis fusiùs verba facientem; & erant Pechini nobiles excelso apud Regem loco, qui suo periculo tenere illum volebant hospitem, eiúsque gratia Christianos habebant gratiosos. Præter quæ hominem dexteritate incomparabili ornarat Deus ad flectendos in diuina, & æterna sermones quæ sunt Literatis tractatu familiaria, nec minùs iucunda, quàm válida efficacitate in confutandis illorum erroribus, & assertione Christianæ, summæque veritatis. Quam nisi eluisset polygamiæ funestus scopulus Sinis nobilibus insuperabilis, omnes illarum qua transibat Præfectos vrbium, non mente solum, quod ipsi iam esse fatebantur, habebat Christianos, sed initiatos etiam sacro fonte: tinctis, quod vnum tunc licuit aliquot eorum cognatis, & filiis lætus operæ suæ fructu appulit Nancianum, illic adiit Petrum illum, & regio sanguine, Christiana virtute, & fide nobilem, ac velut eius Ecclesiæ patrem, quam repetit breui duorum & septuaginta conuersione primùm auctam; postmodum vero maiori numero.

63. Scotæ Regibus timendæ.

Vberiorem

Vberiorem fructum legit Alenius ex suo Gianceum itinere. Vrbs est diei spatio, Nanchino vlterior, frequens ciuibus, solo ferax, & diues commerciis ob confluentium amnium quibus liberaliter fagi-natur, & conuehendis exportandisque mercibus locupletatur emporium. Agebat illic Sanscius nomine Mandarinus amplis dudum multi æqualium Præfecturis, summo iure perfunctus; vix autem cuiquam integritate vitæ quæ possit ab idolorum assecla optari; vel administrandi iuris æquitate & excellentia secundus. Quare illum Prouincia Scensiensis cui Taoli munere præfuerat Apotheosi consecrauit quâ solent ornari homines mensuram virtutis eximiæ multis gradibus supergressi, & de illius gestis insignibus libros in lucem publicam misit duos; quibus inter alia laudatur rarum illud planéque memorandum, quod insani vnius tristiori ostento, insanos curauit, persanauitque innumerabiles. Furebat illa (quod indicauimus) rabies vt qui explere aduersus inimicum cruenta odia non posset, vel apud creditorem immisericorditer ferum delere nomina, ad eius se fores suspenderet, vt eum faceret desperationis suæ, & lethi reum, immani violentia coacti. Quem primum ergo Sanscius deprehendit nece hac informi & detestabili, sui parricidam, hunc iussit eodem quod sibi aptauerat laqueo in locum raptari reorum supplitiis infamem, & totis tortorum viribus tot plagis nudum lacerari, quot esse sat possent ad eum necandum si viueret, inde per summam vrbis frequentiam eodem fine ad publicam ignominiam probrosè circumtractum proiici extra muros, & asini sepultura condi. Nec alia fuit medecina opus ad purgandam hac lue Prouinciam Scensiensem, nemini tàm caro deinceps ac tàm insanè libuit furere, vt ignominiam posthumam, & æternam morte sibi spontanea emeret. Pechinum vir sapiens cum venisset, Prouinciæ suæ nomine ad Regem legatus, arctissimam iniit cum Paulo Doctore necessitudinem, retulitque ex eo Gianceum in patriam, vbi aliquot menses erat substituturus, opinionem de Patribus sublimem, parque desiderium eorum aliquem secum domi habendi, qui primus huic fuit ad salutem gradus, quamuis tunc minimè ad illam attenderet, quantumuis à Paulo insinuaretur, sed totus erat in Geometricis, & Mathematicis quæ sæpe cum illo agitarat, deperibátque incredibili studio nouitatis. Quare statim Hanceum Michaelem Doctorem literis conuenit, vt sibi de nostris aliquem impetret, haud quidem F. Sebastianum Fernandium, Pauli Doctoris indicio sibi propositum, vt qui præter Deum suum, & legem ipsius, nihil admodum nosset; sed ex Patribus Europæis in Matheseos arcanis egregiè versatum. Hiems erat sæua; longinquum iter; spes & pretium operæ; in speciem nullum, præter oblectamentum hominis curiosi. Sed P. Alenium ad iter animauit Literatorum experientia quibus primi ferè ad Christum aditus nisi per Europæ scientias, mathematica præsertim, nondum patuerant, & quicquid laborum occurrisset collocan-

64. Sinæ ad fores inimic. se suspendũt, vt reos illos faciant.

65. Mira conuersio insignis Literati

dum optimè censuit in lucro viri toto regno clari. Februarij 23. Giancei exscendens salutatatores extra vrbem à Mandarino habuit obuios; in vrbe domi, Sanscium Mandarinum veneratione iuxta, & amore comem; à quo eius musæum accepit habitandum, siue vt alias diximus studiorum domum, omnibus excultam naturæ artisque delitiis, velut innuere satagant Literari suos Elisios in doctrinarum studiis sitos esse. Postridiè, qui fuit Matthiæ Apostolo Sacer, diuinis ad aram operatus Alenius Mandarinum inuitat cum familia eius vniuersa, ad spectandam effigiem Saluatoris, quam magnificè ornato imposuerat altari, & audiendum ex se cuius diuinitatis vultum ea tabula exhiberet; sed vnis immersum Mathematices curis Mandarinum, nihil mouit, tabula nullo reuerentiæ affecit sensu, intellexítque Pater in eo expugnando viam à se aliam iniri oportere, quâ mox hominem aggressus, intra quintum diem obtinuit, quod totidem mensibus non potuisset ex eo euincere. Omissa igitur à facilioribus, vt solet docendi regula, principio statim coniecit illum in difficillima, & subtilissima Geometriæ totius, & inuolucra propositionum quarum, vt erat ingenio excellens, perspecta tunc primum admirabilitas, sic totum sibi vindicauit, vt nec cogitare aliud apud se, nec loqui cum amicis posset. Hinc Europæos suspicere, venerari eorum ingenia, stupere ad ignorantiam suorum à quibus tàm nihili fierent: qua illum scientiarum nostratium præ cunctis Sinensibus æstimatione immensa imbutum penitus, animaduertens Alenius; tunc vero illi frigidè in aurem, hæc Geometrarum, & astrologorum, quæ tantùm placebant, & quæ ipse rebatur miracula, diludia esse grauiorum apud nos doctrinarum quas contentio animi vehemens non sinebat continuato studio scrutari, sed erant necessario interpositu Mathematicorum ad laxandum animum variandæ: doctrinas porro illas in perspicientia æternorum, immortalium, minimèque aspectabilium versari; Dei nimirùm veri, & animæ, sempiternáque post hanc vitam miseriæ, aut felicitatis. Digna homine hæc esse; semihominem esse qui ea ignoraret; qui negligeret pecudem; iam si tantum à nobis in ludicra & quæ nisi ad quandam fessi animi oblectationem vsui non erant, tantum insumeretur temporis, ingeniorum, rationum, eáque tàm solidis stabilirentur argumentis, quanto acriores credendum erat conatus adhiberi, & sagaciorem diligentiam intendi ad inuestiganda quæ beatitatem animi spectarent immortalem, quibus per se nihil maius, nihil quod nostra pluris interesset, nihil minus arbitrarium, & ex opinandi libidine suspensum. Contra vero Sinarum Philosophos cum tot secula desudassent, in extricandis naturalium aliquot effectorum causis latentibus, tàm infeliciter in ea indagatione operas locasse, vt qui nunc essent à Patribus, eorum errores manifestè dedocti, erubescerent illorum recordatione: quod si quotidianis, subsensum cadentibus, & concretione materiæ illigatis rectè aut probabiliter discernendis sic à vero errarunt, vt hæsurus fuerint

fuerint iisdem in tenebris, eademque cæcitate illorum posteri, nisi nostra luce illuminarentur, quid in diuinis, æternis, immortalibus, à sensu remotis, & liberis vidisse, somniasse, aut delirasse putandi sunt; quapropter vt gentem nobilem totque Prouinciis, & regnis nominatissimam, vindicaremus à certo interitu, in beatam & certam salutem, spreta patria, & cunctis quæ sunt in vita homini iucunda, per quicquid est mari terráque discriminum in Sinas penetrasse vt communicaremus cum iis agnitionem summi boni, quam nisi per nos nanciscinon poterant; hoc vno gratuiti sed magni operis præmio, laboribus, ærumnis, perpessionibus, vitæque adeò minimè parcere, nec vllis eorum odiis, non exiliis, & cruciatibus, omnique genere insectationis, à sancto in eos amore, ac beneficentia dimoueri. Hinc ipse vt erat vir sapiens, æquam ferret, mentisque cordatæ sententiam; aut esse nos hominum quotquot vsquam vixere stultissimos, qui propter exteros toto à nobis disiunctos cœlo, & hostilibus in nos furentes animis, alacres pacisceremur vitam; aut tantùm iis repositum in cognoscendo, & amando, fruendóque æternùm vero Deo boni; tantùm nobis in huius procuratione, meritorum & gloriæ, vt quicquid eius causa necesse foret agere, ac pati, prorsus nihili esset, & puerilibus crepundiis simile. Hæc linguæ Alenij dùm spiritus diuinus subderet, idem Mandarino altiùs inserebat. Simul itaque in eius animo sordere miracula Mathematicorum, ardens illorum studium frigere, & extingui; vicem eius subire immortalia; præter Deum, salutem animi, felicitatem nihil spirare, anhelare impatienter ad Christianismum & de sacro altari sumpto, vt erat in more positum, libro doctrinæ Christianæ Cathecumenum profiteri. Mensem eius institutio tenuit, vt is enaderet, qui fama, & gestis toti Regno notus Christianam virrutem ac nomen exempli sui luce efficaciùs commendaret. Eos illi sensus affudit Deus cùm de Christi patientis amore in homines, & cruciatibus doceretur, vt porrecta sibi ad osculum à P. Alenio, pendentis è cruce vulnera rigaret lachrimis, nec probrosam illam & cruentam mortem censeret immensa & infinita pietate à Deo alieniorem. Baptismo lustratus est, festo legationi diuinæ ad Virginem sacro, dierum aliquot præmisso ieiunio, & in spem non disparis à Paulo Doctore in Christianam rem ardoris nominatus est Petrus. Secuti sunt illum, annorum tredecim filius, propinqui, & familiares, in quibus aliqui veteranæ virtutis documenta, vix nouitij edidere. Homini quidem vilissimo Petrus grauem offensam beneficio reposuit, dúmque se manè quotidiè in preces daret, inhorrescebat tremens maiestatis summæ quam agnoscebat præsentia. Philippus parenti haud dissimilis filius conuiuio aderat quod hospiti magno domi præbebatur, illic oblitus ieiunij quo se ad sacrum fontem comparabat, frustillum carnium imprudens libauit, moxque tantùm ex eo cepit animi dolorem, vt imperare sibi nequiuerit, quin relictis mensis, musicis, & comœdis secederet, ad deflen-

dam culpam quam non admiserat. Præter familiam Doctoris Petri Alenius, multos ea in vrbe religionis veræ desiderio inflammarat, crescebátque illorum numerus in nouam Ecclesiam, cùm post menses quatuor exactos, Petri suam in Prouinciam regressus omnia intercepit, tot enim literis Michaëlem Doctorem fatigauit, vt reditus comitem obtinuerit ipsi Alensium; iter illi fuit per aspera montium, nec ante diem vndetrigesimum, Scianceum attigit, vbi suum habebat Taoiij tribunal, & decem vt minimùm vrbibus cum potestate ius dicebat, sed quando toties Doctorum mentio facta est, necessarium arbitror hoc saltem loco errori cauere quo pronum est decipi, qui rem solo nomine metiuntur; finguntque sibi Sinensis Doctoris ad Ecclesiam accessum, lucrum esse haud minus triuiale, quàm vnius in Europa Doctoris. Quantis verò distent inter se gradibus, & proceres etiam Regij sanguinis, quanta potestate Doctor Sinensis antecellat, docebit eiusdem P. Alenij candida, & simplex narratio, qua Petri Doctoris, quem comitabatur describit iter. [Paulò ante, ait, quàm Gianceo moueret, metatorem præmisit, hospitiorum & locorum. Præferebat is celsam ex hasta tabulam, & palmaribus in ea literis auro conspicuum Doctoris nomen, dignitatem, comitum numerum, quà nobilium, & familiarium, quà seruorum; equos etiam quàm multos, & vectaria iumenta designabat, indicebátque palatiis Regiis quæ tribus solùm abse inuicem leucis quaquà versùm extant, omni splendore apparatus, ministerij ciborum, & seruitij magnificentia instructa, non alio quàm ærarij Regij tàm profuso sumptu vt Regum quorumdam reditus annuos facilè adæquet. Die profectioni dicto flos Literatorum solemni cultu Doctori se sistit ad eum deducendum; ducentos ferè, priuata eius censebat familia; descripto semel constanter ordine, præibant in equis domui Præfectus, & eius quatuor Administri, sequebantur dossuaria iumenta quadraginta in vasarium Doctoris, intra cistas viginti collectum, quæ mutari quotidie aliis totidem paratis, & integris oportebat, fuitque modestiæ quod Petrus non multò plura indixerit. Post hæc Alenio aderat, honorariæ familiæ pars, nec passus est Petrus ab eo montes nisi gestatorio transmitti, ob locorum præruptu, & æstum incuntem. Aliquantò deinceps longiùs Ministrorum ordo, absque ordine turmatim, & pedes; suo singuli, muneris charactere notabiles; vexillis, crepitaculis, tympanis; tibiarum, ac turbarum sono; leui armatura, scutis, claua, lanceis, ipsisque adeò tristibus ad carnificinam reorum instrumentis, (sunt hæc Magistratus vel indicia, vel ornamenta) Post hæc equi duo splendidè phalerati ducebantur, vmbellas elegantes, & vastas gestabant ephebi; alæ nobilium equitum hinc inde latera gestatorij tegebant exophori quo Doctoris vxor baiulorum humeris portabatur, subsequentibus magno numero sellis quibus pariter singulis condebantur singulæ ipsius puellæ. Planè idem præerat Doctorem comitatus, nisi quod multo tùm numerosior, tùm

66. Quam excelus Doctorum gradus apud Sinas.

pretiosior;

pretiosior; ipse in aperta lectica visebatur, & pompam claudebat reliqua eius familia. Quàcumque vrbium erat iter, & fuere vrbes nouemdecim, prodire obuiam Magistratus omnes, suo quisque solenni habitu, & insignibus honorum; discipuli si quos illic haberet, occurrere; verum vbi olim cum imperio præfuisset, inde ciues effundi, feruere obuiantium concursus, complanari vias, ramis ac floribus insterni, distingui, vaporarique grandibus, & liberalibus acertis, eos demum honores ei exhiberi, qui Principum nemini eduntur extra Sinas. Honanam Prouinciam intranti, aulam suam omnem, & officij Ministros, misit Præfectus primæ illius regionis, velut eius mandatis atque arbitrio suam omnem permittens potestatem. At enim vt suam illo mensis vnius itinere Scensianam demùm Prouinciam attigit, non fuit effusio præcedentium gratulationum cum iis conferenda quibus illic suorum erga illum amor, & sumptuosæ magnificentiæ prodiga largitas suas partes egerunt. Sciancei tribunal statuit, vnde vrbes cœteras regeret, palatij partem seorsim Alenio tribuit qua nihil ornatius pulchrius, & ad omnes habitationis delitias elaboratius, nihil tamen admodum supruacaneum, quòd Magistratuum supremorũ semel familiis adscriptos, nefas sit efferre palatio pedem, nedum ad negotia exire, aut foris animum laxare. At enim in illo murorum angusto amplissimam nactus est fructuosi laboris materiam, nõ modo in ea tot hominum & conditionum, Doctoris familia excolenda, sed in corroboranda tanti viri inflammandáque pietate, qui certè monitis illius institutionis haud parcè respondebat. Mane siquidem tribunal conscensurus, sacellum adibat quod superbo diues apparatu, domi statuerat, vbi humi sæpius abiectus post exolutas Deo adorationes, eius opem enixè flagitabat: quod supererat diei, post clausum litibus tribunal, in eodem sacello transigebat, eo virtutis incremento, & voluptate animi de diuinis cum Alenio colloquens, vt ægrè sibi imperarit dies non amplius quindecim eius consuetudine carere. Causam absentiæ induxit, exploratio vulgaris famæ quæ illinc itinere dierum septem, vuam nasci aiebat, vino fœtam durabili, & probo, quod locis alibi plurimis Patres frustra tentarant inuenire, ne, vt sæpè fiebat, eius inopia cogerentur sacro abstinere, cùm mustum illis vbique Sinarum genuinis licet expressum vuis aceseeret, nec posset ab iis arte vlla aptum sacrificio asseruari. Nec fefellit Alenij diligentiam vulgi rumor, & missi à Petro Doctore vindemiam inde vberem retulerunt, eamque legitimam, & vini ad omnem anni tempestatem perbellè constantis. Cœterùm exibat Alenio quintus mensis in commoratione illa Scianceensi, cùm adest Petro ab Rege nuntius, redditque diploma glorioſum quo conferebatur illi sublimior dignitas in Prouincia Fochiensi, toto Sinarum abiuncta diametro, atque hic demùm euicit Alenius, vt in Prouinciam migraret Scianfensem vbi pridem è nostris expetebatur aliquis ab Han Stephano, probitatis eximiæ Literato, & gestorum pro Christo com-

67. Vinum sacris idoneum, repertum.

mendatione nostris vnice dilecto. Chianceum patriam, ab iis optabat, suamque priuatim familiam pleniùs eruditi, quam ad desiderium sacri fontis iam ipse incenderat; singulariter vero parentem decrepitam, idolis eatenus pertinacissimè inhærentem. Protecturum Petrus ab seruis quatuor deduci voluit, & publicis suis muniuit literis quæ tutem illum ab aduersariis omnibus præstarent, eique hospitia in palatijs Regiis metarentur; quo iure maiores Mandarini familiares suos donant, & fuit vsui plusquam necessario hæc liberalitas ad iter præcipitijs, niuibus & periculis pauendum. Chiancei, tanquam futuri conscius, manum sine mora operi admouit; memor se vrbi, quod contestatus fuerat Petrus, commodatum: mense itaque vix vno, non plures octodecim Christi balneo expiauit, sed maximè illustres, Literatum præsertim, magnis honoribus, & prærogatiua ingenij ab Rege affectum. Instituendis aliis, angustias temporis dùm acri labore redimit, à Petro repetitur, eumque commodato scilicet non dono concessus, Gianceum in patriam comitatur, nono postquam ex ea discesserant mense.

Misit quoque hoc anno 1610. & sequenti, sedes Hanceensis alio complures, & vbique ab iis aut stabiliti sunt Christianorum noui cœtus, aut veteres aucti. Duo sunt oppida Hanceo Metropoli biduo dissita, Zunte, & Tecinum, quibus Patres, qua causa haud scio, ab S. Agatha, & S. Vrsula nomen indidere; vtrobique dines senij copia, sed ingeniorum multo excellentior & maior, quàm cœli bonitas dicitur efficere. Duas in iis nostri Christianorum fundarunt sedes, easque magnam partem impugnationi aduersantium acceptas tulere. Vt primum cœperant de noua lege publicè dicere, de suffixo in crucem vero Deo, & aliis conuellentibus patrios, & antiquos ritus; variis varia vtramque in partem, suo quisque pro sensu garrientibus, ex condicto Siuzaij quatuor, frequentissima concione interpellare dicentem statuunt, conuitiis onerare, dehonestare probris tanquam seductorem populi simplicis; citare ad tribunal accusaturi sigillatim eius mendacia, & fraudes; sed præuertit eorum criminationes eloquentia cognitæ veritatis, & interioris conscientiæ flagello adacti, fatentur primum stupenti populo, se mente peruersa inuicem condixisse ad audiendum, & dedecorandum Patrem; inde illo audito nihil in eius verbis deprehendisse quod reprehenderent, multa quæ iure in seipsis damnarent ad hæc legem quam prædicaret sanctam esse, doctrinam quam traderet sanctam; suo itaque ipsorum quadruplici testimonio securi omnes starent, eò prorsùs fidei certioris, quò Patris rationibus intimè perspectis, ad publicam eius commendationem traducebantur vel inuiti, ab opinione quam conceperant de illo pessima, & probrosissima; tantùm ergo abesse vt caueri deberent Patres velut circulatores fraudulenti, quin esse potius audiendos, tanquam Veri Magistros, & regionis illius clarissima lumina] ita quatuor illi ex ordine Literatorum testes; quorum tam subita,

subita, & inexpectata confessio, impulsos Patris sermonibus ad Christum animos integrè expugnauit. Nec fuere minoris ad incrementa, & gloriam diuinæ legis, crebræ cum Bonziis, & Literatis omnium ordinum concertationes, in oppidorum altero commissæ, vbi sub dio campus multitudini theatrum præbebat & scholam, quòd nullo alibi auditorio capi posset. Illic mirum iuxta, & delectabile, cum patrocinaretur spectator, etiam ethnicus doctrinæ Christi contra ignorantiam Bonziorum, & Literatorum superbam proteruiam, qui tractis Bonziis subsidio aderant & obstinabant vtrique animum pugnando non veri studio, sed hi laude ingenij quam pudebat illos externo cedere; illi ventris ingenio, dolente sibi sportularum & stipis largitores decedere; neutri altercando, & recalcitrando dissimulare amissam victoriam poterant, erátque vniuersis patens, eos animi prauitate, non rationibus instinctos, Christo aduersari. Multi demùm vtroque in oppido, solenni baptismo expiati; constituti duo Christianorum cœtus; & tàm feliciter diuinis imbuti, vt eorum non nulli vt plurimùm rudes, & pauperes prodigia ederent, essetque nihilo iis operosiùs ex occupatis corporibus, & locis dæmones pellere, quàm signum crucis in eos formare, aut aquæ lustralis guttas aliquot spargere, quo beneficio dum liberarentur à dæmone corpora ethnicorum, asserebantur etiam animæ ab eius tyrannide in libertatem filiorum Dei, compertapotissimùm crucis, imaginum, aliorumvè sacrorum efficacitate qua ipsi quoque ethnici, & idolatræ fiebant dæmonis victores, Bonziis interim, exsecrationum cantamenta, frustra in illum torquentibus. Chiatini præterea nostri sedem fixere; beneficentia Literati, cuius ea erat patria, & nomen Ignatius. Illic ethnicorum conuersionibus initiam dedit Cattaneus; Sciamhaium postea curandam suscepit, vrbem Pauli Doctoris natalem, vbi semel duos & septuaginta, Christi fonte purgauit. Reliqui dissitis passim locis prouidentiæ diuinæ fiducia, instabant operi, & excursionibus in longinqua, quod committere se publico & primariis vrbibus vetarentur, vtilitatem suorum laborum latè sed tacitè spargebant, quorum euentus singulares & progressus legere vtcumque dignum sit, verum & rerum similitudine, & prolixitate forsitan molestum. Instar omnium esto Martini factum illius in arte bellica Doctoris non semel hactenus laudati & in summos quidem armorum honores à Rege prouecti, sed militis habitu gloriosiùs Apostolum agentis, patrémque plurimorum quos Christo genuerat. Is dum Mandarino, vrbanitatis officio, occurrit aduentanti, cum eo qui solet comitatus numero & fastu, conspicatur hominem planè nudum, sed partim pudore nuditatis, partim acutissimo frigore, se se in glomum colligentem, de via deflectens quærit ex eo quis? & vnde sic nudus & abiectus? respondet miser de conditione familiæ minimè obscura, sed à latronibus (quibus vndique regnum scatet) præter vitam nihil sibi relictum, fame fortassis, & frigore; cruciatu maiori perituram

perituram, prohiberi enim se verecundia honestatis, ne per oculos commeantium in vrbem rediret indecorè, nec tamen quicquam ex Martino petit opinor quod Sinis misericordiam, peregrinam esse virtutem scitet, planéque ignotam, nisi si forent Christiani. At hanc Martinus sic assueuerat, vt quocumque iret, stipem cuiuis egenti, vltro, nec rogatus offerret cum incredibili ethnicorum admiratione, & Christianismi laude qui tantùm virum ad eam formasset tam benignum, & amabilem disciplinam. Memor ergo sancti cuius nomen gerebat, & vitam à Patribus legendam acceperat, mediam sibi detrahit tunicam serico puluinatam, quòd superior ob tenuitatem arcendo frigori esset ineptior, eáque iacentem contegit, qui suo in vrbem regressu, ciuium oculis eò illustriùs præconiu edidit tàm inusitatæ pietatis, quòd idolatra cùm esset videri potuerat eius beneficio indignus. Subeamus nunc in annum æui huius vicesimum alterum, Christianis Nanchini; Macaë Lusitanis glorioſum; illis ob triumphatos inuicto patientiæ robore hostium cruciatus; istis ob domitam virtute militari, hæreticorum Batauorum ferociam.

68. Nanchin. Christ. Feruor.

Ac Nanchini quidem tenues, & obscuri; sed magno numero Christiani, & constantissimæ ardentissimæque sanctitatis, post ejectos a tyranno Scin Patres, & eorum amicos diris afflictos supplitiis, octo se in cœtus sodalitatum diuiserunt, in quos statis diebus lege immobili conuenirent, acturi de diuinis, inflammaturi animum nouis cœlestium ignibus, & charitatis exquisitissimæ inter se officia partituri, nemine vinctorum, inopum, ægrotorum, calamitosorum, ne mortuorum quidem prætermisso, in quem huius amoris prouidentissimi curas non mitterent; sed multò diligentiùs in pueros infantes quos matrum egestate nimiùm facili, vel crudeli alendi tædio abiectos, tollebant ex publico semiuiuos, ferebántque domum regenerandos sacro baptismate. Nec erat in hoc virtutum agone feminarum victoria quàm virorum minor. Et fuit quæ vincendi sui & Christi amore, purulentam ægrotam, ministerio suo curandam susciperet, quam ipsimet propinqui fœtoris intolerabilis impatientia barbara, exposuerant in ripa fluminis, fame aut frigore, aut tabo necandam. Fuit quæ gemmas, & mundum muliebrem venderet, vt confecta ex iis pecunia, Christianorum leuaret egestatem. Fuere quæ assiduis se pœnis pro Christo conficerent. Lustrabant furtim hæc sodalitia vetuis ex Patribus ne quà Scini exploratoribus suboleret, cúmque nullæ Christianorum iam ædes multitudinem caperent ad diuinum sacrificium confluentem, emptione prorsus supra fidem mirabili, conciliatæ sunt aliæ multitudini tantæ pares, emerunt illas egentissimi quique fidelium communi sua, & sudata contributione, sed clam & inconsulto Patre ne prohiberentur ab eo exiguum illud quo se ac familiolas fraudabant suas in eam emptionem conferre. Aliam nobis emit domunculam Lucius miles Christianus longè ab vrbis frequentia latentem, vt Patrem occultaret, qui anno integro

integro etiam ethnicos in ea docuit, fideli eorum silentio securus, & ex iis ferè quinquaginta ad Ecclesiam adiunxit. Inter hæc Nanchini prospera, nouum protulit monstrum Sciantunensis ad aquilonem Prouincia Pechino contigua deprehenditur illic pestilentissima omnium quæ vnquam extiterant secta, Pelienchiaiorum appellatione. Clandestinos in latebris habebant cœtus, distinguebantur inuicem gradibus dignitatum, vni omnes Prælato suberant ad nutum, diribitori officiorum, & arbitro; dicendi porrò argumenta dum suos conuentus agerent, haudquaquam ad religionem, aut rationes animi spectabant, sed Mandarinorum tyrannidem, & euersionem; in eam conflandum ex populo militem eundum in arma, & si læua in cœptis non obstaret fortuna, pergendum vlterius; petendam Pechinum, regiam occupandam, trucidandum Regem, diripiendam gazam, & thesauros priùsquam diriperentur à Tartaro iis iam proprius imminenti, & partis victoriis tumido: At si pares non essent tantæ huic moli attollendæ, quicquid præterea in regno extra Pechinum erat fore in illorum potestate, dummodo viri essent, & ius armorum forti manu tractarent. Dicto citius in opus consilia exeunt: redundant enim Sinæ multitudine superuacanea, egena plurimùm, famelica, & omne facinus de facili ausura; nec ad cogendum latronum exercitum alio est opus nisi proiectæ amentiæ plebeio qui ducem illis se præbeat. Primæ horum expeditiones, incubuere direptionibus quæ vltro citróque commeabant; inde copiis aucti promiscuis, vrbem vnam, & oppida quatuor incursionibus subitis oppressa prædati sunt; demum vbi primum suo obstantes furori sensere, illic ad sex hominum millia trucidarunt. Conciditque hic eorum prima & vltima rabies. Erat autem tunc regnum si vnquam alias casui proximum. Leaotunensem regionem, partim armis subactam, partim metu desertam partim etiam emptam à proditoribus tenebat Tartarus, ducebátque in vrbem regiam tàm citato gradu, vt Rex suis diffidens, inter se discordibus, perfidis, & ignauis Nanchinum cogitaret, alteram regni aulam, starétque procinctus ad fugam, nisi; vt olim Vanlién eius auum, fidelis Ministri consilium sapiens confirmasset. Eo enim absente cessurum vltro pacificè Tartaro regni dimidium, Prouincias sex capite, animisque orbatas; cùm esset minimè dubium, alias tres intestinis in Regem odiis nutantes occasione tàm prona vsuras; his tot foris & domi periculis, si arma iungeret secta perduellium latronum, nec Regi effugium, nec regno salutem superfore. Quamobrem seuerè Proregibus, & Magistratibus toto vbique indictum regno, ne cui diligentiæ, sumptui, & cruciatibus parcerent in peruestigandis coniuratæ sectæ rebellibus, liberandóque ea peste regno. Nec vllos vsquam cœtus cogi suis in ditionibus paterentur: edictionis Regiæ formidolosa imperia, vbique mox vrbium ardenter curata, Nanchini maximè omnium quotquot sunt maximè timida & suspiciosa; taxatúmque illic reorum indicibus, &

69. Secta Regi, in regno infest.

productoribus capitis pretium. Quæ perscrutatio dùm feruet contigit ethnicum sceleratum, in ædes subire optimi Christiani, cuius statum nomen ad tribunal defert quòd sacram imaginem, & crucem, in eius ædibus animaduertisset; capitur illico Christianus, torquetur atrociter ad extorquendos ex eo delicti conscios, neminem nominat, præter imaginis pictorem; qui diris item quæstionibus subactus Christianos edit quadraginta, simplicitate magis animi, quàm cruciatuum impatientia, subdebat siquidem ad innocentiam illorum, vnum ex Patribus quos Doctor Michaël Hancei, secum domi haberet, Nanchinum subinde redire ad excolendos morum documentis illorum animos, & norant Nanchinenses, norat perfidus Mandarinus Christianos à Pelinchiatis quantùm cœlum ab inferis distare; sed captabat in aula fidelitatis famam simulatione repertæ nouitatis, & industriæ in perduellium captione, præterquam quod erat tyranno Scin intimus, & crudelitate in Christianos persimilis. Iubet ergo turmatim milites, vbem cum carnificibus obire, armatis de more cruciandorum reorum feralibus machinis; Christianos quos pictor ediderat, magnis vocibus nominare; de illorum domibus quærere; inuentos barbarè, immanitéque traducere, expilatis itaque ad primos ingressus illorum domibus, prælatísque dumtaxat imaginibus sacris & crucibus, velut scelerum testibus; catenis colla, manicis & vinculis brachia, pugnis, calcibus, fustibus corpora onerare ac raptare magis quàm ducere: probitatem verò illorum probrosis conuitiis fœdare, quæ rerum ignara plebecula exaggerabat tàm indignè vt in reos damnatos non posset acerbiùs consuli. Eminebat tamen ea in plærisque oris alacritas, patientiæ robur in omnibus vt eo spectaculo magnopere crescceret fidei sacrosanctæ existimatio. Ac vt quisque primùm in Mandarini conspectum venerat, dabatur in tortorum manus, qui acerbissimo cruciatu sociorum nomina quærerent, verum enim verò cùm triginta sex torqueretur, nihil à quoquam expressum est, suum quisque professus est solum, & familiæ suæ nomen, Christianum se esse, familiares omnes Christianos, non Pelinchiaios piratas, & rebelles, hæc monstra scelerum Christianorum damnari legibus, quorum innocentiam venerabilis senex Iao Ioannes, ille qui se olim tyranno Scin obtulerat cum vexillo professione inscripto Christiana, tàm luculentis probationibus defendit, vt sui puderet Mandarinum, eumque cum aliis duodetriginta, quos iam tormentis subiecerat dimitteret liberos, octo illos tantùm retineret, qui sodalitiis totidem, ædes proprias commodarant. Hos tota Nanchino per sex Prætoria ferro & vinculis onustos, turba carnificum ignominiosè circumducit; cæduntur vbique ipso in aditu indicta eatenus & incognita causa, pro cuiusque iudicis feritate, qui vt semivirum & semiferum decuit Eunuchus Regius ad quinque tribunalia quinquies cæsis & laceris, plagas addidit viginti, ea carnium laniena, & cruoris exhausti, vt in asserum tabulis reportarentur in carcerem.

70. Christiani pro sectariis rebel. Nanchini torquentur, & fortiter ferunt.

rem semiuiui. Nec defuere inter alios Mandarinos qui ore eodem simul pronuntiarent innocentes, quàm esse aiebant propriam Christianorum dotem, simul cædi iuberent, ne auctoritatem sui tribunalis viderentur negligentius tueri, aut Scini placitis frigidè affici. Pendebat Nanchinum causæ atrocis expectatione, nec fingere poterat, nisi captura tàm solenni, & tàm crudelibus supplitij extremi præludiis, præiudicatam, in crimen aliquod horrendum sententiam, quam secutura esset mors inusitati generis horrore terribilis. Non potuit tamen causæ iudex supremus Mandarinus, quantumuis in illos sæuiret aliò furorem excutere, nisi sacrilega in Deum ipsum exsecratione. Pronuntiauit legem dominatoris cœli falsam esse; homines dementare; coitionibus vetitis iure suspectam se facere; refractariam Regis imperio se præbere, cuius edictionibus proscripta, nihilo seciùs in cœptis pergeret, ac sustentaret se se. Proin aliundè Nanchinum aduecti reducerẽtur in patrias à præsidio militari; Nanchinensium colla iugo ligneo ad mensem stringerentur, inde se denuo sisterent, serio admonendi Regi obsequentiùs parerent in posterum; absisteréntque ab lege profitenda, qua Rex seuerissimè interdictum vellet. Repetentibus à tribunali domos suas, occurrunt vxores gratulatoriis lachrimis prosequentes confessionẽ genetosam, & alacrem, cuius nobiles notas, laniata, & cadaueroſa membra ex Prætoriis referebant. Reliquorũ item octo & viginti quos à se iudex amisérat, coniuges heroinas nihil æquè solabatur vt tormentorum constans perpessio, in qua maritos durare fortiter crebris internuntiis discebant, non sine humili & sancta cœterarum mulierum æmulatione, & communibus in causa communi gaudiis. Ex beato tamen quem dicebamus octonario, vnius extitit beatissima sors qui plagarum dolore interiit. Eius vocabulum Andreas, vilis conditio, opificium lignatoris, morum sanctimonia, vulgari sublimior; Renatus ex aquis vitalibus tantùm egit vt suos omnes renasci cerneret non modo Christianos, sed sibi persimiles, amore & cultu Reginæ Deiparæ afficiebatur tàm tenero, vt quicquid animo incidisset quod ei crederet placiturum, propensissimè id exequeretur. Quæ vero egestas, pectus, manúmque pletisque contrahit, auertítque à miseriis alienis, hunc iis leuandis eo præstabat largiorem, quod nihil habens quod daret, dare seipsum Deo, hoc est operæ suæ fructum, & sudoris putabat. Iam ad augendum fidelium numerum, & virtutem, vix erat illi par, & in illa Scini cruenta tyrannide, haudquaquam ipse certamini, sed ipsi certamen defuit, ex quo post paulùm vt cruciatibus sic meritis auctior, coronam retulit. Tàm assiduus & sedulus Patribus aderat quos nefarius scin pergebat diuerso carcere macerare, alterum iacentem in extremis, alterum ex plagis adhuc hiantibus, vt si cogeretur ab vno ad alium transire, filium substitueret suo loco; tàm accurata in iis iuuandis sollicitudine vt Patrum pater à fidelibus audiret; aberátque tàm procul à mercenario in istis animo, vt ipsos præuidens, vellet nollet, pensa-

turos donis saltem æqualibus, quicquid sumptus in eos fecisset, modum repererit quo ipsos falleret. Quæ mittebantur ad illos argenti segmina, & Panni Serici à beneuolis Mandarinis etiam ethnicis, reponebat iis scrupulosa fide, tunc statim reddenda, cum liberi forent à carcere; postquam vero Nanchino exularunt, Christi se obsequio penitus, domúmque suam consecrauit vbi spiritu quo ardebat sancto de diuinis dicentem audituri conueniebant Christiani. Et suo ipse quantricumque periculo emebat, Patrem apud se habere hospitem quoties Nanchinum reuiseret, ad neophytorum spiritus refouendos, & augendum illorum numerum; quanquam id sæpiùs factitaret, subindeque in menses plurimos. Hac ergo Andreas sanctorum palæstra, glorioso agoni præludebat quo moris pretiosæ septem consortibus tormentorum negatam coronam adeptus est. Sepulti corpus venerabantur etiam ethnici, conditúsque est loco vt sinebat calamitas temporum, & funere minimè indecoris. Hæc magno vbique Christianismi detrimento Nanchini gerebantur, si par famæ fuisset toto vulgatæ Imperio fides, idem esse omnino Christianos quod Pelienchiaios, & pro iisdem Nanchini tentos, iustas sectæ nefariæ, tribunalibus sex decisse pœnas. Quamobrem Doctor Paulus tàm pernitiosum nomini Christiano, & probrosum errorem, populos dedocturus, tractatu festinato sed discriminibus quatuordecim solidissimis firmato, palam fecit, Christianos esse à Pelienchiais non modo diuersos. Verum iis planè oppositos, vt qui vitam ducerent insontem in omni genere probitatis, Pelienchiaij sceleratissimam; opus properè absolutum, sed efficacia rationum potens, P. Petrus Spira Mandarino ferebat, qui sacrilegio sceleratiori contra Christi legem, quàm contra octo Christianos pronuntiauerat, vernm Nanchini exclusus introitu, Mandarino reddendum, manu curauit aliena. Qui quòd esset Colao Scin ad omnia addictus acerbas Paulo reposuit literas, aggressúsque de summa quæstionis rationari, dubium reliquit malignè magis, an imperitè id faceret; omissis enim quibus Christianos à Pelienchiaiis Paulus dinstinxerat quatuordecim notis; in nuda hærebat propositi criminis affirmatione, sectæ vnius vtrósque reos esse vtrósque Regis Imperio contumaces; Christi legem à Rege proscribis ab iis promoueri. Patres à Rege extra regnum pelli, ab iis induci & Regis ingratiis. Docere, conuentus cogere, sequaces colligere; at enim hunc maiestatis contemptum adeò confidentem, haud fore diuturnum interpellatum esse Regem supplicibus literis, alteris in sectam Christianam; in Michaelem Doctorem alteris, & quosdam præterea (Doctores Paulum, & Leonem volebat intelligi) qui Patres domi secum haberent, & contra rescripta regia tuerentur; qui minæ hominis improbi præter eius mentem fuere Patribus salutares, qui mox reluctantibus multum Doctoribus cutiosas inquisitorum nares secretioribus, & solitariis latebris fallere præuerterunt, ne Colai Scin furialibus libellis, & Regis indignationi vr-

cos

ros exponerent, quorum post Deum potentia, Christiana res nitebatur. Verum enim vero nostra Pechini apud Regem, & Colai Scin causa, longè alia erat quàm Nanchini, Deo eius vices sic in oppositum mutante, vt redactus in ordinem Colaus ignominiosè aula pelleretur; duo è nostris palam in eam redirent iteratis accitis literis, & domus veteris possessionem repeterent.

71. Tyrannum Scin sua flagitia euerterunt.

Ac tyrannum quidem Colaum Scin sua vnius flagitia euerterunt, nec Regis tutela præpotens qua in gratiam Eunuchorum, supremos ab eo Mandarinos defenderat, aliud protulit, nisi vt maiori cum infamia caderet. Ad centum (aiebat Doctor Paulus) in eum libelli tàm atroces ab iis in regiam penetrarunt, vt in cunctas latè Prouincias (qui aulæ vsus est) per veredarios transmissi, immanissimæ belluæ vulgarent detestabilia scelera, eúmque publicis odiis, & exsecrationi exponerent post quæ Rex eius abrogationem, nec vltro differre valuit, nec ipse regressum ad priuatos lares; priuatúsque Hancei sua in patria iacuit. Et hic demum alter ex residuis Colais, summa denuo potitus regendi potestate, Longobardum vrgere ad maturandum in aulam reditum, cuius illi auctor sæpius fuerat, de quo erit anno proximo videndum. Hoc autem æui vigesimo altero, sub medium Iulij fortunatè in Sinas subierant è nostris quatuor, Manuel Diaz senior, stationes nostrorum ex officio inspecturus; alij operam ministeriis solitis daturi, Ioannes Adamus Scial. Rodericus Figueredus, & domesticus adiutor Melchior Riberus, quorum aduentu inopino vt iucundissimè affecti sunt fideles, ita non multo post F. Sebastiani Fernandez obitu grauiter doluere. Erat is ortu & nomine Sinensis, cognomento & Lusitania adscito; itinerum Riccio fidus comes; laborum socius & Apostolici muneris quod pro suo gradu constanter impleuit, in arduo illo & palmari negotio fundandæ inter Sinas Christianitatis, in quo haud scio plus sudoris, an sanguinis fuderit. Ad hoc illum Deus ingenti animo, bonitate ingenij, vitáque à puero innocentissima donarat, & alienæ salutis appetentissima, cuius studio ardens, interpretem Riccio & seruum se dedit, quamuis alioqui honesto loco natus; vt pia illa, & humili annorum aliquot opera promereretur aditum in societatem, quem superioris seculi anno primo & nonagesimo Ianuariis Calendis obtinuit. Non retexo ærumnas inter quas fortiter in gradu virtutis generosæ semper immobilis durauit; non contumelias, vincula, & plagas Hancei, Licini, & vtraque in vrbe Regia; demùm seruile extra murum maiorem exilium, & prope Tartaris in prædam, & quo tamen assertus pretio, euasit, sed à cruciatu pedum & manuum nequaquam, nec ab illa flagrorum cruenta, repetitáque sæpè laceratione quam sibi fore lethalem dum putat, mortemque operitur, dedit è carcere literas ad amicos, quæ vbicumque perlectæ sunt multo igne cœlesti animos inflammarunt, nec ambiguo deinceps inditio coniiciendum reliquerunt, si Sinenses educentur, Apo-

72. F. Fernandez Sinens. obitus & virtutes.

ſtolicæ virtutis nihilo ſegniùs, quàm Europæos, apicem prenſare ac prehendere, illa enim ferendis pro Chriſto ſupplitiis magnitudo animi geſtiens, abundè loquebatur, eius epiſtolas non ſola verborum ſpecioſa magnificentia tumere. Catechiſtem agebat perpetuo, & Patrum quas poterat obibat vices, dum cogerentur latitare, & peregrinam patriam ſi foras prodiiſſent, ſola oris diuerſi ſpecie fateri. Senio iam grauis, dabat operam docendis feminis, & baptiſmo luſtrandis, quam virtutis eius ſecura fiducia Sinenſes habebant gratiſſimam, tametſi hac in re ſuſpicaciſſimi. Contemptor ad hæc ſui, & proculcator eximius Fernandez nihil reſpuit quantumuis famulare & abiectum; ad laborioſa, & moleſtiis ardua vltrò ſuum miniſterium detulit; Macaum ſæpiùs ſimulato habitu adiuit, ad referrendum noſtris, victus annui commeatum, neque id ſine capitali, etiam vitæ diſcrimine, & ſemeſtribus interdùm in ritu, & reditu ærumnis, in quibus ſolus, nec arbitrum metuens, coniunctiſſimus Deo ſemper fuit, quo iubente, & comite, illa conficiebat itinera, velut (quod ipſe dictitabat) loca ſancta luſtraret peregrinus. Annis fractus, ex quibus duos & triginta in ſocietate duris habuit rebus ærumnoſos, nullum tamen iis quæſiuit leuamentum; paupertati veſtium & victus nihil addi poterat, multum pœnis ipſius ſpontaneis detrahi; quod vnum ferè erga illum, Rectores ipſius habebat ſollicitos. Nobis tandem fidelem Dei, & Euangelij Miniſtrum annus abſtulit ætatis ſupra ſexageſimum quintus, neque ſatis conſtat, nec admodum intereſt, Nanchini vel Hancei.

Claudat annum hunc 1622. hunc tentata in caſſum à Batauis Macaum, (poſita quidem extra Sinas, ad eos tamen vtcumque attinens) & generoſa noſtrorum opera in eius propugnatione. Menſis Iunij octauo decimo cœpere tredecim Batauorum naues circa Macaum volitare; aliæ quatuor è regione arcis aliquantò priùs in anchoris ſteterant; ex. pectabantur ex molucis præterea ſex, inſtructu valido armatæ, ſed earum pertæſi longas moras, & de aduentu iam dubij, pugnam decernunt in diem præuium feſto S. Ioannis præcurſoris. Mari, vt olim deſcripſimus, tria Macai cinguntur latera, & propugnaculis totidem, munitione tormentorum copioſa egregiè tutis: quod ſenſit illicò grauì ſua cum clade hoſtis hæreticus. Nam aggreſſus toto ingentium nauium, æneo fulmine, propugnaculum quatere quod debilius videbatur, tulit inde tàm clarum & decretorium reſponſum vt eo nauium altera aperto latere, totum hauriret mare, & aquarum depreſſa pondere ſorberetur. Proniorem ergo putauit expugnationem, qua latus inſulam reſpicit; nongentos in terram, vrbe procul exponit catapultarios cum totmentis duobus, graditúrque ad impreſſionem, ſeu magis ad arcem capiendam quod certo ſtatim futurum crediderat cum nauì exſcendiſſet; tranſuerſo enim præſidio, viam ſibi ad vrbem parans, non plus vno diſſitam milliari, præſidiarij ſibi conſulere, ſeque intra muros ſtatione deſerta recipere, quod arte factum non potuit melius quàm

73. Bataui fruſtr. Macaum impugnant.

metu,

metu, & consternatione cadere. Quans insolentius Batauus, & canens victoriam, præconem plus vltra proruit, relictis à tergo quas trahebat duabus machinis, & surdus ad imperia Prætoris frustra cæcum impetum reuocantis, & clamore irrito iubentis captum præsidium ante omnia communiri. Multi se tunc Patres Iaponia pulsi, receperant Macaum, qui ad classis conspectum, vices & munera sortiti, magnam partem instabant confessionibus diu noctúque audiendis, parandóque ad pugnam, aut stragem quamlibet populo; rescitum siquidem post frustratam expeditionem fixum Batauis fuisse vrbe expugnata, fortassis etiam pacto sibi asserta, feminas ad prolem reseruare, quinquennibus parcere pueris hæresi facilè imbuendis; ferro cœteros delere. Hic duo è nostris Itali, poliorceticæ haudquaquam rudes, maximè P. Iacobus Rhò firmare nouo munimento infirmiorem vrbis partem; tormenta quatuor bellica in collem attollere vicino Collegio imminentem, multum ridentibus qui ridendi magis parum aduertebant quà erat Batauis ad vrbem accedendum; rectà illuc fulmen excussura; & vero in alterum Batauorum agmen librata perite machina, primum dedit victoriæ specimen, paucorum morte omnes exterruit, & agmen retro egit, dùm reliqui intra vrbem Patres animos ciuibus facerent, bini singulis in propugnaculis, viginti promiscua in turba quæ ex Europæis, ex Indis, & Cafribus; seruis, & dominis digerebatur ad eruptionem: hi nostrorum hortatu, eum animo hausere ardorem, vt sublato S. Georgij clamore erumperent alacres ad intercludendum progressu Batauum, & confidentia generositatis implerent partes exercitus numerosioris, non vno loco, sed semper pugnatum est, catapultariis Batauis nullos æquè ad ictum vt nostros legentibus qui postrema salutis præsidia periclitantibus ministrabant, sed imbelli semper (quod fassi sunt postea) & erranti glande. Lusitani contra vtrumque hostium iunctum agmen, eo furore inuadere vt naues fuga repeterent, abiectis armis perturbarent primos, proculcarentur à subsequentibus, & tanta consternatione, præcipitarent se morti eripere, vt eam in mari inuenirent. Ex trecentis ferè illo prælio cæsis pars maxima, dum armis & vestitu graues, experiuntur natatu ad naues euadere miserè in aquis periere. Desiderati sunt ex Macaensibus non plus octo; triginta vulnerati; triumphantes in vrbem cœteri rediere, aucti spoliis præda, & armis hostium, in quibus duæ quas diximus igniariæ machinæ, & canteriatæ catapultæ quingentæ. Augeret victoriæ gloriam, si, quod scripsit non nemo, Deo euidenter, & extra ordinem adiuuante probari posset reportata, sed discors scriptorum narratio, qui tamen rebus præsentes aderant, singularia illarum mihi non satis elucidant.

74. Concincinæ Regnum excolitur.

Nunc retro ab anno 1620. repetendus est cursus fidei propagandæ in regno Cocincinæ, cui Sacerdotes è nostris quatuor, & Catechistæ tres, itidem ex nostris omnem operam dabant, stationibus duabus, octo dierum itinere seiuncti, Faifi altera in Prouincia Caciana; Nuoc-

mani

mani altera, in Pulocambis, vel vt eam appellant indigenæ Chingini Prouincia. Illic & regno vbique vniuerso conscinit nobis illustrem famam, præclara Regis de nobis opinio, quos libenter & crebro suis Principibus laudabat, velut homines sinceræ probitatis, & virtutum præstantia insignes, tuebatúrque aduersus calumniatores. Cui Regi erga nos animo accessit libri editio de Christianis dogmatis & præceptis, quæ Deo placuit multis tùm rerum prodigiis tùm magnis & publicis tancire, expulsione potissimum malorum dæmonum, ex occupatis corporibus, & locis. Vix enim aliud orbe toto in Regnum, tyrannidem suam exercent crudelius quam in Cocincina & Tunchino. Plena illic magis, veneficis, incantatoribus omnia; & maleficis partim lemuribus, belluino instinctu ethnicos infelices continuo vexare solitis; partim quò blandiùs, eò crudeliùs, & exsecrabiliùs in eos sæuire. Subire in familias tanquam domestici, seque in eas velut transcribere, ad ea haud prorsus opera quæ puros, & liberos spiritus deceant, nisi forte quos Christus in porcos immisit. Dementatis ergo, vel correptis ab nefario amatore, certa erat ad frugem, & libertatem via, si dumtaxat semel aures præbuissent Christianam doctrinam explicanti. Arreptitios, spectrorum obiectu, & strepitu; veneficii quolibet, aut morbo fascinatos, simplex de ligno crux de collo appensa liberabat; & parietibus affixa domos ab omni Dæmonum infestatione. Auaré tamen Patrum laboribus, conuersionum respondebat messis, & quidem illic vbi potissimum exercebant illos contentiùs, Turoni videlicet quæstuosissimo Regni emporio; Caciani, Principis regia, Literatis frequenti; & Nuocmani; Pulocambis Prouinciæ vrbe primaria. Ex iis Buzomius, & Pinna concionum assiduitate, & concertatione priuatim ac publicè cum Literatis & Bonziis crebra, vnum tulere veri rectique approbationem, & gratiam; mutationem in melius nullam; quoad Deus illorum operam ope sua præsenti fortunaret. Placuit interim experiri plusne aliquid possent in castellis, & pagis quam in colluuie vrbium, iis vitiis inquinatissima quæ Deum longiùs ab homine arcent, processitque res supra votum, nouos instituere Christianorum cœtus, esto exiguos sed multos; esto ex vili, & simplici collectos aratorum & opificum plebe, verum faciles ad diuina, & salutis curam, vitæque innocentissimæ, quam esse sibi gratissimum, beneficentia supra communem singulari non raro significabat Deus. Ne tamen alibi nostrorum labor videatur exisse prorsus in vacuum, subdam hic aliquos, quorum illustris & potens authoritas multos suo exemplo ad Christum pertraxit. Primas in iis meretur matrona Nuocmanensis potentissimi vxor Mandarini, gratiosissimi apud regem, & in aula, rebúsque publicis apprimè versati, ambo erga Buzomium mirè comes quod hominis affabilitate, modestia, & vitæ candore plurimùm caperentur cœterum ab eo de religione audiendo alienissimi, vt qui facinorosi sacrificuli doctrinæ acquiescerent penitus, Banci vocabulo,

75. Conuersio mira matronæ Principis.

bulo, professione Bonzij, palam voluptarij, fœdi & trium idcirco vxorum mariti quòd alendis pluribus non esset; loco tamen haud inferiori adorari volebat à suis sequacibus, quàm monticolæ Bonzij, victu cultúque horribiles, quem illi honorem, eloquentiæ gratia tàm efficaciter obtinebat, vt vulgo diceretur auditorium suum incantare. De Deo & anima, futurísque post mortem, bifariam philosophabatur. Vulgo quidem tradebat Deum esse gigantem qui vertice tangeret Orientem; Occidenti plantis insisteret; dextra limites austri; læua teneret aquilonem. Vniuersum hoc, eius opus esse, non elaboratum in materia illi extranea, sed ductum ex ipsomet suásque distentum in partes quas eius singulis vnde essent profusæ accommodabat membris, delira inuentu attributione; dictu fœda, & propudiosa. Discipulos vero in scholæ arcano, longè diuersis ad omne flagitium instituebat elementis. Nata videlicet, nascique ex nihilo omnia cùm sint planè nihil priúsquàm esse incipiant; reuersura in nihilum omnia, vt nascituris loco cedant; ex his naturæ alternis vicibus rerum ortu casúque distinctis, longam habebat contextam seriem, quàm particulatim iubebat à suis accurata expendi meditatione, quòd diceret, qui semel animo comprehensum haberet, in nihilum redire omnia; esse iam hoc ipso beatum, & beatè victurum quod certè illi non posset obtingere cuius missæ in futurum curæ præsentes turbarent voluptates. Hoc philosophantis porci epicurismo imbutum Mandarinum & vxorem, mirum non erat abhorrere à scitis Christianis quæ in præsentium contemptu, & futurorum desiderio metúque vertuntur. Sed eum horrorem, gratiæ suæ suaui miraculo diuina bonitas in hunc modum discussit. Agebat Sinoæ Mandarinus altero regni fine, legandúsque ad regem Cambogiæ, necessariis documentis in aula præmuniebatur, cum ecce nos vxor improuisa in sublimi adit elephante cum aulæ muliebris, & nobilium virorum superbo comitatu, accersit è Patribus, alterum: audire ampliùs de Deo, & lege quam prædicaremus enixè flagitat, de quibus ait, visa sibi omninò grandia quæ audisset; ea si perinde comperisset vera & solida, daturam se veritati manus, & Banci Bonzij damnata doctrina Christianissimum professuram. Stetit promisso mulier generosa, & pro ingenij perspicacitate, lucísque diuinæ copia; facili, nec longa institutione edocta de omnibus quæ tùm oportebat tùm expetierat, initiatur sacro fonte, faustóque Vrsulæ nomine insignitur. Sequntur dominam ex eius familia vndecim, in quibus raræ prudentiæ vir grauis, & laudatissimæ quoque inter suos ante baptismum vitæ Thomæ vocabulum accepit. Reuersus ex aula Mandarinus mirari nudatam penatibus domum, spoliata idolis conclauia, nihil vsquam Deorum apparere; quo euaserint rogitare? quidve hoc denique nouitatis? Hic præstans mulier magna libertate de Deo quem susceperat colendum, & augustissima eius lege tàm multa viro edisserit, & tàm eleganti commendatione, vt is factum non modo laudaret, sed sequi exemplum decerneret. Noctes igitur viginti, (nam

76. Conuersiones illustres in Cocinc. & disputationes.

dies solidos negotia publica occupabant) horis in singulas minimum quaternis doctrina excultus Christiana ; expiatus est sacro baptismate, & Ignatij nomine. Ornauere diei faustitatem duodecim aulici, sancti Domini sui imitatione ; fuitque concione quauis incitamentum hoc ad Christum potentiùs, & pignus messis deinceps lætioris. Inter hæc classis parabatur quæ Ignatium Legatum in Cambogiam deferret ; ipse periculis occurrens molestissimæ nauigationis, simul nomen ostentans quo gloriabatur ; in puppi nauis Prætoriæ, Redemptoris attollit effigiem ; mali summum præfigit Christi cruce, medium Iesu augusto nomine, irrisáque diei obseruatione quem illi ethnici vaticinabantur ominosum, illo ipso die cùm soluisset, prospero mari Cambogiam tenuit, vbi pectoris Christiani experimentum præbuit generosissimum. Venerabatur idola Cambogiæ Rex, duos tamen ex nostris ante annos aliquot rogarat ad se mitti, amplissimam iis facturus potestatem constituendi sacras ædes, & regni totius diuinis legibus excolendi, qui ille promissi auara liberalitate id agebat vt Lusitanorum sibi commercia firmaret, ex quibus ingens meditabatur lucrum ; sacra de cœtero, & Deum & animam flocci habens. Adest ergo Macao ad Aprilem anni 1618. operariorum par strenuum qui contra quàm promissa sponderant, frigidè statim, & parùm humaniter habentur. Regis hîc gratiam Batani ; odium Lusitanis & Religioni Catholicæ præuerterant emere, donisque illum & Principem filium, spebus & calumniis dementarant maximè aduersus Iesuitas ab Indis vsque Iaponiam pestilenti doctrina perdentes vniuersa. Sic desiderio potiti Batani promissa Lusitanis, vindicauere sibi commercia & religione vilibus lucris posthabita, regnum maluere idolis quam Christo subesse. Regi displicuit nostrorum aduentus, eorum munera respuit, dempto quòd publice Macaenses perferendum iis crediderant. Lusitanos autem duabus aduectos nauibus, vix semel in conspectum admisit. Vlti sunt grauiter Batauorum iniuriam Lusitani nauali prælio, sed hoc neque admodum huc facit, & fidem vix fecere bellici roboris & prodigiorum quæ nauem Lusitani, nauicula tenui contra hostium triremes quinquagenas tres feruntur edidisse. Nostris quidem illis operariis duobus semestris expectatio ventorum non fuit otiosa, porrexere desertoribus manum vt ad Ecclesiam redirent, Dei prope suique oblitos restituere pristinæ probitati & collato Ethnicis aliquot baptismo, emendatisque illorum moribus qui ex Europa frequentes aderant, iter Macaum versus iterarunt, Legatus verò Ignatius Regem aditurus, cuius assiduè Batani concepta semel in dogma Christianum odia ventilabant, luculentam crucem de collo suspendit, cuius ille aspectu caperauit frontem ; pro veteri tamen consuetudine legationis alias obitæ, interrogauit, quod rei id esset ? nec solere hoc signum nisi Christianorum gestamen esse : & hæc, ait Legatus, causa est, quamobrem id præferam, quòd sim reipsa Christianus, nec te putauerim posse à me adiri magnificentius,

tiùs, nec cœli Domino gratiùs quàm ea conſpicuum, & illuſtrem nota: nec valuit barbarus amicitiæ alioqui etiam æternùm renunciaturus ex eo impetrare vt crucem abiiceret, volens nolens ſemper eadem ornatum ferre coactus eſt. Nec ſuo præſenti caruit præmio tanti animi magnitudo; tempeſtate correptus in reditu, conclamantibus, & deſperantibus omnia cœteris; vnus roſariam coronam parenti Virgini, adeò ſerenus recitabat Ignatius, vt ſi mari gauderet maximè ſereno: quod mentis ſecuræ tranquillum admirans exclamat ſenex tametſi ethnicus non poſſe legi ſubeſſe falſum, quæ conſcientia probitatis, mortis metum auferret, maximè omnium pauendæ, eodem tempore haud procul, comitata legatum nauis, aperto latere depreſſa eſt funditus cum lamentabili pereuntium comploratione, poſt quam velut defunctum iuſſis mare, Regíſque Cambogiæ punita perfidia, recepit ſeſe, ſaluumque Ignatium in portum Ciampæ detulit, Pulocambi Prouinciæ vicinum.

Anno ſubſequenti 1621. Cocincinenſis vtraque noſtrorum manſio fructus ſuos tulit. Septuaginta duos ſupra centum in Nuocmanenſi Buzomius, ritè Chriſtum edoctos baptiſmo expiauit; qua in re nec partem nec meritum habuit Chriſtophorus Borrus, eius hactenus ſocius, tunc Macaum accitus haudquaquam ſanando quod prætexuit corpori, ſed menti; quam cœli mutatio adeò non mutauit, vt remittendus fuerit in Europam, vbi Romæ in caſſum tentatis omnibus, cùm à remediis, nedum à ſalute abhorreret, abſciſſus eſt à ſocietate, paulóque poſt ſubita obrutus apoplexi. Formidabili profectò Apoſtolicis operariis documento, ſi à tanti officij virtute non modo deficiant, verum etiam à religioſa.

Buzomium iuuit magnoperè ad proferendum Chriſti regnum in Prouincia Pulocambis, eorum acceſſus ad Chriſtianiſmum quorum auctoritas exceptione omni maior, annis, magiſterio diuinorum, ſanctitatis opinione ac ſchemate, & ſacerdotij nixa dignitate, multos de ſe habebat ſuſpenſos. Horum vnus Saihienus hoc eſt bonus Sacerdos, caſtimoniæ viginti iam annos, cultor eximius; paupertatis extremæ, tolerantiæ in ærumnis, fame, ſiti, frigore & contumeliis patientiſſimæ, multúmque alacris; adumbratæ non nego, ſed in Bonzio & idololatra, non fuit exilis tantarum virtutum ipſa vmbra. Quanquam eius ad primam veritatis vocem docilitas, argumento fuit, hoc ſolum idola coluiſſe quòd verum ignoraret Deum. Audito enim Buzomio obſtupeſcere vnâ, & geſtire ad magnitudinem, nouitatémque diuinorum, quæ poſtquam diu, & integrè hauſit, regeneratus eſt ex vitali fonte in nouam Chriſti infantiam; quanta id omnium admiratione, qua diſcrepantia ſermonum, & iudiciorum facile dictu eſt; exempli vim à ſe non valens defendere plebs praua & ſtolida garriebat rem eſſe capitis imminuti; ſapientes contra interpretabantur boni tantùm ineſſe ac ſolidi in lege Chriſtiana, vt eius vir tantus exploratiſſimæ penitúſque

perſpectæ, non potuiſſet imperium fugere, ſed eam magna, fidáque voluntate, ſuaquam priùs deperibat abiecta, in perpetuum adamaſſet. Eam ob rem illos nequaquam pigebat tàm perito duci ſe comites addere: alium Chriſto lucrata eſt Magiſtri pertinax, & inops ſuperbia. Ingenio erat incomparabili iuuenis, magiſtri aſſectator quem Tubin nominabant, ſuſpiciebátque Prouincia Pulocambis tanquàm oraculum omnium doctrinarum quas acutiſſima rationum, & lectiſſima verborum copia ſuis auditoribus diſpenſabat incredibili eorum voluntate. Tantus ergo Tubin apud eos cum eſſet, nihil exiſtimauit ad ſuas glorias addi poſſe niſi vt facto conſtaret omnibus quot ſupra Buzomium paraſangis, omnéſque Europæ literatiſſimos emineret, dedignatus quidem principio committere ſe externo cum homulo, & obſcuro; cui foret gloriosius ſe vinci quàm ſibi vincere. At creſcente in dies Buzomij nomine & religionis quam docebat; vanitatis moras, vanitatis ambitu omnes rumpit; Buzomium prouocat; diem pugnæ dicit; deſignat campum; ponit victoriæ præmium, ingenij & religionis quam quiſque coleret prærogatiuam laudem. Prouocationem cupidè admittit Buzomius, condicto adeſt ſua cum ſchola magiſter Tubinus faſtu magis tumido quàm graui, ducentos ſecum trahens diſcipulos; præſto quoque ſe campo ſiſtit Buzomius ſed ſolus; aderat omnis Literatorum flos & circum populus innumerabilis, inter quos extabat matrona nobilis, ſoror Gubernatoris demortui, quam eo pellexerat ſuperſtitio væſana, ſimulachrorum incocta cultui; & præcoci animo præcepta Tubini gloria quem magnoperè obſeruabat. Prodit confidenter ad manus Tubinus, ignarus quem peteret, quantúſque in hoſtem aſſurgeret, vt quem ex Theologiæ diſputatoriæ pulpito calentem Deus Cocincinam miſiſſet. Pugnæ initium, de Deo, neſcio quid poſuit Tubinus, vnis aſſuetus Deorum Chimeris, & Theologiæ idolorum; dialectiæ prorſus expers; cuius & nomen Sinæ ignorant penitus & Cocincinenſes multo magis. Compulſus itaque directò, adamuſſim, argumentis obiectis inſiſteret, neque vim illorum garrulitate deuia ludere, crebro adigebatur loqui pugnantia, vtróque verſum aiens negans, à Buzomio iactatus, vtrimque iugulo imminentem cernebat, hærenſque in medio lethalem ictum probroſo ſilentio exibat. Commurmurare hic primum eius diſcipuli, tùm clara voce reſponſum flagitare; ipſe conturbatus, & ignominiæ pudore perditus optare vt ſibi terra dehiſceret, nec poſſe verbum aut vocem mittere; ſed finem fecere diſputationi, auditorum clamoſæ in Tubinum ſannæ, qui arenam ingreſſus cum ducentis, domum ſolus, & cernuus rediit. Buzomius vero numeroſo ſtipatus comitatu gratulantium illi victoriæ decus, & ambientium magiſterio ipſius, legíque ſe ſubdere quam profitebatur. Hos inter fuit Tubini diſcipulus, cui laus nulla par inueniebatur niſi vt par magiſtro diceretur.

Tubini ſimiliter è ſchola videtur prodiiſſe qui ex Pulocambi, ſectæ illius dogma in Cacianam tulit Prouinciam vbi Franciſcus Pinna Faifi,

Turoni

Turoni, locísque aliis Apostolicam operam secundis euentibus ponebat, qui de nouo monitus, nouí dogmatis præcone, quem sui octodecim stipatores, deprædicabant tantum non Deo parem; præuertere hominem decreuit, seu futurus esset ad prouocandum audacior seu timidior. Petit ab eo nihil minùs cogitante ne grauaretur doctrinæ particulam sibi impertiri, quàm laborioso itinere ad illos populos detulisset. Non potuit Bonzius tantæ comitati fama integra negare quod petebat, & quanquàm satis animaduerteret nec proficiendi, nec audiendi studio id peti, nihilo iamen commotior quàm præuisa & expectata re, absurdum quid promere de idolis cœpit & religione; cui statim Pinna rationem contexens quà strangulari se sentiebat, præoccupatus ab illo est priùsquam nodo illam adstringeret. Ac magna voce, mittamus, inquit, verba, de Deo cùm agitur, ignaris plærúmque vberius affluunt quàm doctis. Rebus ipsis & factis agamus, factis committamus causæ propositæ supremum arbitrium ad facta prouoco. Arrectúsque in pedes, & Pinna celsior, Ego, inquit, patro miracula, si tantum te posse diffidis, victus es. Hoc idem tibi si arrogas, experiamur vter edat maiora. Ego, insit subridens Pinna, mihi non arrogo, quæ naturæ transcendunt limites, horum potestatem cui libuerit, naturæ conditor, & Dominus tribuit. Ergo infert Bonzius causam vici, ratúsque plus satis eam profligasse, repentè se proripit, quem tantisper moratus Christianus, falsè at verè hominem compellans; si edis ait miracula, Patri saltem respondè, nam ignarus cum sis, hoc ipso grande miraculum feceris. Vulgata deinceps huius Sycophantæ non modo scientia, & sanctimonia sed prodigiorum facultate, vocatur ad sanandum lethali ex morbo Mandarinum, occasionem amplectititur auidè cupitam, vt lautè cum suis octodecim helluaretur illic aliquamdiu, tantòque in longum per fictas remoras curationem illam differt quanto splendidiùs habebatur. Vbi vero tandem coactus est manum operi admouere, Mandarino se sistens propiùs, tàm tumultuosa malorum dæmonum inuocatione, tot suis & suorum intolerandis clamoribus ægrotum, mense integro vexauit, vt malo peius remedium non ferens, & credulitatem propinquorum, eiectione Bonzij traducere veritus, in vltimam rabiem ageretur, cultrúmque poscceret quo se vna tot malis, viráque absolueret. Hinc demum experti cuiusmodi animal esset is Bonzius, familiares omnes in eum irruere, aggerare conuitia, & diras; domóque exturbatum; vrbis totius opprobriis & indignationi obiicere, quam falsa tamdiu miraculi expectatione suspensam iiriserat. Repetituro Pulocambim, cùm forte Pinna occurrisset, quæsiuit ecquid valeret Mandarinus? satin' illi ex voto cessisset miraculum? ad hæc salubri admonitione cur se nefaria dæmonum adoratione, cur alios æternùm perdere laboraret? quem homo proiectè impius, interpellans, per me inquit, non stetit quin miraculum exiret, erat hoc in mea potestatè, sua obfuit iacenti culpa; indignus erat qui miraculo sanaretur, quibus dictis abcessit, nec vnquam

postea in Prouincia illa conspectus est. Hoc Deorum suorum & Bonziorum dedecore attritos ethnicos, vtcumque refecit casus quidam Christianis & Patribus infelix. Faisi partem non minimam consumpsit incendium, in qua ædes sacra, & nostrorum domos seu magis tuguria, ex ligneis conserta tabulis, & tegulatibus operta paleis: domum interea Patribus, & templum præbuere tugurioli soluti reliquiæ, quoad anno sequenti Macao aduectus P. Manuel Fernandez, unde attulit restituendo templo sumptus, quod flammis delecto Faisensi, ædificauit Turoni augustius, quantùm quidem ferebat lignea materiatio. Nuocmani aliud haud paulò præstantiùs constituxit Buzomius, hortatore operum, & Præfecto, Gubernatoris defuncti filio tametsi ethnico; cui accessit Mandarinus vicini oppidi Dominus in quo ethnicos Pater supra quinquaginta Christiano balneo lauerat. Voluit in in partem laboris per se ipse suisque manibus venire, quod pro ea quâ tument Mandarini, honoris maiestate, modestiæ humilis prodigium visum est. Sed Patrum mœrorem, summa lætitia mutauit, prospera illorum ad Cocincinæ Regem legatio. Fidem Rex Batauis superiore anno prope obstrinxerat, solum arci ponendæ se illis darorum in portus faucibus, in quem onerariæ omnes confluebant quæ vsque Malaca mercaturæ causa in Iaponiam nauigabant: ea res Batauis si ex sententia processisset, actum erat de sacra nostrorum in id Regnum expeditione; de religionis aditu in Tunchinum, & de Lusitanicis in Cocincina commerciis. Subodoratus discrimen Buzomius, Macaenses monet quo loco res summa sit, Turonem aduolant ad primos Etesiarum flatus Lusitanorum lectissimi cum Manuële Fernandio, & donis, quæ tanti esse oportuit vt Regis animum à Batauorum amicitia distractum, Lusitanis adiungerent; & verò Sinorum appulsos ea dignatus est obseruantia & amore quibus addi nihil posse videbatur: agebat Pinna interpretem, quem cum P. Fernandez, considere secum in elegantibus storeis voluit (quas illic vsus pro stromatis adhibet) vno tantùm depressiores gradu, & seu donorum, aut decentis subactus efficacitate, seu diuino, quod credi est æquius instinctu, liberalior fuit concedendo quàm Fernandez petendo. Renunciauit amicitiam Batauis, & commercij facultatem, dato ad hoc solenni ad Præfectos portuum rescripto. Habitationem Patribus liberam, vbicumque optarent confirmauit; quin & si cupiunt Lusitani, ædificandæ vrbi locum, & suis hominibus frequentandæ; assignabo, air, & quidem libenter, penèsque me fuerit, construere in ea templum quò ipsi conueniant Deo suo sacrificaturi. Patres demùm à se comitate præter morem omnem ciuili dimissos fericis aliquot donauit pannis, qui vestiendo altari commodè cessere? Fuitque hic rerum annus huius finis. Sequenti verò 1622. nullus retrò felicior exitit, tùm Neophytorum copiosa messe, tùm opimis spebus, eius in posterum quotannis duplicandæ. Octo habebat ex nostris Cocincina. Sacerdotes quaruot,

quatuor, alios totidem ministeriis diu piis tritos quæ fas erat illis committere. P. Andreæ Fernandez pensum Iapones Faifi incolas restituere pristinæ pietati, seu verius dixerim Christianismo in ipsis propemodùm extincto. Erat Fernandez vir indomiti laboris, & Apostolici spiritus; magno diu animorum fructu in Iaponia versatus, & gentis ingenium ac linguuam probè callens: huic erat Socius F. Niscius Romanus, natione Iapo, difficillimarum missionum, & ipse sudoribus decorus. Ab his denique compertum Eaifenses Iaponios etsi pro innata vafritie intra se miseri sese inuoluerent, reipsa tamen, Sacerdotum, & Christianæ culturæ penuria, degenerasse prope in ethnicos; in tanta illorum frequentia, qui vna essent vxore contenti duos solùm inuentos; damnato fœnore passim quæstum facere solitos, quodque præ omnibus occultabant, tormentorum metu, & lentis viuicomburij mortibus territos nõ paucos à Christo desciuisse. His ad Christianismum reformandis, & mores Christo non indignos, haud paulò plus operæ ac laborum Fernandio fuit, quàm adducendis ad Christum ethnicis, sed immensa quadam operariorum voluptate, hi labores in Christianitatem breui exiere feruentem, castam, misericordem, humilem, Deo plenam, totam ab ea quæ fuerat aliam, nec minus facto ad persuadendum, quam Fernandium verbis eloquentem. Annus abibat nullus, quo ex Iaponibus ethnicis qui ad negotia Faifum ventitabant nunc viginti quinque modo triginta Christiani in Iaponiam non redirent deliberato quod valdè illic pronum erat ad martyrium animo. Cocincinensium adulta ætate lustrauit Pinna ducentos septuaginta quinque. Pulocambi Buzomius Ecclesiam illam quingentis auxit Christianis: ego pauca de multis non possum omittere quæ in his conuersionibus singulare aliquid habuere. Viget eo in regno religiosum pietatis erga fato functos delirium, Bonziorum inuento consecratum. Vulgus existimat; putare docti se simulant, si non putant, ne videantur minus pij; subterraneis fessas cœcorum itinerum & longis ambagibus functorum animas, refouendas esse ad reliquum iter, dùm optatam quietem attigerint, quæ illis è corpore profectis assignatur, egere porrò succulentis cibis, & solidis, eorum odore refici, & apponentium pietate; ac ciborum quidem puriſſimam, & quæ sub sensum non cadit substantiam ducere, quod verò intactum omittebant, exsucca potiùs ciborum esse cadauera quàm cibos, eáque Bonziis ad vescendum permitti. Huius erga defunctos tàm religiosi in Cocincina moris abrogatio seuera, cum apud populum magnam videretur offensiorem paritura, ea lege Patres eum Christianis integrum reliquerunt, vt ciborum instructus pauperibus publicè distribueretur in piaculum tribuentis, vel mortui si foret Christianus. Mortua igitur Christiani socru haud procul Caciano, iuuandæ illius animæ quem dixi modus adeò affecit oppidanos, vt eos ingens desiderium ceperit sciendi, qualis esset lex Christianorum, ac iam inde ex eo coniecerint oportere omninò veracem

77. Cocincinæ Reg. à Batauis ad se reducunt Lusitani.

78. Superstitio erga defunctos, in opus miseric. mutat.

racem esse, cùm Patres illius magistros lucri nullius vtilitas, suspectos mendacij faceret, è contrariò Bonzij doctrinam viuis, suffragia mortuis venderent; at forte plura ex Christiano percontati quàm possent ab eo explicari, Patrem iis acciuit, qui ducto primarum ad eos concionum plausibili argumento à largitate Christiani egenis potius quam sepulchro cadaueris impensa, transiuit ad animæ immortalitatem, statumque illius post vitam æternùm beatæ, aut miseræ, vbi confutata qua vulgo insaniunt transmigratione illius in varia corpora, illíque adiunctis de Bonziorum penu deliriis, viginti tres statim discipulos nactus est, quos rite institutos, nouæ primitias Christianitatis per baptismum Deo consecrauit. Verum Caciani Prouinciæ aula diu sterili, iteratæque sæpius, diu sementi ingrata, inuenit tandem verbum vbi radicem in fruges vberrimas mitteret, insignem doctrina idolorum cultu, acuta ingenij perspicacitate, magisterio erroris publico Literatum. Hunc annni vnius patientia inuicta denique subegit, Pinna constanter durante ad omnia quæ illi suggereret lynceus, & ardens animus aduersus effata legis Christianæ, quæ non altercandi, vel impugnandi studio agitabat, sed reperiendi solum immobile vbi certis deinceps consistens vestigiis, nunquam in veri notitia vacillaret. Fuit denique non modo vincendus, sed articulatim de singulis ita conuincendus, vt nulla in iis ambiguitate morderetur; cumque vnum adhuc hæreret animo in quo nutabant quæcumque didicerat, illud quoque ab se solerti prudentia excussit. Succurrebat menti, Bonziorum doctrinam, non potuisse à Deo proficisci, quod essent inter se in ea fingenda tàm diuersi, quàm in tenenda liberi; à Deo autem qui summa est veritas non posset nisi verum prodire quod ita vnum est vt esse nequeat sibi contrarium aut ab se diuersum. Hæsitans itaque, Pinnæ essent inuenta, vel Dei oracula quæ sibi Pinna tradiderat, cælesti consilio se confert Pulocambim octo dierum itinere, Buzomium conuenit, interrogat, agitat, versátque in omnia quæ disputauerat cum Pinna, de quibus sibi audire visus est Pinnam in Buzomio loquentem, adeò vterque non modo gemina, sed prorsus eadem loquebatur. Hinc ille certò conficiens diuina esse quæ acceperat dogmata, non humani partus ingenij, Caciarum redit, Pinnæque se pedibus aduoluens incredibili vtrimque animi voluptate sacro fonte lustratur, & Iosephi appellatione ac tutela. Secuta est vxor prælucentem & paulò post citeriter quinquaginta, certò persuasi non potuisse virum tantum, à vero, & salutari aberrare.

Eiusdem exemplo debentur, & alij, quorum vnus vulgo inter Patres cognomento Philosophus ob valdè compositam argumentandi rationem. Huic annis confecto, & laboriosis muneribus priuatum rex indulserat otium quod in diuinorum contemplatione, quantùm ethnico fas est, consumebat in iis vt animo defœcatiori, acutius cerneret, elixa oriza, eáque insulsa, semel in die parcè vescebatur; interdum post triduum: qua tenuitate inediæ sic ad purum purgauit extenuauítque cum

mente cerebrum, vt in deliria euaneſceret de excellentiæ ſuæ maieſtate, quæ niſi ab ſtulto & amente fingi non poterant. Primus eorum gradus credulitas arrogans propriæ ſanctitatis, & mirabilium parrandorum; miſſitandis ad ægros ſingraphis quæ de contactu morbis omnibus remedium ferrent. Secundus opinio partæ iam ſibi immortalitatis, quòd ſeueritate illius inediæ purgaſſet penitus quicquid in ſuo corpore fuerat, corruptioni obnoxium. Tertius quo non plus vltra ſe, vt nec amentius extra ſe, viuens idolum ſe credidit. Miſertus infelicem Deus, morbos eius omnes morbo vno ſanauit; reddidit ſibi hominem vicina mors compulítque in primis nihil ſupra hominem ſapere; inter hæc de Ioſepho cùm fortè audiſſet, ſic Deo mouente apud ſe ſtatuebat non potuiſſe virum doctiſſimum, & ſectæ ſuæ propagatorem tantùm ac vindicem, niſi planè perſpectis, certóque probatis argumentis Chriſtiana lege auitam mutare, quæ cum ex ipſomet percepiſſet Ioſepho, rogauit ageret apud Patrem vt Chriſtianus moreretur; at enim Deus ad multorum ſalutem & Chriſtianum voluit, & viuum ſeruauit. Sanus itaque corpore ac mente, Petri nomen à Pinna cum baptiſmo accepit ſibique impreſſam à Ioſepho fidei ſacroſanctæ velut gemmæ potentis virtutem, tranſmiſit in multos, quorum olim dux in præceps doctiſſimus Bonzius. Hic templum elegans diis ſuis cum poneret, mirari Ioſephum, contraxiſſe pridem ab opere manum cui erat ſolitus de ſuo conferre; adire illum, & monere non poſſe abſolui quod pulchrè cœptum erat niſi ſubſidio aliquo iuuaretur. At is Chriſtianum ſe clarè profeſſus, ingenti dolore Bonzium confixit, publica Magiſtri communis, priuata benefici hominis iactura vehementer afflictum, qui rationibus aggreſſus reuoluere illum in idola, & ſordes ex quibus emerſerat; vbi futurum intellexit, vt ipſe ab eo faciliùs in Chriſtianiſmum, quàm ille ab ſe induceretur in idola; cogitauit apud ſe Philoſophum (Petrum videlicet) plus ad eum monendum ſcientiæ, plus efficaciæ habiturum. Quem vbi cognouit pariter Chriſtianum, conclaui mœrens ſe abdidit, diemque cum nocte ieiunus, & deſperabundus in luctu egit; multa & triſtia ſecum verſans, ex quibus Deus aliquid ſelegit, à quo aptam videbat felicitatem miſeri hominis. Incidit enim, ſeſe in varia inquietè torquenti conſilium, de conueniendo ſummo mane Petro; rogando etiam atque etiam & interrogando quis Deus? quæ lex? quo rationum fundata pondere niteretur peregrina illa Chriſtianorum religio, vt hominem ſibi vindicaret eius ſanctimoniæ, & doctrinæ, faceretque rituum patriorum, & idolorum deſertorem? Cui Petrus adeò ſatisfecit, vt ad eximendos Bonzio errores, eumque penitus expugnandum, ſat vna fuerit conuerſi Petri de ſe narratio, & modus, & quæ illum cauſa præcipuè mouiſſet. Ergo ad Pinnam ſupplex reuertitur eique ſe integrè permittit ſacro initiandum baptiſmate, quod ædificabat templum ſi videretur diruendum, aut ſi magis placeret vero Deo dicandum; ſuos demum ſequa-

ces, vt Christianos ex iis tàm multos faceret, quàm multos sperabat se in eius daturum disciplinam: quod certè nihilo parciùs quàm speraverat est adeptus: sacro enim lotus Christianismi fonte, denuntiauit publicè viam certæ salutis in religione Christiana ab se inuentam, & initam, quam malè crediderat, & peius docuerat, in cultu idolorum quærendam. Proin omnes hortari, discipulos maximè, vt qui præcipitem in ruinam tanta essent perseuerantia sectati; præeuntem ad cœlum, & felicitatem sequerentur multò alacriùs: nemo omnium fuit qui nollet magistro comes esse. Diuinis ritè imbuti mysteriis, solenni apparatu baptismo tincti sunt. Hinc visu iucundum, & auditu præclarum cùm idem Manuel (erat hoc eius à baptismo nomen) domesticatim priuatos; in angulis, in cœtibus alios doceret, quanta insitæ rationis & diuinitatis iniuria, debitus Deo honos tribueretur lapidibus, & metallis: quod eo ardore consueuerat præstare, vt semel dicentem audiens puella, matri se repentè in partem domus proriperet, simulachris refertam vbi deturbatis quotquot pertingere potuit frangendo, calcando, execrando, omnem contumeliam intulit; quod in illam dæmon illicò vltus est tam graui sensuum & vitæ deliquio, vt pro mortua iaceret; sed cum multis in cassum remediis, reuocare illam satagerent, Manueli succurrit detractam sibi quam gestabat crucem eius pectori admouens; ad eius attactum apertis oculis læta, & vegeta in vires pristinas consurgit; inde copiosior Manueli seges de crucis excellentia tractandi, & de meritis Redemptoris. Sed huius sui iacturam Magistri, quasi dedecus sectæ, dum abstergere Bonzij moliuntur solenni disputatione, confidenter magis quàm consultè Pinnam prouocant ad certamen de religione: procedunt in arenam duo. Præsidebat alter scholastico; mystico alter de idolis Theologiæ pulpito annosus senex, & ministerio venerandus, quòd mater Principis Regina qui Caciano imperabat, eo in diuinis vteretur ductore. Sed hic magis assuetus otiosè cum mulieribus fabulari, qnàm conferere cum aduersario manus, breui arma proiecit, fassus sibi os & linguam deesse quæ rationibus Patris opponeret; negans tamen ex eo deteriorem causam suam quòd esset in ea propugnanda rudis, inferénsque quod nuper ille nescio qui probandam esse prodigiis veritatem. Accenderetur ignis luculenti, coniicerentur in illum sectæ vtriusque sacrati codices; quibus flamma intactis parceret, iis vera, & recta contineri, nec enim ignibus absumi posse veritatem, & ignis iudicio pronuntiatum iri de victo & victore. Risum ad hæc non tenuit Iosephus insignis ille inter Literatos indignatúsque ac toruum intuens, nec verum inquit, neque falsum, ignis pabula sunt, qui corpus est, illa concretionis expertia, ibunt cartæ incinerem, non minùs si sacrum & verum, quàm si exsecrandum mendatque contineant. Te vero qui sapiens & audis & credi vis, certa conuictum ratione quæ sola verum à falso discernit, ad ignem prouocare rationis expertem, & sensu carentem discernendi veri? etsi autem non

79. Bonzij fraudul. ad miracula prouocant.

emendauerit

emendauerit inueteratos malis senes tàm aperti pudor dedecoris, sed profuit aliis non parum, qui sectæ suæ geminum columen collapsum videntes, prudenter aduerterunt cum rationibus ageretur, Bonzios Patribus esse nimium impares, & Regina ipsa deliri lenis discipula magistrum audiens miracula poscere hoc ipsum ait expectabam, est enim Bonziis solenne, cum tueri se rationibus non valent, & pertinaciter contra illas animum obstinant. Neque propterea illos aula exegit imprudens femina, vt erudiendam se traderet magistro meliori; quod fecit matrona nobilis, & diues, oppidi vicimi primaria quam ardens salutis studium agebat in omnia quæcumque suggererent Bonzij quantumuis molesta & ardua. Ædificarat iis templum sumptu magnifico; viduaque & sui arbitra integro suo censu, illorum ingluuiem, saginabat petentibus omnia nihil negans: his deditam studiis turbauit vehementer cum auditu accepit, sapientissimos Literatos quà laicos, quà etiam Bonzios Christi legem certatim amplecti, cœpitque iure ambigere ne cultus idolorum præter mendacia, & fraudes, & sacrilegia nihil haberet, desineretque in vltimum sempiternúmque exitium, quod viri doctrinis omnibus exculti non temerario ad Christum transitu deuitarent. Necessitate igitur inquieta eximendi sibi hos mentis aculeos, Petrum & Iosephum egregios illos accersit Literatos, à quibus didicit de Christos & idolis quid esset ex vero sentiendum, exinde fusius ab vno ex Patribus plenam adepta Catechesim, caput sacro subiecit baptismati; templum quod simulachris posuerat, Bonziis abstulit, expiatúmque ab omni Deorum spurcitia, Patris arbitrio integrè permisit. Quantis vero triumpharet gaudiis Christianismi thesauro potita non facilè dictu est, certè illum propinquis nobilibus & illustribus Literatis assiduè deprædicans, oppidanis suis magnum ad fidem aditum patefecit.

Postremus ex paucis quos legeram scitu dignior ad Christum accessus in Prouincia Caciana, Mandarini fuit, quem habebat Princeps, in capitalibus Consiliarium, viri mentis excelsæ, & solidæ, qui lectione infinita religiones omnes conatu irrito perscrutatus, quam deperibat animi quietem, in vno repererat Matthæi Riccij Catechismo: ex eo iterum, ac sæpiùs relecto eam hausit ingenij lucem, & recti ardorem, vt abūdè iam per se conuictus, nec Magistro egeret, neque hortatore, quare ad Patres cum veniisset, breui ab iis eruditione ad sacrum fontem paratus est Paulidonatus appellatione; narrabat autem iis, ethnicorum damnans chimeras obscœnas, & propudiosam philosophiam, quid sibi anxio, & futura post mortem, inquietè voluenti cotigisset. Domi sibi hominem adstitisse penes quem esse ferebatur vt quos vellet beatos faceret, & purum illud tranquilli animi serenum, quod tàm pridem quærebat iis tribueret. Exceptum à se de more splendidè; rogatum vt sibi aliquid de sectæ suæ effatis impertiret; quod si vti sperabat, satis suo ingenio fecisset, haberet se quoque discipulum. Illum autem nihil ad rogata cunctatum, dumtaxat petiisse, vt initium docendi, quod erat de ortu hu-

ius vniuersi, secluso domus in angulo fieret, obstructis etiam fenestris, & omni spiraculo; illic è Sinu idolum protulisse, iussisse coram proeideret, iurarétque magnum eius Dei nomine iusiurandum, quod erat ipsi arcanum prodituras, prodituram se mortalium nemini. Post quæ, formato ex tribus festucis triangulo hinc ait, veri omnis principium & finis, ex quo religionem omnem hausi, quæ sola te potest beatum facere; pergensque homo porcus cœlum inquit, terræ, ac maria, & quicquid in mundo est, haudquaquam ortu æterno nata sunt. Genuit illa Telo (idoli hoc nomen est) eo prorsus modo quo solent homines, filios procreare; quod præstare omnino prius non potuit, quàm transfiguratus in eam rem cuius illum nomen non puduit edere; sequebatúrque spurcissimus bipedum, tàm fœdis Mandarini aures, & modestiam vexare, vt rubore confusus non sustinuerit primæ illi scholæ finem ab eo imponi, sed tantumnon fustibus, certè conuitiis onustum, domo exturbarit. Hæc simulachrorum nequissima, & impurissima arcana, tam esse aiebat inter se gemina, parisque omnia fœditatis, cum Christianis mysteriis conferens Mandarinus, & cum sublimitate diuinæ legis, exibat præ gaudio extra se, vitámque omnem ad normam exigens veræ Christianæque rationis, qualis olim fuisset meminisse absque sui horrore non poterat. Pertæsus hilaria quæ ad anni vertentis plenilunium celebrantur quorum etiam in partem functorum animæ inuitantur, ieiunans, & orans quindecim illos transigebat dies; sed crebris tùm maximè interpellatus officiis inuisentium amicorum, illic sibi secessum quæsiuit, vnde conditio temporis facilè tunc omnes excludebat, in sepulchreto videlicet, tumulis, denso & cadaueribus, vbi sepulchrorum æstimans numerum, & præstantes tot viros animo repetens quorum illic corpora claudebantur, quærebat ex se ipse, illorum animæ vbi tunc agerent? ac velut audiret earum ex inferis responsum, æternis teneri, vrique ignibus, & status mitioris sempiterna desperatione, inhorrescebat totus, vbertimque flens, & potest inquiebat, hæc certò persuasus, dare conuiuia, musicis comœdis cœterisque hilaritatibus operam? misertúsque maiorú, conficiebat se lachrimis ex eorum infelicitate, sibi verò beatam diuinæ gratiæ gratulabatur sortem, quod esset tanto ex numero in Dei notitiam, & obsequium adscitus; proiectúsque humi, expansis brachiis infinitas dicebat eius misericordiæ gratias, & illo æstuans igne facto in vrbem redibat, implacabili detestatione templis, Diis, Deorum libris & Bonziis iratus quos relegari optasset in montes tàm asperos vt ad euertendum populum non possent nisi præcipitio descenderet. Postremò peractis bacchanalium illorum duabus hebdomadis, splendidum prandium Literatis dedit, tacitæ illorum offensiunculæ responsurus de omissis anni redeuntis hilaritatibus virorum etiam gratiorum consuetudine sancitis, aiens idem secum fuisse facturos si obtigisset iis, eadem liquidò quæ ipse cognouerat audire, vbi de Deo, de æter-

80. Idolorum sectæ omnes turpissimæ.

81. Mira magni Neophyti pietas.

na

na post breuem hanc vita, de Christianismi sanctitate ita disseruit vt dicentem omnes suspicerent, sed optarent Pinnam, de iisdem enucleatiùs audire; & pari studio tàm multos accenderent, vt conuenerint ad tria millia, non ægrè ab idolis ad Christum vertendi, nisi dæmone instinctus, sceleratissimus nebulo, attentissimam concionem auertisset, monuissétque magna voce, cautè sibi cauerent, ab illo venefico, qui suos auditores, solo halitu fascinaret, dementarétque ad omnia tùm credenda tùm perficienda, quo mendacissimo monito ne fraudulenter videretur aliis cauere sibi ipse os primus ambabus manibus obstruit; proripit sese ex auditorio, abeuntem pars eius maxima sequitur, quòd & prona sit incantamenti fides vbi plena sunt incantatoribus omnia; & Pauli mutatio erat eiusmodi, vt à P. Pinna fascinatum potiùs permulti crederent quàm Christianismi virtute reformatum. Triginta solos tanto ex numero elegit Deus qui Christo nomen darent; profitentibus cœteris se Paulum secuturos nisi ante annum manifesta vindicta desertionem eius vleiscerentur dij; quam sanè vindictam sibi non semel à dæmone intentam suis ad Deum precibus sic eluſit, vt factum diuinitùs credi posset. Hæc de Caciana Prouincia hoc anno. Pulocambi gesta fuere magis ambigua, sed abierat vix annus cùm restituta sunt in statum meliorem à Buzomio qui magnitudine animi sapientis, Bonziorum conatus inimicos in compendium fidei conuertit. Deserebantur sensim eorum templa, idola, sacra, largitiones, auctoritas, nec mirum illos iurato furore contendisse ad extirpandam Christi fidem, nihil tamen eos vrebat crudeliùs, sociorum ad Christum defectionibus quorum prærogatiua sanctitatis, & scientiarum magnum erat pondus ad faciendam legi nouæ quam mox deprædicabant fidem, & obstruendum os Bonziis, quorum arguebant palàm flagitia, & deliria confutabant, ex quo fiebat vt turmatim ad Christum, Deorum cultores traherent. Vnus maius quiddam homine sapiens, & pro sancto coli, pro oraculo audiri solitus quod in Prouincia Pulocambis templum diis fundasset, milliaribus aliquot Nuocmano degebat; inde fama excitus noui Dei, religionis nouæ, noui ab occasu sapientiæ Doctoris, quem contra Bonziorum, nemo consisteret, sui esse muneris ratus est, Cocincinæ diis venire suppetias, futurúmque vt paucis pudore suffusum, & dedecoratum Buzomium cogeret ad renauigandum in suum Occidentem, quem illi magnificum de seipso sensum, non superbus de supercilio Bonziorum fastus, sed mera veritatis ignoratio afflabat: quamobrem fuit Buzomio facilè, cognitis placidè illius somniis de religione, sigillatim ea retexere; singula confutare, confessionem falsi per singula ex eo impetrare, tàm clara docentis perspicuitate, & intelligentia discentis, vt non posset satis sibi ipse irasci, suámque indignari cæcitatem, ad rationis insitæ manifestissima placita errore inexcusabili tàm diu stolidam.

81. Magiæ PP. suspectis à Christo plurimi auertuntur.

Inde igitur Buzomij nutibus integrè mancipatus, eruditus est ad Magisterium plurimorum peculiali cura, Damiani nomen cum baptismo accepit, remissúsque in suum oppidum ea statim suis susceptæ fidei edidit documenta vt de illa iam ambigeret nemo; templum enim mox iratus subire, quod ipse fundarat, ornarat idolis, & suo sacrificuli ministerio; idolorum stragem contumeliosam in eo facere, nullo eorum vestigio nisi ad ludibrium relicto; templi vice haud procul sacram ædiculam condere, ad quam attonitis populis, dum mutationis tàm subitæ causam rogitantibus exponit, eadem opera Deum vnum, immortalitatem, felicitatem, ignes sempiternos, admissorum vltores criminum insinuat, & semi iam doctos, Nuocinanum destinat perficiendos à Buzomio & beati fontis ablutione expiandos. Alium paulò post idem Buzomius haud minoris notæ ac ponderis, Literatum Bonzium ex vaferrimo fraudum artifice Christi præconem fecit eximium; nam vitali ex aqua Iosephi nomine renatus, sexaginta mox parens euasit animarum, quæ primigenia fuere nascentis illic Ecclesiæ liba, vbi suo cuipiam idolo positum olim ære suo templum, vero Deo addixit Saluatori, statuta in altari eius effigie. Post cœnobia Bonziorum, aditum quoque ad viros Principes inuenit Christus. Huic vrbis Præfectus, natorum maximum non inuitus dedit; maturi puerum supra ætatem iudicij; indole atque ingenio, ad virtutem & literas mirè idoneum, summæque amabilitatis. Eum Buzomio domi educandum parens crediderat, vbi per se puer obseruata nostrorum omni ratione argumentatus est, veram esse omnino, & sanctam legem quæ Magistrorum expressa moribus, omnem transcenderet Bonzij cuiusuis excellentiam, & virtutem. Quo puer annorum haud plus quatuordecim, argumento teneritatem vicit paterni amoris, impetrauitque ex eo vt sibi liceret fieri Christiano; quod per baptismum assecutus, incredibile sit quot & quam insignibus fidelitatis minimè puerilis, & pietatis intimæ exemplis, quanta sponderet in posterum.

Sed Pulocambi secundis flatibus diuini spiritus elidendis obiecit dæmon artes consuetas. Famosus Necromantes fabulatus est contemplatum se anum ex magico speculo, haud pridem sacro tinctam baptismate, paulò post mortuam, dira extremis in inferis luentem supplicia. Squalore, macie, lachrymis, desperatione perditam, & horribili oculorum orisque totius specie, quæ inter medios quibus deuorabantur ignes fero lamentarerur simplicitatem suam, qua se cultu abiecto Cocincinensium Deorum, veteratoribus ab Occidente circumforaneis aqua præbuisset exsecrabili tingendam quæ facit Christianos. Se nunc id facinus cruciatu inexplicabili pendere; proin si qua illum suorum, & patriæ moueret cura, denuntiaret iis suo nomine, à fallacibus illis occidentalibus barbaris quàm longissimè cauerent, nisi vellent id crimen iisdem secum pœnis rogorum atrocium emere. Hæc dum passim cantaret homo scelerosus, velut ictus suorum charitate, & verba demortuæ

82. Necromantes fidem impugnat. Christ.

mortuæ concepta iteraret, dici vix potest quantum iis terrorem iniecerit, qui in procinctu ad baptismum stabant. Verum hoc alius multo nocentior etiam aliquos euertit Neophytos, nonnullos, qui magno in numero nunquam desunt, veteranos licet, in frigus lethale fidei induxit. Auctore incerto, sed tanquam è cœlo vulgatum est, Patres colla eorum quos tingebant, dum precatoriis coronis redimirent, animas pariter ita illigare, vt transmissæ in alia corpora iisdem vinculis tenerentur. Sic procul patria miseros in Occidente renasci seruos, nulla vnquam spe libertatis, quòd essent semel à Patribus illo coronarum occulto vinculo in æternam obstricti seruitutem. Eo consilio in Cocincina Patres à Lusitaniæ Rege ali vt iis coloniis regni sui deserta frequentaret; vteretúrque velut oneratiis iumendis; eodem Patres doctrinam, ministeria, operam, res sacras dare Christianis gratuita: ad hoc porrò spectrum tàm formidabile à vulgi conspectu amouendum, comprehendi vix possit quantum sudarit Buzomius, quamuis parum apud aliquos ex voto, quibus animo insedisset incantamenti vim fore irritam, si à Christianismo deficerent, qua delusi fraude, ad euirata idola rediere. Sed ab hoc portento, quam immani tàm exitiali liberare delito, satagentem periculum grauius aliò auertit.

81. Itemque ex Metempsi-cosi.

Erat nostris vicinum ædibus templum quoddam multitudine statuarum, & concursu populi olim sanctum; nostrorum tunc vicinia infrequens, & propè desertum. Die ergo quodam ex inopinato, en omnium conspici signorum cadauera, diruta, humi strata, trunca, membratim huc illuc dissipata, tàm meditato eorum ludibrio, vt ad faciendam Christianis inuidiam & proritandum in eos populum conscitum videretur. Latebat facti auctor, sed communis rumor sacrilegissimo transfugæ adscribebat, qui eiurato baptismati, & Patribus, erat idololatra quouis infensior; causam is nactus qua nulla vberior ad exsaturandam rabiem, & exterminandos saltem Nuocmano Patres, stragem Illorum Deorum iis vltro imputat, testem rei se iactat oculatum, hortatur populum stragem in Patres consimili, offensos Deos vlciscatur; quo voces improbi & fungi hominis frigidè audiente, prodit Bonzius quondam Mandarinus, tunc diis attonsus, & vindex patrati in eos sceleris. Mandarinos appellat minoris subsellij duos qui paucis ab vtbe milliaribus habitabant, causam, suopte ingenio concinnat sed qualem decuit ab eiusmodi Architecto condi; P. Buzomium phalange valida Christianorum trecentorum (quorum tres citabat de nomine) templum maius Nuocmani aggressum, confusis suorum vocibus stragem Deorum Cocincinensium poscentem, deturbasse omnes altaribus, proculcasse, fregisse; ac dispulueraſſe; ventum inde ad sacras ædiculas antiquis regibus dicatas qui regni tutelares, & Præsides Semideorum titulo colerentur &c. Hæc vt impudentius mentiretur iudicum fecit absentia, & vetus auctoritas actoris. Delatam litem arripiunt auidè, Buzomium quem prorsus non norant, eiúsque socios, Bonzio rescribunt se pro sacrilegis damnaturos;

83. Idola confracta falsò PP imputantur.

turos ; contendítque in cassum Buzomius crimen depellere quod lex quoque vetaret Christiana ; defensionis eius tabellarium baiulum in carcere retinent , eique adiungunt , virtute insigni feruentem Christianum, alias Bonzium , qui vice illius claudendum carcere se lubens sistebat, longam ad hoc emensus viam vt vel peritiùs quàm tabellarius fidei rationem iudicibus redderet , vel si tantùm hanè ipsi aleam fortunaret Dei benignitas pro ea sanguinem funderet. His insolentiùs elatus, & quasi iam victor Bonzius accusator, violentiùs insanire , circumdare latronum manum ad inuestigandos Christianos , & eorum domos suis expilandas obiicere , nisi redimerentur pecunia , tenuitati miserorum non tolerabili. Ad hæc animaduertens delationem suam foris visam fuisse probabilem , idem in vrbe expertus est consequi , Mandarinis igitur ad primam lunam honores menstruos Confusio suo solemnitibus , eiulatu , querelis , vociferatione incondita templi fores pulsantur ; subit intrò perfidiosus Bonzius , cum turba sodalium ; post etiam digna tali marito vxor , & Bonziarum grex , confractorum Deorum analecta rete duplici portantes ; huius fabulæ scena suspensos Mandarinos eius artifex Bonzius voce lamentabili affari , viderent etiam atque etiam ora illa , crura & brachia diuina ; & sacrilegio quàm atroci Buzomius cum suis Christianis Cocincinæ violasset Deos : ouare illum nihilominus , & qui eius adhuc impietatem vitassent diis reliquis deteriora comminari ; sua hic cœlum tenere fulmina , nec terram dehiscere , hac tantùm ex causa vt sumendi tantorum scelerum condigni supplitij , integram gloriam iis reseruaret : quæ veterator nequissimus appositissimè conquestus libellum porrigit Magistratuum Principi Mandarino , quo seriem conficti narrabat criminis , & pœnam in reos postulabat , quæ profectò tàm cita expectabatur , & cruenta vt Christianis amici ethnici plurimùm suaderent , detractos collo precatorios globulos occultare ; cruces , icones , cœteras Christianismi notas domi recondere , & venerabile Iesu nomen foribus affixum rescindere , sed eò pauciissimos sua timiditas adegit , cuius illos deinde poduit grauitet cùm viderent animo constantes , ne pili quidem minimi iactura , ingentis meriti præmium assecutos. Lentius enim festinandum putauit Mandarinus non facile mobilis ad causam tàm insolito structam apparatu , & tanti strepitus nouitate Bonziis præsertim actoribus , suspectam calumniæ : quare huius strophæ inuentor Bonzius , Mandarini sagacis morosam prudentiam non ferens , tentauit litem Cacianum ad Tribunal Principis transferre ; Mandarinos rogans Oppidanos , duos illos , quibus eam primum commiserat ne grauarentur illic sibi adesse ; quod ij siniſtrum aliquid ex eo itinere augurati cùm dextrè admodum excusassent , & ipse Bonzius ab eo destitit ; haudquaquam verò Buzomius , sed defensoris omisso munere accusatorem egit oppressæ per Bonzios Christianitatis , atrocitate falsarum criminationum , impetrauítque à Principe , iudicem delegari , qui

euocatam

euocatam ad se litem, ritéque perspectam absolueret. Fuit eius sententiæ summa nec Patrem neque Christianos fuisse vllo modo confractorum Deorum conscios, nedum socios vel auctores. Commentum id esset Bonziorum vt sacrilegij proprij reos facerent Christianos. Quod Nuocmani publicè cognitum, publicam mouit aduersus Bonzios indignationem; Caciani autem (quo iudex cum Buzomio reuersus causæ omnis acta iuridica retulerat) toleratæ injuriæ honorificam mercedem, & cauendæ in posterum solenne remedium Buzomio tribuit, diploma Regium cum amplissima nostris facultate, vbicumque mallent habitandi, & legem Dei cœli palam ac liberè nuntiandi, adiunctis in eos pœnis grauissimis, quicumque Patribus verbo factóve molestiam facerent. Hoc triumphans Buzomius victricis causæ, & innocentiæ monumento ad Apostolicas functiones Nuocmanum regreditur, multò etiam quàm ante feliciùs, quod primi quoque publicorum Præfecti nomen ambirent Christianum. Sed eum mox acerbè pupugit, imperiosiùs & malè meditatum ab iis qui Macai præerant mandatum, dimittendi à nobis in perpetuum Catechistas, (quibus nihil esse nobis vtiliùs, nihil æquè necessarium poterat) ablegandi etiam deinceps nomen Tienciu (quod cœli dominum, & Sinis & ipsi Cocincinæ antiquo vsu sonuerat) & vocabulum *Deus* substituendi eius loco, intolerandum illi Prouinciæ ob ea quæ olim attigimus, & erat mandati ea seueritas vt Inspectori ad hoc ferendum, & inducendum misso, ablata esset penitùs potestas quicquam in oppositum audiendi: quod is mandantibus haud paulò consultior vidit suis oculis fieri non posse, nisi cum pernitie illius missionis, & Prouinciali perperam edocto, peiúsque cẽsenti, censuit haudquaquam venire in mentem potuisse vt iure id vellet, clausis potissimùm capessi oculis, quod rerum præsentia, à quibus longissimè aberat, pernitiosum fore conuincebat. Lætum Christianis anni huius 1623. exordium fecit nostrorum reditus in aulam Pechinensem, militari consilio poscente, approbante Rege, Leone & Paulo Doctoribus id satagentibus, at nostris contra pugnantibus, quod accerserentur commodaturi aduersus Tartaros suam in bellicis operam, ipsi ab armis, & bello alieni, nec vellent nisi diuina tractare. At Leo aulæ peritior quàm nostri, hac ait, filum acu inducatur, & mihi credite; Pechinum eos recipiet pro libratoribus & artificibus machinarum retinebit eosdem Euangelij præcones, quod vti coniecerat euenit. Missi Longobardus, & Castelblancus. Armorum se sistunt Præsidibus, & post singularem, humanitatis, & honoris exhibitionem, rogantur varia de Lusitanorum quæ expectabant auxiliis; nominatim verò de Patribus machinarum peritis quid possent ad bellum aduersus Tartaros sperare. At ij, vtcumque Præsides respõsum essent accepturi planè inquiunt, nihil quod arma & bellum attinet; vnum pensi habere Patres vt salutis iter, & felicitatis monstrarent hominibus, illósque in eam inducerent; nec fore, tamẽ præsenti negotio prorsus inutiles; adfuturos assiduè militibus, & machinariis qui erant Macao venturi;

84. Imprudentissimum Prouinc mãdatum.

suasuros illis in morum probitate cõstanter viuerent, obedienter parerent legibus, & Regi fide inuiolabili militarent. Quæ nihilominus inexpectata professio non displicuit Mandarinis, assignatur iis ad habitandum locus, & quod ea in aula solet; equi duo quibus pro arbitrio vterentur. Sed paucis diebus libelli supplices tanta vi tantóque numero apud Regem damnarunt consilium, armatos intra regnum externos in opem euocandi, vt eius magnam partem auctor, & suasor Leo, Pechinum propterea Nanchino mutauerit, non sine aliqua gradus amplissimi imminutione; Lusitani omnes remissi sint Macaum præter machinarios libratores; excluſi Patres duodecim in varias regni Prouincias designati. Accessit malis quod septem libratores cultu supra quam machinarios decuit superbo Pechinum ingressi, magnam sui mouerunt expectationem quæ sustineri facile poterat inter planè rudes bellici eius instrumenti; verum ad peritiæ specimen quod dare illos oportuit, seu mala fuerit machinæ æneæ materiatio, seu modus igniarij pulueris, plumbíve iniquior, in frustra dissiluit quibus occisus est librator ipsemet Lusitanus, & qui propiùs spectabant ex ciuibus aliqui. Hoc genti omnium maximè superstitiosæ tàm sinistri ominis visum est vt decerneret Rex omnesque Mandarini, nihil esse boni ab iis expectandum, qui tantum inferrent tunc etiam mali, cùm vellent bene amicis facere. Sic illi Macaum remigrarunt; de Longobardo & Castelblanco adiicere aliquid aggressi emissarij Scin, inhibiti sunt aliorum silentio; placidè itaque duo illi retinuere in vrbe datam sedem vt sapienter Leo prædixerat, vnis diuini obsequij occupationibus attenti, de quibus anno proximè subsequenti, nunc de congerie reliquoruorum pauca legam vt minus inter se simillia, sic & gratiora plusque vtilitatis allatura.

84. Lusitani & PP. Pechino remittuntur.

Vrbs est Nanchinensis Prouinciæ Cianscium, Suceo penè contigua, Chiutaisi Ignatij patria, illius nunquam satis memorandi ob nauatam Matthæo Riccio in re Christiana, constantem, operam? superstitem illic ab annis duodecim reliquerat filium Matthæum Chiu paternæ quidem virtutis æmulum, potissimum tamen Christianismi propagandi. Ad hoc Sciamhaio Patrem obtinuit qui breui quo licuit (nam diu Sciamhaio abesse non sinebant quibus præerat Christiani) paucos item Christo lucratus est, Matthæo ferè propinquos, aut intimos; at subsidio accurrens Alenius Apostolico vir ardens spiritu, Christianitatem illic instituit virtute, ac multitudine illustrem, & sacris intra vrbem, extraque ædibus ornatam cuius attamen labor censeri potuit abundè pensatus conuersione vnius Literati qui erat Matthæo consobrinus, & magnis deinde officiis demeritus est Christianos. Hic anno ætatis trigesimo quinto per lacinioſas illas examinum seueriſſimorum, & scrupulosas moras, summum Doctor attigerat gradum, & quidem inter alios supremus, Colij scilicet seu Censoris. Quodque vt rarum, sic prorsus mirabile, Christianum prope, homo ethnicus iam viuebat, non dico tantum ad vitæ specimen, & iudiciorum in Magistratibus integerri-

85. Misericors ethnicus cõuertitur tantum.

mam

mam æquitatem ; sed virtute priuata, & propria quæ illum teneritate in miseros afficiebat tàm effusa, vt ab suis quoque magis prodigus audiret, quàm cautè liberalis ; præter quotidiana vitæ subsidia, mendicabulis erogata ; instante iam bruma, multos aduersus vim frigoris præmuniebat vestitu idoneo, & quos inuenisset iacere humi ad somnum proiectos, iubebat colligi, & lecto commodo iuuari ; quibus ille in calamitosa corpora, multis natiuæ misericordiæ assiduisque officiis, ad animæ suæ respiciendam infelicitatem, Dei misericordiam inflexit sed eo donorum cœlestium fœnore, vt sanctus euaderet, nedum Christianus. Cianscium reuersus ad parentalia materna, primum cœpit Alenium nosse, post eius consuetudine gaudere, mirari virtutem, & ingenij dotes, suauissimè ac sæpè colloqui, ex quibus Alenio pronum fuit insinuare illi vnum & verum Deum, inde Christi doctrinam & sapientiam, tùm immortalia, & æterna ; his mirè vir præstans & capiebatur, & assentiebatur vltrò, nec diu distulit profiteri se Christianum, quod solenni more vt significauit, sumpro ex altari Catechismo, eruditus est diligenti, & lenta Alenij institutione, in qua ex eo dàm quæreret, ecquid sibi sentiret inesse fiduciæ ad polygamiam eiurandam, quam vera Dei lex damnabat ; respondit illam se quoque damnare, quod nulla re alia voluptarias sectas relinqueret, nisi clara peruictus persuasúsque ratione Christianam legem, veram Dei vnius veri, legem esse, aptámque ex integra illius obseruatione animi salutem & beatitatem nunquam desituram, quæ id saltem à nobis exigeret vt vitæ huius caducæ ac fragilis carere voluptatibus omnibus libenter vellemus ad possessionem felicitatis illius sempiternæ tuto nobis æternùm asserendam. Baptismi lætitiam quem sacra suscepit Pentecoste, nomenque inde Thomæ tulit, nouo sibi auxit lætitiæ genere, quicquid simulachrorum illi fuit eo ipso die comminuit, proculcauit, in cinerem redegit, solitus antea singulis, etsi erant ingenti numero, prosterni quotidie quater, eáque luminibus, sacrificio, & odorum suffitu adorare. Palatij postibus edictum postridie appendit ; nec Bonzius, nec idoli Minister, intro pedem ferunto. Ianitor eorum mandata ; poscentium visere, ne capito. Quod fuit perinde vt illos pro fœce hominum palam traducere, contaminatura quam subirent domum. Indidem pariter ex portis Mueścinorum tulit imagines (idola sunt Gigantum corpore) quæ auertuncare putantur infortunia, & domorum aditu occlusis foribus arcere, vice autem illorum Iesu nomen augustum, & præpotens, in omnium prospectu reposuit. Cùm autem ad eum plurimi priuatim & publicè iis præsertim ex locis accurrerent, in quibus exercuerat Præfecturam (certè Alenius in partem illorum centum viginti numerauit) ad cohonestandum luctum materni funeris, expletis ille apud singulos vrbanitatibus solitis, profitebatur se esse Christianum, hoc est veri Dei scientem, & famulum, legúmque illius custodem obsequentissimum, quarum sanctitati

nihil Sinæ haberent comparandum; & quicquid eatenus laudarum vixisset, indignum laude, ad eas se credere; hoc primum ab ipsis renunciari suo nomine iis velle à quibus venissent. Inde illos ducebat in elegantissimum sacellum, vt Saluatoris effigiem adorabundi salutarent, audiréntque ex Alenio de inanitate idolorum, & scientia veri Dei, quæ rogabat ab se in patrias reuersi, suis repeterent; ipse in sua incredibili ardore nec minori fructu Christianismi propagationem cum Alenio promouebat; in qua hoc fuit admirabilior, quo desperatior auunculi eius conuersio, vt qui cultu Deorum pertinaciter insanientem Thomam assiduè sugillaret, exprobrarétque illi quod stultè & impiè ab Diis, & Semideis Sinarum, cœlo terraque metuendis, & gestirum fama regno glorioſis, transisset ad miserum, pauperem, patibulatum Deum; garrulitate infatuatus barbari hominis, & terræ filij cuius solùm natale esse oporteret infelicissimum si talis in eo adoraretur Deus. Sic insipiens ethnicus, & in sua sapientia delirans, qui tandem Thomæ adductus precibus vt de patibulo illo audiret Alenium, animi gratia morem gessit, itáque in sensus oppositos, & Deo dignos repentè transiit, vt nec Thomæ Doctori necesse fuerit hortari hominem, pergeret audiendo; neque Alenio vt fieret Christianus. Baptismo consecratus, fuit & ipse vnus ex primariis fundandæ tunc ibi Ecclesiæ fundamentis.

Tulit hoc item anno ex variis vrbibus copiosam messem nostrorum labor. Debuit Sciamhaium Pauli Doctoris præsidio tuta, tyranni Scin furiis illustrem manum centum viginti ethnicorum, quos pulsi ab eo, Sciatino Pattes illic baptizarunt: lepidum quoque illic remedium, quod lepidi iuuenes malo sui vicini extremo, extremum fecere. Habebat is domi populum idolorum, tántóque illa venerabatur metu, & horrore, vt putaret se mille sorbendum inferis, si vel tenuem admisisset de fallenda iis fide cogitationem; amentiam hominis alioqui amici dolebat familia Seueri, optimi Christiani, sed cùm vltra miserationem nihil agerent, duo eius filij iuuenes animosi, tacitè apud se hanc morbo illius comminiscuntur medicinam, die dicto illius in domum se penetrant, lararium subeunt vbi magno sumptu, laboris, odorum, & temporis, simulachra plus centum, infelix adorabat; impietatis hominem admonent, quàm nulla posset ignorantia excusare vt quæ diuinitati summæ debitos honores, truncis, & saxis tribueret; perguntque multis id sacrilegium damnare, ille voces in Deos maledicas ne pati diutiùs cogeretur, auribus obturandis manus ambas appressit; cui alter subridens quando inquit tàm duris quæ dicimus, & incredulis auribus accipis, proba certè tuis ipsemet oculis quàm vera sint, & hic iuuenes iniectis in statuas manibus, alias aliis tanquam malleis frangere, collidere, vertere, calcare truncas & mutilas, ne quod de illis superstes frustrulum restaret à condigna ignominia liberum. Propugnabat ethnicus pro Diis suis non impigre, sed cham

dùm alterum à strage totis viribus inhibet, grassatur in eam alter ferociùs; tandem frustra se esse intelligens, & tanti quod coram spectabat sacrilegij horrore syderatus præsentem, à Diis & crudelem expectat de iuuenibus impiis vindictam: sed ij peracto demùm negotio, accedunt ad eum alacres stupentem magnoperè atque indignantem quod suorum Deorum, fulmen in eos nemo excuteret, nemo terram iuberet, iis discedere. Ex quo suam dedoctus stultitiam sibique, ac Diis plurimùm irascens, hinc ait, mihi iam nimium liquet, certóque conficio me domi ligna & lapides, pro centum Diis coluisse; nam si estis Dij, vbi potentia? vbi sensus iniuriæ, & diuinitatis? si ne tùm quidem est cum crura vobis comminuuntur, & brachia, dùm ora & capita contumeliosè deturputa vobis amputantur, sed hanc vobis culpam non benè imputo, estis enim hoc solùm quod præfertis, ligna & lapides; Bonziorum est crimen à quibus deceptus sum, & meum, qui me illorum fraudibus dementandum permisi, & persuadendum vos esse aliquid præter caudices & saxa. Beneficis demùm iuuenibus & in suam vicini salutem industriis, placatus, & gratus iuramento firmauit se fore Christianum. Contigit alia Quamhaij clades, Sciaocensis vrbis maiori suburbio in Prouincia Cantonensi, quam cœlo vindice illatam dixere Christiani: erat suburbium cœnobio & templo celebre, cui olim domum incolebamus finitimam ac proinde Bonziis inuisam, quorum nos potissimùm factio inde pepulerat. Reuisens hoc anno Trigaultius residens illic Christianos operabatur sacris, cùm in se templum Bonziorum à summo corruens, Deos suos omnes ruina subita sepeliuit. Exciti fragore Christiani, cladis auctorem æquissimum Deum laudant, reponúntque Bonziis quod sibi toties exprobratum ab iis fuerat; templo illos carere, hortantúrque vt diis opem ferant, pressos collapsis molibus subtrahant, medicamenta contusis, & sauciis parent, & sandapilas mortuis. Cæterùm lætiùs culturæ nostrorum, Zurite, Tecinum, Hanceum eiúsque confinia responderunt quam loca reliqua; nec absque præcipuo fauentis numinis argumento; quale decrepiti Bonzij ad Christum cœlúmque vocatio. Is prima ætate causidicum agens cœpit (quod mirum in ethnico) conscientiæ verbere pulsari, quod artem exerceret cuius fructus omnis, laus & præstantia, mendaciis, fraudibus, & calumniis apud Sinas constaret, esset*que* latendo, & fallendo, aperto latrocinio par. Quare vt saluti non modo consuleret, sed meritis locuples gradum suo in paradiso sublimem obtineret, attonsus in Bonzium, vitam egit ad annos octoginta, spontaneis suis cruciamentis miserrimam, quoad morti vicinus, ad fratris filium ferri se voluit quamuis Christianum, vt illic placidè in eius sinu animam efflaret: ac mouere quidem huiusce monita de bono & vero religionis Christianæ, sed vis potentior diuini spiritus grande illud effecit vt spretis annorum quinquaginta, quæ sibi finxerat meritis, Christi anteponeret statim fidem, eiusque audiens

dolores morientis, dissolueretur in lachrimas, & se in terris infelicioré, & beatiorem, agnosceret neminem; quod & tàm diuturnas & cruciabiles ærumnas ethnicus perdidisset, & assequeretur nihilominus à Christo Iesu regnum beatæ immortalitatis pro quo nec illi diei vnius ieiunium donasset, quæ cum diceret, pectus continuo ex anteactæ vitæ pœnitudine tundebat, iisque illam deflebat singultibus vt rogandus fuerit ne vim tantam valetudini afferret: at is ea vi potius leuabatur, plúsque inde solatij ducebat, quàm incommodi, & laboris; morti demum propinquus expiatus est sacro baptismate, & in assidua Redemptoris eiusque Matris dulcissimæ inuocatione expirauit. Sequitur iuuenis Patre natus illustri ex Prouincia Fochiensi, curiosi ambo Christiani dogmatis pernosse fundamenta, de quibus sæpiùs iucundè audierant; sed hoc vtriúsvis aut amborum culpa discendi studium tamdiu languit, donec periclitari cœpit ex morbo filius, simulque diuinitus sentire mortem sibi à Deo infligi præmaturam ob dilatum suscipiendi Christi consilium; tunc verò dolore non consolabili, suam illam damnare, ac deflere negligentiam væcordem, multísque à Deo precibus inducias poscere per quas posset baptismo lustrari. Hæc acerbè dolenti, orantíque effictim obiicitur species linearum trium, noto charactere, sed manu ignota in aduerso parietè scriptarum: priori Deus hortabatur vt suus esse vellet, suámque illi ad hoc opem spondebat; altera illi addebat animos ad peruincenda quæcumque obsisterent, promittebátque multos illius exemplo ex æca simulachrorum seruitute, iter inituros æternæ libertatis. Consolabatur iuuenem tertia, spe ingentis boni, quod esset triennio post aditurus. Viso primùm turbatus prodigiosæ epigraphes; lectu mox & promissæ lætus, seque ipse vix præ gaudio capiens, Deo se in seruum obsequentissimum, & perpetuò constantem mancipat; inde ab extremis ita illico conualescit, vt die tertio cum parente, nostrum adiret Sacerdotem, à quo in baptismo nominatus est Michaël, parens autem Matthæus. Hinc fidem epigraphi, euenta magnificè fecerunt. Familiam suam Michaël, aliósque alibi complures, Ecclesiæ adiunxit; Matthæus ethnicis, Magister salutis eximius extitit; Christianis exemplar luculentum absolutæ virtutis, & Patre absente monitor optimus ad diuina. Eiúsque proinde gratiæ apud Deum, vt etiam difficilia facilè, petenti annueret. Ardebant incendio domus, eius palatio vicinæ, & in contiguam, flamma vento pellente grassabatur, proiectus in genua, & piam manu prætendens imaginem, seruari sibi intactum palatium orauit, statimque reflans ventus in ædes aduersas nondum igne libatas retorsit incendium. At enim vir sanctus suo minus gaudens & acquiescens bono quàm damnò anxiùs alieno, quo rebatur se domum ab igne redemisse: iterata pro miseris prece, ventum mox simul ignemque restinxit. Ipse beneficij accepti gratus, sibi & toti familiæ dierum aliquot indixit ieiunium, aliisque vltro perfunctus pœnis, diuinæ mensæ accubuit: triennium Michaël ita vixit vt vitam illius, quod datum antea fuerat nemini,

mini, ad posterorum documentum Christiani vulgarint, omni virtutis Heroicæ præstantia confertam; expletis demum annis tribus euocatus est ad magnum illud & ineffabile apertè videndum fruendúmque bonum, quod illi obscuriùs inscripto parieti promisso Deus monstrauerat. Fortunatissimo iuueni potest geminus aut secundus videri, annorum quindecim sanctus puer, cui vltra metas periculi vltimi, annos Deus produxit, ob vitam magnis virtutibus insignem. Parente vtroque maximè inuitis Christianus effectus, Melchioris nomine cum precatoria de collo corona, nō est veritus se illis sistere. Furere illi ad inexpectatum pueri facinus, indignari, sæuire, nullam eius vexandi occasionem præterire, contra ille crescentem in dies eorum barbariem, patientia minimè puerili, in argumentum meriti vertere; morem illis vbicumque fas erat gerere, duplo quàm ethnicus obedientiùs & celeriùs parere, maximè verò ardentibus opud Deum votis contendere vt cæcorum parentum oculos aperiret veræ, & sempiternæ luci. Vicit ferendo & orando puer, vidit ambos denique Christianos, haud sua quidem, quod ipsi aiebant, importuna suasione persuasos, sed exemplo virtutis, & vitæ totius integerrimo candore. Igitur aliquando vt consueuerat ad piscatum egressus in fluuio qui domum eius præterlabebatur, dùm cimbæ ex margine, retè pronior mittit, præceps in amnem prolapsus mergitur, hora ante solis occasum altera. Ingruente iam nocte, cunctantis filij suspectam mater habens absentiam in ripam euolat, cimbam oculis & filium quærens, retè solùm aduertit fluuio innatare, nec iam casus funesti dubia in eiulatum erumpit, & lamenta, obítque cursu ripam, si quod fortè illius vestigium cerneret; nec multum processerat, cùm videt puerum haud procul à terra in aquis sedentem, immobilem, demisso in sinum capite similem dormienti; inclamat incerta, num viueret, expergefactus nota voce, admirans circumspicit, & quis, ait, me fundo aluei quo præceps rueram eduxit? nec de loco vbi constiterat, vel horarum trium quem dormierat somno quicquam præterea referre potuit. Quidam eius virtuti, miraculum assignarunt; alij sacratæ quam gestabat ad pectus agni ceræ. Annum claudo discessu P. Ioannis Rocca quem cœlo maturum fecerat annorum labor trium & viginti quos in Sinis colendis sudauerat. Luxit eum cum omni familia, veste mutata Doctor Paulus, tanquam alterum patrem à quo erat in Deo per Christi lauacrum genitus. Sed faustissimum Christianis principium iniit annus sequens, voluentis æui quartus supra vigesimum, morte feliciter infelicissima, sanguinarij tyranni Scin, eorum carnificis, regni olim Colai hoc est in publica re administranda post Regem primi. Contigit Aprilis vndeuicesimo; vulgatam, ex templo vbique plurimi ex omni ordine venere nobis gratulatum; multi ex animo, quidam ad speciem, quæ primas ferè partes agit in vrbanitatibus Sinarum; excepti omnes vultu tristi, & miseratione detestabilis animæ, post temporariam hanc mortem, in

85. Pueri ad Christum fortis conuersio.

86. Tyranni Scin obitus, & Patrum in eo modestia.

in supplitiis æternis æternùm victuræ. Nostrum nemini excidit lata vox, nullius frontem explicuit rei optabilis nuncius; quod emuncti virtutis æstimatores Sinæ hòc sincerè magis fieri iudicarunt quò viuenti tyranno, & Ecclesiam lanianti plus bonotum à Deo precabantur, quàm malorum ab eo tolerarent. Secutus est miserum quintodecimo post die Colaus Ho iuratus & ipse Christianorum hostis, breuique spatio potentissimos suorum carnifices, furore, ac vita Christus exarmauit, & factionibus impiorum, à quibus cruento faucis pretio Christianorum exilia, & tormenta emebant. Accessit his Ecclesiæ prosperis, Pauli Doctoris in Scilan prouectio, hoc est Assessorem in Prætorio Rituum, & peregrinorum; nec multò post Doctoris Michaëlis in pentarcham vrbis Pechinensis cuius partes quinque suum habent singulæ Præfectum, vno tantùm gradu à Protege distantem. Postremò Ignatius quamuis nondum adlectus in Doctorem, compertæ tamen aduersum Tartaros in bello prudentiæ, adscitus est inter quinque armorum Consiliarios, vixque inito Magistratu machinam disiecit prætextam falsis suspicionibus in Lusitanos Macaenses; tetrà in Christum compactam. Degebant Pechini Longobardus, Diaz iunior, & Adamus Scial, hortabantur hos Paulus & Leo Doctores, librorum Riccij aliorúmque Patrum editionem iterarent, exemplarium millibus triginta, ad instaurandum toto regno bonum nomen, & clarum Apostolici muneris; sed cùm deessent rei tantæ sumptus, viam Deus suggessit, qua illa auctoritas diu attrita, non modo resurgeret, verum & cresceret. Triplex in cœlo conspectus fuerat lunæ labor, superiori anno primus; alter & tertius, huius anni Aprili, & Septembri. Prædictionibus Adami Scial ad amussim omnes adeò respondetunt, vt Astrologi Collegæ, & Mandarinorum præcipui, integrandum censerent apud Regem negotium de reformando Sinarum Calendario abaco, & præficiendis operi Patribus, præter quos nemo posset ei vel arte vel ingenio sat esse, mouit præterea in Prouincia Pechinensi hoc anno terra, & bonam eius conuulsit partẽ, quæ rei ambiguæ nouitas librorũ segentem, peperit infinitam, quibus in errores à vero tàm deuios, & monstrosos ière Literati vt viderentur inter se ludere ecquis ab eo discederet longiùs. Silebant ad hac interea Patres ne immodestiùs tot Magistris sese intruderent, iisque crassam suam & stolidam ignorationem exprobrarent naturalium causarum euidentiori explicatione, quàm vt posset iis earum inscitia condonari: rogatus sæpiùs Longobardus vt suam nihilominus sententiam diceret, de prodigiosis illis euentibus, eam scripto libro, vt in Mathematicis valebat plurimùm, doctè complexus est, tulítque hoc primum operis pretium, quod Literatos sui puduerit, & supprimendas lacubrationes verecundè ad se retrahere nisi sint, quas ambitiosè in publicum miserant. Deinde vt librum Longobardi Regno vniuerso notum facerent, & illustrem, arcam, vt aiebant, inuentoris, quod Philosophiam Sinarum omnem ab æuo latuisset. Postremò (quod

Mors item Colai Ho Christ. hostis, &c.

Contra, Mãdar. Christianorum, prouectio.

87. PP. Pechinum recedent, Calendarium instauratur à nostris Sinarum rogatu.

(quod iis vbique solenne est) cùm palmam nobis ingenuè cederent in morum scientia, naturæ, ac Mathematicis, magnam ipsi Sinæ promeretentur laudem synceri ac nobilis animi, atque ab inuidia remoti, quæ nidulari præterquam in vilibus, & abiectis ingeniis non solet. His adminiculis reflorescens nostrorum in aula existimatio, aditum iis primum in Prouincias dedit Euangelij sarculo intactas. Dedit quoque Pechinum aliquam iis messem adscriptorum ad fidem ethnicorum, pro suspicionibus eius aulæ Regisque ipsius, parcam; quos formidabiliùs terrebant nouarum sectarum insidiæ, quam aperta vis Tartatorum. Sed ex veteribus Christianis vnum cœlo hic annus adscripsit plebeium hominem, virtute haudquaquam plebeia, primum illic in Christo Riccij filium, & Benedicti appellatione ex sacris fontibus planè non vacua ab eo insignitum; regiæ illius Ecclesiæ tantis nunc porrectæ spatiis tunc veto nascentis primarium lapidem. Admirationi Christianis & exemplo fuit annos quatuor supra octoginta, in omni officio religiosæ charitatis; illud peculiare quod post adoratas quotidie in templo extra vrbem Redemptoris & Virginis icones prosternebatur ad Riccij sepulchrum quater, eiusque dulcem memoriam, dicta, gestáque cum lachrimis, iucunda narratione recolebat. Restitutis demùm in Regis gratiam Patribus Longobardo & Diaz, seque in publicum iam proferentibus, Simeoni sancto geminum aliquid optimus senex incinuit, vt cui nihil in vita restaret cur viueret, postquam nostros, quod vnum optabat, cernebat in aulam reuocatos; hinc morti parandæ feruidè incumbens poscebat illam citam, & facilem, ne familiolæ tenuis, prolixo languore grauaret inopiam idque sibi concessum agnouit, cùm à templo regressus aliquãdo, dixit se quatriduo post in viuis non fore: huius dies tres salutãdis postremùm Christi, & Virginis imaginibus insumpsit & Magistri sui Riccij sepulchro, quarto die ad Patres in templum venit, vltimáque ab iis impetrauit sacra, etsi non alio moribũdus quàm deficiẽtis naturæ morbo; post domum vt potuit se trahens cùm decubuisset, familiæ suæ benè precatus est; vnóque ad eam documẽto omnia complexus, præcepit sic viuerent vt legis quã profitebantur poscebat sanctitas, & mercedis quam præstolabantur munificentia, ad quam properare se aiens animã efflauit. Parentatum est illi à Christianis velut Patri, humatúsque est propè machinarium Lusitanum, quem diffracti tormenti disiecta æra nuper necauerant, nam illic, inquit, quietiùs mansero; inde alacrior cum antiquo Christiano ad iudicium extremum surrexero. Martio ineunte Sinas ingressi sunt operarij tres, cautis, & longis itinerum flexibus, P. Iacobus Rhò, P. Ioannes Froez, & P. Alphonsus Vagnonius quem in Europam tyrannus Scin retrudi edixerat, cúmque is non esset qui premi latebris deberet, nec posset vsquam in Prouinciis australibus ignotus apparere, vitari placuit nouas apud Regem, accusationes Doctorum Christianorum Sinensium qui dicebantur Patres in regnum iuducere, eam ob rem in remotissima missus est, vbi ciuium ad fidem probata

88. Vita & mors primi Christiani Sinensis sancta.

docilitas, & Doctoris Philippi pietas, fratrúmque secundi Literatorum ordinis duorum Stephani, & Thomæ, expectantium nostrorum operam fruges spondebant vberrimas; de quibus proximè, nam cadente hoc anno illuc tantùm peruenit. Laudauítque mirificè accuratíssimum laborem & formam Christianæ institutionis ad quam Neophytos Chiocciani finxerat P. Rocca, in Prouincia Chianti; quod tanquam specimen communis diligentiæ nostrorum ad formandum vbique in ea Christum ex eodem Vagnonio refero. Ait enim Romam ad Lusitanæ Assistentem, grato foret ac pio R. vestræ spectaculo Christianitas hæc à P. Rocca fundata, & prouecta: componunt eam ferè Literati, & honestíssimi homines, sic tamen seduli ad diuina vt sacris ambiant in casbasea castula ministrare, ornare altaria, operam omnem Ecclesiæ præstare Deum cantu & verbis habere perpetuo in ore, ac licet ab rebus externorum valdè abhorreant, quæ tamen in his ad cultum animi, & Deum attinent, iis singulariter affici, nata est crescítque nunc etiam inter angustias paupertatis, & insectantium, aduersariorum, ex quo illi progressus feliciores auguramur. Nobis domum facit sacra ædicula cum tuguriolis duobus quæ sediculo, lectulo, mensæ palmo implentur penitùs, sed iis mentem Deus voluptatibus diffundit, vt sua Romanis, & Conimbricensibus Collegis non inuideamus ambulacra.] Quod idem cum Rocca pronum fuit & aliis dicere, sub noctem præcipuè post laboriosum diem, cum vacua opera se domum reciperent. Caifuni certè in Prouincia Honana quadrimestri toto nullum Trigaultius, Christo lucratus est; sed quo erat iis sterilior in speciem labor; eò vberiùs interiora gaudia exaggerabant solidum meritum voluntatis, diuino vbique nutui conformatæ, fiebátque non rarò, vt messem sæpiùs sementi grauiditas falleret, & vice versa de inculto solo messis opima diuites agricolas, quò intelligerent in perducendis ad Deum animis, Deo omnia, nihil sibi arrogare, vt qui reuera nihil possent, nihil agerent, nisi manum aratro Dei spiritus admoueret. Cæteris Patribus nouas dedit hic annus Christianorum colonias, & veteres auxit, Sambaiæ maximè, ideirco hic memini, ne prætermitterem conuersionem decrepiti supra octogenarium quinquennis. Capularem senem, obstinatè, ac frigidè in exitium pergentem, incredibili dolore prosequebatur filius Christianus, nihilque precando, suadendo, terrendo præteribat, quo illum à præcipitio arceret. Cui senex vitæ anteactæ laboris plenus, ecquis, aiebat caput quassans, Deorum omnium is modo æquus est, vt esse omnino Deos decet, inferis me addicat; vt tutè mihi pergis o cinere, si vt vixi hactenus vixero; quantumuis durum se mihi præbeat cognitorem, nec homicidam profecto me, nec furem, neque adulterum, in omni vita vsquam comperiet, sed è contrariò, pium misericordem, ieiuniis, Bonziis, peregrinationibus intentum paucos singulariter addictum. Hac præfidentia, quanquam sui delectus ignoratione, peribat miser, misero filio, parentis interitum assidua lachryma-

89. Neophytorum eximia pietas.

90. Senis stolidè præfidentis conuersio.

lachrimis deprecante. Viginti ergo quàm obiret diebus, respexit Deus salutis suæ cupidam indolem, nec malignitate animi, sed cæco errore ab ea prolabentem, mutata subito in aduersum mente, accersit filium, si nulla est inquit, præter Christianam, vt inculcasti toties, ad salutem via; cur Patrem mihi non aduocas, qui vel nunc proximè moriturum in eam inducat, nec sinat totum & æternum mori? dicto citiùs adest Pater, suæque iam hominem perinde amentiæ, arrogantiæ, meritorum in Deos immemorem, vt si nunquam antea illos nosset baptismo expiat, iis animi gaudiis delibutum, vt crescentem in horas mortis cruciatum eorum sensus opprimeret; gratulabatur sibi apud inuisentes, tùm Christianos, tùm ethnicos, & suspicite, aiebat, felicitatis meæ miraculum! Christianus sum; meus idem est, & cœli Dominus Seruator meus Iesus Christus eiusdem filius. Vitam denique, & vocem in suauissimis cum Deo colloquiis absoluit. Illic præterea Doctor Leo nepotes quatuor cœlo dedit, ipso adhuc in vitæ limine, Christi sanguine candidatos, quibus inuidenda esset potiùs ætatula innocens quàm dolenda mors præcox: sepulti sunt festiua in veste, interque lætos Ecclesiæ cantus, admonitique Neophyti defunctos iis affectibus prosequi quos sperata illorum, vel desperanda salus exigeret. Doctoris matrem secuti paulò post fuerant nepotes; iuuerat eam Alenius ad parandam mortem; Rex titulorum ornarat insignibus qui tanto dignam filio decebant, & qui præcipuo splendore familiarum stemma nobilitant. Illustriores Leo putauit fore ipsius exequias, si ad eas ornandas nullius ethnici admitteret manum: capaci, de more & pretioso clausum sarcophago cadauer, in aula palatij maxima locatur, programma illi altè imponitur, quod cubitalibus literis, defunctæ nomen, & decora, præferret, quóve sanguinis gradu parentantem attingeret: quæ satis prolixa narratio subiectam hanc solet habere dedicationem [mortui spiritum, esse Dominum eius aulæ, fuisséque hanc ei sacratam] ad hæc idem qui exequias celebrat, Mandarinum cuius sit illi auctoritas grauior, attratus conuenit, & multa procliuatione ex eo poscit, vt supremam addat programmati manum; hoc est vltimum eius characterem, tenui perstringat penicilli ductu, qui tanti est, vt hoc solo firmum ratúmque putetur fieri, quicquid de mortui laudibus exponit inscriptio. Adest Mandarinus solenni pompa, & habitu aulámque ingressus funebrem, inuitanti quater demisè prosternitur, vicémque ab eo eiusdem recipit honoris; inde vbi mensæ ad hoc paratæ assederit, circumsistitur domesticorum, & rituum agmine, programma hic signandum exhibet; alius penicillum; iste sepiam odoratam, eique diluendæ marmor; omnia elegantissimè ornata. Assurgit denique velut cogitabundus Mandarinus, & serium aliquid apud se agitans; admoto dehinc oti penicillo, siue humectando, siue anima sua imbuendo, manu tandem protensa, magna specie maiestatis, subscribit vltimo characteri jota, quod tanto molimine parturiuit. Inde

91. Funus matronæ nobil.

gratiarum actio multiplex, & repetita scena rituum vrbanorum, & appensum sarcophago programma, inter clara deinceps monumenta familiæ seruandum. Nullus erat Hancei Mandarinus quin ambiret ad tantum inter Sinas opus à Doctore Leone inuitari; at is humilem Literatum prærogatiua Christianismi, & virtutis ethnicis omnibus prætulit; illum quin etiam minimè passus est, id sibi aut matri de genibus obsequium funebre præstare, ne videretur cœteris posthabere, quem sua religio, & virtus anteponendum suadebat. Neophytorum suffragia tametsi pauperum libenter admisit qui ad defunctæ leuamentum precaturi in aulam conuenerant.

Sed præter has mortes, quibus acerbè frangebatur, Leoni discrimen incubuit, quo tantumnon domi cum suis crematus est. Lacus est Hancei piscium tàm ferax, vt multa nummorum millia quotannis fisco reddat; immunis est angulus à piscandi iure, facerque idolo cuipiam, tutum præbet piscibus asylum, quam immunitatem à piscatoribus Bonzij caro emunt. Ripa Deorum templis, cœnobiis Bonziorum, & Literatorum musæis prætexitur, ex quibus quod illic habebat Doctor Leo iussus est aliò transferre; sed is ita pressim respondit Proregi vt occasionem edicto dederit, euertendi cœnobia omnia, & templa, quòd piscationi haud minus officerent quam musæum Leonis, & census sui parte fiscum minuerent. Edicto insani Bonzij furere, minari de cœlo extrema omnia, populum ad ignem, & sarmenta contra Leonem incendere, nec facinori peragendo aliud defuit præter ducem, & minantium contemptum qui exertis gladiis negabant se velle sacris ædibus superstites viuere; eò occubituros sua manu, mox vt iis assulam detrahi cernerent. Hoc mortis & vitæ angusto Doctor Leo, familiam omnem, ipsósque pueros seuera obstrinxit dierum trium inedia, cuius tertius dies periculo finem imposuit, priori edicto contrariis iussibus per eundem Proregem antiquato. Nunc antequam cætera exequor, huius anni signanda nomine, indicandum est obiter quod erit postea ex proposito tractandum de propudioso Eunuchi dominatu cui regni totius imperium, suíque adeò Rex ipse manciparat. Primas iam annos octodecim in aula tenebat Colaus Ié, integritatis, & sapientiæ gloria & nauata tribus Imperatoribus regendi opera, ob quem eum Rex columnam regni cognominauerat. Hic vilis semiviri, & quales Eunuchi sunt, ad seruitutem nati, pertæsus imperium, abdicare se Colai officio maluit quàm capessendis impuri mancipij nutibus supremum Regni ministerium fœdare. Causariam itáque ab aula, cui par iam non esset, missionem facile impetrat, sibi secúmque in posterum quod vitæ supererat in Fochiensi sua patria victurus, & regnaturo impotentiùs Eunucho campum vacuum relicturus: nihil nobis & Regno tanti viri iactura, venire damnosiùs potuit, cùm inter ethnicos esset nemo, qui tanto studio afficeretur nostris rebus, professúsque sit in discessu F. nostro Pasqualio Mendezio Sinæ, cuius virtutem singu-

92. Colai ethnici egregia in Christum propens.

Lariter

lariter amabat ; in Prouincia Fochiensi, haudquaquam se alium quàm Pechini fore gestaturúmque se continuò in oculis Patres (hoc est vt Sinæ intelligunt) inuigilaturum nobis sollicitè, vt quos sciret à multis iisque potentibus insidiosè impugnari. Sic in nos affectus Hanceum descendit, vbi Alenij obsequiosas salutationes gratissimas habuit, condixitque se postridie apud illum cum aula sua fore, ad Redemptoris effigiem adorandam, sed hoc fidei sacræ à supremo post Regem capite, decus pariter & emolumentum interuertit Mandarinorum vndique multitudo, quorum excipiendis officiis distentus, stare promisso non potuit; aliam ad ipsum Alenius minorem Christi effigiem sub discessum tulit, quàm veneratus est religioso magis animo quàm ciuili, agnouítque in illius vultu diuinum aliquid, admirans se illo aspectu ignota eatenus & incredibili perfusum voluptate. Adiunxit & aliis ab Europa munusculis Alenius planisphærium factum fabre, cuius vsu & arte cùm mirificè delectari Colaum cerneret, iure, inquit, tibi vir maximè! leuia, sed non leuis ingenij probantur, essesque alia his consimilia ingenti numero, nec sine admiratione laudaturus, quæ tamen apud Europæos, oblectamenta sunt duntaxat fatigati doctrinis maioribus animi, quas tibi ah! si libuerit audire, alias profectò cuiuscumque vsus & pretij, tuo indignas ingenio, & sapientia putabis; tùm digressus in beneficia quibus Riccium & nostros, annis quadraginta omni ope, infestissimis temporibus constanter fouisset, significauit non potuisse nos absque ingrati animi vitio, premere illa inter Sinas, sed nostro latè quaquauersum vulgasse Occidente; ipsius prosperis, & felicitate perinde vt propria lætatos, gratulatos esse honoribus, & sublimitati, parcas tamen has esse ac steriles gratias, quæ de perituris, & in peritura desinerent. Sibi nisi obstaret, promptum, (ac ne ipse obstaret enixè petere) beneficia illius solidioribus, & æternis rependere gratiis, bonisque tùm summis, tùm immortalibus. Longè alium esse à Rege Sinarum cœli Regem; cœli Regiam ab aula Pechinensi; beatitatem cunctis exaggeratam bonis, sed aura quauis, aut morte diffabilem ab immortali, & nunquam desitura; verum ad hanc vnum patere aditum, professionem legis Christianæ. Animaduertit Colaus vir sagax Alienum ex animo loqui, & desiderio inflammato felicitatis sibi procurandæ, acturúsque cum eo de illa per otium, itineris reliqui eum sibi asciuit comitem, & primas honoris semper illi per diem in sua Prætoria detulit, noctes in alia nauium agebat Alenius. Sed occurrentium stipante se densiùs in dies pompa, prout fiebat patriæ propior, & officiosis honoribus, ne momento quidem parcentibus quod posset vacuum Alenio dare, rogauit illum primo verè adesset, auditurum se cupidè de quibus instituerant tractare; promoturúmque illius operam ad conuersionem animarum in Prouincia Fochiensi. Sibi quidem ex schola veteri, & Magistro Confusio constare, vnum esse orbis huius Monarcham, terrarum, & cœli Dominum; proborum remuneratorem, & scelerum vindicem;

esse verò eundem vniuersorum conditorem, & conseruatorem quamuis antea ignorasset, iis sibi ab eo tàm pressis, tàm euidenter probatum argumentis, vt spretis in perpetuum idolis, vnum illum deinceps mundi esset auctorem, & Rectorem adoraturus Deum, liquere sibi de sanctimonia diuinæ legis, tùm docentium verbis, tùm Christianorum expressa moribus, tùm Philosophorum Sinensium antiquis placitis mirificè congrua; & eius quidem obseruatione libenter se fore Christianum, sed à baptismo & credendis quæ omni oraculo Christiani censent credibiliora, auerti se duplici ex causa, Vanlié scilicet Regis sui ac Domini veneratione cuius olim decreto essemus regno pulsi; & reuerentia diuinæ maiestatis, quâ indignum censeret & incredibile, Deum pro hominibus hominem fieri, & humana pro iis mortémque adeò probrosam ab iis perferre. Post hæc duobus donatum flabellis, quæ Christianismi, & eius encomio eleganter ornarat, humanissimè dimisit, adiunctis comitati fidis, & prudentibus monitis quibus illum par fuit præmuniri ad firmandam in Regno sedem, externis tantoperè infenso. Nos condito illum primo verè reuocabimus ad Colaum, referemúsque relegionis incrementa, quæ libro proximo suggerit sequens annus.

LIBER IV.

LIBER IV.

THESAVRVM hic annus 1625. & Sinis, & toti per orbem Ecclesiæ aperit, ignorato ab æuo defossum, nunc se ortu beato proferentem; floruisse nimirum Christi nomen ante annos mille, toto Sinarum imperio, denis tunc Prouinciis comprehenso, imperasse annis centum quinquaginta Reges Christianos, legémque Christianam vixisse, propagasse, ornasse superbis templorum basilicis, cultu, & honoribus Præsulum extulisse, tutatos demum esse aduersus hostes quos primordiis Ecclesiarum nascentium Christus patitur obstare ad corroborandam suorum constantiam. Nec enim tunc summa res, penes vnum erat; Reges habebat beneficiarios imperator, arbitros sui ac dominos, qui iura in populos pro libidine exercebant, horum subinde potentia, & perfidia abusi, Ecclesiæ hostes, solidis licet nixam fundamentis, quassarunt toties vt ipsas quoque sepelirent Sinensis Ecclesiæ ruinas, nec de iis testaret aliud, præter paucula illa, obscura, & arrosa quæ initio dedimus vetustatis sacræ inditia, nullius aut anni aut seculi inditio certa. Quæ verò nunc prodimus haudquaquam Sinarum debentur chronico, hac parte mutilo ac planè muto; sed antiquissimo lapidi, monumentis insculpto partim Sinensibus partim Syris quem in Prouincia Scensiensi alta humo effossum hic annus aperuit. Est verò illa Prouincia, materno veluti nomine cæteris veneranda, quòd eam primi feruntur habitasse Sinarum fundatores, indéque innumeris nepotum familiis in Prouincias propagati, quas numero quindecim nunc implent. Id eò fit verisimiliùs quò ex India Sinas terra petentibus primi occurrant Scensienses, vt qui Sifan versus, hoc est regnum Tibeti, & Cascaris, longiùs porrigantur, & Maurorum, Persarum, ac Mogoris mercatoriæ cateruæ, Scencium ad Septemtrionem appellant vniuersæ, quà murus decumanus Sinas adiungit à Tartaris. Sedem quoque ibidem multis sæculis Reges habuere in vrbe Sigan Prouinciæ Principe quæ suæ nunc etiam ostentat dignitatis antiquæ illustres notas, ædificia sumptuosa, & murum quo demptis suburbiis milliarium duodecim ambitu cingitur, tàm magnifico, & tuto, vt iure aurei cognomentum sit nactus. Huc nostri dùm parant Christi crucem inferre, annis saltem post ingressum in Sinas quadraginta quinque, Ceuce in oppido, leucis ferè Sigano decem, ædificij noui aperiebantur fundamenta; ad hæc fossores dùm solum expediunt, in marmor incidunt,

1. Marmor effossum Christiana insculptum doctrina.

quod

quod purgatum & lotum, inscriptionem exhibuit, manus eximiæ characteribus insculptam partim Sinensibus, partim peregrinis; nec magnoperè aliud præter casum in hac inuentione lapidis obseruant, qui eius hactenus meminere; sed in literis anni 1639. quas habemus ex Prouincia Scensiensi extat viri senis testimonium nobile, à P. Stephano Fabri Euangelico Heroe, tuguriolo excepti quod habebat inter tuguria deserta pendulum; narrauit illi senex multorum annorum consequenti notatum obseruatione, locum vbi defossa latebat marmorea tabula, fuisse semper à niue liberum, regionem omnem latè circum densèque occupante, hinc loco, thesauri (quem multum optabant indigenæ) suspecto, vel singularis cuiuspiam arcani, aggressos fodere, & hanc inuenisse lapideam laminam, nulli certè thesauro imparem. Curiosissimi antiquitatum Sinæ illarum pretium, annorum ex numero censent, iisque sua illa vt vocant suburbana musæa, quò doctiùs, hoc elegantiùs decorant; accurrit igitur oppidi Præfectus; legit quod poterat, & norat, ex quibus apud se nihil conficit, nisi arcanum quoddam ingens characteribus iis tegi, essèque rem antiquitate venerandam, ab vsque scilicet vetusta Tami familia regia, & Chienciuni ductam. Erat marmor palmis quatuor latiùs, nouem longiùs non crassiùs medio; surgebat ex summo quadratum aliud, toto minùs, quod sensim exibat in acumen cruce intus insigne melitensi, nisi quod paulò circum ornatior. Nouem sub ea characteres, terni tribus distincti ordinibus, totam occupabant quadrati aream; Maioris vero quadrati solum mille decem & octo habebat characteres, triginta vt Sinis vsus est, à summo ad imum diuisos versibus. Præter hos Sinarum characteres; limbo tabulæ inerant Syriaci veteres, sed ignoti, quin ne linguæ quidem fuit certæ. Edita Præfectus reuerentia vetustati, annorum quinquaginta, & octingentorum, occultis fœtæ mysteriis, Taosiorum in templum quoddam, tabulam transtulit, vno ad vrbem Siganum milliari, basique ibi sub conopio imposuit, alterámque illi è regione pariter erexit vbi tam inuentionem, prope Ceucen ditionis suæ oppidum prosecutus est eleganti Stylo. Iam Ceuce, ac Sigan vniuersa in explicatione aut diuinatione obscurissimæ scripturæ Literatorum ingenia fregerat, cum vnus ex media illorum classe qui Chiugin dicuntur Pechini olim Riccio amicus, animaduertit quædam illic agi quæ de Christi fide ex eo audierat, ingentique mox folio, ductis vt solent è petra typis, inscriptionis integræ exemplum edidit, albo charactere nigra in area expresso; quod statim transmisit ad Doctorem Leonem à quo gestæ rei narrationem habemus fidissimam, & exempli eiusdem minora ectypa communibus studiis cum Doctore Paulo absque numero cusa sunt, adiunctis prooemiis, & necessario facularum quarundam ad ea intelligenda præsidio, quibus item me vti nonnunquam oportebit. Ne per cæcam noctem Sinensis contextus verbatim vt licuit conuersi palpando gradiar. Interpretationes habeo penes me octo; omnes quoad summam, auctorum peritia,

peritia, eaſdem; ſingulas, ex ancipitibus characterum quorundam acceptionibus in nonnullis diuerſas; hanc verò extra illas octo, vtcumque lectori, grata vel ſecus ventura ſit viſum eſt hic integram ponere. Si prius monuero, vbicumque occurrit vox Acin, Iudæam intelligi. Illuſtres, & legem doctrinámque illuſtrem; Chriſtianos eſſe legémque Chriſtianam. Sinarum Reges quos nominat (omnes de Tami familia) Mandarinos item & literarum & armorum, iiſdem nominibus, eadémque tùm ſucceſſionum tùm annorum ſerie referri ab antiquis Sinarum Hiſtoricis ex quibus colligas Chriſtianiſmi, quem lapis memorat, in Sinas introitum ad annum Chriſti 636. pertinere; hoc vero illius marmoreum monumentum fuiſſe anno 782. poſitum, niſi forte quid tribui deceat Doctori Leoni, ſuis ſaltem in rebus eruditiſſimo, qui annorum numerum vtrumque duobus quinquenniis anteuertit. Nouem itáque literarum quæ ſummam operis intra quadratam coronidem indicabant hæc erat ſententia; [Lapis in monumentum erectus propagatæ in Regno Sinarum legis Illuſtris ex Tacin;] (hoc eſt Chriſtianæ ex Iudæa profectæ) inferioris quadrati titulus [hæc proponit Chincin ex Tacin Sacerdos, & dicit;] fuſa inde hoc ſenſu narratio.

[Incomprehenſibilis, & ſempiternus; ſemper immobilis, & ſemper verus, cuius retexendo quod fluxit, non inuenitur principium; profundiſſimus, & puriſſimus ſpiritus; cuius, futura pertexendo non inuenitur finis, nihilum accepit, creauítque ex ipſo vniuerſa, & perfectè ſanctus, formauit ad laudem ſuam ſanctos. Hæc eſt diuina Eſſentia, ex vna ſubſtantia in tribus perfectiſſima, & originis experti Dominus noſter Olooya (opinor Elohà) partes mundi quatuor in Crucem diuiſit; commouit Chaos; duas condidit virtutes ſeu principia, (materiam, & formam) correxit obſcurum aërem, cœlum apparuit, & terra; inſêre Sol & Luna gyros ſuos, & ſuas dierum, & noctium vices. Sic abſolutis omnibus, poſtremò primum hominem condidit, intelligentia, naturæ bonitate, & tranquilla intra ſe concordia prædítum. Atque hic abyſſi iactationes conſtitere. Tranquilla erat hominis natura, & in affectus quorum erat capax, mala cupido nihil poterat. Suos ei laqueos tetendit Sutan (hoc eſt Satan) & in eos induxit miſerum, fœdauit itaque ſuæ innocentiæ candorem, abrupit concordiam, qua ſecum ipſe intima gaudebat; receſſit à magna, facili, recta, & ſecura naturæ lege; orta ſunt ſectarum capita trecenta ſexaginta quinque. Certatim eæ ſequaces ambire, iura illis dictare, illos adſciſcere, omnes ſimul orbem vniuerſum ſuis laqueis irretire. Alij creatis quæ pro libidine legerant, diuinos honores tribuere; defoſſi altiùs in vacuo plurimi, duo inter extrema quieſcebant, (ſe nempe de nihilo extitiſſe, & redituros in nihilum, quod eſt vulgare inter Orientales illos dogma) attenti alij fatorum decretis (ſeu propitiandæ potiùs fortunæ) ſis ſacrificabant, eáque inuocabant. Adhibebant quidam omnem induſtriam, in virtutibus ſimulandis ad fallendos ea ſpecie incautos, ſic

Hoc eſt plurima, quæ anni diebus indicantur.

mille erroribus implexa prudentia, vsusque bonæ rationis; & perturbationibus animi voluntas obcæcata, extra viam salutis errabant in tenebris, & in suis acquiescebant erroribus; cùm ex Trinitate nostra, nobilis & magnus Messias, velata sua vera maiestate, factúsque homini similis apparuit, cuius lætitiæ nuntium Angelus attulit. Puella domestica (hoc est Virgo) sanctum illi peperit in regno Tacin (id est in Iudæa) splendida stella eius inditium Posu Regibus datura comparuit (Posu quid sit, nemo adhuc diuinat) qui ad eius conspectum, conuenêre, tributum ei oblaturi. Reipsa hic præstitit quod viginti quatuor veteres prædixerant sancti, gubernaturum perfecto consilio regnum suum. Legem dedit nouam Vnius & Trini, & absque ambiguo strepitúque verborum, veram fidem, rectámque operationem induxit, vnde terram absolutissima purgauit veritate. Beatitudines enarrauit octo. Ad sempiternas tres virtutes aperuit aditum: (Theologicas nempe) vitam dedit, & mortem peremit. Inde clarum diem ad expugnandam vrbem tenebrarum eiúsque habitatores dæmones peruexit (limbum videlicet) qui audacia deinceps & viribus cassi remanserunt. Eductas illinc iustorum animas, misericordiæ suæ naui, tulit in regalem & splendidam aulam ad quam fuerant destinatæ; hoc modo naturam humanam restituit. Expletis deinde quæ agenda restabant, sub meridiem ascendit (in cœlum videlicet) libros nobis relinquens viginti septem, & continuando eminentissimo operi conuersionis mundi baptismum aquæ & spiritus, qui purgat, & mundat, & in purum candorem reducit. Crucem habent illius Ministri pro sigillo, in quam orbis quas spectat partium quatuor, nationes, nulla excepta connectunt vniuersas, & voce charitatis lucem ac spiritum omnibus tribuunt. Ad Orientem conuersi orant, vt iter ad vitam glorioſam in mentem reuocent. Barbam gerunt promissam, ne à communi hominum consuetudine discedant. Verticem capitis summum radunt, quo significantur, praui omnes eorum animo reuulsi affectus. Mancipiorum obsequio non vtuntur, quod mortales inter se, omnes putent æquales, quanquam pauperes alios, alios locupletes; thesauros non congerunt, imò sua conferunt in commune. Ieiunant vt seipsos doment, & vigilias protrahant; vigilant, vt meditentur, & perfecti euadant. Orant, adorántque per diem septies: viuis patrem succurrunt, & mortuis. Septimo quoque die sacrificant. Cor sibi abluunt, reddúntque suæ puritati & nitori. Vera est, mansuráque perpetuum lex ista, nec potest nisi difficile, nomen fingi quod in eam quadret. Quod tamen clara sint illustriáque illius opera, & effecta, Chimchiao rectè (hoc est resplendentissima lex) nuncupetur. At si destituitur Regum præsidio diffundi non potest. Reges sine lege, nullius sunt pretij. Si probè cum lege Reges consentiant, totus illuminatur, & condecoratur orbis. Regnante igitur Sinarum Rege celebratissimo Taizun, cum clara, & purgata prudentia & integritate; famáque

famáque illius Tacinum (hoc est in Iudæam) perlata, eminenti virtute vir, Olopuen nomine, post examinatum nubium cursum, (iter nempe diligenter prouisum) per magna pericula, & molestias Doctrinam veram ad eum detulit, & anno Cincuon peruenit Ciangan (nunc Sigàn Scensiensis tunc Prouinciæ Regiam.) Colaum huic misit obuiam Imperator Famchiculim, extra occidentale muri latus, solenni habitu à quo benignè exceptus est, & in palatium deductus, ad translationem sacrorum Librorum. Eius interea doctrinam Rex nosse voluit ferreque de illa iudicium, quam vt rectam verámque comperit, promulgandam mox sequenti Rescripto censuit. Anno duodecimo Cincuon Taizun. Nomen proprium Lex non habet; nec eius Sancti (Prædicatores scilicet) fixam sedem, sed eam vt prosint omnibus, quocumque circumferunt. Olopuen vir sublimi virtute, tàm procul quàm distat regnum Tacin (Iudæa) ad celsam hanc nostram Regiam, doctrinam, & imagines tulit. Nos eius doctrinæ fundamenta, inde ab iis quæ tradit de orbe condito, accurato examini subiecta, rem esse præclaram comperimus, non loquacem ac streperam, sed rationibus innixam solidis, cunctisque profuturam, eóque dignam quæ cunctis promulgetur. Post iussit ab vno è primis proceribus, eo Regiæ in loco qui Nimfam dicitur, ædificari templum ingens quod Tacini templum vocaretur, haberétque Ministros vnum & viginti, Regiæ Ceu familiæ vbi virtus, & imperium defecit, Laota (siue Laozun) quidam, sectæ auctor fusco inuectus curru in Occidentem profectus est (exiuit nempe extra Sinas) Regnante nunc illustri & magna familia Tam, afflauit ab Oriente (loco scilicet benè ominato) aura, quæ legis allatæ doctrina nos moueret, & refrigeraret. Post hæc mandauit Rex suam effigiem templi parietibus appingi, ex qua emicantes gloriæ radij portas illius Ecclesiæ illustrabant, mundóque vniuerso splendebit eius memoria. Considerate descriptiones terræ ab occasu, & chronica familiarum Han, & Guei. Tacin (1. Iudæa) regnum Coralliorum (1. mare rubrum) ab austro habet. Ab aquilone ad montes gemmarum excurrit. Ab occasu sunt montes florum in terra amœnissima. Ab ortu Cianfun, & languentes aquæ (maris mortui.) Texturæ ignitæ pannos regio producit (purpuram & cocum) odores quibus spiritus refouentur (balsamum, & aromata) & gemmas quæ noctu scintillant (carbunculos) non tolerantur illic grassatores, non fures, non lex alia præter illustrem (Christianam) nec honor dignitatum nisi merito virtutum conceditur. Læta illic omnia, & tranquilla. Terra ampla, spatiosæ habitationes, pulchra omnia, & magnifica. Successit imperio Caozun, & magnas aui cogitationes Patrisque ingens opus sapienter promouit. In Prouinciis singulis ædificari iussit Ecclesias, Olopuenum, habuit in honore; illúmque magnæ legis constituit Dominum, quâ Sinarum imperium regitur, quæ tunc per decem Sinarum Prouincias fusa est. Centum muros (vrbes

Anno Chr. 636.

Anno Chr. 639.

Hic loquitur Chimcin.

651.

nuratas) Ecclesiæ implerunt , Regnum literis & morum præstantia
619. floruit. Sed anno Seinlié , simulachrorum sacrifici in Tunceu , magna vi linguas in transuersum egerunt ad opprimendam calumniis , & conuitiis legem Christianam & anno Sientien exeunte graues in Sicao , iniurias fidei intulerunt. Erat tunc Scelohan (Ioannes) Sacerdotum antistes , & Chielie quidam , & alij ex regione aurea nobiles , Sacerdotes altissimi , & à caducorum cupiditate alieni. Hi rete simul resumere , rupta fila nodis adstringere , soluta retexere , illúdque denuo
Cœpit regnare 719. mittere (hoc est Euangelij prædicationem instaurare , vexatione duplici interceptam) indixit magnanimus Hiuenzuncitao Imperator , Principibus quinque vt stationi felici (Ecclesiæ) per se præsentes se sisterent , & repararent altaria ; sic restituta est in sedem columna , (Christianæ legis) cùm aliquamdiu prostrata iacuisset , erectáque in altum firmiter , caput glorioſiùs extulit. Sub initium anni Tienpao iussus est Caolieſu , veras Imperatorum quinque effigies (ex prosapia Tam, quorum erat Hiuen numero sextus) in Ecclesia collocare , quibus illuminata est vt sole terra , & quò celebriùs id perageretur , solidos centum ex serico pannos Ecclesiæ offerre. Quanquam præsens non adsit draconis barba adsunt eius arcus , & gladij. (Videtur inuere , imaginibus Regum solis , quorum est tesserarium scutum Draco , abundè inesse ad defensionem , quantumuis ij absint. Anno tertio Tienpao , Sacerdos Chieho stellarum ductu in Regno Tacin (Iudeæ) ad nascentem solem (versus Orientem) in Sinas iter instituit , eóque peruenit. Mandauit Imperator Sacerdotibus Lohan , & Pulun (Ioanni , & Paulo) septémque aliis , & sublimi virtute Chieho , vt in Himchin , locum palatij regij conuenirent ad ritus suos obeundos. Pendebant illicaltè in tabulis draconis literæ (Imperatoris verba in fidei commendationem) pretiosæ , purpureo , & cœruleo digestæ , stylus Regius (rescriptum regium) areæ spatium implebat , splendebátque ex loco edito instar solis. Tantum beneficium , ac donum æquat altitudinem montium ad austrum (incertum quos montes intelligat) & profundum Orientalis Oceani. Nihil dicta lex quod non sit factu dignum ; nec potest iustus quin eam obseruet , eámque obseruando gloriosam memoriam assequatur. Imperator Sozum insistens vestigiis , extrui præcepit Ecclesias illustris legis (Christianæ) in Limuu , & quinque aliis vrbibus. Felicem exegit ætatem eiúsque opera in gloriosis numerantur. Taizun Imperatór prosperitatem in sua tempora reuexit , & placida pace rexit imperium. Natali quolibet (Regis , an Christi ignoratur) mittebat odorum cœlestium ingentem copiam , ad renouandam memoriam magnorum operum, & cunctis illustribus (Christianæ legis) vt honoraret illos prolixiùs, sustentationem assignabat (de mensa sua cibos) ita res habet, & cum cœli natura corporatur sanctus (Rex cœlum imitatur) vtque cœlum producit omnia , & largè dispensat , simili modo Rex in suorum sustentationem. Nostro æuo Chienciun , modis octo claros & obscu-

Ann. 757.

Ann. 764.

Ann. 781.

ros (bonos & reos) remunerat, & plectit ; sed nouem alios vsurpat, ad amplificandam Illustrem legem (1. Christianam) vnde in regiones cœruleas (longinguas) se porrexit. Bene illi precemur ; id enim feciſſe cor eius pudore haudquaquam erubeſcet. Ad ſummam euaſit virtutis abſolutæ, humilis, quietis amans, procliuis ad veniam, in omnes miſericors, & tantæ liberalitatis vt ab ea excludatur nemo. Mirabilia ſunt legis noſtræ effecta, & opera vt habet cœlum conſtanti pulchró que ordine ſtatas, velut ſcalæ vnius gradus, pluuiarum vices, ac temporum, ſic probè in ea educati, omnes ſunt perfecti viuentes virtute, defuncti lætitia. Ineſt illuſtri legi hæc vis, & hoc meritum, quamdiu in iis qui eam profitentur, cum præceptis facta rectè conſentiunt. Yſu Sacerdoti dignitates & titulos Chinzu &c. attribuit, veſtem illi dedit purpuream (alij interpretantur violaceam) erat autem Yſu legis ſtrenuus propagator, pacificus, gaudens benè omnibus facere, operarius diligens in omni virtute. Venit in Sinas ex Vamſcecicim (neſcitur quis locus ſit) magnitudine animi, nominatiſſimas peruaſit generationes ; ſcientias proleminauit in decem Prouinciis ; habitauit primum in Regia, poſtmodum etiam locum inter Regum inuenit monumenta. Supremum agebat armorum Præfectum in exercitu Sofan, domini Tuemyami, nomine Cozuy. Socium illi Rex Sozun attribuit, & contubernalem eiuſdem tentorij militaris Yſum, ſed viuendi formam Cozuy gratia minimè mutauit. Dentibus ſibi & vnguibus valebat ; exercitui oculis, & auribus. Rem ſibi haudquaquam faciebat, imò in alios quicquid haberet elargiebatur. Eccleſiæ Lingen vaſarium obtulit pretioſum ; Eccleſiæ Cechi, tapetes ex auro contextos, & ſerico. Inſtaurauit vetuſtas ædes ſacras ; fundauit Domum legis (dicendæ forſitan, aut populo tradendæ) eiúſque porticus, atria, & cameras ornauit tanquam Phaſianos, qui multiplici colore turmatim volant. Et in operibus beneficentiæ ſeſe exercuit, alios non minus quàm ſeipſum amando vt à Porta Illuſtri (hoc eſt Magiſterio legis Chriſtianæ) Eccleſiarum quatuor, quotannis cogebat Sacerdotes, miniſtrabátque illis ex intimo corde, ſuggerens iis magna veneratione quod erat iis in dies quinquaginta neceſſarium ad fouendam vitam, quotquot ad eum ventitaſſent reficiebat famelicos ; veſtiebat nudos, curam gerebat ægrotorum, ſepulturam defunctis, & requiem ſatagebat Taſo, (Bonzius antiquus largitionibus in pauperes inſignis) magnam ſuis miſericordiis aſſecutus eſt famam, ſed eò minimè peruenerunt quò viri huius Yſu miſericordias vident pertigiſſe candidarum veſtium illuſtres (Neophyti ſcilicet) quare congruum fuit, eius hoc in ſaxo ſtatuere ſplendidum & durabile monumentum.

Eadem ſed breuius reperuntur.

Reſumo igitur & aio, carentem principio verum Deum, immobilem, puriſſimum, ſempiternum, creando, rebus dediſſe principium, nudaſſe terram, cœlum extuliſſe ; vnam ex perſonis (diuinis) factam generatione viſibilem, in hominem corporatam, & ſolis inſtar orientis

exterminasse Tenebrosum (Dæmonem) & stabilisse ex omni parte altam profundam veritatem. Splendidum Regem, inter primos Regum iure primum, occasione hac sapienter vsum difficultates complanasse; exporrexisse se cœlum, terram extendisse. Potita imperio stirpe Tam, venisse pariter illustrem Christianorum legem, ædificatas Ecclesias, ipsúmque pro naui, viuis & mortuis fuisse, auctam per eum faustitatem, conquieuisse orbem totum. Caozun imitatorem aui sui, templis nouis ponendis instituisse, pacisque palatiis, quæ resplenduere latissimè, terræque medium impleuère (sic Sinas appellant Sinenses. Legis veræ lux se latè distendit. Eius capita ritulis, tranquillitate populos ornauit, & gaudio ab omni turbatione alieno. Hiuenzum Rex sapiens veram Recti viam prudenter tenuit, quas Ecclesiæ donauit tabulæ, erant aspectu mirabiles, in iis enim florebant literæ cœlestis ipsius scripturæ, & pretiosæ Regum fulgebant imagines, reuerebantur illas proceres, laudabat populus, omnes lætis spectabant. Regnans Sozun ipsemet (in Ecclesiam) venit. Videndum se præbuit sanctus Sol, & noctem aura prospera serenauit, rediit in domum Regiam felicitas, euanuêre miseriæ in perpetuum, & simultatibus sublatis, terra nostra pacem obtinuit. Taizun obedientem sui virtus cœlo, & terræ æquauit. Vitam populo dedit, & secundò rescursu iniuit. Odores mittebat (in Ecclesiam) meriti testes: magni erat animi atque munifici. Conuenêre in eum Sol & Luna, (i. abortu, & occasu Reges ad tributum illi exsoluendum) Rex Chiencium à Septemtrione ad austrum imperans, prosperè agit in magna virtute. Maria quatuor eius armis turbantur, decem confinium millia; eius sapientia illustrantur. Splendet quasi facula in hominum interioribus, & videt omnia, sibi velut in speculo expressa. Orbem quaquauersum luce omnem perfundit, & nationibus omnibus barbarorum regulam dictat. O quanta & quam perfecta lex quæ se ad omnia porrigit; tentaui equidem indere illi nomen, sed quo tres nomine appellem qui vnus sunt. Regia præstare opera penes Reges fuit; mihi subiecto fas ea dicere. Quare hunc lapidem ad felicitatis summæ laudem, & memoriam erexi. Secundo anno Chiencium Regis, ex magna, & Imperatoria domo Tam, mense septimo authumnali, die septimo (dominico) fulgente sole statutum est hoc marmor; regente Ninsciu illustres omnes Orientis (i. totam Sinarum Christianitatem) Liu Sicuyen Mandarinus, Ciaoylan munus tunc obiens, antea Susuzaichium in Taiceu, propria illud inscripsit manu.] Hactenus Sinensis character, & scriptura, præter quam marginibus eiusdem marmoris, incisæ visebantur lineæ ferè duodecim quas nec Patres legere potuerunt, nec Sinæ cuius esset character agnoscere, qui Romam propterea missus, compertus est esse antiquus Syriacus, & in hanc sententiam traductus [Adamus Presbyter, & Archiepiscopus, & summæ inter Sinas dignitatis, Patre Patrum Hanan Iesua vniuersali Patriarcha sedente, anno 1902.

Græcorum

Græcorum. Dominus Idbuzad Presbyter, & Archiepiscopus Cumdami quæ regni est ciuitas, Mili filius (cui apud Deum pax) Belehh Presbyteri in vrbe Tahurstan, hanc tabulam posuit, in qua legitur descripta Redemptoris nostri administratio, & Patrum nostrorum prædicatio, qui post Reges Sinarum vixerunt] sequuntur aliorum Archipræsulum duorum nomina; vnius Archidiaconi; & Sacerdotum complurium, Syrorum, Æthiopum, & ex Prouinciis Ægypti variis. Discrimen verò Chronologum Syrorum, quod annis discrepat à Sinensi decem & trecentis, numerandi regula efficit non error. Sinarum annos à Christi ortu computamus; Syri cum Græcis à morte Alexandri, quæ Christum annis decem & trecentis præcessit; annus itáque mortui Alexandri tertius decimus in Christi primum cadens illam tollit trecentorum & decem intercapedinem annorum quam Syriacus inducit textus. Optandum hic foret, possémque vtinam, in lucem eruere, cuius tàm immani potentia factum sit vt florentis Sinarum imperio Christianitatis, superstes vestigium nusquam relictum sit præter hoc tot sæculis serum, & fortuitum marmor; totúsque ille annorum centum quinquaginta religionis Christianæ flos, & splendor sic euanuerit, vt nec liquidò satis coniiciatur extitisse, nisi lapidis indicio. Et silet hic planè Sinarum Chronicon, fide alioqui, & diligentia celebre, nec in Regibus Sinarum quos censet tabula, vllam facit Christianismi susceptí mentionem. Scripserit sanè ex Sinis non nemo, illorum historias de omnibus agere, quæ inscriptio tabulæ repræsentat, sed certè clausis viderit oculis non item legerit, quod negant nostri potuisse legendo se deprehendere. Ac ne statui quidem potest citra vllam dubitationem, fuerítne is qui tunc viguit Christianismi flos, à fœtore purus errorum Orientalium; & secta Nestorianorum quam in Cambalu sua Marcus Polus inuenit, an miserum quoddam extiterit cæterarum Ecclesiarum post ruinam & dissectionem analectum. Nec suspicionem eluit, probatæ doctrinæ inscriptio, cùm nihil habeat de duabus in vnam personam naturis; solúmque nominet Virginem, non vero etiam contra Nestorium, Dei Matrem; ac nisi quos nominat Syriaca scriptio Alexandriæ forent quàm Constantinopoli propriores, malè is quicumque fuerit audiret Hanan Iesua Patriarcha vniuersalis, quem in Ioanne honoris titulum, Gregorius Magnus tantoperè reprehendit, paulò ante quàm Sinis Olopuen Euangelium inferret. Sed detur quod licet coniecturis, vbi firmiùs aliquid non occurrit; sequamur nunc Patres in eandem Prouinciam Scensiensem, & annos simul duos 25. & 26. vna opera complectamur, quando implicatior inter se rerum nexus, non sinit illos inuicem seiungi. De statione nostrorum Pechinensi, dici iure potest quicquid alibi metebatur, fuisse illic satum, ob illum quem olim narraui immunerabilem vndique in aulam Magistratuum concursum, qui nostrorum imbuti sermonibus Christianismum plurimi probabant, & admirabantur; interdùm aliqui admittebant; in omnes ferè patrias, seu Prouincias reuersi

2. An. tab. hæc sit certè catholic.

3. Propagatio fidei præcipuè ex regia Pechinensi.

uersi tuebantur, & fauoris sui præsidio maximè iuuabant. Hinc iste fidei sacrosanctæ in tres Prouincias felix introitus. Erat in Scensiensi Prouincia Doctor Van Philippus, & repetita Sanuyen patria, defunctæ matri parentabat; distabat haud procul Cian Paulus, Siuzaij gradu insignitus, Patre natus palatij Præside, quem Sinæ vocitant cœli Mandarinum. Quod eius sit muneris Regi suggerere quos Magistratibus variis idoneos senserit, quibus Sinæ de cœlo nihil putant, posse venire beatiùs. Doctor Philippus Christi negotium in Prouincia illa prouecturus, dari sibi ex vicina Trigaultium impetrat, eumque ab Aprili, menses quinque solidos ægrotantem, ac sua demùm charitate incomparabili viribus redditum, Siganum ducit cum Cian Paulo; ad fundandam illic Ecclesiam & collocandam stationem, ò illum summis insinuat eius aulæ Præfectis, & Literatorum primariis. Domum quandam suam Paulus ei hospitio commodat, in qua Patris sui Mandarini suprema gratia & auctoritate tutus esset ab omni iniuria. Primos illo ex agro, rudi planè hactenúsque intacto, proinde operoso legebat fructus, cum casu non admodúm fausto diem clausit; eius tamen laborum pretium fuere nostrorum Chiancei statio, & nouæ initia Christianitatis. Iacet hæc ciuitas in Prouincia Sciansiensi; huc è Scensiensi contigua Vagnonius transiit, in conuersionibus animarum à Trigaultio cœptis strenuè sudaturus, tantus tamen agendo, & diligentiæ cùm esset tàm infractæ, vt multorum facilè impleret vicem, vix parti operis sat erat dimidiæ. Fecerat siquidem legis quam docebat, peruagata vicinos sanctitas, & Literatorum conuersiones ad Deum numerosæ, passimque celebris Neophytorum virtus, & mira interdum quibus supra naturæ ordinem patrandis, doctrinam fidei confirmabat Christus, vt euocaretur à multis populis, angeretúrque grauiùs quod negare se plurimis cogeretur, quorum multitudini par non erat, quàm gauderet paucorum quibus sufficiebat institutione. Menses decem Chiancei nondum egerat, cum diuina edoctos mysteria ducentos, Christianis adiunxit, in quibus sexaginta Literati, & ex his nouem iam inaugurati primo gradu, præter Vanfuos non paucos, hoc est, ortos secundo gentis regij sanguinis. Verum anno sequenti quinto & vigesimo æui huius, quingentos ex idololatris sacro baptismate expiauit. Excursiones autem sacræ cuiusmodi fuerint vnius successu colligatur. Pagus fuit milliaribus Chianceo non plus duodecim, illuc Vagnonius cùm venisset Christianum reperit neminem, trecentos abiens reliquit, & Catechumenos totidem; in perfectam frugem quoad rediret maturandos, eum verò ignem hauserant cum baptismo, vt quod inde ad nos scribebatur, tori spiritu arderent: ægrè verba infantes formare didicerant, & iam fidei tenebant rudimenta, multóque gratiæ lepore recitabant. Pagum nocte turmatim obibant pueri Christianæ doctrinæ concinentes carmen. Solitæque ad pensa operum feminæ in carmen æqualium

æqualium conuenire, cantu idololatræ profano, Christianæ seorsùm pio, laborem leuabant; ne ipsa quidem somniorum obiecta carebant diuinis quæ vaporato per diem animo noctu recurrebant. Sed cuncta præcellebat virtus, in Neophytis veterana, cuius exemplo erant Germani, Thomas & Stephanus qui Pechino Chianceum in patriam reduces, illuc vocarant Trigaultium, idque breui tulere charitatis in patriã præmium, vt exiguo numero, quem Deo Trigaultius iniiauerat, succedente Vagnonio accederẽt alij cateruatim, & Christianismũ confertim ambirẽt. Restat Alenio quid factum, quid Colao Ié videamus, quid data fide, ab Alenio Colaum reuisendi; iuuandi Alenium, ad proseminandum Euangelium à Colao. Nam promissis vterque bellè stetit. Habet Prouincia Fochiensis omnium fortè Sinensium minima, ciuitates sex supra quinquaginta, in iis octo dignitate & amplitudine, regionis habentur capita. Arces regiæ frequentes, portubus, sinubus, & fluminum faucibus ab ortu in austrum imminent, qua extraneas insulas in prospectu cernit. Asperis natura montibus interiora omnia occupantur, sed arte atque industria domitis, & in vsum planorum conformatis. Cum enim oriza qua fere aluntur nisi planis locis, & aquis residibus nusquam maturescat, artem ingenio suggessit necessitas vt plana in montibus conderet; illæsis tamen syluis quarum lignatio nullibi quam illic vtilior ob perpetuam nauigationem; ima ergo decliuia montium, ad eorum radices in planum deducunt sementis capax quam designant, muro rustico illud cingunt quà videtur terra nimium pensilis, ob eluuiones imbrium ruinam minari. Post hoc aliud inferiori angustiùs coæquant in loco editiori planum, & muro itidem fulciunt, aliáque deinceps gradatim, pro montis ingenio, arctiora; quæ suis aptum anabathris theatrum pulchra specie exhibent, maximè vbi sata verticibus montium propiora syluis nutantibus coronantur. Cùm autem interiecto mari Iaponiam, paulóque vlterius Formosam à fronte, ad austrum spectent Fochienses, nec patriis legibus teneri potuêre, nec Oceani horrore, quem tanquam certum naufragium Sinenses vulgò timent, quin externas illas adirent regiones, & periculorum assuetudine audaces, in Iauam, Cocincinam, Sianum, Cambogiam Moscum, serica, gemmas, argentum viuum & chalybem ferrent, cuius habent locupletes venas, & insignes fabros, naues quidem illorum, quas Cianpanes dicunt, non sunt vllo modo cum machinamento onerariarum nostratium conferendæ, sed hoc ipso suam in iis regendis artem, & fortes animos adeundis typhonibus, & tempestatibus, glorioſiùs afferunt, quæ ab Iaponia Malacam infestissimum nauigantibus habent mare. Illarum nauium quam fine numero infinitus sit numerus, inditio saltem sit eius hyperbole, qui scripsit moturo aduersus Iaponiam, Sinarum Regi Fochienses vltrò detulisse, iuncturos se Iaponiæ Sinas, nauium ponte continuo, qui milliaribus ferè centum ipsius exercitum eò transmitteret. Ambiebant hanc pridem operarij nostri Prouinciam, quod cæca nocte idololatriæ

4 Fochiens. naues sine numero, ars nauig. mira.

altius defossa, à spe salutis abesset longiùs, nec absterrebantur, propria quadam & agresti eius barbarie; nec idiomatis pro multitudine vrbium diuersis; nec turpitudinum fœditate, nusquam alibi apud Sinas propudiosiùs grassante; nam alia ex parte, aditus in Sinas dabatur per eam facilis, quod assueta cum exteris extra Sinas, non ægrè apud se illos ferret, & cerneret; præterquam quod hac Patres subituri essent in regnum commodiùs, si Cantonienſis Prouincia fieret prorsus impenetrabilis. Nam deformitate libidinum, idcircò parùm mouebantur, quod animaduerterent Iapones eadem infames lasciuia, repentè in Angelos, Christiano lauacro transformari. Nec nostros frustrata est sapiens, & pia coniectura: vrbem hodie vix habent Fochienses vllius nominis quàm religiosa Christianitas non illustret, & Patrum cura non excolant; quamuis principio, auarè fruges sementem pensauerint & Alenius multùm sudans, multáque expectans diu, pauca messuerit. Sed is fidei memor Colao Ié datæ, dierum itinere duorum ac viginti hominem requirens Foceum aduenit, (Lusitani, qua causa nihil refert Cinceum nominant) vrbs est amplitudine, & ædificiis superba diues commerciis, dignáque Prouinciæ Primatu. In ea pons visitur sesquipertica latus, longus centum quinquaginta, ornatus vtrimque peribolo stata densè per spatia, variis leonum & elegantibus statuis distincto. Omnia ex candido marmore. Appulsum illuc Alenium tria validè perculerunt, quæ exturbare hominem conceptis consiliis singula poterant. Aberat Colaus diei itinere, sed mente quàm terra longinquior. Terrebat Colaum Eunuchi Gueicuni supremum in aula imperium, nec ambigebat tanto se ab hoste re omni exutum, transportatum iri Pechinum in vinculis si (quod explorabat) comperisset Colaum extraneo fauere. Resciuit ad hæc Alenius Proregem aduentus sui præmonitum; dixisse, malis auibus venturum, quod sectator esset Batauorum. Batauos enim ante biennium eò audacia tulerat vt pyraticis cataphractis, nidularentur in exigua insula, Fochiensi obuersa littori, nec vlli Sinarum, habitata, nec ad habitandam cupiam permissa. Inde aliquot sensim extructis domibus, meditabuntur arcem Macao similem, armatisque confisi nauibus deprædabuntur Fochienses nondùm illorum hospitium, & dominium iam nacti. Quibus excitati denique Fochienses, in eos ducunt, nauim vnam incendunt, desiiciunt alias in fugam, & dirûtis omnium domibus, clades superstites, ferro vinctos Pechinum mittunt, vbi animam infelicem in carnificum manibus posuere. Hinc pronum creditu Proregi fuit, esse nostros eiusdem farinæ cum Batauis quod ab Occidente vtrique aduenissent, nec nosset magis vtrorumvis patrias, quàm terram incognitam. Tertium accessit, quod Foceï librum spargebat Literatus, quem in Christi legem & Patres ediderat, tàm execrandis farctum calumniis, vt propterea nostri Hancheo pellerentur; eum verò sceleſtus Mandarinis liberalissimè diuidebat, vt

vt quibus patris sui memoria (illic olim Proregis) eum faceret gratiosum.

In eas redactus angustias, fecit Alenius, quod fieri Deus ab ipso voluit, seque illi committens, ex eius vnius fiducia opem habere suspensam voluit, quam aliunde frustra expectasset. Die igitur sacro Pentecostes in humilem casam peregrinus diuertit, Collocato altari sacrificat, recurrentique mysterio congruam spiritus sancti lucem calamitosis populis exposcit; & sibi ad eos Deo mancipandos eius ignis scintillam, quo quondam in Apostolos effuso pluerat, quorum ipse dumtaxat officio fungeretur, dotibus, & merito careret. Hæc orans cum lachrymis, erigi se animo sensit, quámque in spes minimè vacuas, etiam post paulùm expertus est. Nondum biennium fluxerat ex quo Partes Ceum, ex baptismo Melchiorem Christo pepererant, portentosi virum ingenij, Michaëlis Doctoris filiorum Præfectum eruditioni, ea verò scientiæ omnis præstantia, vt ex eius furtiua lucubratione Literatus quidam, primas in examine Pechini adeptus sit inter illos trecentos qui Doctoris lauream ambiebant. Nominatúsque sit de more, toto imperio tanquam ingeniorum Phœnix, ac fraude licet paulò post deprehensa, pari vterque gradus omnis petendi multatus sit interdictione, alius innocens, alius furti reus; famam tamen, & decus in summa hominum admiratione Ceus retinuit, nec erat inter Mandarinos qui pro magno viro illum non coleret. Christianus effectus vt erat acutæ ad intelligenda diuina perspicacitatis, & ardore non segni ad ea euulganda, cœpit in natali Fochiensis Prouinciæ oppido, prima legis susceptæ semina iacere, inde cognito Alenij aduentu, Foceum illicò ad eum contendit, vbi obeundis cum eodem obsequiorum officiis apud singulos Magistratus deprædicauit eum ita magnificè in illa non modo Prouinciæ, sed scientiarum Metropoli, vt excellentia virtutum & doctrinæ cunctis esset venerationi; sub hæc etiam illi comes esse ad Colaum Ié voluit, qui milliaribus triginta dissitus in secessu suo rustico exploratorum vitabat oculos ab hoste capitalissimo Gueicuno sibi perpetuò incumbentes. Ac visendi quidem officio Colaus, hilaritate respondit ad speciem ficta, Eunuchi videlicet terrore nunquam non anxiùs, vt cui promptiùs nihil esset quàm suis odiis sacrificare hominem, iam priuatum; Patris tamen paulatim aspectu, animosior effectus, pristinas resumpit ad eum iuuandum cogitationes, & lucem diuinam Fochiensi Prouinciæ inferendam. Cœna illum dignatus est sumptuosa & splendida, cum Melchiore deductore; fratris inde filio commisit, vnáque ardentes ad Externorum Focei Præsidem commendatitias, quibus Præses omninò liberaliter satisfecit; inuisit enim confestim Alenium, & suo arctatum diuersoriolo in ædes transtulit, quas adeuntium procerum non aspernarentur superba fastidia. Defensionem eius in se ipse suscepit, & patrocinium concessæ Focei habitationis. Hinc diu, noctúque post Præ-

5. Focei tres diffic. Euangelij propag. S Spiritus P. Alenio complanat, illic mira præstat.

sidem Mandarinorum frequentia, qui perscrutati hominem altiùs, cùm deprehendissent maiorem famâ, & Melchioris claro præconio; amicitias cum eo iunxêre arctissimas. Ipseque adeò Colaus Patris benevolentia pellectus imperare sibi non potuit quin Focum veniret, tèrque illum adiret, cum solenni sua nobilis comitatus, & donorum magnificentia, parui ducens aliis commendasse, nisi suam & ipse operam illi commodaret. Leuia enim hæc videri poterant ad ea quæ Alenio parabat, velum nempe ex serico peramplum, Christianæ legis encomio, & laude Alenij, sua ipusis manu atque ingenio grandibus inscriptum literis, quibus significabat [ab Alenio persuaderi sanctam legem, dicendo & tacendo; rationum scilicet, efficacitate, & sanctimonia viuendi, seque suo vtrumque testimonio affirmare.] Quanti verò id esset ad Christianam rem vel inde conficitur quod præter alia nemo foret tàm amens, & impudens, qui legem damnaret, quam suo Chirographo, testimonio, & fide comprobasset, totius per annos octodecim, Præfectus imperij, & Administrator; Bonziorum nemo qui Alenium calumnia peteret, tanto laudatum oraculo. Nec diu solum pependit hoc velum in aula & omnium oculis, summus rituum Præses huic aliud addidit, aliud vnus ex Assessoribus, alij alia, Colaum imitati; quæ nolim perinde accipi vti apud nos æstimantur, gratuita, & blanda, speciosáque mendacia; suum illic habent tanquam decretorij pondus iudicij, iisque attonitus Mandarinaster ille, qui famoso libello Christi legem indignè secuerat, ac virorum tantorum laudatione tantumnon iuridica pro diuina lege, & Alenio, damnatus, infamis libelli quotquot retrahere potuit ectypa combussit, erroriisque veniam, & ignorantiæ Colao coram, ab Alenio rogauit Supererat vltimùm conciliandus Prorex Alenio, & pernitioso errore liberandus. persuasum illi fuerat eum cum Batauis eiusdem & gentis, & religionis esse, cuius erroris absurdum multiplex, classis qua debellati fuerant Batani, Præfecto sibi valdè amico, demonstrabat Alenius, ex Geographicis descriptionibus; hic verò locorum ignaros dedocens, confirmabat etiam longiùs professione legis ab iis dissidere quàm longinquitate regionum, quæ dùm amici & veri gratia inculcaret; venit Ciuenceum modesta legatio ab reliquiis Batauorum qui ea quam diximus proxima insula depulsi, mare interiùs ad Formosam tenebant. Poscebant commercij fœdus ab ea ciuitate mutuis conditionibus fidelitatis, & amicitiæ. Vrbis Rectores octoviri, cùm inclinarent animum ad hoc fœdus publico quæstuosum, mittitur à Prorege qui rem disturbaret idem classis Præfectus, qui partim suorum ciuium, præsenti Alenio frui optantium; partim ipsius Alenij studio illum duxit eadem secum naui Prætoria, & iis tanquam fraternæ benevolentiæ argumentis vt ambigeret nemo illum à Batauis longè esse diuersum, quem Batauorum hostis, & domitor tàm comiter & familiariter adhiberet. Sedem ergo Focei Alenius triplici metu expeditam, vt sensit consistere,

laxau

laxauit mox Apostolico igni quo insigniter ardebat viam, sed ea moderatione, ne præcipitando assequi præmatura, etiam partis excideret: quod in negotio Gueicuni Eunuchi præclarè ab eo seruatum videbimus.

Primus vltrò campus se illi obtulit serendus, Academia Foceensis ingeniorũ medulla, & delibatus Literatorum cremor, quibus morum vnà, & politicas virtutes tradebat Magister eximius. Is inter primos Alenium adiens post vrbanos ritus salutationum, summam ex eo petit sapientiæ Christianæ, tùm contemplatricis, tùm in actiones, vsúmque prodeuntis, quàm perfectum veri, & recti canonem minimè dubitabat quòd suo dignam sublimi præconio Colaus Ié illam iudicasset. Morem gessit quærenti Alenius, audientis tàm plena lætáque approbatione, vt diceret, quicquid inerat Confusio boni, Christianæ legis excellentia contineri, cuius de Deo & decalogo verba, Confusij dogmatis confirmabat. Postridiè verò suis stipatus Academicis cùm rediisset, rogauit Alenium omnium nomine ne grauaretur sua præsentia cohonestare primum illorum cœtum, verbáque ad illos facere, quod magisterij arrogans, & inuidendum munus cessisset nemini nisi quem animo concepisset, omnis sapientiæ opibus affluentem. Eo se confert Alenius & prolixis vtrimque obsequiis obitis, post ciuilitates proclinationum ad Confusij nomen exhibitas, quod aureis literis sublimè splendebat, cum iis cõsedit; inde symphoniæ grauis cantus, ad serenandas mentes, & rebus dicendis, tranquillitate docili præparandas; surgit cantu silente lector ex Academicis, & textum Confusij seu fortuitum, siue ad hoc studiosè quæsitum recitat alta voce, cuius hæc erant verba [legem cœli, naturæ legem dici; huius directionem, vocari viam; huius partitiones, & dispositionem, legis positiuæ censeri nomine.] Sub hæc librum Alenio defert qui ab Academiæ Præside rogatus in ea dicere, versóque in se nutu omnium inuitatus, pro legitima Sinarum in admittendis honoribus restitutione, diu ac sæpiùs renuit, tenuitatem suam, & muneris pondus, confessúsque doctissimi verecundiam excusans; quibus vicissim à Præside humanissimè dilutis, tunc velùti iussus, & vi beneuola coactus, aggressus est dicere [cœlum ex quo illa in nobis, communis naturæ lex, haudquaquam id esse quod suspicimus õculis, sublime, concretum, volubile, quod constanti vertigine circumfertur, & vario cœlestium luminum obiectu, flexúque stellarum errantium, solis potissimum, anni vices quater, mundi scenam quotidie mutantis; Palmare intelligentiæ, ac mentis opus esse, legem rationis hominibus insitæ, quod dictari non potuit à natura, rationis, intelligentiæ animáque experti, nec suis motibus viuendi regulam valenti nobis describere. Significari ergo illo textu, cœli Dominum, cœli vocabulo, fuisséque Confusij hanc mentem, ex multis eius Philosophiæ locis euidenter probari, quibus sibi est visus nomen idoneum diuinitati tribuere, cum rei supremæ, atque ampliſſimæ; nobiliſſimæ ac summè

6. Rogatus verba facit Academicis.

beneficæ, appellationem ei attribuit. Iam vero à Deo summè bono, cum nihil potuerit nisi bonum creari, hominem profectò bonum similiter ab eo conditum, & hanc ipsi legem bonitatis impressam penitus, fuisse ab initio perfectam, caruisseque difficultatibus quibus in recti perspicientia cæcutimus, & in boni executione laboramus] hic in culpam Adami necessariò digressus, eius docuit pœnas, & refusam ex eo in eius posteros diram tabem; cæcitatem ignorantiæ, conflictationem nobiscum intestinam, & turbam malorum quibus miseri iactamur & perimus, nisi præsidio Religionis Christianæ ab iis asseramur. Primum hoc Alenij specimen acri versatum est impugnatione, non ostentatione quidem ingenij, aut confidentia, sed intelligendi studio ac sciendi & sapientes illos miris modis incendit ad sapientiam legis Christianæ inedificatam veteribus ipsorum principiis, & dictaminibus optimæ rationis, quam ipsorum Magister Confusius, sectatus fuerat Magistram. Multos addixit Alenio experimentum hoc de se iis præbitum, vt imbuerentur ab eo diuinis penitiùs, & conditionibus animi sempiternis. Latè verò per vrbem, & magnificè celebratus, ea cœpit, Doctorum præsertim, frequentia, consuetudine, & amicitiis obrui, vt impar oneri ægrotaret. Dedit primigenius eius labor sacro fonti, quinque ac viginti, Siuzaios Literatos, & senem à puero Deorum cultui incoctum, qui fortè obiter Alenium audiens de vnius Dei agentem maiestate ac necessitate, Diis aliis iratus, quos sibi diu multos quæsierat, omnes congessit in aceruum, subiectisque pro fomite, quæ caro à Bonziis emerat in futurum æuum diplomatis, cremauit, & sparso in auras cinere, lætus Patrem rogauit fieri Christianus, quando iam ethnicum exuisset. Quadrimestrem Focei stationem abrupere vicinarum vrbium Mandarini, quibus Alenium enixè petentibus parere, nimium quantum intererat ad stabiliendam in ea Prouincia, veræ doctrinæ propagationem, & patrocinium. Habuere illum apud se alij quatuor, alij dies sex aut plures, octo mensium spatiò, raptúmque ad se certatim, audierunt, cum incredibili approbatione sanctimoniæ Christianæ, & desiderio præmiorum quibus immensis auctoratur, sed animo ad ea pusillo & impari. Optassent sibi Christianorum mortem, & vitam ethnicorum. Lucro tamen fuit ad communem salutem haud sanè mediocri, clara illa solidéque asserta religionis veræ notitia quàm Magistratibus etiam supremis, & Literatis omnibus reliquit, ne quando rerum ignoratione, scriptis illam aut edictis vexarent. Mandarinos saltem quinquaginta, ordinis quoque gradúsque amplissimi, Christianæ rei defensores addixit, & patronos, tulítque ab iis & eorum manu luculenta eius palam probatæ elogia, publicè proponenda & præfigendas librorum frontibus commendationes, quos de vario credendi, viuendíque argumento in publicum miserat. Demùm regi potentem administrum conciliauit sibi tàm constanti affectu, vt imperij statim post Colaus, Christianissimi, & Patrum causa nihil non egerit.

Senex ab eodem repéte conuertitur.

egerit; ac nisi adeò fuissent suspecta tunc, & lubrica tempora primores quidam inter Literatos conuenerant de ædificanda nobis domo, & Christianis templo, eorum largitas, Gueicuni Eunuchi suspicaci, & fera gubernatione elisa concidit; omnes enim cœtus (de virtute, aut Deo agerent) insectabatur crudeliter, complures denique in variis vrbibus, Himhoæ potissimùm, Cathecumenos signauit Aleenius, de quibus plenius, dicendum recurret.

Tribus his quæ dixi præsidiis, fixas obtinebamus & apertas sedes in Prouinciis septem; intra Cataium aquilonem versus, in Pechinensi, Scianſienſi, & Scensiana; intra Manginum austrique inferiora, in Nanchinensi, Fochiensi, Cechiana, Chiansensi. Has excolebant Prouincias è nostris viginti tres, nouem stationibus diuisi. Sinenses quatuor insignes Catechistæ, reliqui Sacerdotes, diuersis in Europa ex nationibus oriundi, & iuuenes decem Macaenses, quos educabamus in spem Societatis promerendæ; tincti fonte diuino vltra numerum sesquimille haud multùm exiêre; quod non fuerit triplo maior, tyrannis obstitit Gueicuni, cui cœtus omnes etiam modici, erant immaniter capitales. De quo felicitatis aulicæ ludibrio, & fortunæ pila, vetat nexus gestorum consequens à nobis omitti, quæ illum egere tàm altè præcipitem vt in aureo scrinio, missum inueniret elidendis sibimet faucibus laqueum, & gratiæ loco, morte vna periret qui sexcentas esset commeritus. Erat hic semivir ex pago Prouinciæ Honanæ; quo patre ignoratur. Pechinum profectus in spem tunc macram meliorum; Eunuchis palatij se dedit in famulum, quos inter, & greges feminarum, nemo masculus extra Regem: cordatum huic & acre ingenium præ quàm soleat adolescentibus, è luto & triuio natis; qualis tota illa fœx spadonum, quantumuis potens, & populis timenda. Verum catè aduertens hæsurum se semper in sordibus ministerij famularis, si omnium rudis, solis manibus niteretur, ingenium quo multùm valebat tentauit literis experiri, sibique prope vna discipulus, & Magister, illam breui attigit elegantiam scribendi sublimem ac nobilem, quæ vna Regi legenda obiicitur. Hinc iam habilis mente, & consilio suo vti, gradum promouit vlterius, seque inter Eunuchos Principis secundogeniti, solerti captatione penetrauit, quem nihilominus præsensione quadam tacita diuinabat rerum quandoque potiturum, posseque si gnauiter ageret, famuli nomine in eius dominum transire. Callidè igitur ingenium Principis obseruare, omnes eius amplecti, & venerari nutus, ad omnem eius se motum, colorem flexúmque fingere, mutare denique amicitia seruitutem, cuius amicitiæ nexum, tantùm abest potitus Regno Princeps laxauerit, vt multò etiam quam ante arctiùs strinxerit. Inerant Principi duo quædam præclara & imperio digna; Iustitiæ neruus, & Clementiæ amor, cœpítque hoc vtroque brachia suscepta; Monarchiæ sic amplecti molem, vt parem vbique antiquis Regibus censerent vniuersi, & hac item vtraque

7. Gueicuni Eunuchi Sciana fortuna.

vtraque sibi via eundum intelligens Vafer Eunuchus, quocumque penderet Dominus eo ferebatur, sic tamen vt publica omnia in priuatum suum commodum exirent. Quibus artibus id affecutus est, vt quo illum insani tollebant ambitus, reipsa regnaret, Regis vacuum nomen gereret Imperator. Populis tributa intolerabilia remisit; afflictis Prouinciis de Regis ærario succurrit. Reductum militem ab expeditione in Tartaros, etiam tùm Sinis infestos, pœnis, aut præmiis pro cuiusque merito affecit. Magistratu fungentes Mandarinos, iniuriarum in populos, dantes sibi vicissim veniam & accipientes, alios redegit in ordinem, alios ita castigauit; nemo vt deinceps ad integritatem gubernationis noua egeret admonitione. Nemo sibi secretum sat tutum sponderet ad impunitatem: percrebuerat vulgò rumor, geniis quindecim familiaribus illum vti, qui sub noctem quotidie ad eum referrent, quicquid eo die in assignata sibi Prouincia non modo factum, sed prope cogitatum esset. Erant hi genij, exploratores infiniti, quorum lyncea indagatione, palatio clausus, introspiciebat vniuersa. Tantùm porrò vbique præferebat sinceri, aut ficti erga Regem amoris, tàm ardenter eius studebat famæ, ac bono nomini, vt si rem filij, non domini gereret. Vice versa Rex prosequebatur semivirum filij affectu, & Patris nomenclatione, quæ iam latè vulgata pro monstro est habita non minùs ab omni decoro, quàm ab omni natura alieno.

Sed fortè amoris impotentiam excusare, Ministri vtilis poterat opera, nisi proiectæ confidentiæ amenti studio, totum se illi cum Regno permisisset; quod ei ius summæ potestatis, immane, & insolens ne quis Gueicuno contenderet æmulus, Prætoria sex tractandis publicis instituta; Colaósque ipsos, sapientes senes, Regum ab æuo monitores & Patres Spadoni subiecit, cui tunc supremos imperij vertices sublimè calcanti, non satis caput integrè constitit. Dementem se primum & iudicio captum exhibuit, postea crudelem. Palmaris fuit stulti hominis conatus, vt gradum sibi scelere stabiliret, quem erat adeptus probitate. Ratus enim quod erat, non passuros tot regni Ministros Principes, vilissimi homuli indigna imperia, eneruandam sibi statuit eorum, potestatem, vt alieno si saperent malo, sin minùs proprio discerent se nihil esse; nihil posse nisi à Gueicuno, penes quem omnia, expectare. Prodendi huius consilij articulum præbuit, demandata sibi ad Regum sepulchra peregrinatio, huius parem superbæ, & impudenti pompæ nemo vnquam spectarat mortalium, quòd præter alia, vni sacrum, & debitum Regi honorem vsurpasset, sternendarum sibi arenis flauentibus viarum ad milliaria duodecim, quanta erat illa peregrinatio: rediturum excepit ipsa Regis sedes, comitatúque longè quàm priùs mirabiliori Pechinum detulit; aduentanti aula ex more obuiam dùm pordit, iubet nutu superbo procul stolidum animal; (eius apparitores armis) illos Regni supremos Præsides, gestatorias suas omittere, ac sibi de genibus, fronte humi abiecta procumbere.

Offendit

Offendit ea res grauiter Pechinum vniuersam, multísque iam iratos nominibus Mandarinos egit ad laxandam querelis indignationem; per calcata regni primaria capita ingressum vrbem vile mancipium; abiectos ad pedes lecticariorum imperij Rectores, ab homuncione quem Regis gratia non posset in tantum apicem tollere vt natiuo illum ex quo esset concretus, cœno absolueret; palam facto fecisse agresti, & sordido, quàm esset impar fortunæ nobili, & magnæ. Prouidam sane bonámque naturam quæ sterilitate, monstra talia damnasset, fore alioqui vitam hominum miseram, nisi belluina istorum improbitas cum iis interiret. His & similibus quæ sagacem Eunuchum minimè latuerunt, vindictam reposuit inter Sinas, si quæ alia, grauem & acerbam; Mandarinos omnes gestatorio interdixit quod insigne honoris præcipui, quo super populum, humeris hominum ferebantur iis detrahere, nihil erat aliud, quàm illos plebeiis æquare, malebántque, vt sunt exquisitissimo læsæ dignitatis & gloriæ sensu, domi se claudere quam notas exuti suis gradibus solennes, in publico cerni. Depressionem nobilium fœdam, secuta est fœdior lutulentæ fœcis prouectio, Eunuchorum scilicet omnium, qui perinde ac forent in suo Queicuno Regis Patres, ima licet è classe seruulorum insolescebant palam ferociùs: huic mancipiorum abiectorum impudentiæ inhibendæ, Mandarinis maioribus ausis maiores duos ex iis iuridicè cædere vilissimos, & à trulla setuos; pœnam hanc Queicunus apud Regem criminatus est tàm dolenter, vt milites cum carnificibus illicò mitteret ad inquirendos Mandarinos pœnæ illius auctores æquissimos. Ex iis qui primus in manus illorum incidit, fustuario publicè est necatus; alter iis se viuum sepeliit latebris vt nunquam postea visus sit; infamem reliqui carnificis manum, morte spontanea sceleratiùs præuerterunt, fuitque hic primus sanguinolentæ missus tragediæ qua ampliſſimus Literatorum Ordo Queicuni gratiæ litauit. Stragis causam breuiter hic tango, quod nostris quoque cum rebus coniuncta sit.

8. Academiæ Litt. ethnicorum vtilis, Christianismo.

Paucis ab hinc annis Literati, Vusuiæ vrbe Nanchino proxima, coierant in Academiam, in qua de moribus tractabant; & optima gubernatione, quod institutum & fama celebre, & fructu euidens, propagatum est cœtuum numero in varias vrbes australium partium, velut membra vnius corporis, nec erat ferè Mandarinus alicuius notæ in illo quatuor Prouinciarum tractu vasto quæ præcipuè studiis, & ingeniis florebant, quin iis sodalitiis nomen daret. Præerant quibudam Doctores Christiani, Leo, Paulus, & Michaël; laudabant ea Patres maiorem in modum quòd Academicis Christianum sensim afflarent spiritum qui præter diuina, morum quoque iisdem incumbit documẽtis, sed in præstantiori argumento. Præclarum denique inuentum eò plausus tulit, & approbatio, vt sumptu liberali ædificaretur etiam Pechini ornaretúrque magnificè instituti illius formæque sodalitas, cuius docti circum parietes virorum Illustrium fulgebant scriptionibus eruditis in-

laudem virtutum diuersarum quarum eximia commendatione celebratur potissimam Colaus Ié, reliquorum Magister, & parens. Hic ergo ex Academia Mandarinus grauis, qua boni publici detrimento, qua regni dedecore diu indignatus, quod imperij Sinensis immensa machina semiviri vnius indocti & vilis ministerio & libidini versanti crederetur, libellum Regi obtulit supplicem, quo illi diserte censebat incommoda, quæ imperitia Euuuchi arrogantis & potentia impotens Regno inuexerat, nunquam antea ex omni memoria soliro nisi sapientum, & Doctorum consiliis permitti. Rex inficiari ea incommoda nec valens, quòd manifestiùs tenerentur; nec culpam damnare cuius erat ipse auctor primarius, silentio respondit, quo illic molesti interpellatores plectuntur à Regibus. Sed eo silentio nihil exterritus vir fortis, alterum Regi libellum ingerit priori acriorem, & exaggeratum grauioribus querelis, quo Rex item in reiectitiis posito superiores Mandarinos maximè offendit quorum magna pars, Academici præsertim libellis materiam suppeditauerant. Ergo hinc veri nimium augures, malorum in dies ingraueſcentium inter se statuunt ab aula secedere, iacturáque omnium dignitatum præuertere maculam quæ apud posteros erat iis hæsura quòd ruinas imperij sub Rege femina,& spadone ministro spectassent otiosi, cuius probri erat tãta indignitas,vt esset crimen ab eius aspectu procul non fugere, multóque atrociùs,eius in publicum quotidiana damna patienter ferre.Eam ob rem permulti singulis libellis sed communi consensu supplicant, liceret sibi abire Magistratu,& priuata domi, atque ingloria, sed insonti vita contentis viuere. Multitudine illustrium supplicum consternatus Gueicunus interibat, nisi sua illi fauisset vafrities trita sceleribus,&vsu doctissima Imperatorem iuuenem quò vellet flectere. Sistit illi se mœstus,& humilis,ac siue præmij,seu gratiæ loco infimè supplicat, leuari honoris pondere cui se sentiret nimium imparem; missionem sibi cócederet si minus extra palatium, saltem inter familiæ onera. Fore illi facilem iacturam seruuli, cui nihil ineſſet ad vsum boni, nisi quod vita sua plus eum amaret, iussáque ad hæc adiungens lachrymas, quid enim, ait, hominis sum; ad Mandarinos tot ac tantos, quorum alioqui diuinam prudentiam frustra requireret administratio publicorum, si velle pergeret sua cúmque opera in iis vti. Atque hic productis Mandarinorum codicibus, postulata eorum Regi explicuit, seu minas, inquit, quibus meam in aula stationem discessu suo vlturi sunt. Iteratáque contestatione tenuitatis sua, & fidelitatis, Regi auctores libellorum de nomine censuit; qui conturbatior primum postulatis, mox causa illorum cognita qua se dolebat iu Gueicuno spretum, indignabundus libellis subscribit; abirent si vellent, se nihil vetare, imò si nollent etiam abirent, illos ab se vltrò ex aula pelli, honorum insignibus, titulis, & iure spoliari, Mandarini officium ac nomen iis in perpetuum abrogari, classéque inter opifices artifices, & plebeios æternùm ignobili, cum parentibus & familiis

familiis damnari. Quas pœnas Sinæ, putant vulgò tàm sæuas vt malint dementes, nece voluntaria defungi quàm huic dedecori superstites viuere. Sortem illi suam in speciem miseram, causæ gloria læti solabantur. Sedes illorum vacuas sibi emeruit competitorum turba venalium Queicuni adulatione eiusque sequacium; quin se magnam quoque ab eo putarunt gratiam inituros Academici de quibus diximus infensi prius Gueicuno, illique inuisi, si pulsos ab eo insectarentur velut hostes, staréntque ab huius partibus. Illam enim Gueicunus non Literatorum, sed perduellium academiam vocitabat qui regni habenas Regi molirentur eripere, & veterum temporum prisco vsu eas Philosophis tradere. Scidit ea res Pechinum in Academicas factiones, & nata est illic Academia priori contraria, quam aquilonarem, à situ nominarunt, vt priorem illam nuncupabant australem; aquilonares Eunucho addicti, proiecto pudore, nundinabantur seruiles ambitus captandis honoribus, & beatitatem suam omnem habebant, in mancipij superbi affectatione repositam, susceptásque pro illo inimicitias, non ferro à quo Sinæ abhorrent, sed crudelibus libellis exercebant quibus apud Regem proscindebant australes, referebántque ab eo semper exulcerati in eos animi, rescripta; quale inter alia fuit, cum sex perillustres ex ea Academia Mandarinos diu excruciatos necauit in carcere, alium verò gradu celsiorem, carnificis publici fœdo Ministerio fracta gula, proiecit canibus inhumatum. Quam barbariem, etiam post fata sæuientem, hausto alij venæno occuparunt, vt necem suam Gueicuno præriperent; & cadaueris contumeliam, inimicis, morte, sibi post mortem vt quidem fingebant, intolerabilius perferendam; alij parato quo mox efferrentur sarcophago, fauces laqueo eliserunt. Redacti sunt in proletarios toto imperio trecenti triginta præter Pechinenses, aufique nonnullis Colai tres pœnam deprecari, Magistratus summi abrogationem, pro meriti præmio retulerunt, inter loco motos fuere Doctores Paulus, & Michaël vt qui essent afflictæ Academiæ patroni; & quanquam Paulum palam Christianum sacrilegus ethnicus, fidei odio in casum impulit, cecidit tamen cæteris mollius. Vsu tantùm exutus Assessoris quem in tribunali Rituum gerebat, honores eius omnes, & notas honorum retinuit. Michaëlem vitæ integritas diu ventilata extra suspicionem culpæ posuerat, cum nouo iure ob ea damnatus est quæ olim eius admiserant propinqui, & quidem tàm leuia, & quæsita vt addendum iis fuerit annorum pondus octo & sexaginta, cuius gratia videretur Magistratu leuandus quem tunc obtinebat, & Proregis quem semestri post operiebatur. Nobis eandem ob Academiam, Christianæ rei fructuosissimam, in præcipiti, & lubrico trepidis tanta in lapsum incubuit libellorum ad Regem librorum in publicum turba; defensionis beneuolæ tanta raritas, vix vt alias vnquam ab ingressu in Sinas perspectum sit clariùs, quòd obseruaremur, & plausum haberemus non esse nostræ sollicitudini, & doctrinæ sed peculiari

Dei patrocinio tribuendum : aduertítque non semel, Sun ille Ignatius Assessor consilij bellici, suos sibi videri Mandarinos ad nostrorum aspectum cæcutire, nec animaduertere præsentes ; cúmque tunc impluerent densiùs à Magistratu Cantonensi Lusitanorum accusationes affectantium Sinarum imperium, & eo consilio nostros quotidiè immittentium in Sinas, quinque illos minimè cernere qui versabantur in aulæ oculis ; sed de iis perinde præsentibus, vt si forent longinqui tractare. Verum de tragicis Pechini casibus dum anno proximo recurrat dicere, debetur hic locus Francisco Sanbiasio, cui Sinarum salutem quàm alteri cuiuis stetisse cariùs video, nam præter labores Apostolicæ in itineribus, & difficultatibus aliis operæ, pœnis se tàm dutè frangebat vltroneis, vt quod viueret, ac valeret, non tàm esset naturæ quàm gratiæ. Vrbes duas, & quinque oppida, pagósque complures, & villas excolebat, ipsámque ab iis non ita dissitam Sciamhaium, vbi quamuis duo ex Patribus degerent, sed illorum vices tam diu obiit quoad iis ægrotis aliunde venirent suppetiæ, & centum octoginta, huius sæculi anno vigesimo quinto illic sacris abluti, eius bona ex parte, de schola prodière. Ibat pedes semper nec illum aut imbres, aut viarum abrupta morabantur quò minùs decimo eóque longiùs milliari, moribundis ferret postrema solatia, eo in illos studio caritatis, sulque contemptu, cuius vel sola pulcherrima species magnum virum ab infidelibus ad Christianos transtulit : quocumque aduenisset, optatissimus Neophytis aderat, omnes ad se trahebant hospitem, obstrictum se tamen piæ comitati, omnibus professus, omissisque domorum commodis, tuguriolum pagi despicatissimum, sibi legebat in diuersorium. Sed has corporis ærumnas pensabat Deus, voluptatibus animi haud paulò maioribus ; lætis potissimum messibus quibus iactam ab eo sementem vbíque fortunabat. Sunchiani (vrbium altera sibi creditarum) centum nonaginta vnius familiæ inuenit, ad baptismum paratos, & in iis Sinzaios quinque ac viginti, hoc est infimæ classis Literatos : paucis ibidem post mensibus octoginta nouem baptismo lustrauit. Breui de pago in pagum alium trangressu dùm à via errat, cum duodecim ethnicis Deo interim partis in viam rediit. Illuc non rarò diuinitùs actus est, quo ipse minimè tendebat, prædestinationis arcanæ manifesta miracula vel spectaturus ipse vel operaturus; Deo illi perfectæ corporis rerúmque omnium, pro salute animarum despicientiæ iucundissimum hoc honorarium tribuente. Colebant vt sanctum ethnici pariter, & amabant. Suauitati enim amoris in omnes teneri, comes erat in eo vrbanitas, non ad supercilium morata fastus odiosi, quo multi perperam nituntur auctoritatem sibi colligere sed multùm amabilis, & grata. Eius & comitum disiunctissimis locis benè gesta, longius fuerit enarrare habentque non pauca, superiora naturæ viribus, quibus dùm firmius stabiliebantur in Christo Neophyti, cæca ethnicorum obstinatio damnabatur, ac ne omnia prætermittam ; vidit phtisi consumptum hominem populus

9. P. Sambiasij labores eximij.

populus integer, Sciamhaium contendere leucis ferè distantem quatuor, ad dandum Christo nomen, & impetrandum à Patribus baptismum. Obfirmatum ad iter amici diu fruſtra reluctantes, salutant cum lachrimis, velut nunquam in viuis reuisuri, quod iam cadaueri, quam ægro similior, aliorum potius brachiis quàm suis pedibus ferretur. At ecce tàm sanus, tàm succi plenus & benè habitus post octiduum ad suos reuertitur, vt fidem oculis negare non possent, & prodigium tàm contra spem editum, alteri quam Christianismo, & sacro baptismati assignare, cuius tesserarium Symbolum precatoriam coronam de collo gestabat. Traxit multos ad Christum, prodigium insolens quibus confirmandis accessit alterum nihilo inferius priori; spectarunt enim per solidum mensem limpidæ lucis geminas faculas, impendentes Neophyti ædibus, ab solis occasu ad mediam noctem cerni ab omnibus, præterquam ab ipso (quod mirabilius) illo Neophyto, illuminandis nimirùm tenebris ea luce, qua tunc Neophytus fruebatur. Excursionum hic solùm memorabo, maximè omnium longinquam, minúsque cæteris feracem; Nanhium versus suscepta est dierum itinere quindecim ad regenerandos Christo ethnicos non plus septem, & recreandos illic residuos, olim Riccij alumnos quibus ne quia deessent præsidia quæ aliis vsquam Christianorum cœtibus præbebantur, nec labori vnquam nec sumptibns parcitum.

10. Conuersiones miræ ad Christ.

Conuersiones memoria & scitu digniores, tres aut quatuor fuere. Sciemhaij prima, vbi septuaginta annorum senex vitam dudum agebat, omni largitatis, & ieiuniorum, cultúsque erga Deos assiduitate, ac profusione exercitam, nam idolis templum, cœnobium Bonziis ædificauerat, expilabátque se in copiam odorum quibus Deos suos acerra prodiga vaporabat. Quoties vero domum nostram (quod frequens illi erat) præteriret, atque vt est prona curiositas in externos, introspectaret attentè quæcumque poterat; semper illic & in Catechistis, & in familiaribus cæteris castigatum quiddam, & modestum notabat, quod alibi fruſtra requireret; conuersáque ab nostris obseruatione in omnes Christianos, hunc esse reperit communem omnium characterem, conformatione modesta corporis, oculorum, & linquæ impressum, quo illos ab aliis facilè secernebat; dolénsque, proh! quantum nostri sunt, aiebat, à Christianis dissimiles, non laici modo, sed ipsi Bonzij? vnde illis hoc decus tàm pulchræ virtutis si vero Deo, & lege vera carent? nobis vero qui fit, vt desit eadem modestiæ tessera, cum Diis optimis, & lege optima viuamus? nec sese ab ea dubitatione extricabat. Quæ tunc illum adstrinxit paulò post actius, periculosè ex morbo decumbens cœpit ambigere quid tandem se fieret, quàm tuto spes suas in ea beneficentia locasset, cui beatitatem in futurum reponendam pro se docebant Bonzij? an vero illa beatitas ad Christianos pertineret, quorum esset nemo qui Bonzios omnes præstantia morum non vinceret, quæ profecto non videbatur posse aliunde quam à lege ipsorum proficisci, san-

10. Modestiæ, & Castim. Christ ingens pondus ad conuers.

ctiore instinctu illos intetiùs animante quam possit doctrina Bonziorum. Hoc reipsa si foret, nimiùm quantùm interesse, fieri tunc saltem de eo certiorem; si minùs quærere, & inuestigare. Hæc probæ mentis argumentatio perpulit bonum senem, vt sua cum vxore, superstitiosa pietate haudquaquam à viro absimili, audiret de Deo & idolis quid esset necessariò tenendum, quibus dilucidè perceptis Christianos se statim professi sunt. Ac vir quidem iam valens & præfixo die ad baptismum se sistens, ingentem coram suorum struem combussit idolorum, & sycophantias mille singrapharum quas in aliam vitam, captationum eiusmodi sacrilegus artifex, Bonziorum venter illi confixerat. Quibus magno gaudio peractis, vitæ tamen dura ieiunia, sed fructu, & merito cassa deflere satis non poterat. Vt autem Christo fortunatum senem, obseruata Christianorum modestia peperit, sic eorum castimonia complures alios, hòc efficaciùs, quòd est eius virtutis haud paulò maior difficultas, & ex consequenti maior apud Sinenses admirabilitas. Quare minimùm quidvis in hoc genere Patres tanti faciebant, vt si omnis inde religionis veræ existimatio penderet, foretque idem esse professione Christianum; & moribus angelum. Alebat hanc famam nostrorum cautio, in excipiendis feminarum confessionibus, quæ Sinis cùm esset admirationi, euicit tandem vt mariti vxores, filias parentes (quibus vnis fas erat nec id sine causa eas aspicere) ad confessionem ipsimet deducerent, & quod initio impossibile habebatur, paulatim fieret expeditum. Quod seruabatur Chiatini à nostris vbi templum non erat, indicio sit quid alibi fieret. Sun Ignatij domus, religioso cœnobio prope par, aulam grandem claudebat, confessionibus addictam feminarum, Sacerdotem ab iis, & earum aspectu crassa storea diuidebat; iusto illic spatio spectabat, Præfectus domus, nota virtute Christianus. Qua cura nostri prudenter scrupulosa tantam sui fecêre Sinis fiduciam, vt ipsi etiam ethnici, ad vxores suas Christianas enixè illos rogarent, ac ducerent, nec possent satis prædicare, quod nollent Patres, etiam prope moribundas nisi sub oculis maritorum audire. Adeo tamen nihil oberat, Christiano illarum profectui breuitas institutionis, quàm non ægrè tùm libri, tùm viri, tùm parentes, tùm Dei præsertim spiritus supplebant; vt in domandis inedia, vigiliis, flagellis & reliquo asperitatum genere coporibus, maritorum æquarent duritiem, & earum nonnullæ cùm forte inaudissent de seueritate nostri ieiunij, tacitè ad nos mitterent exploratum, quem seruaremus in eo modum, seque ad eundem stringerent, solitæ alioqui, vt illic vulgò fit, mensam quater in die ponere. Iam conuersionum quas proposueram altera, hominis fere octogenarij rustici, pauperis, & ignari, sed dempta idololatria, probi, ac simplicis. Mouere hominem Christiani cuiusdam populatis, de

11. Conuers. Senum notab.

salute animi rationes, vt vellet de iis cognoscere amplius; absque mora Sciamhaium cum eo milliaribus duodecim contendit pedes, vbi ad-

missis

missus cum aliis ad explicationem diuinorum, hærebat ad singula, stupens, & admirans, totúsque præ gaudio extra se versúsque subinde ad ductorem suum, thesauri agebat gratias, cuius illum in partem vocasset. dicto demùm die sub auroram ad sacrum fontem cùm venisset, ea vi lachrymarum, singultans, & exclamans, lamentari pergebat & dolore adeò non consolabili damnare annos octoginta, quos ethnicus egerat, vt ei baptismum accelerarent Patres, ne ruptus vehementia doloris, subita morte illum præuerteret. Mox vt tinctum se vidit, tanquam cœli iam compos, serenis deinceps, & lætis fletibus, eiulatus mutauit, votorúmque adeptus summam pagum repetiit, præstolaturus illic placidè, quod vnum supererat, mortem iam minimè timendam. Iisdem oculis respexit diuina bonitas inueteratum cruciatibus sui senem in Prouincia Fochiensi, qui ex annis vitæ duobus, & septuaginta, leguminibus, oluisculis, & aqua pura, quadraginta totos contentus vixerat; commentúsque apud se celsiorem quendam virtutis apicem, cum discipulis aliquot, scalarum adminiculo, in montem euaserat, subterraneis passim vaporariis fumosum; & nactus in vertice aliquid boni soli, orizam seuerat, tuguriola lignea fabricarat, precationibus, at iis cuiusmodi? diei partem conterebat, magna cum suis concordia; quoad visu sensim caligante, oculorum amisit vsum, fuítque Foceum Prouinciæ illius vrbem primariam ad curationem reportandus, illic multa illius & molestia & sumptu, dum multa inaniter Medici satagunt, contigit ad eum referri nescio quid de nouo Deo, & noua eius lege, quam traderet peregrinus quidam vir apprimé doctus. Sciendi auidus, quid tandem id esset, cognouit aliqua ex Christiano quem interrogarat, probauitque tantoperè, vt suos illicò ex solitudine euocaret, plenius secum de iis audituros. Adit cum iis P. Alenium rogátque cupidè ex eo discere, quod ille ardentiùs docere cupiebat. Verum ad prima de Deo effata cæcus senex, iussis tantisper abesse discipulis, quæsiuit ex Patre, soline essent ac sine arbitris? confirmantéque illo adesse neminem; benè habet, inquit, nec enim diuina fas esse nisi duorum auribus committi, cùm ne hominum quidem arcana credi pluribus deceret. Absit enim verò, infert Alenius, absit à me id crimen vt hominibus diuina inuideam, quin optem potius toto orbe vulgari, reuocatisque eius discipulis, abundè cum eo ritéque eruditos, sacro baptismate Christianis adiunxit, inter quos etiam haudquaquam iis defuit quod admirarentur si solitudinis amore, & afflictationum gaudere pergerent, adeò illos Alenius, ardens & ipse diuino igne, heroa virtute excolebat: præ aliis tamen sodalitatem cui præerat Melchior, (de quo multa non pridem) cuius omnes sodales ita effinxerat vt licet in fide tirones, possent accedentibus ad Christum pro Magistris proponi; iis thecas reliquiarias egentissimus omnium Alenius cum dare non posset, religioso inuento singuli, odorato ex ligno tesellas sibi

læuigarunt,

læuigarunt, quibus duas hinc inde, vt cuique cordi erat inscriptas sententias ad pectus gestabant quarum præcipuè studio caperentur. Deum exempli causa præ omnibus dilige; ama proximum vt teipsum, cœteráque eiusdem pietatis: religiosos cogebant cœtus apud Ioannem, Christianum in paucis egregium; aula iis dicata, picturis carebat, ex quibus oblectamenti plus in oculos redit, quam vtilitatis in animum. sed vestiebatur cartaceis tabulis eleganti, & grandi charactere, præcepta decalogi, & variarum officia virtutum repræsentantibus. Ac ne cui verbum excideret, loci reuerentia minus dignum, hac epigraphe Ioannes, supremas fores munierat. Hic nisi de Deo (fratres) non agitur, mundana seponite. Nihil habet tertia quam statueram narrare ad Christum conuersio, illustre per se, aut memorabile, præter obsequium charitatis in matrem ita singulare, vt visus sit Deus ad filij salutem eius quanquam ciuilis non paruam duxisse rationem. Orbatus parente altero iuuenis in ætatis, ingenij, ac studiorum primo vere, primum statuit (quod Sinæ execrantur) omni coniugio abstinere, ne vel studio vxoris deesset matri; vel socrum vxor vt vulgò fit, spernéret; multos celebs annos tenax propositi exegit, inter quos tàm sæuis iactatus est casibus, vt laborioso tandem opificio, nobilis, sed omnium egenus locaret manus ad alendam matrem. Quam cùm etiam morbus septuagenariã lecto affigeret, tàm constanter languẽtem, consolatione, subsidio, præsentia iuuit, vix vt vnquã domo efferret pedẽ, victum interea muliebri opere, voluendo corã fuso illi pariter & sibi emeret. Sed molestam occupationem, quanquam filij optimi patientia leuiorem, excepit aliud eò acerbiùs, quod leniri remedio nequibat, congelauit post triennium anus exhausta senio, vt pannis calentibus subinde recreata; eodem mox frigore rigeret: inuenit tamen huic etiam malo solatium filius quod vel vnicum fuit, vel excogitare filij optimi sola erga matrem sollicita, & industria pietas valuit. Decumbebat is à matris pedes, & applicitas aperto pectori eius plantas suo tamdiu natiuo calore, pãnorumque ac manuum complexu refouebat, quoad sensim depulso rigore indormiret. Sed facti laudem auxit longinquitas annos sex totos, & viginti durauit in eo filius, matrémque hac sedulitate ad hunc annum perduxit, seculi huius vigesimum quintum, ætatis illius duodecentesimum. Virum ergo tàm vtilis ad patientiam, & charitatem parentum documentis, Ludouicus quidam Neophytus, sed auidissimus salutis alienæ, desiderio incendit, cognoscendi de Christo plura quam quæ ipse summatim indicabat. Eò Sambiasium conuenit qui visus indolis bonitate, facile peruicit quanto nobis deberet Dei conditoris, Redemptoris & Patris quàm parentum amor pluris esse, paucísque scholis apprimè eruditum, baptizauit; quæ ipse dùm scriberet, matrem addebat parari ad baptismum, à centenario ætatis proximè distantem. Contigere hoc biennio multa similia, quorum specimen dedisse sat habeo; strictiorem quoque in Cocincina breuitatis

12. Insign. pietas filij in matrem.

uitatis modũ ſeruaturus, etſi cum aliqua operariorum iniuria, ſed coacta; vt quorum res ſeſquianno geſtæ, cuiuſcumque ſit culpa, petierint.

12. Geſta in Regn. Cocincinæ Frãciſcus Pulocãbim.

Huius Regni tres ad Auſtrum Prouincias curabat P. Buzomius, è ſtatione Nuocmanenſi, Quagninam, Pulocambim, Ranranam, qui vt erat ſtrenuiſſimæ pariter, & feliciſſimæ operæ, Chriſtianorum cœtibus omnia implebat, paruis numero, ſed mox in alios propagandis, etiam ampliores, ex commeantium vltrò citróque conſuetudine naſcentes; quorum alioqui curſando & ſudando multitudini deinceps imparem, neceſſitas docuit, quo pacto deeſſet nemini. Delectum habuit antiquiorum inter Chriſtianos, quos maturitas virtutis, & iudicij commendaret, formauítque accurata manu in Magiſtros, quibus vices ſuas ſecurè crederet; iis quidem vt prima baptiſmum poſcentibus traderent rudimenta; illis vt cogerent baptizatos, & in vſu virtutum pietatíſque promouerent; quibuſdam, Macao recentes operarios ex noſtris linguæ, ſcriptionis, & rituum cognitione inſtruerent; tàm copioſis acceſſionibus ad fidem, hic, & in Prouincia Caciana, corroborandis, & augendis, adſunt Macao P. Gabriel de Matos Prouinciæ Inſpector, Antonius Fontes, Manuel Gonzalez, Gaſpar Luigius, & Alexander Rhodius, qui iuncti veteribus operarios quindecim præſtabant; vndecim Sacerdotes, quatuor Adiutores, ſed ad Catecheſim expeditiſſimos; quibus alios Deus ex indigenis adiunxit, ſalutis animarum, ſuæque imprimis ſtudio ſic exercitatos, vt non minùs fidenter adhiberi poſſent quam ſi forent à puero nobiſcum educati. Duo in iis fuêre eximij. Alter nomine Petrus; Regis olim Conſiliarius pari vir pietate, ac prudentia, noſtrorum in linguæ peritia Magiſter, in diuinis diſcipulus, quibus illum Exercitia S. Ignatij ſic altè imbuerant, vt de profano, & vitiis dedito prorſus in alium fingerent. Secundus Manuël, ex Bonzio quondam, hoc eſt vita ſceleſto, exemplis peiori, doctrina deterrimo; tunc religioſus quantum fas laico, Chriſtianus. Nam ſe paupertatis, & caſtimoniæ vinculis Deo obſtrinxerat, & præſtandæ, noſtrorum Rectori obedientiæ, quibus ad cumulum perfectæ charitatis votum addiderat, nulli ſe vnquam labori parciturum, quem poſſe crederet ad promouendam Chriſti gloriam conferre. Ac Matos quidem, Cocincinenſibus lingua illorum prodeſſe non valens Iaponiis ſe dedit penitùs, qui vrbem Faifum incolebant, vt qui linguam illorum in promptu haberet, diuque in Iaponia verſatus, calleret optimè quibus eſſent poriſſimum iuuandi, ædificauit Faifi Chriſtianis templum, noſtris domum; ſed his intentum curis, confixit ingens dolor, ex promulgato Nangaſachi recens, poſt in cunctis Iaponiæ portubus edicto Imperatoris Xongunſamæ, quo prohibebantur exire regno Chriſtiani, niſi publicè fidem eiuraſſent; qua edictione, minuebatur quotidiè Chriſtianitas Faifenſis. Quod autem illas tàm olim felices, nunc tàm inopes diuinorum, Iaponiæ inſulas S. Xauerius Societati colendas tranſmiſiſſet, ex illa identidem eo ſe aliqui penetrabant, opem miſeris laturi, quam aliundè vndeuis deſi-

petabant. Quare Matos, cum P. Machio Michaële Iapone Cambogiam nauigauit, vt illic opitularetur Iaponiis mercaturæ causa in id regnum aduectis. Quassam Faifi conscendit barcam, nunquam velis, nec arte paucorum nautarum, ex tempestatibus emersuram, & insidiis Batauorum nisi Deo seruante, & defixis repentè malatia Batauis, auram illi vt ante prosperam afflante. Misere iis obuiam Iapones nauigium grandiùs prono amni Mecone milliaribus ducentis; quò post octiduum, aduerso flumine applicuêre Chriribonum, vbi Cambogiæ Rex non pridem aulam statuerat, & secutis Regem Iaponiis ægrè solum & calulæ ad habitandum erant. Illic assiduo Sacrorum vsu, & serio, instaurata est eorum pietas, reuocati mores in integrum, matrimonia emendata, reconciliati Ecclesiæ, à quibus oretenus tormentorum horror, desertæ fidei professionem extorserat. Diuturna institutione puerilis ætas informata est credendis, & seruandis; cautum lege constanti, sanis, & ægrotis; morti proximis, & defunctis ne animorum subsidia deessent. Cui operi Machius suo loco præfecit Chinzaiemonem Leonem, repauperem, sanctimonia locupletem, Christianis cœteris venerandum; lætis demùm onustus manipulis, repetiturus Iaponiam, Macaum contendit. Inspector Patres è stationibus Faifum, censuit cogendos vt decerneretur in commune de nonnullis scitu ad vsum perneccssariis. Vnum erat, quid esset defunctis deferendum, & qua significatione nostræ in illos charitatis, ne inferiores ethnicis videremur qui se mirificè iis obsequiis iactabant. Pio igitur huic officio (si Roma annueret) dictus est dies Septembris alter, quòd Nouembris secundo Cocincina omnis aquarum nataret restagnatione. Modus verò præscriptus, qui & functorum leuaret pœnas, & Christianam ethnicis proderet pietatem, intimo quidem animatam religionis sensu, at sacra, & nobili specie reuerendam, quale nihil inerat ritibus ethnicorum prorsus inconditis & abiectis; in quibus præterea cum essent quædam superstitiosa, quædam cultus ciuilis maioribus debiti, & ab aliquibus nostrorum sanctiùs timidis, quàm prudenter cautis vna sententia omnes damnarentur, ac dùm arcebantur eorum vsu Christiani, cantionum scommatis publicè luderentur, veluti auari, & maioribus ingrati; secundo loco superstitio seiuncta est à ciuilitate; ceremoniæ ciuiles, & humanæ Christianorum permissæ exequiis; exsecrabiles aut suspectæ, detestatione perpetua sunt proscriptæ. Tertiò, post nouum Examen vulgatæ sunt preces Cocincino idiomate conuersæ; integrataque disputatione ac decreto Theologorum nostrorum Sinensium, vox *Tienciu, seu Dominus cœli*, restituta est suo iuri, soluta interdictione moderatoris tùm linguæ ignari, tùm nimiùm credoli Iaponensibus Catechistis, qui ex iis quæ norant in rebus Iaponiæ, etsi erant probi, non tamen idonei ad ferendum de rebus Sinarum iudicium.

19. Consult PP. de Exequiis, & Tienciu, &c.

His dùm Patres incumbunt quæ censent conducere teneræ Christianitati, versabat animo Rex de illa id solum retinere quod lucro suo conduceret.

conduceret. Petgere si quidem Lusitanos in fallenda fide, de oneraria, Macao quotannis illuc ad commercium mittenda, ex quo magni redibant ad Regem & in Regnum quæstus; vetari à Patribus parentales vsus ab æuo solennes, nec festi modo quod Io dicitur, solenne, & functorum animas epulo recreat; verum etiam quotidianæ sepulturæ; antiquos Regni Deos honore spoliari; ac ne pati quidem illos, Deo Christianorum pares esse; quamuis autem Rex de lege Christiana sublimè aliquid sentiret, & diceret, verum semper addebat, non esse popularem; sed hominum quos multa scientia ornaret, proindè ferebat perinquè, illam Regno suo quàm vellet vberiùs diffundi. Accessit huic viceri vnquis, simplicitas homuli, temerè præfidentis, qui artis medicæ planè rudis, suscepit se Regem à lepra sanaturum; postque indictas illi de genibus ad Christi effigiem adorationes, quibus precum suarum longam ipse addebat recitationem; tandem balneum præscripsit, ex quo dùm nouum expectat Constantinum, Regem sua vt ante squalentem lepra; grauique insuper affectum insomnia recepit. Has omnes ob causas edixit Rex publicè, Faifum oeyùs conuenirent, quotquot variis in regno locis Patres habitabant; illic ædem haberent sacram, domum, & ministeria libera, sed alibi nusquam. Quod extra Reseriptum professus est se nostri amore edicere, quibus passim disiunctis mors imminebat à Bonziis odio contra nos occulto furentibus. Id si contingeret, magno sibi mœrori futuram tùm nostri iacturam; tùm sumendas de homicidis pœnas. Ad hæc eodem edicto vetuit suorum quenquam diebus festis ab operibus vacare; Christianos verò coronas habere de collo pensiles; domi sacratas imagines; in propatulo cruces, quod iis Bonzij functorum animas fabularentur ingressu ædium, vrbiúmque arceri, quibus ferrent aliquid faustitatis; hoc Regi quanquam pro anili erat; sed obturbari sibi nolebat nostra causa, multo minus dissidia in populo seri. Nanciani edictum pependit Decembri mense anno 1625. qui dies Pinnæ interitu Christianis iam erat maximè luctuosus. Lembo enim tenui farinam, & vinum ad sacrificia, ex alto mari referentem, vbi Lusitani stabant in anchoris; mare subito euersum obruit in ore portus Ciampeili ex quo exierat. Prosecuti sunt mortuum Christiani amaro luctu, & honestiores ex iis viginti, mutatis vicibus ad sepulturam Faifum extulere. Cui nec ipse Princeps à quo plurimùm amabatur officio defuit, Caciano enim per fisci Præfectum odoramenta cum facibus misit ad cohonestandas eius exequias. Erat Pinna genere Lusitanus, annorum quadraginta, ethnicis propterea carus, quod eorum lingua nihilo indoctiùs loqueretur quam si foret inter illos natus. Pietatis verò in ministerio animorum adeo strenuæ, vt magna ex parte Cacianensis Ecclesia illi debeatur. Quam iuuit etiam mortuus non parum. Denuntiato enim Canciani, parentis edicto, Princeps filius nostris indulsit nihilominus, vt centum diebus Canciani, Pinnæ parentalia celebra-

14. Rex Cocin. edic. contra Christ.

rent, quibus elapsis nec ipsi abiêre, nec sunt ab vllo de Edicti lege admoniti; nec abstitere muneribus solitis, & conuersionibus ethnicorum. Iussis dumtaxat amoueri à vulgi oculis quæ ad pectus pendebant coronis Deiparæ. Nam foris veriti, ne qua iniuria sacras imagines & cruces violarent Bonzij, & hanc iniuriam, violati à nobis Edicti Regij vindicta prætexerent, misere in pagos & vicina Manuëlem, illum quem nuper meminimus feruidum Catecheseos Ministrum, vt eas à publico domum subtrahi mandaret, quod interpretati Neophyti debilitatis suæ diffidentia fieri, tamdiu restitarunt, dùm iis nouo mandato constaret, alia omninò, & necessaria de causa fieri. Nuocmanum, & Prouinciam Pulocambim, crudius habuit facinerosus Mandarinus, qui vt solent Præfecti cùm absunt à Rege longius, pro Rege se gerens, quicquid libitum erat Edicto attexuit, leges, pœnas, minas, mortémque adeò, si quod inditium Christianismi quis publicè præferret. Terruit aliquos hic metus, plures centuplo animauit, ardere isti diuino instinctu; minas reposcere; vitam ad quæuis supplitia, mortémque obiectare; Mandarino ius vitæ, ac necis deerat, quod pessimum potuit aliquos, Sinarum more, in Prætorio cæcidit. Sed barbariem hominis Caciano accurrens Principis scriba edomuit. Etsi enim addictus simulachris, magnos nostris de rebus hauserat ab vxore Christiana sensus. Ergo falsarium, Edicti Regij Mandarinum acerbissimè obiurgauit, pœnæ sibi ab aula venturæ anxia expectatione, à Christianis vexandis absterruit; negans Regis hanc mentem fuisse, vt aboleretur Christianorum lex, sed moderatiùs agerent, & affectantia publicum, nonnulla eius insignia remouerentur ab oculis ethnicorum, quòd iis sibi crederent insultari. In Pulocambi verò, dictis factisque se magnificentius extulit generositas Christiana, & fortitudinis clarum ostentum dedit, qua foret inter gladios & ignes duratura, si quando in Christum grassari tyrannos contingeret. Nec erat quicquam hisce timidius à Prouincia Rantana expectandum, si minus sibi, rebúsque Christianis Buzomius Præfectum eius, addictum habuisset, tametsi ethnicum. Denunciando itaque Regio Edicto, nedùm exigendo, non supersedit modo, quòd non ambigeret violentis extortum calumniis; sed apud subiectos sibi Administros, & Prouinciæ Mandarinos defensorem egit Christianæ legis, & Patrum laudatorem; in aula verò apud Regem, illa eos ornauit commendatione, vt quamuis species leuitatis Regem auerterit, ab Rescripti sui abrogatione; haud tamen eo imperata exegerit; ac postmodum Sinoæ Gabrielem de Matos, & Buzomium perhonorificè admissos, iuratus fecerit intimæ suæ beneuolentiæ certiores. Quibus nihilominus studiis parum satisfecit irato Numini, quare damna fidei sacrosanctæ, ablatamque illi quam donauerat libertatem, morte Principis filij præmatura exsoluit. Esto manum cædentis, & causam vulneris præ cæcitate non cerneret. Luxit mortuum dolore non consolabili, non modo vt filium, sed vniuersis amabilem,

amabilem, cordatum, magnanimum, & regno maturum non solum propugnando aduersus Tunchinenses, sed amplificando. Fauebat is Princeps Patribus, & rei Christianæ, quantùm Regis parentis obseruantia sineret. Audiuit interdùm & aliqua de conditionibus animæ futuris; sed concubinæ amore insano ac perdito, captum, dementatúmque pectus, satus illos diuinos aure tenus admisit; eius morbo, & morte in rabiem actus, parum abfuit quin eam sequeretur, suique carnifex immoreretur vltro eius cadaueri. At succurrit illi à quodam asinodeo qui posset illam secum retinere. Eius sibi curauit statuam, cuius caput argento fusum, corpus reliquum ex calamba infiniti pretij arbore. Cum hoc trunco vtcumque magicis artibus animato, noctes ducebat solidas, insomnis, flens, gemens, impos sui amoris, quoad exsucco iam longa insomnia cerebro, exhaustione spirituum, & mœroris pondere oppressus interiit, confirmans in parente quod illicita inualuerat manifestis sanctum, & terribilibus exemplis, cum iis pessimè, & calamitosè tandem agi qui Christianorum Deo eiusque famulis non dubitarent manus conserere. Orbatos dehinc Principis tutela, consolatus est Deus Reginæ baptismate quæ vt filium haberet castum, optarat fieri Christianum, habitura vtique simul viuum & sanum. Hæc sublimi de rebus Christianis opinione capta, contestabatur se vna Regis ac Domini reuerentia teneri, quo minùs se, quod mente iam erat, palam proderet Christianam; mittebat festis solemnioribus, quæ ad splendorem illorum facerent; nec ferebat quenquam Christianis de rebus nisi cum honore se coram loqui; & quos habebat in aula Christianos, iubebat templum frequentare, hortabatúrque ad præcepta diuina, & normam viuendi professionis suæ dignam sanctitate.

13. Rex Cocin. morte filij sui, edictum impium fuit, Regina baptisatur.

Præter hoc infelicissimum Edictum, quod morte Principis vindicatum, opinati sunt Christiani, cursum item Euangelij retardauit belli apparatus ad Regem Tunchini repellendum qui terra, marique Cocincinam exercitu duplici adoriebatur (de quo erit inferius dicendum) passim nihilominus ingenti numero ethnici ad Christum accessere, hic duo supra sexaginta; sedecim illic supra octingentos, mille ducenti triginta tres alibi, & quidem nonnulli literis, & nobilitate præcipui, quos inter vidua defuncti Regis, Mariæ nomen ex baptismo sortita, ingenij supra feminam acuti, Sinarum scientiis ornata, proin nostrarum etiam cupida; quare librum auidè perlegens idiomate Sinarum elegantissimo, ab nostris compositum, tota inhorruit ad noctem ignorantiæ funestam, qua se vidit inuolui, ne scintilla quidem ex iis quas triuerat literis, Deum sibi monstrante à quo esset, & finem quò tenderet. Hoc demùm agnito Christianam professa, communem proborum lætitiam accessione nobili cumulauit. Viam iniit Deus mirabiliorem ad conuersionem alterius in Prouincia Ranrana. Maritum habuerat, famosum ex sanctissimis illis Bonziis sycophantam, qui structo sibi ex animantium ossibus; rostris & capitibus auium, altari, prodigiosum

quiddam inde afflari prædicabat in sacrificia quæ illi altari imponeret. Sed hæc Buzomio narrabat, in extremis agentem, fuisse spiritu correptum cuius nullum vnquam indicium, dederat & diserte sibi affirmasse, legem in qua eatenus vixisset totam esse ex dolis, falsisque compactam; te vero, subdebat, fortunatam! quæ paucis hinc annis habitura es Doctorem æternæ salutis, illustrem peregrinum, postremo ex orbe per maria omnia huc appulsum. Si quid tibi curæ anima est, & animæ salus, docenti aures dato; & morem eius consiliis gerito. Hæc verò locutum expirasse: ipsa triennio, ad vaticinij exitum suspensa, non dubitauit Buzomium ab eo sibi descriptum fuisse, illo igitur audito, propensè admodùm Christo nomen dedit. Ibidem puer Christianus medico suo vitam dedit, à quo pronunciabatur proximè moriturus. Parentes Neophyti, quibus erat oculis carior, tàm sæuo perculsi nuntio, fletu, & precibus vitam illi poscebant à Deo, cuius erga complures alios ostenta potentiæ, & clementiæ orando retractabant (erat certè Deus in Ranranos fideles, miraculorum liberalissimus.) Ego vero inquit medicus, illi Deo, à quo id petitis, quod nisi à Deo fieri non potest, iuratus me obligo, si puer nocte hac moriturus, nocte hac sanetur, fore me postridiè Christianum, post quæ summo mane in euentum arrectus puerum reuisit, quem vt vidit valentem, & vegetum sibi obuiam prodire, obstupuit scilicet magnitudine portenti, & viam extemplo multis cum lacrimis teterens ad Patrem adiit, Christi vnâ futurus & discipulus, & præco, & testis oculatus, nec esse alium à Christo Deum, cui natura pareret vniuersa. Transeamus nunc ad beatas mortes, puerorum imprimis baptismi candorem in cœlum ferentium. Erant eæ tàm crebræ, vt legem Christianam, mortuorum legem vocarent ethnici, & quantùm vitæ metuebant caducæ & fragili, tantùm sibi cauendum ab æterna miseri statuebant; Sciabinus ille, de quo nuper, Regi à consiliis intimus, & multis legationibus probatus, tàm potens fuit religionis Christianæ, ac tàm nobile ornamentum, vt cum in Senatu graue, si quod in regno, negotium, illi omnes mandarent, vnus abiudicaret ab eo ethnicus, quod tàm suspectum negotium Christiano malè crederetur; imo, ait Regi, qui aderat filius, non possunt melius eius momenti negotia quàm Christianis credi, quòd præter altam prudentiam, fidem exigant summam cum summa æquitate, qualem Christi lex iubet; & Paulus ex ea vitam agens; luculenter obseruat. Enimvero ad munus impositum; Exercitiis S. Ignatij comparauit sese; fuitque tanti apud Deum vt in legatione Sianensi tempestatem sedaret, cunctis horæ sibi supremæ extium instare gementibus: regressus enim in cellulam, vbi diem ferè orando transigebat, post cruentam sui flagellationem foras prodit, & demissis in mare sacris reliquiis, breui fluctus turbatos composuit. Hic ergo (quem iniquum fuit non saltem obiter meminisse) dùm in aulam à Rege reuocatur, nocte compellitur in angustum mapale succedere, illic

14. Lex Christ. lex mortuorum.

illic hominem videt senectute ac morbo ad extrema redactum, interpretatúsque esse illue propterea cœlitus adductum, æternas illi aperit, & denuntiat pœnas, si quod proximè aberat, ethnicus moriatur; beatam contra immortalitatem si Christianus; & sacra, vt licuit, doctrina imbuto, baptismum confert; de vxore item decrepita; sed sana tunc minus sollicitus, quod necessaria doceri, tàm breui non poterat; verum illa cui altè insederat, quanti interesset Christianum, aut ethnicum mori; baptismi, ait, mi Domine promisso me recreas, postquam interea dùm hac redis, scienda didicero; promitte sodes similiter, me tunc etiam in viuis futuram: hoc si negas te posse promittere, vt quid in discrimen miseram coniicis eius boni perdendi, quod sero voles non fuisse dilatum, ego frustra doleam amissum? animaduertens Paulus anum hæc à se haudquaquam eloqui, posthabito scrupulo eam baptizauit, paucisque post diebus reuertens, paruo vtrumque interuallo comperit obiisse. Sed felici morte nemo par seni, mihi occurrerit annorum septem supra sexaginta; Turone ad filium ibat dietum decem itinere in Ranrana Prouincia dissitum, & dabat ætati vites amor, & desiderium filij reuisendi; sed longè aliò diuina benignitas hominem ferebat; fortè contigit eo deueniret vbi Buzonius multitudini ethnicorum diuina tradebat rudimenta. Et audiret quædam de beatitate sempiterna, ciúsque per baptismum adeptione prona, & facili. Quod persuasum est illi tàm indubitanter vt tanquam cœlitus ad hoc sciendum missus substiterit, & post Catechesim baptismi compos effectus sit, ex quo illi tàm larga, & affluens fœlicitatis eius assertæ fiducia, vt præsentia omnia fastidiret, Deumque compellans diceret. Cœli iam hæres, in terris mi Domine! quid ago? quod meum est redde, meque hinc amoue. Nec inanis fuit precantis simplicitas; dùm hæc eadem petit ore ac manibus in cœlum intentis; claudit repentè oculos, caput in pectus quasi lassum deponit, & moritur, gestientibus Christianis felicissima eius sorte, quam sibi cum illo sperabant communem: funus ab iis eo apparatu, iisque lætitiis curatum, vt eius spectaculi perspecta solum causa, nullo præter hanc argumento, duos infregerit pertinacissimos ethnicos, vt Christianis statim accederent. Vidit alio ex pago Catechista quo Buzonius vtebatur, ipsa obitus hora, fortunati senis scandentem in cœlum animam magna cum gloria, & sibi adeò liquere censuit hanc esse Iacobi animam (quod ei nomen baptismus indiderat) vt magno pietatis prouentu, visum latè vulgarit; quod cùm esset Turonem perlatum, vnde senex in in viam se dederat, incessit filium quem illic habebat cupido improba interrogandi Necromantem de illius statu (quo genere curiositatis, nihil eo in regno crebriùs, ethnicis, suorum post mortem colloquia seu dæmonum potius, qui defunctorum personam sustinent frequenter petentibus) sistit filio senem Necromantes, siue quis alius fuerit qui Patrem ageret; seuerè is filium velut alter Samuël obiurgans, [malè

abs te,

abs te, respondit, factum; nec me huius scelesti artes sacrilegæ huc tibi adducunt, verum vt tibi ad salutem vertat, quod optasti de mea rescire, viuásque qualis sum mortuus. Christianus nimirùm obij, & nunc apud Deum viuo, cuius felicissimo aspectu beatus sum. Tu tua abiice simulachra, & illorum sectas, væ! illic apud nos qui iis adhærent. Require ex Patribus qui te sacra doctrina imbuant, & Christi purgatus baptismate, seruato illam diligenter.] Obtemperauit monitis filius, remque vt erat P. Maioricæ narrauit, quam item eidem recens fama in Ranrana Prouincia confirmauit, iuuitque plurimùm ad vindicandum à stolida sed maligna calumnia baptismum quo fieri criminabantur, vt in occidente Lusitanorum serui denuo nascerentur qui in Cocincina baptismo tincti essent, id autem haberi testimonio Christiani à Necromante suscitati; stulta quidem sed apta fabula ad deterrendos à Christo ethnicos, à Dæmone aliquo, vel Bonzio fabrefacta. Duorum qui sequuntur ideò mortem scribo, ne vita in obscuro remaneat. Eorum alter senex sanctus, vocabulo Dauid, octennio illo quo lustrationi suæ superfuit eam adeptus est, consensionem animi cum Deo vt si annos duodeseptuaginta quos vixerat, diuina contẽplans exegisset. Bonam indolẽ sortitus, vitam ex conscientiæ dictatis, quamuis ethnicus ducebat; sed semper inquietam. De futuris enim, & anima quæ Bonzij tenebant, nullius censebat fidei; ab iis si vellet recedere, excogitare à se non valebat, vbi fidei pedem tuto defigeret. Quamobrem secundis abstinuit nuptiis, vt quod olim apud se agitarat, quacumque gentium, liber hominem quæreret probitatis laude, ac scientiis insignem ex quo intelligeret de Deo, & æterna vita, quod Bonzij omnes certò sibi inquere iurabant, nemo cum alio idem sentiebat, hoc ipso non obscurè significabant vniuersi nihil sibi constare. Frustra ergo decursis Cocincinæ, & Tunchini Prouinciis omnibus, ne in Sinis quidem tranquillum animi reperit, solidum, & seipso contentum, quod peregrinando venabatur; sed meros andabatas, & ab insitæ rationis sereno lumine aversos. Errando fessus, & votum desperans, Tunchinum repetit, non illa dies quam ipse deperibat scientia immortalitatis, sed vitæ corporibus in longum proferendæ, quam à dæmone acceptam, illius prodigia testabantur naturæ vi qualibet maiora. Certè Regem Tunchini, die ipso (ad artis ostentationem) antea prædicto, à morte ac Medicis exemit incolumem, à quibus fuerat conclamatus. Hinc illi tantus apud Regem honos, vt par Principibus graderetur; haud tamen vnquam sibi concors & gratus, & salutis suæ mordaci sollicitudine vacuus ab cuius aditu abesse se nihilo propiùs quam multis retrò annis experiebatur; dumtaxat quiddam; incerto rumore, ortúque accepit, imaetum aut traditum, venturos scilicet ab australi plaga in illam borealem, ex Cocincina, inquam, in Tuchinum, Magistros peregrinos, vitæ optimæ gloria, & doctrina claros, quorum inditio, ignotum illud ad salutem iter, pandi, teríque inciperet. Quandonam porrò? Deum nosse arcana

arcana id premere, apud quem propterea instabat supplex, eorum aduentum festimaret, aut mortem iuberet lentiùs ad se festinare, nec eorum sibi aduentum præuertere. Tunchinum inter hæc, motus scindunt, & quatiunt ciuiles; Cacianum intra Cocincinam, senex amans quietis se subducit, cognoscit de Buzomio nouæ legis præcone, docentem audit, discítque monente interiùs Deo hunc esse Doctorem illum peregrinum, & quam traderet legem, viam esse ad cœlum, quam per tot errores Prouinciarum, & Philosophorum frustra tot annis indagasset; præter omnem tunc suam expectationem, inuenisset; & gratulabatur quidem sibi tantùm boni profusione lachrimarum vberrima & iucunda nisi vehemens illas asperasset dolor, quod vitæ annis sexaginta in omni traductis opinionum prauitate, senex ægrè id esset assecutus, quod semper à puero spectarat. Quare illo dolore exstimulabat sese ad inanes tot annos, paucorum qui restabant vsu strenuo compensandos. Fuere illi non plures quàm octo, quibus totis vitæ in aliorum salutem actuosæ, & in perficiendi sui curam contemplatricis, opposita studia ita copulauit vt in vtrisque emineret. Nullus ipsi nisi de diuinis, & æternis sermo, domi, foris; rogatus, importunus; domesticatim, in circulis; vbique demùm ad beatitatem miseros vocare, ducem iis ad illam se fidum præbere, præire illis ad Patres viam, à quibus doctrinæ instructu necessariò exculti tingerentur. Hæc autem hominem à contemplatione cœlestium, adeò nequaquam abstrahebant, vt potiùs ad illam acuerent; hæditandi sub serum quotidie ab nostris petebat capita, insumebátque illis bonam noctium partem, ea diuini spiritus affluentia & animi ardore, vt inde corpus ignesceret, tremeret, in suspiria, clamores, copiam lachrimarum deficeret. Sequebatur sui acerrima diuerberatio, aliæque afflictationes, quas ætate neglecta moderabatur vegeta, & feruens pietas. Annum attigerat octauum à sexagesimo, cum in somnis monetur de profectione in vitam quam tot annis, & votis desiderauerat; vnum accersit ex Patribus narrátque obiectum sibi visum, ex quo affirmabat dies sibi restare pauciſſimos quos in morte accuratiùs paranda, & ignitis cum Deo colloquiis occupauit. Postremò aduertens septum idololatris amicis lectulum, voce vt potuit viribúsque collectis, admonuit ne vellent in certum exitium, & mortem, vitam suam æternam dare præcipitem, dùm ipse viam secutus veritatis, vitæ sempiternæ foribus confidenter adstabat; quas breui post, piè ac placidè moriens iniuit. Post hunc annis duobus, hoc est 1626. Ondelinus Andreas Nuocmani in patria, sanctè vltimum diem clausit, nobiliſſimus inter Mandarinos; inter alumnos exquisitæ virtutis, maximè Buzomio carus, vnum lubet referre tantummodo, ex quo difficillimo, arduo, & perplexo, reliqua æstimetur herois Neophyti mensura. Solent die quot annis stato suburbanum in campum Patres familias conuenire ad instaurandum Regi, suæ fidei sacramentum, confirmandúmque messium suarum nonnulla pensitatione. Adsunt è pagis,

& oppidis, Nuocmano Metropoli subiectis ingenti numero alij; stant in medio inter lumina, & suffitus idola in aris frequentibus, ad quas tributum deponitur; digesti vtrimque militum ordines, nobilitatis flos, & Mandarinorum Senatus amplissimus; ex quo lectus ab Rege, ipsumque referens tributo admittendo præest, pompáque Regia ex palatio suo in campum procedit. Delatum sibi ab Rege Andreas tanti muneris honorem non priùs admisit, quàm ex Buzomio intelligeret modum sic administrandi commissa obsequia, ne cultum probaret idolorum. Verum illa se ratus nimiùm arctari moderatione, à Buzomio expressit, festo illi Deorum sacrilego ita operam dare, vt in eorum cederet dedecus, & triumphum Christianitatis. Præmissa igitur ex palatio suo pompa ciuilis, aulici, & militaris comitatus; cum insignibus sui Magistratus, & subsequentibus deinceps solenni ornatu Mandarinis; ipse demùm in equo superbè phalerato, cultu Regio processit, dextra crucem attollens, eámque procliui capite, & oculis adorans. Anteibat equo iuuenis Christianus cultu pulcherrimo, tabolam præferens Christi Redemptoris, cui pone pendentem vmbellam pretiosam sustinebat honorarius ephebus. Hoc ille apparatu, inter organorum, & tympanorum cantus per totam Nuocmanum in locum subiit, admittendo tributo solennem. Illic iubet erigi altare ad hoc pridem paratum, crucem medio in altari cum Christi effigie locari, odores & lumina liberaliter incendi; tùm equo exscendens cùm humi pronus ea adorasset, conuersus ad multitudinem latè circumfusam, eum se honorem, quo vno digna erant simulachris habere professus est, nempe tergo auerso contemptim præterire, quando illa non posset confringere, vel quod tales deceret potius figuras dæmonum, igni abolere: alium non esse præter Christianorum Deum, illum à se coli & adorari vnum, & (quo dicta concluſit) sibi priùs caput reuulsum iri ex humeris, quàm vt alteri Deo illud inflecteret. Inde ore semper in Christi altare reuerenter obuerso, tributa excepit, & quo venerat, splendore & ordine in vrbem recessit. Sed erant ad Regem perferenda longo regni pænè totius, hoc est quinque Prouinciarum tractu, quod ille iter ita instituit vt esset quoque perpetuus religionis veræ triumphus. Nauem enim tributa portantem, pro augustissima & auspicatissima tutela, regebat simul decorabátque Iesu nomen, in elegantibus vexillis auro radiatum, quod cum voluptate, Canclani ab regni Principe, Sinoæ in aula ipsomet à Rege, spectatum, laudatum, celebratúmque est, & gradu Magistratus eminentiori Ondelino Andreæ repensum.

Sed de Cocincina scribi gratiùs nihil potest, quam quæ anni huius vigesimi sexti, exitum coronauit, expeditio nostrorum in Tunchinum, ea iam tùm suscepta faustitate, iisque deinceps aucta profectibus, vt facilius nobis Tunchinenses mille ad Christum perductos, anni singuli numerent, quàm Cocincinenses centum. Ea propter si decuplo gravius

&

& ærumnosiùs, & aduersantium maiori obstinatione (qua mente Deus scit) sudatum à nobis eo in regno foret, iuuaret nihilo seciùs dicere, fuisse tanti; cum illic postremis his annis Christianorum trecenta plus millia censeamus Ecclesiæ sanctæ incrementum haud sanè ignobile de S. Ignatij prognatum voto, & spiritu, suorum post Deum vrgente conatus ad amplificandos eius fines; cuius operæ fructus, aut beneficentiæ potius diuinæ, nouum identidem Pastori summo, aliquem offerunt Christianorum gregem, in desertis renatum Orientalis idololatriæ. Fuerunt eiusmodi (de quibus hactenus) Iapones, Sinæ, Cocincinenses, & nunc Tonchinenses, quos partem huius historiæ facit tributi conditio Sinis obnoxia. Ac doleo quidem, præter laboriosa fundamenta, & constabilitam harum Ecclesiarum firmitatem, cogi alia silere quæ plus gloriæ habent ærumnarum minùs & periculorum, vt quæ ab anno æui huius quadragesimo gesta sunt, sed hunc mihi consultò scribendi limitem præfixi cum anno Societatis nostræ seculari.

15. Tunchinexpeditio.

Regnorum vicinitas inter se confinium Macaenses nostros in eam mentem induxerat, vt opinarentur Tunchini Regem facilè passurum, quod Sinæ, & Cocincinenses ferebant deinceps non grauatè, vt in oneraria Macaensi quæ portus eius frequentabat, ex Patribus aliquis mercatoribus adesset; qui Regis sensim captata gratia, & solerti studio popularitatis, sedem illic sibi; sociis aliquot subindè aditum impetraret; eámque postremò Euangelici præconij libertatem, quæ pulchrè incepta suo in ortu non perderet. Hinc & Regni florentis ad Ecclesiam accessum magnoperè expectandum, & paratum fore nouum illac nostris in Sinas ingressum, si Quanceensis (in dies arctior) penitùs intercluderetur. Probauit consilium Hieronymus Rodriguez, Inspectorem Macai tunc agens, & Vectariæ Lusitanæ ex eo emporio Tunchinum soluenti, Iulianum Baldinotium imposuit, exploraturum dumtaxat Regis in nostros animum; & populi genium erga religionem Christianam; ac Lusitanos quidem supra quam optari poterat, Rex humanissimè accepit; donis dona rependit; amplam iis attribuit domum, quam ædificari iussit libera circum in area vt essent cum mercibus ab incendio tutiores. Cui obnoxia ferè est ædium omnium lignea materiatio. Ad hæc milites dedit qui diurnis æquè vt nocturnis excubiis, fures ab iis defenderent, assuetos condicto, ignem domibus subdere, opisque ferendæ specie illas expilare. Suo quoque Regem veneratus est Baldinotius peculiari dono, quod religiosam deferentis non dedeceret manum. Et quamuis non alio quam Societatis, humili habitu adstaret; Lusitani, Præfectus maximè vt in similibus, superbo, & splendido, animaduertens Rex Præfecto ab iis inusitata exhiberi obsequia, & Baldinotio Præfectum demissiora etiam deferre, verecundanti licet, & (contra quod solenne Bonziis) quam ægrè illa tàm modestè ferenti; virum magnum putauit, & in religione sua sanctum; optassétque libenter de animi rebus dicentem audire, si linguam Tunchinensem im-

promptu habuisset; vetuit autem prudentia res tantas interpreti ethnico fidenter committere; quod vnum licuit, cum Regis Præceptore, magni nominis Bonzio amicitiam iniit ex crebra consuetudine, quam ei Regis præbebat comitas qui ad eum visendi gratia, sæpè Bonzium mittebat. Dùm lentè, nec lucris adeò commodis Lusitani mercimonia permutant, & distrahunt; totus erat Baldinotius, in explorandis moribus, introspicienda indole, notandis affectibus, geniis, & habilitate quauis facili, aut secus, in Tunchinensibus, ad suscipiendam Christi fidem, cernebátque in dies clariùs, nulli solo Euangelij semina creditum iri fructuosiùs quàm Tunchino, seu naturæ spectares ingenium, seu cultum; vltróque in illa ituros quæ recta ratio iis indicaret ad æternam salutem esse necessaria. Hinc moras deuitans tanti boni per Macaenses procurandi, clam certum hominem in Cocincinam mittit, rogans ab eo qui nostris præerat Patres duos, Tunchinensibus de Christo docendis, & æternitate; sed proh! quantùm aiebat proventu absimili, & vberiori, quàm qui ex Cocincinensibus rediret. Respondit qui præerat, negans id esse sui iuris, & si foret, ab se non posse præstari sine grauissimis suspicionibus regni vtriusque tunc in mutua odia, eladésque armati. Conducibiliùs futurum si Macao rectà quos petebat in Tunchinum acciret. At enim iam Deus ex Cocincina, Tunchinensis Christianitatis sibi legerat fundatorem, P. Alexandrum Rhodium quem longè alias ob causas idem Rector Macaum potius idcirco reuexerat vt amoueret à Cocincina procul, quam vt eum Tunchino gratificaretur; etsi anamiticum sermonem expeditissimum biennij studio sibi comparasset, & ingenium nactus esset ad disciplinam linguarum perfacilè. Macaum ergo Baldinotius redit cum mercatoribus Lusitanis; de Tunchinensibus quæ præsens compererat disertè relaturos, cœlo priùs transmissis, infantibus quatuor feracissimi eius agri primigeniis floribus quos baptismum statim subsecuta mors, terræ abstulit. Nec verò alteri videbatur glorioſæ prædæ captura competere, nisi qui prior illam indagasset; sed ignoratio linguæ Tunchinensis magno vix nisu superanda, & Iaponicæ cui assueuerat in Tunchino vsus inutilis, in Iaponia pretiosus, cum martyrij ardore quo flagrabat, tunc inter lentos ignes proni, & obuij, Baldinotium cum aliis quatuor in Iaponiam verterunt. Generosè sanctéque ad martyrij meritum; ad martyrium, nequaquam; eius solam Deus admisit voluntatem, reiecta Macaum qua vehebatur nauis in portu frangitur; Baldinotius paulò post morbo extinguitur; exilitatem lucrorum anni præcedentis pertræsi mercatores, & quibusdam periculis territi Tunchino abstinent, erátque illo in hunc annum nauigatio nostrorum intercepta, nisi Ioannes Pintus Fonseca Macaensis audentior cœteris, in discrimen vtrumque, animum obfirmasset, tùm suas merces in Tunchinum euentu ancipiti portandi; tùm duos è Patribus suo sumptu, vt præclari quoque in parte operis & ipse cum iis accederet. Armato igitur medij modi nauigio Tunchinum versus Ma-

cao

cao vela explicuit Martij duodecimo anni 1627. assumpto secum P. Alexándro Rhodio, & (quẽ ei præfecit suffectus Hieronymo Rodrigues, Prouinciæ Inspector Palmerius, P. Petro Marchesio, Apostolicæ huius missionis honorem Rhodio conciliauit peritia linguæ Tunchinensis, virtus egregia claréque Palmerio perspecta. Potuitque omnino inter summos Euangelij præcones merito celebrari, si par studio animarum, & strenuitati operum indefessæ, prouidentia adfuisset, quæ Apostolici muneris pars est si minus primaria, certè primariis proxima. Hanc ipsi laudem aut abstulit aut multum imminuit, quod pietatis suæ feruidis motibus se tradens penitùs, consectaretur ingenti animo præsentes solum quæstus; in futurum nihil prospiceret, nec pronis hinc sequi occurreret malis; ex quo etiam illa quæ benè ac mente optima geruntur, sæpè die vno multorum annorum labores decoquunt. Cúmque hoc malum morbus naturæ sit, proinde vix vnquam sanabilis, vnum id suppetit vt operatiis qui eo laborant priuentur missiones, quod tandem Rhodio factum est, quanquam ne sic quidem obuiam itum damnis Macai ab illo, post Romæ, tùm alibi profectis, relicta vbique sui memoria parum laudabili, quod bonæ menti par, non afferret in rebus gerendis iudicium, seque vnum ad illas Consiliarium adhiberet. Nauigatione vsi sunt maximè procellosa, præsertim ad Insulam Hainam, scopulis, syrtibus, & naufragiis famosam, semel deprimi fundo, & mergi cœptos, demissæ in aquas S. Xauerij seruarunt reliquiæ cui sua olim pericula orantes memorabant quibus mare illud toties consecrarat. Aliàs funestam ipso eius in ortu procellam, repentino Deus sereno discussit. Sexto die ad insulam applicant, seu montes dixeris præter quos nihil in ea soli, sinúque se sub insulæ angulum reducto muniunt aduersus tempestatem quam videbatur nox ingruens minari. Sudo postridiè, & aperto mane, mirantur se casu secundiori nauigasse, quàm arte industriáque potuissent, & ad ora Cuambangi consistere, portus capacis, & commodi quem duo scopuli duobus oppidis subiecti complectuntur. Hunc portum Iosephi nomine dixerunt, quòd esset is dies Mattis Virginis sponso sacer, eadémque appellatione nobilitarunt ex oppidis alterum, à quo primum fuerant deprehensi: adsunt siquidem inde confestim à Mandarino viri in lembis leuibus; rogant qui? vnde? qua causa venerint? & si mercatores; cuiusmodi, cuiusve pretij merces ferant? satisfecerant rogatis Lusitani, cùm è sponda nauis Rhodius; & mihi sunt inquit, merces aliæ propriæ, quas nequaquam venales, sed gratuitas huc tuli, nihilo tamen viliores quàm animi salus, & sempiterna in cœlo post mortem beatitas; secutúsque in idem argumentum aliquantò fusiùs dicere, attentissimum pariter, & mirabundum habuit auditorem quod tantis de rebus Tunchinensi lingua elegantissimè, homo externus loqueretur; cuius seminis grana tametsi perpauca videbimus fructu suo minimè caruisse. Hinc de præcipuis Mandarinus Comite Lusitano Regem adit, nunciaturus de appulsa naui. Tunchinum

15. P. Alex. Rhodius Tunchin. miss. fundater.

16. Tunchini Regnum, situs, guber. &c.]

cuiusmodoi regnum sit, quibus, illic populi moribus, legibus, religionibus, & artibus viuant, abundè opinor, ex iis patet quæ de Cocincina & Sinis præmisi, quorum olim pars fuêre Tunchinenses; si quid erit peculiare Tunchino, iis locis reddam, ad quorum intelligentiam fecerint. Hic illa tantùm breuiter indico vndè aditus fiat ad hanc historiam clarior. Vt vox Pechin, aulam ad Septentrionem; Nanchin aulam ad austrum significat; sic Tunchin aulam ad Orientem sitam, haud quidem Sinarum comparatione, sed aliarum ab occasu multarum regionum, quæ retrò actis quondam seculis ad Sinas attinebant; quod enim non possent negotia confici, nisi mensium multorum itineribus permolestis, seu Pechini forent, seu Nanchini tractanda, (aulis regni eiusdem duabus) stabilita est aula Tunchinensis, seu iudicum tribunal ex quo causæ Occidentalium, & negotia penderent. Diuulsis autem longo temporum lapsu, ex Monarchia Sinarum, Regnis bello partis, seque sibi suam in propriam ditionem subindè asserentibus; vltimò Tunchinum rebellauit, quod rebellioni non tanta fauisset longinquitas, octingentis ferè, quoad monumenta suggerunt, ab hinc annis; idque repetendæ studio libertatis, tàm pertinaci & deliberato, vt Præfectorum Sinensium strage promiscua iugum excusserint; signoque professi manifesto aliam à Sinis originem, solutos nodo (quod seruant hodiéque) capillos à vertice, in humeros sparserint; calceos Sinas pro gradu, & meritis varios, prorsus abiecerint, incedántque exindè nudis nunc etiam pedibus, quod nullo suo incommodo ita nosti vsurpant, plantis, aliquot post menses in callum duratis, vt iis deindè impedimento sint calcei, adeò est corpus vtramvis in partem docile. Mutata, capitum, & pedum velut scena, planéque Sinas à plantis ad verticem exuti nomen etiam Regno commutarunt, & Annam pro Tunchino dixerunt, quod australem quietem apud eos sonat. Qui vecò tunc Sinis imperabat, tranquillam segnitiem, bello anteponens, Tunchinum & pacem tributo perpetuo trienni vendidit. Nisi forte melius dixerim emisse: duplo enim Sinensi stant cariùs munera quæ Tunchinensis muneribus rependit, & in eius legatos prodiga effundit maiestate, quam Tunchinensi triennis illa cum tributo clientelæ suæ professio. Tunchinum igitur iam per se Regnum, Iunnam respicit à Septentrione, vnam ex quindecim Sinarum Prouinciis, cum parte aliqua Cincanæ, quæ & ipsa quondam ad Tunchinum spectauit, nunc à se Regnum efficit angustum, Quansiensi Sinarum Prouinciæ contiguum. Occidentem versus habet montium Moi tractus continentes; ab Austro Cocincinam, rebellatione item ab eo scissam, & ab Oriente maris Sinum, in quem capacibus ostiis influit ingens amnis qui vrbem regiam Checium alluit, milliaribus septem in longum porrectam; & fere totidem in latum; & habitatorum millione vt scribunt confertam. Negant alij vrbem esse, sed campestrem aulam; habitatores, non ciues sed aduenas; pro sua quemque libidine vel commodo mobiles, nunquam

Rebellio in Sinas æterna.

diu

diu eosdem, demptis qui præsto sunt Regi militibus. Quod significari Pater Fontes refert ipso vocabulo, nec aliud esse Checium quam Mercatum, ob continuas vt ait nundinas importantium multitudini tàm immensæ vniuerso ex Regno commeatus, Regi annua, & Reginis, & Mandarinis Rectoribus tributa, quorum alij triginta pagos, quadraginta & plures aliqui vsufructuarios obtinent. Quicumque nihilominus de Checio scribunt, gratificantur illi titulum ciuitatis. Testem do P. Gasparem de Amaral Lusitanum datis illinc anno 1638. literis, non quod mea interfit vrbs an Emporium vocetur, sed quod multa hinc scitu non inutilia discimus; atque illud imprimis quod ait, videri sibi Tunchinum Lusitania triplo ferè maius; sed decuplo & vltra frequentius. Vrbes nullas habere præter Checium Regiam, dignam planè quæ cum amplissimis, & celeberrimis componatur, haud illa equidem vastitate, quam ei attribuunt nonnulli, sed referre speciem campestris Regiæ, & hospitij castrensis, infinita vndique illam ambit, ducum, & militum multitudo; nec minor alia mercatorum; artificum alia & omnis generis, mediastinorum. At enim si (quod subindè fit) Præfectorum quisquam aut Regis propinquus arma & populum in Regem mouerit, ignis ante omnia Checio subditur & spontaneis suorum ciuium sic deletur flammis vt plus die vno non interfit inter vrbem maximam, & nullam; solus nudo in Campo cum exercitu Rex hostem expectet, aduenis omnibus ab eo dilapsis. Rursus victo rebelli, & sancita pace, diebus paucissimis Checium è suis cineribus excitatur, & de nuda humo in vrbem consurgens, multis populorum centenis millibus impletur. Iam situm illius prospicienter conditores metati sunt inter Prouincias quatuor, quæ nomen à quatuor quas spectant mundi plagis, proprium duxerunt. Porrò in forma imperij quod Rex apud nos, idem Bua Tunchinensibus quondam fuit, estque nunc etiam quoad speciem quandam supremæ potestatis, re prope vacuam. Tunchinum enim legitimo succedendi iure in Regem inciderat, voluptaria, & turpi segnitie infamem; hoc vitam quadrupedis in Tignea Prouincia viuente abiectis planè Regni curis; cliens eius quidam, Regnum eò vsque depositum, censuit esse primi occupantis, & Prouinciarum septem, ex numero, quatuor in illum armauit, tàm obtuso ad rebellionem hanc sensu stupidum, vt ægrè Duci cuidam suo annuerit, militem facere, in hostem ducere, & captas Prouincias illi extorquere, quod secundo Marte à Duce præstitum, cum inertem Buam & væcordem à propudiosa ignauia & Regni neglectu minimè dimoueret, qui ne tympani quidem sono interturbari sibi somnos per omne id bellum tulerat; Ciua hoc est summus militiæ Præfectus, vt erat armatus, administrandum Regnum sibi asseruit; tenétque hoc etiam æuo idem vno in regno, duorum Regum, Officiorúmque Buæ & Ciuæ collegium; repræsentante altero Regis vmbram, & nomen, altero reipsa regnante; paucis tantùmiisque sterilibus, Buæ permissis regni notis, & dispensa

dispensatione honoris vacui, titulorum splendore illusi. Prima statim à Luna (quæ vti & Sinis Februarij quinto est propior, quò solstitium hibernũ ab æquinoctio, hiemem à vere diuidunt) prodit Bua sua è Regia (quæ vulgo Dan dicitur) comitatus inumerabilis superbo apparatu; Ciua ipso, procedentis latus, in cultu regifico tegente, præcedit militia omnis, cum Literario Magistratu, nobilitate, ac populo longis ordinibus; portatur, extárque supra omnium capita suo in throno Bua, ea quam gereret simulachrum viuens tumidus maiestate. Exitur extra frequentiam ædium in campum cerimoniæ tantæ sacrum illic ritu solenni cœlo, & terræ Bua sacrificat; indè stiuam prehendit ornatissimi aratri, & iunctos illi boues, stimulo incitat, ductóque passuum aliquot, breui sulco, in palatium suum reportatur, quo eius hortatu tacito, rustica vbique omnes opera repetunt, agrósque ad frugem excitant per hiemem desides, & à ligone ac vomere otiosos. De Sinarum exemplo veteri morem hunc annuum retinent Tunchinenses, nunc illum suis sepulti palatiis Sinarum Reges non obeunt, nisi quo die inaugurantur corona imperij, sed habent aliquid in eo quam Tunchinenses illustriùs. Sinarum Rex ipsemet agellum arat, & seminat Mandarinis interea partem operæ, certatim, & sedulo inuicem præripientibus, frangenda gleba, coæquandis sulcis, occanda semente, & sepelienda, cuius deindè in falcem, & triturã maturæ, purgata grana Regi efferuntur, velut eius laboris fructus, & pretium. Imperatrix quoque in agello eodem quem vertit agricola maritus ad morum accedit, decerptisque ex ea ramis, quærit in iis folia nondum nata, quæ sapiens arbor nisi sera non mittit. Vtque suo illo exemplo Rex viros, ad exercendos agros vocat, sic & feminas Imperatrix ad bombicum & serici curam, quo Regni eius locupletissimi præcipua opulentia fulcitur. Præter hanc Bua honorarij muneris functionem, Regem item Sinarum in eo æmulatur, quod ab eius in regnum aditu, nouus incipit toto regno annorum cardo, qui eius morte cum eo interit, aliúsque ab eius successore duci ordo annorum incipit. Nomen præterea omisso veteri nouum sumit, longa ariolorum & Literatorum indagatione idcirco lectum, quod pendere ex eo maximè faustitatem publicam somniet, cogántque illum, si sterilitas aut pestis annum vexauerit, ominosum nomen, ominato mutare. Ad hæc Literarios confert gradus, & bimense quouis, redeunte, & integra Luna, obsequiosis illis prochitionibus honoratur, eiúsque nomine legati, ad Regem Sinarum cum tributo, triennis singulis mittuntur. Sed hinc tacito illo, vt quid rem nostram perparùm faciat; Ciuam deinceps Regem vocabimus, estque is omnino Tunchini Rex, & ductum à maioribus Regiæ dignitatis, potestatisque ius transmittit in filios. Quanta verò sit eius potentia fortassis hic non persuasero, sua est enim quibúsque imperiis priuati & publici ratio, vtque illos ridemus cum sibi nostras regiones egenas & steriles; habitatores incultos, & aggrestes fingunt, sic ij nos mercã-

17. Initia operũ ab Rege primo die anni.

18. Bua Tunchini Rex inanis; Ciua Rex verus.

merito riserint, si fingere lubeat, illos politica, militari, nautica, cœteriſque ingenij & prudentiæ artibus, & dotibus cassos, nihil habere cum noſtratibus conferendum, in hoc potiſſimùm Annami Regno, quod rebellione regni nomen & decus maluit emere, quam Sinarum partem ſextam & decimam facere. Iam Tonchini Rex Cocincinæ regnum ab auſtro cùm habeat; ab aquilone Regnum Ciucani, vtrumque hoſtile, & viuacibus odiis mutui perduellionis ſemper ardens; nihil mirum ſi ſemper in armis teneat bellatorum millia quinquaginta, in regni præſidium; nullo præſertim ſuo ære, ſed Prouinciarum quatuor penſitatione, qua illarum olim, de qua nuper, mulctata rebellio, emaciata eſt, ne in Regem denuo laſciuiret, & Rex confinibus euaſit formidandus. Præter hæc, mari Tunchinum imminens, & magnis peruium amnibus, inſtruxit neceſſitas armamentario nauali copioſiſſimo aduerſus ſubitas irruptiones Piratarum; ſed vnius tantum ad ſcalmum quemlibet remigis, vnde illorum naues (ſcribant licet quod volent quibus aliud placet) noſtratibus ferè ſunt dimidio minores, quod teſtatur, qui trecentas ſimul coram recenſuit. Verùm iis nihil elegantiùs, intúſque, ac foris, auri, & colorum varietate ornatiùs; roſtro potiſſimùm, quod Præfecti conclaue ac ſedes eſt. Hinc ille ſi ad manus venitur frontem occupat pugnæ, nec ſuorum ſe tegit corporibus, ſed armis illos, & pectore velut clypeo tuetur, & præſenti exemplo non ſemota voce, pugnandi modum, furorémque iis dictat. Sic ſua illic deprædicant. Præſtant aliis triremes quæ Prætoriam ſtipant firmitate, ac mole; cultus verò magnificentia, tàm compti, vt ſcribat, qui hoc anno præſens viginti quatuor numerauit, velis actas fuiſſe ex tenuiſſima carbaſo, manu phrygia pictis, & filo commiſſis purpureo. Naucleriæ certè nuſquam alibi maior habilióque peritia; ars enim illis eſt remigatio non pœna, & in multitudine triremium tàm denſa, valet mirum quantum, exemplum, & æmulatio, & tritæ remo perpetuo manus; auréſque baccillis aſſuetæ, quorum conſuſu ererarchi, remigationem, vt ſibilo, apud nos regunt. Sed eam artem nihil æquè promouet, vt honor quæſtuoſiſſimus remigum Regiorum, in quem euehuntur qui ſunt in ea eximij. Vbi enim cum hoſte confligendum, ſuſpenſo remo arma corripiunt; vbi fugiendum, aut fugientibus inſtandum, repentè ad ſcalmos reuolant, nec verſi ad puppim, remis ad pectus adductis nauigant, ſed proram verſus roſtrum perpetuo ſubigunt. Res ſacra & publica à Sinenſi vix differt, ſuas habet Tunchinum ſectas, Literatorum Magiſtro Confuſio; idola colentium ſub Xaca, magorum, & veneficorum ſub dæmone, habent enim hi ſuos quoque ſeorſum cœtus. Gubernatio ciuilis in Prouincias digeſta, ſubiectas Prouinciis regiones, ditiones regionibus, ditionibus pagos, ita regit vt ſuus nulli loco deſit proprius Mandarinus: apta verò gradatim tribunalia ſingulorum ad Prouinciæ Præſidem referantur. Emuntur ij Magiſtratu ſtudiorum ſudore, prærogatiua ingenij & ſcien-

19. Militia Tũch. potens.

20. Remigatio Tunc ars eſt: honorifica non pœna.

tiæ merito, statis (vt apud Sinas) examinibus perspectæ, ab imo Laureatorum subsellio ad summum apicem Doctorum, quo nullus superior, & fructuosior est gradus. Quæ particulatim de Tunchino ad nostra spectabunt, ea passim cum his narrabimus.

Dies abierant quindecim, ex quo Mandarinus, Comite Lusitano de appulsu nauis ad Regem pertulerant; quod etsi perbreue ad magna spatium, magnis conatibus Apostolici spiritus in conuersionem ethnicorum Rhodius occupauit, cui profectò vni post Deum integrè accepto ferenda sunt, quæcumque narrauero de fundatione illius Christianitatis, ad quam Mendesius quanquam Rhodio Præfectus & socius, sed linguæ ignarus iuuare nihil potuit. Die Veneris sancto Aprilis secundo

21. Appulsus Rhod. in Tunch. crucis erectio.

crucem statuit præcelsam, in montis vertice, vndequaque abrupti, litoríque proximè incumbentis, oportunitate situs procul omni ex parte spectabilem; vidit illam Rex ipse dùm præteruehitur cum classe adinuadendam Cocincinam infeliciter comparata, didicitque magna voluptate, Christianorum signum esse, Lusitanis tàm venerabile, vt proras illuc hilariter verterent vbicumque illud conspicuum cernerent. Quâ motus persuasione, alter à primo Mandarinus qui pago præerat quem S. Iosephi de nomine dixerant, non solòm Rhodio concessit facultatem eius erigendi, sed trabem etiam dono dedit ferri duritie, ad eam fabricandam in ea verò attollenda pompæ summam confluuit Christianorum præsentia, speciménque non fictum veræ pietatis. Tulere illam mutatis vicibus in montem alij, secuti sunt supplicantium ordine reliqui; omnes in editissimo verticis post sacras aliquot depactam, & firmatam preces, crebro facie in terram proiecta religiosè adorarunt, exiguum illud quod in eius cultum factitabant, consociantes obsequiis quibus tunc orbis Christianus Christum colebat patientem: crucem hanc Rhodius pro templo reliquit Neophytis, monens, piè ad illam peregrinarentur, precésque ad eam conuersi funderent, quoad suo in pago promererentur ædem sacram. Adest postridiè ab Rege Eunuchus, qui cum Lusitanis, & mercibus Patres, in aulam ducat. Dies erat Christo resurgenti sacer, càm se mari dedere, & inter scopulos & syrtes itinere bidui, fauces subière ingentis fluuij, emensíque per aduersum amnem sex milliaria, prope Regiam constitere. Stabat in procinctu Rex cum classe aduersus sobrinum, vt Cocincinæ regno illum exueret, vindicarétque sibi iusta clientelaria, quæ is per aliquot iam annos detrectarat: classem gradu lento sequebatur terrestris exercitus ducentis potens elefantis, pugnam apprimè doctis, & ad

22. Pompa Regiæ classis quasi nuptianum.

perrumpendos, dispuluerandósque ordines quantacumque vi ac numero firmatos, tunc verò machinas, & tormenta portantibus, pugnatorum millia centum, & viginti dicebantur ambos exercitus conflare, præter nauticæ turbæ, calonum, omnisque generis ac frugis seruorum totidem millia. Naualem exercitum trecentarum, & vltra triremium fuisse scribit Marchesius, (cui oculato, & prudenti, quàm alteri tutiùs suuscribo) quanquam eas subinde nauigia & phaselos vocat, quod

significationem vocabuli, molis amplitudine non æquarent; earum vexilla numero, picturis, auróque fulgentia; remigum pileus elegantissimæ venustatis, vestiaria tessera splendida, Reginam denique ad sponsum iurasses; non Regem in hostes vehere. Pone classem tercentum nauigia, (quingenta numerant alij) vrbicas Regis ferebant sarcinas, & feminarum onus, & impedimenta omnis generis tàm multa vt videretur aulam Rex cum tota regia secum alio transferre. Incessus tamen ordo ex arte digestus probéque consultus, anteibat velitum acies, post hanc media & robur exercitus, in quo Rex triremibus septus viginti-quatuor, omnium optimis, & munitissimis: claudebat agmen postrema acies, cum impedimentis, commeatu & sarcinis procedebántque naues in versum quinæ: tàm æquatis ad remum frontibus, vt rostrum alterius, palmo altera non præiret. Hic de Patrum aduentu, & Lusitanorum Rex monitus, duabus accitos triremibus, è sua Prætoria, conspectu salutauit, laudauit præstitam superioris anni fidem, de suo reditu; optatos sibi & gratos adesse confirmauit; ventum ad dona quibus nunquam fas est in accessu ad Regem parcere. Visáque sunt parum expectationi respondisse quæ ad illum miserant Macaenses, leui solùm aspectu illa dignatus est; vertítque mox oculos ad ea quæ Patres attulerant, horologium rotatum, & arenarium, quæ illi nouitas vtriusque, & improuisus alterius sonus, fecit aliquantò gratiores; exin sequi se iussis Lusitanis, & Patribus, secundo flumine in mare subiit, octauóque post die, ad Timphæ radices substitit; vnius ex eius arcibus in Prouincia Tignoa. Inde montem conscendit præruptum ad sacrificandum simulachro, quod in eius supercilio colebatur, vt emereretur abeo, eiusque vnà Sacerdote ac templi Custode Bonzio (Tunchinensium lingua Saio) opinione omnium vito sancto, præceptam animo, de hoste victoriam, quæ ipsi præpostero Bonzij & idoli miraculo contigit, in hanc modum vt illac probrosè delusus remetiretur iter, vtraque ex acie terrestri, & nauali triremes, & milites reducens quibus nihil ad pugnam præter animum: dùm sacris tàm bellè ac litato perfunctus terrestrem exercitum triduo præstolatur, venêre in mentem Lusitani, de illorum requiritat mercibus, & præflorat quæcumque gratiùs in iis oculos morabantur, non tanquam venalia sed sua; nulla pretij mentione. Inter easdem illas moras, inexpectata superuenit à Lai Rege confini legatio, (etsi regno vtrique interiacet, longè vastissima soli emortui solitudo) inter alia dona, elephantes duos in præsentem belli mitrebat vsum, mole ac vitibus insignes & ad omnem pugnæ disciplinam eruditissimos. Placuit Regi probare quid possent. Sed alter mutato in decretorium ludicro extra campum erumpit qui ad batuendum descriptus bestiis fuerat, & barritu immani exterrens vniuersos, qua confertissimi spectabant illuc impetum facit cunctísque tumultuario hac illac dissilientibus, duos timor præproperus & cæcus ex crepidine in qua stabant egit in subiecta præcipites vbi pro mortuis relicti iacuêre.

24. Aditus Rhodij ad Regem Tunch.

24. Caritas Christ. quãti fit ad conuers. eth.

Soli ad eos accurrunt Patres, vel ope aliqua iuuandos si adhuc spirarent; vel humo condendos, si obiissent. Errare in iis aliquod vitæ residuum conspicati, admotis remediis sic breui excitant, vt regrederentur suis pedibus ad suos; irétque toto exercitu rumor, fuisse à Patribus in vitam reuocatos; sed ambigeretur, an aliquo præpotentis remedij arcano, an prodigio sanctitatis. Risêre Patres errorem gregarium, negarúntque fuisse mortuos; sed hæsit nihilominus magna vulgo de illis existimatio, quod abiectis palam & miseris, nihilque ad se omninò spectantibus benignè succurrissent; & modestè ab se ac fortiter abiudicarent laudem ex communi errore, quam procliuiter Bonzij vel suo aliquo sanguine licuissent. Nec Regem latuit rei summa & modus; nostros & ipse laudauit plurimùm, & vocatis ad se id vltrò detulit, quod nisi timidè ausuri non erant ex eo petere, nimirùm, vt quamdiu, & vbiuis mallent, in regno suo incolæ degerent. Repetito hinc mari, vt Chenum deuenit, aut vrbem aut oppidum, Lusitanos illic & Patres moratus est, tantisper aiebat, dùm Cocincinam recipio, quod suo aduentu spondebat sibi haud fore seriùs; Eunucho interea illorum curam humaniter iniunxit, quam ille semivir, & semibestia ita gessit, vt esset eius barbaries etiam approbanda ne deteriùs sæuiret, & narrantibus Lusitanis de comitate Regum ac Principum, quorum portus subibant, sannas ore ac lingua reponeret, aiens omnes præ suo Domino ac Rege, lutum esse ac luto viliores. Fabricauit illis extra oppidum casas rudi ascia, fabrisque agrestibus. Suam Patribus seorsim assignauit, quam mediis tabulis in vsum domesticum, & sacrum partiti sunt; ac partem quidem habitationi seruatam excoluere eo vsque ne sub dio cubarent. Alteram, vt potuit, in sacellum ornatam, altari posito consecrãrũt, ac ne præteriretur velut ignota, & profana, cruce in aditu erecta signarunt, cuius moti aspectu & fama ciues tanquã rei nouæ frequentes adesse & interrogare illius causam, & arcanum. Præsto esse iis Rhodius hora quauis; prospectantibus item foris verecundè, inferre se perhumaniter, explicandóque crucis & redemptionis mysterio, curiositatem populi externis beneuoli, beneuolè semper & affabiliter, at salubriter pascere. Capturæ nunquam expers abibat piscatio; ex qua inter primos celebre in prædam qui longissimè omnium abesse videbantur. Saij quidam seu Bonzij, qui ad expiandas ædes suas igni, ab omni artium magicarum & idolorum superlectili Rhodium ad se perduxere, quibus ille in rogum congestis, religiosè Vero Deo litauit; prorsus tamen tùm istos, tùm alios, etiam feminas vehementiùs permouit senex annorum quinque supra octoginta Deorum antistes, Xachæ defensor acerrimus, & doctrinis Sinarum omnibus affatim vaporatus. Vna illi cum anu contingens summa sacrificando, suffiendo, laudandis rogandisque idolis, quorum templo ad muros oppidi hærebat noctes diebus solidis addere. Hunc sua ipsius curiositate diuina bonitas irretiuit; auens crucem videre, crucisque mysteria ex Rhodio discere, tàm ardenter iis animum

25. Conuers. eximiæ à Rhodio factæ.

præbuit,

præbuit, vt vna obstaret decrepito ætas quominùs vicina omnia pari secum ardore incenderet. Ioachinus in nominalibus dictus est; nullum ad ethnicos Christo expugnandos argumentum illi fortiùs militauit quàm quod foret ipsemet expugnatus. Natu scilicet grandem & fato proximum, omnium propè conscium sectarum, idololatriæ reconditioris Theologum, & Theologis Magistrum, haud vlla profectò seu Veri ac certi ignoratione, seu quæstus & commodi studio idola execratum, legem peregrinam, & ab inope allatam peregrino repentè adamasse, sed quod salus animi æterna tantùm pretio distabat ab idolorum seruitute, quantùm ab inferis beatorum in cœlo felicitas, & hæc mente à se perspici clariùs, quàm ipse oculis, præsens ab iis cerneretur. Hoc Senis exemplo, & hortatu ad audiendum Patrem, cœpit Christianorum numero, domus nostræ pars esse angustior, quàm transformarant Patres in sacram ædiculam, sed iis dolentibus hac loci incommoditate, aream donauit Ioachinus suæ contiguam domui in qua breui templum, & ampliùs, & durabiliùs excitauêre Christiani, quod mense Maio die sanctæ Crucis inauguratum est primo sacro. Solenniis cum interfuisset admirabunda ethnicorum turba, commodùm incidit vt Christianæ caritatis, pretiosissimum specimen iis præberetur. Vidit Christianus militem egenum, ægrotum, abiectum in publico, morbo & fame, vltima spirantem, est enim cunctis Sinarum populis commune portentum, summa erga defunctos pietas cum summa & detestabili crudelitate in ægrotos; curationis molestias sumptúsve pertæsi, aut metu exterriti, ne illorum post mortem animæ offensione aliqua iratæ redeant, & domum spectris, ac strepitu infestent, illos etsi cognatos, foras quolibet exportant haud aliter quàm canes mortuos, nec lamentabilis eorum clamor, & gemitus prætereuntes ad aliud mouet nisi vt quam citissimè ab iis fugiant. Sed enim miseri vicem dolens, animæ præsertim exitium, rogat Christianus, velitne Christo nomen dare, hoc est in filium à cœli Domino adoptari, & ab ærumnosa, fugacíque hac vita transire in beatam veréque immortalem. Cui moribundus, (omnino ex iis quos propitio lumine æterna clementia sibi designarat.) Ah! quam, ait, libenter, & cupidè. Sed quam citimssimè, te oro. Mox, infert Christianus, & cursu Rhodium accersit, aliósque cum illo Christianos; circumstare properi miserum, deportare in ædes vnius illorum, lecto, & cardiacis, paulùm respirantem cibo recreare, sedulitate tàm alacri vt si suum quisque curaret fratrem. Attentus animæ Rhodius festinare illi necessariam Catechesim, statímque vrgente periculo baptismum conferre; post quem inuocato cœli Domino; & animæ exitu Redemptori piè commendato, viuere desiit. Visum hic Patribus, subducta in turum arima funus eo paratu instruere vt eliderentur calumniæ quas non dubitabant vt olim in Sinis & in Cocincina sic in Tonchino tunc spargendas à Bonziis de impietate Christianorum in defunctos, ad hoc prona iis fuit in decus fidei sacrosanctæ, pietas Lusitana. Supplicantium

ordo instruitur, cui crucem in hasta nudo capite præferebat, seu nauis Præfectus, seu maximè omnium cultus splendore spectabilis; sequebantur tres cultu non dispari cum tabulis totidem, Christi Seruatoris, & Matris Virginis, quarum intendendis, exornandísque coñopæis, elegantissima serica, torques aurei, margaritæ, & quicquid erat in naui pulcherrimum, data opera selectum fuerat: Neophytorum primarij decem, vexilla gestabant ex serico, ad ritus ethnici pudorem, qui cartacea adhibet Bonziorum chimeris, rudi colore deformata. Cingebant hi decem Sarcophagum succollantibus oneri quatuor honestissimis Lusitanis: pone duo habitu non planè laico, lustralem vrceolum ministrabant, & librum ritualem. Postremò Patres in castula, & sacerdotali stola. Omnium verò tùm Neophytorum tùm Lusitanorum cum accensis in manu funalibus, & precatoriis de collo coronis ea fuit incessus & modestiæ grauitas, vt numerosissimum populum, sola teneret admiratio & reuerentia, cætera mirum mutúmque silentium. Posita demùm sandapyla, postque solitas preces, & cerimonias tumulo condita; verba Rhodius fecit ad promiscuam concionem de felicitate militis infelicis, & Christianorum sempiterna, quam cruciatibus ignium aptè opposuit quos essent ethnici absque vllo fine apud inferos passuri. Excepit in præsens concionem & parentalia militis multorum conuersio, sed efficaciùs nationis illius inflexit animos ad Christum, illa in militem tàm sincera Patrum, & integra caritas, vt nullius in eo meriti potuisset habere rationem, nisi quod Christianus obiisset. Iactabatur vbique magnificè laus tanti operis; ipsa quæ aderat Regis soror, facti mirabilis perstricta nouitate, causam ex Rhodio intelligere voluit, & quæsiuit ex eo cuius accepti sperative lucri merces esset impensa egenti, & ab suis proiecto, benignitas, & honorificus parentalium instructus? ad rogata, hoc paucis Rhodius ab egeno planeque ignoto, nihil beneficij potuisse erga ignotos proficisci; multò minùs à mortuo, quin ne vllo quidem ab alio mortali se temporarium quicquam expectare; legem quam docebat dignioribus in cœlo præmiis auctoratam, dedignari omnia infima, nec velle sibi mercede alia quam cœlo, seruatam pensari alienæ animæ salutem; misericordiam cum esse cœperit venalis, mercimonium fieri, & deficere à virtute. Tùm extra quæsita feminæ Principis assurgens, dixit de animæ pretio à cœli Domino creatæ, & cum eo victuræ beatam in cœlo, & immortalem vitam, intulitque illius animam gregarij peditis tanti sibi esse, vt milliarium quindecim millium superatum, & enauigatum mare, pulchrè sibi censeret eius vnius repertum lucro, etsi venerat ad beatitatem omnibus commonstrandam, qui eius ignoratione, ibant præcipites in miserias fine ac modo æternum carituras. Fleuit hic mulier; stolida! quæ suæ haud magis animæ misertæ quam si nullam haberet, dedit illas marito mortuo lachrimas, & sciscitata est ex Parte num quo valeret solatio vel auxilio leuari. Satisfecit.

tisfecit Pater conditione hominum explicata, omnes dùm viuerent in stadio esse, ad felicitatem currere aut ignes perpetuos; posse hic errantes in viam reduci, confecto stadio, currendi spatium, sortémque cessare, quæcumque illis esset meta, glorioſa, & felix vel cruciabilis, & horrenda æternam fore. Quæ vox miro destinationis ad salutem anticipatæ documento, principem feminam nihil mouit; honorariam ex familiaribus comitem mutauit penitùs, fecitque exinde deliberato proposito Christianam, eruditur, lustratur, Monicæ signatur appellatione, subsequas secum constantis exempli multas trahit, eodem in illas hoc argumento vsa quo ingeniosè ac solidè apud se digesto conuicta fuerat: non potest, aiebat, peregrinus hic non esse verax, in omnibus quæ docet; nec tot periculis spectasse aliud præter animi salutem quam nobis afferebat, dicturus alioqui Dominæ Principi, se virum illius ab inferis in beatorum transcripturum sedes, & promeriturus apud illam hac vna voce quantum honorum, opúmque optasset, si eorum ambitu teneretur; nec asserenti se illum cœlo vindicasse negari fides, & merces posset, cùm vitæ alterius arcana sub nostros oculos non cadant. At is disertè professus est, Dominæ Principis, re nulla posse maritum iuuari esseque illius salutem vndique desperatam; verax igitur æquè sit oportet, dùm nobis hoc idem ingerit, & inculcat; & si ex veris certisque affirmat, patere omnibus liberum, ad beatam vitam, & supplitia æterna iter, fixum mihi est ducentem sequi, & cum eo seruari, quod etiam extemplo præstitit. Nec minus isto improuisus, anus decrepitæ accessus ad Christi gratiam contigit, moxque vt spes est ad gloriam transitus, Socrus erat viduæ Principis, quæ salutantem se Rhodium in discessu, (dubio procul instincta cœlitus) rogauit illam vt viseret, quam norat scilicet à salute alieniſſimam morti: proximam offendit Rhodius præsenti, & æternæ; sed misericordi destinari baptismi expectatione in viuis teneri, festinato docetur de beata, & immortali vita, eiusque auctore, & reparatore Christo Iesu; post exsecrationem idolorum solennem, tingitur, sub Annæ appellatione, paulóque post, morte, iam non dolenda extinguitur. Augebat quotidie Rhodius suum gregem tàm crebris accessionibus nobilium etiam, & Literatorum, vt rerum suarum decessui, tandémque exitio cauendum, inter se statuerent Bonzij. Fuit eorum consilij hæc summa: traducendam ludibrio, & probro doctrinam Patrum, reuincendos celebri disputatione, atterendósque adeò ignominiosè vt pudoris impatientia fugerent, vel silerent; incumbebat hic tàm præfidens, & arrogans tumor silicennio cuidam inter eos diuino, suffarcinato doctrinis omnibus tàm abundè, vt exundarent in longè plurimas, tanquam loquacissimi oraculi lucubrationes. Multis apud illum precibus actum est, ne vellet negare Patribus hunc honorem vt eius dextra occumberent, & quo esset victoria clarior frequens vndequaque aduocatur, & accurrit spectator. Mittitur ad Patres pronocator; dies domi eorum dicitur. Præ-

stolarentur

ſtolarentur illic Bonzios acerrima dimicatione rationem ab iis expreſ-
ſuros tùm falſitatis impactæ Bonziis, tùm arrogatæ ſoli Chriſtiano-
rum legi veritatis. Lectus pugnæ Dux, magnanimus Bonzius, eſto
ingenij nimium artiſque conſcius cuius tàm multos in arenam tirones
laniſta vetus produxerat; in omnes tamen caſus, ſcripto ſe munit la-
cinioſo, & inepto quod ex ſacrilegis in Deum vocibus, & vituperatione
legis Chriſtianæ, Patrúmque fœdiſſima contexuerat, eo ſinum arma-
tus, adeſt domi noſtræ cum ſuis dicto die, vbi expectabatur à Patri-
bus, & paucis Chriſtianis. Ad menſam conſederat obuerſus Rhodio
ad alteram ſedenti, cum nutu eius ſiſtit ſe medium ex ſequacibus eius
vnus, & ſacco quem tulerat reuerenter ſoluto, faſcem illi ſqualidum
annoſa illuuie chartarum, in menſam effundit, quas ipſe ſilens ex-
plicabat euoluebátque ſigillatim, velut emerita doctrinæ ſuæ monu-
menta, quibus cum magnoperè geſtire, & applaudere viderentur
aſtantes ethnici; iubet Rhodius viciſſim Catechiſtam proferre ſacros
& Sacerdotales libros, quorum ornatus pulcherrimus, & arte quæſitus
præcipua, illáque concinnitas minutiſſimorum characterum, ſtatim
omnium aduertit, & perſtrinxit oculos, etiam Bonziorum (illic ele-
gantia codicum, cui Sinæ nihil habent affine, de excellentia doctrinæ
quam continent magnificè, officioſéque præiudicat) ipſemet Bonzius
pugnæ Dux, hærebat, pergebátque in ſuo ſilentio, cum prouocatoris
perſonam induens Rhodius, idolorum cultum ſuis cœpit vexare argu-
mentis. Ad quem ſenex ſuperbè vel campum fuco ſuperbiæ declinans,
quis enim tu, ait, quem reſponſo digner? nec ab ſe aliud extundi
paſſus eſt. Ergo infit Pater, aut age, & dic; ego te tacitus audiam. Aut
ſile, & audi dùm dicam, vt quid enim huc fruſtra conuenimus? nihil-
que Senis reſponſum moratus, ſequebatur, vt inſtituerat, idolomaniam dicendo damnare, cum is dicentem interpellat, productámque de ſinu compoſitionem quam dixi ſacrilegam erectus in pedes magna cœpit voce intonare, cuius exordium cum eſſet Deo contumelioſum, vociferans & ipſe Rhodius valenter inhibuit, aiens ab ſe domi admiſſum hominem de Deo acturum, non autem dæmonem, maledica declamatione inſultaturum eius maieſtati. Stimulare hic Bonzium ſequaces, iret quà cœperat, quod cernerent Rhodio ægrè eſſe; minari è contrario Chriſtiani ſacrilego, ſi vlteriùs tenderet; eratque res etiam extra verba in aliquid grauius exitura, niſi caſu felici domum ex intimis Regis familiaribus intraſſet Eunuchus; eius metu dilabi Bonzij; abeundi cauſam diuerſam obtendere; ſubmiſſo interim murmure muſſitare, occaſionem minimè defuturam, diſputatione obita meliorem. Et hanc ipſi occaſionem repentè cudunt, oppidi Præfectum adeunt, & tàm nefariis atque inauditis, vt ſunt prorſus effrontes in calumniando, legem onerant Chriſtianam, eiúſque Præceptores, vt cauſam indefenſam, indictam, incognitam, decreto barbaro damnarit quod hac forma conceptum, per acceleratos præconum cantus, regionibus oppidi ſingulis certa.

16. Diſput. cum Bonz.

certa pœna edixit. [Patres homines esse malos; doctrinam eorum similiter malam, proin illos & adiret nemo, & domum ad se nemo accerseret.] Quod vbi Monica, illa fororis Regis honoraria, rumore primùm, post certo nuntio accepit, indignitate iniuriæ in Christum, sic exarsit vt ægrè temperaret ab adeundo Præfecto imprudenti, & obiurganda per se illius præcipitantia, iisdem verbis quibus eius Ministrum increpauit; cui coram ipsamet ad fores palatij vocato, fustes minata est, si verba impia edicti non esset veritus iterare. Nam vnde nobis aiebat hic de Præfecto Rex nouus Rege superior, & maior, qui consuetudine ciuium eos interdicat, quibus illam Rex iussit esse liberam & communem? quid autem is potest de illorum doctrina nosse, cuius ne verbum quidem audiuit vnquam? recitatisque sub hæc voce clara decem legis diuinæ sententiis, si sunt inquit, istæ merito culpandæ, & proscriptioni obnoxiæ, sistat huc se Præfectus, & totidem proferat, de oppositio illis suo dogmate æquales. Hæc præco, & qui audierant viri graues, cùm renunciassent Præfecto Mandarino, grande hinc sibi à potentissima femina instare periculum metuens edicti præcones dicto citius omnes reuocare; rem factam pro infecta in vulgus spargere; dissimulans Rhodius quicquid contigerat, priuatam institutionem publica mutare, & ante templi fores concionari quotidiè, de vitæ post mortem æternis pœnis, & præmiis? Christóque Saluatore cuius vnius clementia, illæ vitarentur, hæc obtinerentur.

Hæc dùm geruntur è Cocincina Rex, quam confidentia præcoci iam deuorauerat, infelices exercitus, reducit, inglorius ipse, & lucro deputans minimè spernendo, quod præter depressas aliquot triremes, & ter mille circiter militum, iacturam aliam non fecisset. Mea quidem nihil refert rei series, & modus; sed redibat irarum in Lusitanos plenus, quos fama didicerat auxilio hostibus contra se fuisse, etsi alij scribunt simulatè id factum; insolescebant præterea etiam in Tunchino & eorum mancipia & serui indignis modis habebant indigenas, sanctitatémque nominis Christiani apud illos maximè deterebant. His Patres magnoperè anxij, qua fronte Rex visurus esset adeuntes, quóve erga se rediret animo hærebant, & an rescissurus incolendi regni quam iis concesserat facultatem. Sed qualiscumque erga Lusitanos, beneuolum in Patres seruauit animum quem adeunti se Rhodio declarauit, dignatus præsentem eiúsque munusculum incredibili comitate. Erat munusculum de Sphæra liber, ab vno ex nostris apud Sinas, lingua editus Sinensi; iussit illum ad se in Prætoriam scandere, sibíque proximè, & familiariter assidere, & horas duas, tametsi nox erat, de Sphæra, & cœli ordine, motúque stellarum dicere. Quæ cùm appositè interpungeret Pater, de Creatore, & cœli Domino, Præfectum custodiæ Regiæ, Christo lucrifecit, aliósque notæ primariæ nonnullos, nec ita multo post, Christiano lauacro expiauit. Visendi obsequia deinceps Rhodius apud Regem crebrius ite-

27. Expeditio Regis Tunchin infaust. ira in Lusit.

tauit, magna semper illius affabilitate, quoad Lusitanis post macras nundinas Meacum proximè recessuris, vidit fortè Rex è sua Prætoria Patres, (agebatur dies Præcursori Baptistæ sacer) & vocatis ad se, ex Rhodio intelligere voluit minutatim, artificium, vsum, & regimen horarij rotati quibus tantoperè captus est, vt vltrò, nihil minùs cogitanti benignè detulerit, quod nemo ex illo tentasset petere; secum in Regiam veniret, vnúmque, aut alterum annum in ea traduceret. Cui Pater, actis Deo Regum Regi, tacitè gratiis; prolixè professus est tanti sibi esse tanto Principi seruire, etiamsi per omnem vitam, vt nihil sibi putaret posse in vita gratiùs, maiusvè contingere. At enim, subdit Rex, an etiam soli? linquam siquidem solus habebat promptam, Externus & solus, inquit Rhodius, dupliciter solus est, nec potest non tristis, & mœstus viuere; hic mihi, Marchesium indicans, & Præsul, & Pater, & natu grandior; idem socius est. Regi placuit responsum, & suis vtrumque adscripsit. Fausto illi trepidationis ambiguæ euentu alacres, vela facturos salutant Lusitanos, dántque per illos Macaum literas, de concessa sibi Regis beneficio statione, & regno tàm docili, & præstanti diuinis legibus imbuendo. Explicanti iam vela in altum Præfecto adstitit ab Rege nuucius epistolam ferens qua Inspectori nostrorum Andreæ Palmerio, decentes agebat gratias Alexandri Rhodij viri magni, in Tunchinum missi; quæ fuit honoris erga illum, planè immodici, rara in paucis significatio, præterquam quod enim, prorsus aliud nihil epistolæ inerat, non satis decere censuerat, si eam in catta (vt consueuerat ad insignes viros) auro, & pigmentis mirabiliter exculta scriberet; in argentea bractea presso scripta erat, aut sculpto caractere, quæ in se molliter conuoluta, serico tegebatur. Hanc Palmerius à prædonibus Hainan redemit, ad quam nauis allisæ quicquid mare non hauserat, ipsi rapuerant. In discessu cum Rege ducentos Rhodius ex variis oppidis Tignoæ Prouinciæ reliquit Christianos matura vtrimque comploratione, dolentium se ab eo deseri, & grauissimè ferentis quod cogeretur eos deserere, pollicentísque illorum se fore memorem, curaturúmque se illis aliquem suo loco si prohiberetur ad eos regredi, commisit interea nonnullis, institutione, virtute, ac iudicio maturioribus, fouendam illorum promouendámque pietatem præscriptis sibi ab ipso præsidiis. Die Iulij altero anni vigesimi septimi Tunchini Metropolim, Checium regiam, cum Rege & exercitibus attigere, vbi nobilis ethnicus Mauraij vocabulo, partem iis sui palatij habitandam liberaliter indulsit, in hac ædi sacræ elegerunt locum, parabat altare rei sacræ ipsemet Mauraius, & concionibus Rhodij semper intererat, quam eius indolis bonitatem remunerata est diuina munificentia vxoris Agathæ, filiorum, seruorum, tandémque ipsius ad Deum accessu, paucis enim quàm obiret horis, decennio post, baptismo lustra, us vitam clausit. Hoc porrò nostris in aulam aduentu occurrit aduertere prodigiosum morem, ex quo facilè conficiebatur, fuisse quondam

28. Rex Tunch. conc. Rhodio in regia degeret.

29. Ethnici charit. remuner. diuin.

quondam Christi fidem ei regno illatam, si moris illius deprehendi origo potuisset. Pueris summa frons signata cernebatur Cruce nigra ritè sciteque conformata, sed diu sæpiùs scitanti & requirenti Rhodio ex matribus ethnicis, cuius esset hæc nota? quod eius arcanum? quis auctor, cui bono pueris vel conciliando, vel auerruncando ab iis malo? vnum tulit ab omnibus responsum. Hunc esse inter alios constantem Regni vsum; transmitti à Patribus, perpetuarique in filios; ortus eius nullam extare memoriam, peregrinus an indigena hunc instituisset, hoc item ignorari; magno antiquitatis eius argumento. Cæterum quicquid vel indicaretur, vel occultaretur eo signo, id certò effici, cuius causa nunquam fas esset illud omittere, imprimendam esse necessariò illa nota puerorum frontem, priusquam sinerentur extra domũ deferri. Eius enim adspectu defigi dæmones motu cassos arceríque prorsus ab eorum accessu; maleficorum vero cantiones ne quid iis nocerent eneruari; persuaderi denique hoc eius duplici, & constanti fructu rem esse maximè salutarem. Ego certè ex Sinis in Tunchinum perlatam coniicio, dùm esset Tunchinum Sinarum Prouincia apud quos vt diximus, florebat tunc Crucis, & Christi gloria.

30. Crux infantum frontibus ab ethnicis inscalp.

Cœpta per innumerabilem populum vulgari fama inauditæ de nouo Deo, nouo paradiso, nouis inferis lege noua doctrinæ, quam peregrinus Saius seu Bonzius ab vsque vltimo aduectam occidente, deprædicabat palam; omnis generis mortales etiam feminas, nouitatis fauor, & curiositas pellexit ad illum audiendum; accurrit & Princeps femina dissimulato quem tenebat secundo ab Regina gradu, erat enim ex Regis sororibus assimulata in vnam ex suis pedisequis, ne posset Rhodius ab iis eam discernere: acutissimo ingenio cum esset cunctisque Sinarum exculta scientiis, amœnioribus præsertim; animi gratia, studio peregrinitatis, & nobilitate argumenti ducta venit, auditura res quas absque dubio decebat tanti esse, quanti fuerat illac toto medio orbe, detulisse, & linguæ Tunchinensis molestiis incredibilibus exhaustis, externo ab homulo enarrari, nulla prorsus mercede alia, quàm fidei, dictis eius præbendæ. Audito itáque Rhodio, repentè in alteram spiritu illo agente mutata est, sine quo & verba eduntur inaniter, & frustra obtundunt audientem, comperítque illa quæ docebat fuisse meritò iisdem, ac plurimis petenda periculis, & Oceani spatiis, quàm vltro fuissent ab eo allata. Distabat milliari eius palatium à Patrum ædibus, erat nihilo segniùs ad conciones assidua, dicitúrque ad eas nonnulla eius cunctatio, semel pio somnio excitata. Matrona illi adstare visa est aspectu veneranda, & compellare nomine proprio, heus tu? cœlum dies altè iam obtinet, tu adhuc in lectulo? expergiscere, & curre ad solitam de cœli Domino doctrinam. Excusso sopore, miratur somnium, & verecundata suam inertiam ad templum accurrit. Huic nomen Catharinæ in sacris fontibus à Patribus inditum ob nonnullam cum Alexandrina Martyre similitudinem; ac nisi obstitisset Apostolici muneris ratio

feminis vetita, longè vberiùs in religionis obsequio locassẽt operam; quod vnum licuit cùm esset eximia & clarissima poëtria, Christianam doctrinam excellenti carmine complexa, ab orbe condito ad sancti spiritus in Apostolos descensum pertexuit, ipsúmque Rhodium & Marchesium, post Euangelij satores Apostolos celebrauit, adiunctis versui figuris musicis ad quas passim vbique ab Neophitis poëma contabatur religiosa quidem voluptate, sed fructu in ethnicos maiori dum intelligere cupiunt apertiorem eius sententiam, eáque percepta baptizantur. Sed fuit Catharinæ gloriosior opera quod Matri Christum persuasit, cultissimi quoque ingenij matronæ, & in mysteriis Deorum acute explicandis adeò eloquenti, vt eam Bonzij Magistram nuncuparent. Tametsi verò nihil ita saxeum atque indomitum vt in sacrilegio suo sunt Bonzij, sed hæc Principum feminarum quas norant esse literatissimas duplex ad Deum conuersio, adegit vel inuitos vt inuestigarent ecquæ tantùm tàm potens ratio valuisset eas ab auitis sacrorum ritibus transferre ad sacra peregrina, peregrini suasu, & barbari hominis? vrbis regio ad pontem decumanum habitabatur ab iis tùm Saiis, tùm Vaiis, hoc est Cœnobitis, & Monialibus; quorum status cœtus & vtrisque communes Saiuaia dicebantur, agebant in iis de rebus animi, & meritis operum, post vitam sibi profuturis, vt rebantur fore quæ in publici commodum fierent, cuiusmodi fuit viarum publicarum longitudinem contrahere, vel asperitatem complanare; fossas, amnes, torrentes pontibus iungere; Xenodochia gratuita peregrinantibus instruere, & his similia, quibus tùm ipsi, tùm iis deuoti; sumptus necessarios suggerebant. Ex his aliorum comparatione vt magis eruditis, sic minùs reis, cordatiores quidam senes conuenerunt ad exporandum Rhodij doctrinam de qua suo in cœtu magnificè postea retulerunt, hinc magno numero, ad illum milliari altero venire, licet ætate decrepita nonnulli; eius disciplinam alacres poscere, abundéque ab eo eruditi, etiam sacrum fontem, cuius cerimonia solenni effecti compotes fundationem eius Ecclesiæ mirùm quantum iuuere, non modo quod Bonzij, & Archibonzij, & vulgo antea pro sanctis habiti, verum quod exemplo Christianæ virtutis eminentiori alios inflammarent; iis potissimum debetur hospitalis domus quæ prima omnium in Tunchino ægrotis, & pauperibus instituta, etiam ethnicis; magna fuit ad eorum salutem præsidio.

31. Conu. Bonziorum.

Sed inter Bonzios seu Saios dignum est peculiari laude, vnius illorum peculiare decus, & illustre, agebat itinere bidui ab vrbe in castello Cusciæ nomine, quod suæ cuipiam sceleratissimæ amicæ Rex beneficiarium dederat; illic spurca sus, & ex luto concreta fœdissimo, dæmone tamen superbior; superbificum sibi, tanquam Deæ templum posuerat propudiosi sui quæstus sumptu sacrilego & immani: medio in templo, velut sacrarium, elaboratum gemmis, omníque ad miraculum, opere, hoc sibi cœnosum & stolidum animal post mortem destinabat, Tunchinorum Venus, adorationibus populorum, admirabilitate

puluinaris, nullóque honorum consorte simulachro Beatam se sola fore insaniens. Procurationi templi locariis grandibus quem narro Bonzius fidam illi nauabat operam. Sed is aliquando cum vxore in aulam profectus, tàm secunda fama legis nouæ, vitæque afflati sunt quam & Principes feminæ, & doctissimi Bonzij sectarentur, vt eidem, & ipsi manus illico dederint, edoctíque de illa fusiùs, & sacro baptismate purgati, noua ex eo, cum mentis nouitate hauserint nomina, ille Antonij hæc Paulæ, multorum vterque sempiterno bono delecti cœlitus, parique ad illud promouendum generositate animi, & ardore. In pagum reuersi, templum impiæ meretricis quod cremare non poterat Antonius claudit, & Christo viris, Paula mulieribus prædicando incumbunt tàm prosperè, vt paucis diebus ad centum Rhodio mitterent baptizandos. Mutatione Antonij & templi sui solitudine, superba meretrix in furorem acta, fratri suo pagi præfecto mandat; hominem aduocet; acerbè coram reprehensum, iubeat Christum abiicere; minas addat si verbis non cesserit; etiam verbera, si nec minis. Publicè igitur in foro cæsus est, contestans nullis se mortibus à Christo, ad cultus dæmonum reuocandum, vxore magnanima viro suo glorioſam ignominiam inuidente. Post inclinantibus constanti amborum prædicatione in Christum paganis, ab impurissima Domina quæ nec vocem iis nec vitam eripere poterat, pago electi aliò transiêre, vnis sibi quibus tegebantur relictis vestibus, sed ita exilio alacres vt popularium animis concione quauis, beatitatem legémque Christianam efficaciùs commendarent. Pago indè collecti, ab humanissimo toparcha, nactíque liberum de diuinis & Christo sermonem palam breui fecere quantus ipsos ageret spiritus, attonito plurimum Rhodio, sisti sibi ab iis nunc viginti, post paulùm triginta; octoginta interdum seu baptismi candidatos seu discipulos; eò planè successu mirabiliori, quò erant in iis non exiguo numero Literati, quibus solent illic, magno esse contemptui simplices, & ignari, qualem fermè sciebant Antonium.

Prosperante in hunc modum Deo suorum laboers, & domo iam nostra frequentæ impari, tùm Christianorum, tùm Christianismum prensantium, Regi supplicarunt quando eius populum in dies auctius ad salutem animæ vocabat Deus, dignaretur pro suo in eos amore, attribuere iis solum vbi numeri tanti capax ædificium poneretur, in quo cœli Dominum laudarent, & preces ad eum in sacris mysteriis pro illo funderent; quibus supra quam dici potest, Rex munificus & comis non aream modo, sed ædificium insuper annuit. Necessitatem illam laxandi spatij se iam antea vidisse, sibíque tunc rogante nemine decretum ei occurrere. Irent, & solum vbiuis in vrbe idoneum legerent, cætera sibi permitterent. Quod nihilo parciùs ab eo præstitum quàm promissum; Domo ad palatium constructa, vt esset à furibus, & incendiis tutior, eius pars maxima dedicata est sacris muneribus; Patres illuc sedem quarto quam aulam attigerant mense, transtulere. Dicebat illic ad populum

Rhodius per diem quinques, subindè sexies frequenti auditore; lustrabat bis quot hebdomadis vitali fonte, catheeumenos vt minimum vigmti, sæpiùs quadraginta, in quibus illustres, & Regni Primates; Magdalena ex Regis defuncti vxoribus; Iosephus & Anna, non augusti imperij dynastæ, Ignatius illorum filius natu maior, adoptiuæ Regis filiæ desponsus. Michaël annorum vigmti, Mandarino natus Regis demortui genero, cum matre, & fratre, imperantis tunc Regis ephebo; Præfectus cohortis prætoriæ, multique quod prorsus mirabile Bonzij, vt qui obstinatam flagitiis superstitionem cùm ægerrimè deponant, simulachrorum tamen quibus alebantur abiectis pro Christo stipendiis alacriores mendicarent, quàm olim Deorum edulia, & idololatrarum patinas ructassent. Facilè omitto alios nobiles, Literatos, Magistratibus variis spectabiles qui nascentem illic Ecclesiam illustrarunt; iniquum arbitror prætermittere Mandarinum, qui constructum à se sumptu magnifico templum ingens, audito Rhodio, Patribus donauit, intactum adhuc ab idolis, & cultu Deorum nefario, baptizatúsque cum filio, & vxore, templi eiusdem Reginæ Deiparæ sacrandi læta solennia cum Christianis celebrauit. Adolescentem hanc Neophytorum fidem, incredibile est quot miraculis, quam certis, atque perpetuis firmaret prodiga Christi manus; ethnicorum duritiem, quanta vi quateret; omnis generis morbos, omnis ingenij dæmones, truculentos, asmodeos, familiares (qui suum videntur in Tunchino locasse paradisum, solutam videlicet maleficij omnis facultatem) ex corporibus, ædibus, oppidis expellens; rerum ergo sacrarum vulgata efficacitate, acciri Patres sæpissimè etiam ab idololatris, malorum sibi remedia à Christo petentibus; adesse Neophyti Patribus comites; obseruare quid, & quomodo agerent, gnarique vim illam malorum omnium medicam, haud aliundè quam à Deo, lustrali aquæ sacrisque cæteris infundi, piè statuerunt, efficaciæ futura nihilo leuioris, si suis ipsimet eadem manibus adhiberent, quam plane illorum fiduciam ex æquo euentus sequebantur. Et magnum quidem hinc Patribus temporis redempti compendium, magis necessariis insumendi; hinc verò ethnicis religionis veræ argumentum ineluctabile, dùm cernunt ab hominibus heri suis, hodie Christianis illa patrari miracula, & multum inuitos reluctantésque dæmones fugari, virtute profecto non alia, quam eius cui parent, vniuersa; quod manifestiùs turma quædam veneficorum sensit. Ibat artes suas in pagum exertura Christianis nuper initiatum sacris; euntem media in sylua monet distincta vox, præsente à quo procederet nemine, frustra illos esse; viam & operam perdere; nullus, inquit, ex nobis, residuus ibi est qui auxilio vobis sit, ita omnes illinc ad vnum pepulit à Christianis depacta crux, nec iam nostrum quisquam, adfuturus est illic ad vestras cantiones etsi millies repetitas; nec si adfuerit, quicquam vestra gratia tentaturus, cum exarmatos illa crux, etiam eneruarit. Pudebat nimirum dæmones, videri populo fractos,

32. Lustralis aquæ miracula innumerab.

fractos, & debiles, petique ab se quod crucis imperio præstare vetabantur.

Aquæ lustralis acceptæ à Patribus non possunt prodigia referri nisi acetuatim, adeò multa sunt. Paulus nomine Christianus septuaginta numerauit ab se paucis diebus, suóque in pago, eius aquæ beneficio patrata; miles Simon dictus, tot prope in patria sanationes edidit ægrorum & infessorum à dæmone, quot erant stillæ in vasculo, quod secum à Patribus acceptum tulerat, à quibus, leucas tunc centum dissitus, sacrum illum liquorem, ne tandem deesset guttatim dispensabat; sed eo denique rogantium multitudine tantum non exhausto, illorum misertus est, & religionis veræ honori studens, ausus confidere, quod illi Deus euentu postea liberali sanxit; paucillum id quod aquæ supererat capaciori infundit vasi, defértque ad fontem qui scaturiebat ex vicino monte; replet ad oram fonte illo vas suum. Tùm quod fieri à Patribus viderat, quo poterat modo repræsentans, cruce sæpiùs vas signat; salis tantulo miscet, addit orationem dominicam, & preces alias Christianorum vulgo notas, poscit demùm à Deo vt (quas ignorabat) legitimas, per se ipse suppleret, quod religiosæ illius caritati tàm abundè ab eo indultum est vt aquæ copia, prioris residuo adiuncta, iisdem miraculis nobilitaretur.

Illud ad fidem illustrius quod propius ab vrbe Regia patratum. Oppidum lues depopulabatur, Regis gener dynasta, orbari se subiectis dolens, à Patribus petiit, paulùm quidpiam eius aquæ ad eos mitteret, quam iis vt aliis tàm multis sperabat fore salutarem. Leguntur ad hoc Christiani sex feruidæ pietatis, instruuntur singuli sua cruce, precatoria corona, sacra imagine, & aquæ lustralis vrceolo: profecti, ducentos & septuaginta in oppido vident periculosè ex lue decumbere; multos periisse; dæmonem, vt clarè post patuit, ab initio homicidam, suis mercedem hanc pendere, Deo forsitan minimè abnuente, quod esset in augmentum fidei cessurum. Primum itáque egregij homines docti à Patribus pugnam hanc potius aduersus Dæmones quàm contra morbos instituí, oppidi extrema, & medium tribus defixis crucibus munire; tributis indè inter se domibus, in aditu statim, quicquid idolorum, & superstitiosi ritus in iis esset concremare; fastigiis illarum cruces imponere; audiri voces interea dolentium dæmonum quòd exturbarentur ex iis Christi cruce; post hæc ad ægrotum accedens Christianus, crucem proferebat quam secum tulerat, vel sacram imaginem, proiectúsque ad illam in genua, preculas recitabat Christianis communes, postremò aquæ lustricæ tantillum iacenti sorbendum porrigebat, quo in stomachum demisso, humorem vomitu, putridum eiectabat; sic intra octiduum septuaginta illos, & ducentos sanauit aquæ sacræ sorbitiuncula; dempto vno animam agente cum eo venêre Christiani, sed cunctis opinor beatiùs sanato cum baptizatus obierit. Paucis exin diebus alter pagus curatione consimili liberatus est ab eadem

eadem lue ; in eo tredecim repentè sanati sunt, valere melius reliqui cœperunt. Sed illi Senario quem missum diximus, ad prioris oppidi liberationem, inculcauerat Rhodius ne quid mercedis aut munerum vel peterent, vel admitterent oblatum, quod sanctè ab reliquis seruatum, vnus quem minus decuerat, in iis præcipuus violauit ; vestem pretiosam à dynasta, in beneficij gratiam recepit, quam eius socij constanter respuerant, & hoc qualecumque, auaritiæ aut sacrilegij, certè offensionis magnæ crimen, post dies aliquot vita luit. Sic ab eius sociis creditum, ex sequaci pœna reum notantibus, & in cœterorum salubre monitum, terrorémque vulgatum. His adminiculis Christi regnum, in regno Tunchini Deus attollebat ; aliis libenter abstineo quæ visis, somniis, & vocum auditu continentur, ad priuatam quorundam institutionem ; quod difficile & anceps iudicium habeant. Verumalia ex parte sibi dæmones haudquaquam deesse, cultoribus suis se dare spectabiles ; proritare illos verborum rabie contra Deum ; contentiones omnes in ipsum exererent, legem ipsius extirparent dùm primis adhuc hærebat radicibus; eiúsque perdendæ initium facerét à disturbanda illius prædicatione, indè Literati & Bonzij concionibus Rhodij interesse, audacter magis quam consultè mouere dubia, & simulato studio intelligendi veri, dicentem respondendo ; auditores sermonum fabulis & clamoribus distinere. Quo animaduerso Rhodius, auditorij foribus hanc legem decumano inscripsit charactere ; ius esset nemini publicè quærere, qui explicationem Catechismi per octiduum non audisset. Sed abactam à se iacturam hanc temporis malitiosam & molestam sensit calumniis illico rependi, eò atrociùs quò illarum auctores latebant occultiùs, & cartæ non erubescebant ; implent folium ingens (qualia interdum bicubitalibus ducunt ampliora) implent inquam sacrilegis in Deum Christianorum legem, & promulgatores illius Patres maledictis ; quibus è regione opponunt elogia Tunchinensium Deorum, ad stuporem popelli stolidi mirandum in modum apposita. Famosum commentum palatij foribus affigunt, quâ turba densior prætereuntium, commeabat, à quibus tandiu lectum est, dùm contumeliæ in Deum factus certior Christianus ad locum aduolat, & præmonitis qui forte adstabant eius quod venerat acturus, defensione generosa, infame folium reuellit, & discerpit ; tùm qui facto se, inquit, meo læsum putat ; me conueniat apud Regem. Priusque ipsemet rationem edat infamatæ legis, cuius præconium Rex probat ; id vbi fecerit, edam & ego facti rationem si ex me popoſcerit. Huic se quidem tunc opposuit nemo ; sed æstum latentis odij contra Deum & Patres, (quod solent imbelles & timidi) linguarum telis Bonzij prodidêre, quibus vt eminus, sic securius suo more pugnant. Nunquam seges tanta concionantium, tantus furor dicendi, tàm eloquens rabies in Christum eiúsque famulos, vt populo inuisi & Regni proceribus fierent. Ad hæc specimen daturi tractationis ignominiosæ qua digni essent; agmen supplicantium.

cantium ordinant cuius medium tenebant simulachra ex auro præcipua duo, velut triumphantia in ceruicibus Bonziorum, qui notis spatiis dùm agmem sisterent, instrumentorum, & vocum simphonia recreabatur Deorum illorum surditas, & nares sine odoratu, incensione suffituum copiosa; post hæc duæ ex carta statuæ veniebant, assimilatæ in Marchesium & Rhodium, gestabant illas baiuli dæmonum habitu; & subsiliebat circum cuneus Bonziorum, exertisque in eas linguis, insulsitate omnis ludibrij, sanniones graphicè agebant, variabántque decentem hanc scenam vlulatibus arreptitiorum; at his, malè conciliati, celebriorem fecêre Rhodium, & patientia illius, vni condolens eorum exitio, sibi ne verbo quidem cauens, auditorum ipsi maiorem collegit frequentiam. Quare vltimos Dæmon intendit conatus, vt validissima suorum machinatione, Regis erga nos euerteret animum, & ex beneuolo faceret inimicum, sed hæc sequentem ad annum pertinent; huic verò, seculi 27. debentur quibus ægrè aliud memorabiliùs Sinarum imperium vidit periclitatum diu sub Rege femina, & flagitiosissimo spadone; tunc versis in melius omnibus, ex præcipiti resurgens, & in pristinum decus refloresçens.

33. Ignominiosè Patres habiti sed fructuosè.

Gueicunum igitur hoc anno, vt ruina caderet grauiori, Rex in summum extulit potestatis & iure supremi Domini titulóque ornauit; nec adeò mirum sibi eum æquasse, cui se qua luberet agendum, tanquam vile iumentum subiecerat; & vero illum eò egit vt in Prouinciis quindecim templa illi totidem sumptu magnifico ædificari pateretur, nec vlla honorem immodicum tardauit mora; certare Proreges æmula Gueicuni adulatione, quis prior operi admoueret manum; immanitate sumptuum, anteuertere inuicem, dicare perfectum, & Eunuchi statua consecrare, ea splendidi apparatus profusione, & insolentia quæ Sinas bearet, si foret vero illorum & cœli Domino instructus. Vna semiviro vrcumque Pechinum restitauit. Vrbis enim angulos quatuor, eodem numero superbæ templorum decorabant moles; medium Confusij Academia in templi modum fabricata quod sibi Gueicunus volebat cum eo fieri commune, suámque cum eius statua, in altari eodem collocari. Visum Literatis atrogans facinus, indignitatis minimè tolerandæ, perindè vt brutum animal virorum sanctissimo, & doctissimo æquaretur; intercessum ab iis fortiter, compulere spadonem templo locum alibi quærere, quod nihilo propè modestiùs è regione Academiæ extruxit. Verum Literatos qui interceserant, solenni sua in omnes barbarie quos suis nutibus non esset nactus morigeros, euertit funditus, bonisque, honore, & Magistratuum quos pridem obibant gradu omni exutos, Pechino extrusit, qui fuit postremus, & iniquissimus regnantis semiviri, & furentis actus. Ægrotauit Rex Septembri mense, nec diu anxios tenuit medicos, adeò illum assidua crapula pertinacii sagina premebat; & vitali exhauserat spiritu libido. Regis salute deposita, suam quoque Gueicunus desperauit, nisi fortè (quod rumor asse-

34. Gueicuni aulici mors infamis & tragica.

rebat) venæno Regem petierat, acclamatum iri se Regem cogitans innumerabili eorum clientela quos sibi supremis Regni honoribus, & opibus emerat: quod si non falso iactatum est; falsus hic item fidelitatis simulator, verum patricidam, fuco tegebat pietatis, qui stipe largissima peregrinatum interea mitteret ad celeberrima idola, & supplicatum pro eius vita quem sceleratissimè necabat. Vtcumque fuerit, ipsa grauitas mali, supremæ horæ nuncia Regi fuit, nec alio egut ad festinandum monitore. Fratrem Sinuam accersit Gueicuni artibus aulæ pulsum, teneritérque flens queritur, cur se visendi officio iacentem, nunquam esset dignatus; veni, ait, mi Domine & Frater! quem ego vita plus diligo, veni vt viserem; & quidem sæpiùs, sed fuit qui semper excluderet. Gueicunum innuens; in casus tamen adhuc ancipites, obscurè & tacitè; carebat Rex hærede imperij filio, quâ vt plurimum orbitate, effrenis Principum multatur lasciuia. Ad hunc eius fratrem successionis iure spectabat rerum summa. Huic imperium transcribit Rex moriens; Reginam coniugem, secundarias vxores duas, Gueicunum, & Vam Gueicuno intimum commendat. Morienti Princeps largè omnia promittit: quàm verè hic perparum interest; certè non potuit ficinorosus Gueicunus quas breui luit pœnas, præterquam sibi tribuere; Celata enim Regis morte quæ contigerat Septembris vltimo solos Principes Mandarinos, & Ordinum capita in Senatum vocauit, retulítque ad illos paucis tantùm ab horis orbatos Imperatore suo Sinas. Quid ergo, subdidit, opus facto? quem sumus illi successorem daturi? versánsque pluribus deliberandi argumentum, ambiguè licet; suspicionem fecit intelligentibus nimis claram, propendere se ad mouendum populum vt Regem peteret; id in se si caderet, non detrectaturum laboriosam ponderis tanti molem. At ipsi, præruptè, hoc erat, inquiunt, cui nos tractando aduocasti? & hic est aliquis consultandi locus? deest videlicet, Sinuam? simulque discessu, rogatam sententiam absoluunt; sed vix palatio egressi Gueicunum in equo vident ad Sinuam immissis habenis præcurrere, gratulaturum illi successionem imperij pari lætitia vt si eum crearet, & inauguraret. Vultum illi explicuit, sapiens iuuenis (annos vndeviginti nondum natus) comitérque acceptum, & paucis dimissum, subsecutus est hac voce, vnis qui proximè aderant percepta, proh frontē spadonis! quasi si hic alius à Gueicuno qui me fecit ab aula extorrem. Deductus indè in Regiam ordinum omniū gratulabundo comitatu, biduo post coronatus est Imperator; contestatus primùm stylo Sinarum rituali, vim amicam se pati, cogi se precum imperio, coronæ caput subiicere formidabili, & tremendæ quam esset conatus semel, & iterum à se amoliri, sed nimis constanter Mandarinos in suam infelicitatem animum obstinasse; opus fuisse alio capite, maturitate annorum, iudicij, & experientiæ solidato, ad ferendum id onus, imparem huic esse iuuenem, & periculosis, magnisque inexpertum; his & similibus de more, præludis iocosæ modestiæ simulachris, pu-

sita

36. Mors Reg. Sin. inertissimi, noui Regis dotes eximiæ.

sita Sinuam appellatione, Zuncin nominatur, hoc est sublimis felicitas, quam fallaci vatum ominatione qui nominalibus his præsunt infelicitas docuit qua Regum nemo tristius argumentum futuris scenis plorandum reliquit, filia nubili suo Patris ipsius gladio confossa, vt petulantiæ latronum eam præriperet; se autem vitrò mox propriis manibus de horti sui arbore suspenso ad preuertendam contumeliam Tartarorum; ad quos aula & Regni pars maxima, eius morte deuenit. Breui tamen dedit sui specimen tàm illustre, vt apud Mandarinos Rex totus ex virtute, & prudentia coneretus; apud populum, magnæ pacis cognominaretur Imperator. Et iis erat profectò dotibus ad regnandum, quæ vt Principem mirificè ornant, sic in iuuene sunt admodum raræ. Philosophiam morum, & ductum rationis amabat vnicè, illósque amplissimi Ordinis Mandarinos qui vitam omnem conriuerant in studio & vsu optimæ Gubernationis. Totam vero illam pessimè oderat spadonum colluuiem, quæ seruituti nata, vix pedem in palatium misit, cum dominium affectat; & væ Regno, si fiunt votorum compotes, tyrannos gerunt non Dominos, quod & magnæ fortunæ moderari non norunt abiectæ animæ, & solis sibi tantùm serant ac metant, regnum se alienum, publicámque rem ducunt. Quare ista Pechino imperatoris primordia nihil æquè læta, & plaudenda effecit, vt spectaculum Eunuchorum quos vidit demisso capite, ad tertiam leucam ab aula exulare, cum illos vidisset paulò ante turmatim alacres Regem assectari tunc primum palatium intrantem, eique suas operas deferre.

Hac illum mente affecerant afflictissimi populi lamentabiles ærumnæ, oppressiones innocentum, & Mandarinorum probrosa deiectio, quæ dum extra Regiam viueret spectarat præsens, & gemens didicerat Gueicuno vbique grassante & inuidiosam Regi circumferente tyrannidem. Quamobrem suscepto statim imperio Patrem se populi exhibuit, & mensæ tunc primum accumbens vocem misit toto regno celebratissimam, eius enim splendore, & copia suspirans, quàm multæ, inquit, meorum familiæ inopes, & ieiunæ leuarent famem luxus huius superfluitate! nec fuit vox illa sterilis; ærarium Regium, & horrea effudit in gratuitam annonam Prouinciarum quas Tartarus vastabat; Mandarinos à Gueicuno deiectos, & obtritos, gradui, honoribúsque restituit. Inuitatus ad aulæ comœdos, respondit, laxaturum se iucundius animum consulendis Colais de publici bono quam spectandis Poëtarum commentis. Vxorem duxit quæ in spem prolis sat esset, vnicam; quod fuit ciuibus tàm nouum, vt ioco an serio dictitaretur Christianismo se parare. Hærebat inter hæc alta mente Gueicunus, vel hoc solum indignus vita, quòd tàm multos necasset vita dignissimos; prouidè tamen cauit, ne magis arbitrio quàm iure damnatus videretur. Edixit itáque toto imperio ne cui fas esset nisi Regis assensu templum vlli mortalium ponere; si quis præterea læsum iniuria se doleret; fidenter prodiret, audítum iri non grauatè, quibus de Gueicuno narrari fabulam,

templorum mentio persuasit, & audentiores cœteris Mandarini duo Taolij, libellum Regi aduersus Gueicunum porrigunt, Gueicunus Colaos de suo periculo admonet; qui minimè dubij se cum illo casuros, cuius fortuna stabant, auctores Regi fiunt, in duobus illis exemplum edat inquieti ingenij, ne quid tale cœteri audeant, non posse imperij Ministros, maximè supremos, vitare odia; quin eo grauiùs iis laborare, quo ipsi sanctius publicam rem gerunt, nisi eos defendat majestas Principis cuius causa priuatorum iras, & publici subeunt, futurum vt sibi potiùs quam publico caueant. Rescripsit Colais Rex, Mandarinos duos, indè potissimum commendans vndè illos iudicarant reos, ex quo facile intellectum quod erat proximè futurum: vt percepbuit de Rescripto, tùm verò impluere in aulam aduersus Gueicunum libelli, atrocium accusationum, quarum enormitas vbique notissima cognitione ampliori non egebat; præter alias peiores, sed non adeò notas. Quibus primum id actum, vt omnis illa fœx Gueicunæ spadonum factionis palatium purgaret. Indè gradu deiecti quos Mandarinorum indignos pedibus Gueicunus imposuerat eorum capitibus, iisque suffecti quos loco mouerat; inter quos Præses consilij bellici in aulam reuocatus ex qua paulò ante, latrociniorum in patriam thesauros exportarat, ignominiæ impar eam, in reditu voluntario laqueo anteuertit: aurei duo milliones, latronis spolium, fisco Regio addicti. Gueicuno commissum Regis mortui funus, ominosum ministerium homini palam reo; quod vtramvis in partem acceperit, stolidè prorsus ab Rege petiit, vt turbam propinquorum quos in fastigia honorum extulerat, in lutum vernaculæ fortunæ remitteret, neque id illi rex abnuit; petenti concessit, quod pati debuit vel inuitus: haudquaquam tamen id assecutus est vt pœnas miseri, eius criminum darent, & extingueretur in iis Regis ira; aliquantò post suspicionem sibi fortuitò motam Rex volens discutere, rationes thesauri Regij suscepit retractandas, quas vt comperita Gueicuno, pretiosissimis maiorum emunctas margaritis, quarum singulæ instar erant integri thesauri, decretoria sententia, trium pronuntiauit reum, Potestatis regiæ ambitiosè vsurpatæ; crudelitatis sanguinariæ adactis ad inferendas sibi manus, aut morte inhonesta punitis Mandarinis; thesauri denique Regij expilati. Ob hæc scelera iussit Funcianum patriam suam repetere in Prouincia Pechinensi; in eius conspectum venerat, cùm dux præsidij militaris qui tuto ducendum acceperat, scriniolum ipsi offert perelegans, cum incluso ad fauces frangendas laqueo, & optione illius aut sibi aptandi sine mora, aut cerrè; reliqua verborum inductus repentè carnifex conspectu suppleuit; Gueicunus esse sui carnifex maluit quo planè habere peiorem non potuit. Secutus est eum haud multò melior, alter Eunuchus; conquisiti, clausi tortique cognati, fassi sunt de rebellione quam moliebatur, hanc etsi tacuerant, ea solum affecti sunt pœna vt remitterentur in sua mapalia inopes & nudi, millionum octo aureorum summa, in fiscum

37. Regis æquitas lagax cõtra venales consiliarios.

38. Gueicuni aulici & Regni admin. scelera, laqueus.

fiscum rediit ex vnius tantùm spoliatione, quibus aliorum cum gaza immani coniunctis, diuitem se Princeps quilibet non falso iactasset; verum ad opes Gueicuni, tàm nihili erant, vt qui eas computant scriptores, non in summam, sed in admirationem, stuporémque concludant. Morte sceleſtissimi hominis Pechini nuntiata iussit Rex templa famosissimi prædonis gloriæ, vbiuis constructa dirui; diuendi templorum materiam; statuas in cinerem redigi, eius honoris vestigia omnia aboleri, vtpote regno contumeliosa; castigauit Proreges & alios qui virtuti eminentissimæ debita monumenta, vilitate mancipij, & tyranni sceleribus, adulatione improba fœdassent. Vindictam clausit dedecoris Regij, Chepea (Chepapam alij scripsêre) Regis mortui nutrix, Gueicuno intima, forma & blanditiis potens, quo siue alio quouis philtro Regem irretierat suis amoribus euaserátque de amica in dominam, præ qua Rex vxorem Reginam habebat pro famula. Erubescebat Regnum, ad impudentissimi Scorti, quæ narrabantur propudia; quibus obtegendis, Regi Gueicunus edictum dictauerat, ne alia quàm sanctæ Dominæ appellatione vocaretur. Postquam verò nouus Imperator, lue illa spadonum Gueicuno addictorum, Regiam liberauit; de Chepea etiam cognosci præcepit, quæ quod & femina, & Germani Regis demortui nutrix, inopia solum & exilio plectebatur, nec mutabat Rex clementem sententiam, etsi præter alia in eius thesauro, margaritarum immensitas pondus conficeret librarum quinque, & triginta; vt autem Reginæ diadema, etiam in iis comparuit (quod capitale est à quoquam teneri) præclusus est omnis ad misericordiam aditus. Centum plagis à Rege damnata est, quibus si adhuc supereſſet, quinquaginta iis adderentur, illa multò paucioribus quam centum necata est, Regina vidua pœnam adulteræ suis oculis bibente. Corpus à carnificibus extra palatium crematum; cinis extra vrbem in auras sparsus.

Hic Tiencij Regis infeliciſſimus, Gueicuni, & Chepeæ gratiosorum eius finis, omnium exceptus gaudiis, iusta boni communis vindicta, priuatam misericordiam pellente. Christianis quoque Gueicuni mors magno lucro fuit, quod eo viuente fas esset nemini in cœtibus dicere, sed detineretur omnis Patrum labor priuatis colloquiis per quæ tamen ringentibus inferis nongentos octodecim ethnicos expiauêre sacro baptismate; inter nouos campos, nouis initiatos Euangelij fatibus, Rodrigus Figheredus illum aperuit quo in oppida & pagos Nimpò excursum est, è regione Iaponiæ. Decem illic & nouem ædibus, ethnicos octoginta Christianis adiunxit, longè plurimos eodem desiderio incendit, quoad sibi aut alteri liceret incœpta perficere. In Prouincia Scensij fudit se latiùs Christi fides, quod à Gueicuno, & aula distaret longinquiùs, templum illic ædificatum est in vrbe Chianceo, ab eo quem pridem meminimus Sephano viro sancto. Restituta demùm noui Regis exordio Pechini, aulæ dignitate, redditísque vrbi

& gradui Mandarinis, amicos in iis nostros recepimus, Christiana res suos defensores, quorum tamen (sic Deo placitum) vnum nobis hic annus abstulit, toties dictum, nunquam satis laudatum Doctorem Michaëlem quo (si fortè Paulum excipies, nullus Societatis Pater amantior; Christianæ rei generosius exemplar; & memoria dignius quantacumque illum hoc anno valeo apud posteros ornare.

39. Doctoris Michaëlis virtutes heroïcæ.

Hunc P. Lazarus Cattaneus, ab errore ad Dei notitiam transtulit, nactúsque animum intelligendi acumine, & amplitudine rectæ mentis fingi ad sublimia, & magna idoneum, elaborauit illum peculiari cultu, eóque breui virtutis prouexit, vt suspicerent in illo Christiani religiosum virum habitu seculari, & Mandarini ornatu Apostolum. Hinc illa eius propriè laus duplex, osores nominis Christiani, odisse penitus; æstimatores & amicos, tametsi ethnicos obseruare magníque facere. Hancei denique ipsius patria tritum erat, inter viros Doctorem Michaëlem; inter feminas Leonis vxorem; eius aulæ esse sanctissimos, summéque venerandos. Ex quo illi beata & immortalia, Christiana in luce patuerunt, & quà illuc eniti necessariò deberet; vidit simul quantos afferre animos oporteret, ad tenendam constanter sanctimoniam cursus propositi, & quicquid aliis fieret, sibi quanta secum pugnandum violentia, qui annos quinque supra quinquaginta, in simulachrorum obsequio egisset, solutissimis voluptatibus inquinatos, nec procliuitatem ad eas insanam, perinde aqua baptismi eluisset, vt Deorum errores planè abterserat. Eam ob rem ad robur gratiæ quam diuino ex fonte hauserat, confidebátque sibi fortiter adfuturam diffidentem sui durámque adiunxit custodiam, & sanctam in corpus velut domesticum proditorem iurauit barbariem, amotis procul non modo assuetis; quibus illud mulsisset illecebris, sed assiduo vexans dománsque cilicio, sisténsque se sibi habitu peccatoris. Cum enim Huguanam sub Prorege administraret Prouinciam, tribunal conscensurus cilicio muniebat sese, vt conferto coram de genibus populo, ipsisque adeò agnatis Regij sanguinis tremendus, memor esset, se quoque peccatorem, & diuino reum adstare tribunali, nec illa terribili & superba (qualis est apud Sinas) throni sui ebrius maiestate insolescceret aliquando. Prius tamen quam se rei cuipiam applicaret, quotidie mane tempus non modicum cum Deo exigebat, digerebátque illo teste diei totius ordinem; sed accessuro ad sacrum epulum (quod nisi dierum aliquot afflictationibus variis paratus non solebat) precandi mensuram non describebat tempus, sed ardor animi; ieiuniorum formam & spatia more nostro, ac modo retinuit semper, quanquam sint etiam solitariis illis sui carnificibus Bonziis ægrè tolerabilia, & priores duæ ieiunij maioris hebdomadæ, in vertentem annum apud Sinas cadant, flagrémtque tunc, & nitent conuiuiis; nec ante annum septuagesimum, vllam adhibuit ieiunio suo moderationem, nisi monitu Patris quo animi sui ductore vtebatur: quanta enim illi quicumque is foret religione pareret in omnibus,

vel

vel hinc sit euidens, quod cum amicorum etiam intimorum, nullis valuisset obtestationibus adigi, vt suas Hancei quasdam ædes Gueicuno venderet, formidoloso illi, & irritabili tyranno; acquieuit extemplo Patri venditionem suadenti; dumtaxat rogauit, satin fas esset domos suas idololatræ vendere, quem luberet in vsum ab eo conferendas? domabat ferè flagellis corpus diututnis & asperis, interdum etiam publicis, in palatij sacello cum omni familia, quam plus centum conflabant Christiani, & incredibili eius cura continebantur intra metas decori, officiique Christiani. Cogebat illos statò quot mensibus tempore ac die; seorsum viros; vxores in aula seorsum, vbi extra conspectum, de diuinis audirent: ipse Patris sermonem excipiens, enucleatiùs accommodabat eorum moribus, & necessitati. Alias puerorum par ingeniosum, Christianam doctrinam recitabat quam à P. Marco Georgio in Dialogos conclusam, P. Rocca Sinensi lingua ediderat; Recitationem interpungebat Pater, elucidando vbi opus esset, subdendisque salubribus monitis; honestabat Doctor Michaël sua præsentia, tanquam puer adhuc in Christi schola rudis. Verum enim vero egregias istas priuatæ familiæ curas porrigebat in patriam Hanceum, in Prouinciam Cechianam, & alias in quibus gesserat Magistratum, & in Regnum denique vniuersum, quod piorum librorum diribitione innumerabili, ad Christi notitiam erudiuit, gratuitis suis, & liberalibus in editionem illorum impensis, nec quicquam præteriit quo posset mortales ad Dei cultum perducere. Scholam aperuit selectis ex ingeniorum flore iuuenibus iisque Magistrum excellentem honorario congruo auctorauit, vt eorum quam posset plurimis, Christianorum insinuaret dogma, vel existimationem, & amorem, quo illos deinde prouecti ad honores, fauore suo tuerentur. Imò cùm ars docendi literas, summis quoque hominibus apud Sinas honorifica sit, docebat ipsemet aliquos, quorum disciplina Christianismum sperabat honorandum. Illam item Gueicuno tàm crudeliter inuisam *Academiam pietatis & bonarum Legum*, multos annos rexit, vbi centum & plures Mandarini, viri grauissimi, expoliebantur studio æquitatis, & morum præstantia, vt si minus fierent Christiani, euaderent saltem in Christi legem proniores, quæ longè plura & sublimiora de moribus, & tradebat verbis, & reipsa viuebat, cum Philosophia Sinarum vno esset oculorum ludibrio, & probi specie contenta. Iam verò Deum rationis instinctu certo demonstrari, & quidem vnum; non iis modo per vnum ex Patribus, suadebat, euincebátque presse & solidè, mensrua quam instituerat concione; sed asserebat ipse tàm crebra & forti disputatione, vt propterea libellos ad Regem accusatorios paterentur; & contentiones inimicas magnorum aduersariorum, quibus nunquam adeò ictus est, vt vel digito gradum retraheret, quicquid sibi tandem inde esset futurum: quin vt nihil sibi professione Christiana gloriosiùs ducebat, ita nec eius assertione patienti; accumbebat inter

ter Mandarinos conuiuio celebri, cùm variè vt fit vagatus sermo in eos incidit, qui tunc Hancei viuerent insignes viros, maximéque illustres; sed in iis, ait ex conuiuis vnus, mi Domine, sine controuersia eminebas, & tuis dotibus Hanceum coronabas; nunc postquam ad illam transisti nescio quam à Domino cœli cognominatam legem, media ex parte decus illud præclarum obscurasti: cui grauiter simul & placidè Michaël; præillius, inquit, professione, Domine mi! nihili facio quicquid in me laudatur, tuque, idem mecum opinor senseris, si eam tu quoque exploraris. Erubuit scilicet inopino responso, censor audax, alij tacitè inuicem respectantes, aliò sermonem diuerterunt. Nec priuata hic solùm admonitione, & vrbana, ignorantiam imprudentis, emendauit Christiana generositate, sed etiam publicè, vbicumque res tulit, seditiosi populi posthabitis furiis Christianam loquendi libertatem seruauit inuictus. Documento sit, ne aliis immoror, quod ob impugnatam acerrimè superstitionem Sinis admodum sanctam, Hancei populus concurrit furibundus vt viuum subiectis palatio facibus combureret; nec erat dubius facinoris exitus, nisi Doctor Martinus, grandi vir animo, paríque pietate, manu armata occurrisset, intentisque hastis in furentium pectora, retrouertisset irruentes; ad hæc anno eodem vicesimo tertio nauigaturus in Prouinciam Huguanam periculosissimo flumine quod maris filium vocitant, nautas ethnicos acerbè inuitos, pro potestate inhibuit ne sacrificarent dæmoni fluminis genio. Horas aliquot nauigarant, cum nauis, vt sunt impositis domibus prælatæ, velisque item altioribus aguntur, vento pulsa in latus decubuit funditus, emersis tamen quod essent ad ripam omnibus. Naui organis, in carinam sublata, & ex vasario Doctoris quod retrahi potuit; nautas denuo inuadit sacrificandi amentia; vociferari hanc esse vindictam à spiritu fluminis, sacri sui omissione læso; si vitam Michaël negligeret propriam, non inuideret alienæ, cur enim perire insontes cogerentur; quibus Michaël, vt antea serenus; Male, inquit, in alios errorem vestrum deriuatis. Nullus præter ventum, nauim spiritus euertit; nec sacrificiis eget ventus, sed prouisione oculorum, & contractione velorum celeri, quibus è contrario ventorum impetum collegistis. Præter artem vestram à vobis nihil desidero, ea vtimini, & verò cautè deinceps illa vsi declinandis ventorum flatibus prosperè appulerunt. In vasarij iactura quod solet tantis viris pretij esse non satis æstimandi, nihil ita doluit Michaël vt reliquiarum sacram thecam; opere triuiali, sed inclusi fiducia pignoris sibi carissimam, & ab vno è Patribus acceptam quam vt redimeret sperauit Deum precatione dierum trium exoratum iri, & ecce triduum precando absoluerat, cum ex altissimo amnis fundo extractam sic recepit, vt si diuinibus boni Angeli manu ad eum referretur. Verùm hanc orandi constantiam, quod valdè admiror haudquaquam inuenio fuisse ab illo adhibitam, ad impetrandam Carolo filio suo vitam. Erat is annorum iam quatuor

&

&triginta, raris omnino dotibus præditus, & præterquam quod familiæ columen, in aulæ ambitu & cursu honorum, summos æquaturus. Spectabat parens septuagenarius abiectum à Medicis, attem frustra omnem in eo expertis, & noster sacerdos parentis dolore non minùs anxius quàm periculo filij; cœpit in vtrumque consolationem diuidere. At senex in tanti filij iactura, quam nulla natio formidolosiùs Sinensi exhorret, magno virtutis prodigio, de Carolo, inquit, nec volo aliquid à Dei placito diuersum nec sentio; eius illum gratia & dono possedi ad annos triginta quatuor; hunc si reperit modo, rem suam repetit, Dominus est; atque vnà Pater; qui nos aptè nostráque omnia paterno affectu disponit. Hæc ille, nec oris alacritatem mutauit sanctus senex, sed pætulit etiam maiorem ex diligentia filij ad occupandam mortem prompta & facili; confessione multis cum lachrimis obita, humi contendit deiectus in genua absolui, nec vetando fat fuit sacerdos nisi parentis auctoritas accessisset. Indè se biduo prædicens morituram, (quod reipsa euenit) sacro est oleo inunctus, sumptáque in manibus Christi morientis effigie, piis cum eo colloquiis, edendísque virtutum actibus teneritate mentis institit tàm suaui, vt omnes cum illo vbertim flerent. Triumphabat his Michaël, vidénsque iam corpus examinum, mihi nunc, ait, filius natus est; verè mihi hodie primogenitum meum donauit Deus. Beatum me! filio beato patrem & morte tàm pulchra æternum victuro! Ornatu paulò post Doctoris, & Magistratus nota grauis sistit se nostro Sacerdoti, solita corporis proclinatione gratiam testaturus, impensæ filio ad bonam mortem feliciter operæ, qua sibi pariter vt suo tempore adesset rogauit. Tùm corpus filij pretiosis indutum, & precatoria Virginis corona, cruce, aliísque professionis Christianæ decorum insignibus, sarcophago clausit elegantissimo; ac velut præsagus se quoque à meta non longè abesse, supremum sui erga Patres amoris experimentum dedit, quod esse prorsus excellentissimum oportuit vt antecelleret rationum suarum vitæque neglectui quo Patres non rarò cogebantur eam pro illo sollicitudinem gerere quam nostra causa ipse negligebat; cum fidelitate in Christum ardens, existimaret, ipsius gloriam pari passu ferri cum nostrorum incolumitate: aluit domi per ānos vndecim suo sumptu, & periculo, quàm multos ex nostris habere potuit, imminente sibi per octennium tyranno Scin, à quo poterat euerti funditus in pœnam eius hospitij; quod illo ad vltimum gradu Colai moto, continuauit nostris, in eius oculis, quamuis tunc etiam valdè metuendi, nec cœpto destitit reliquis tribus annis, regnante licet pro libidine Gueicuno, illíque ob Academiam de qua narrauimus capitaliter irato, & cui proniùs nihil erat quam accusatum vel leuiter, præbiti externis, & à Rege pulsis, hospitij, de medio tollere. Quamobrem propinqui, & familiares, dolentes eum nostra causa semper in lubrico pendere, nullos metus & veros & fictos, nullas preces, rationésque omisère, quo extra discrimen illum

40. Eiusdem perpetua in Soc. & rem Christ. merita.

eruerent; contra ille rogabat, quo sibi amore essent solliciti eum in nos transferrent; quibus flagrarent pro securitate sua curis, eas conuerterent ad defendendam nostrorum salutem; facturósque id vltro, si ex vero nos nossent, nunc suo si saltem rogatu id facerent; maiorem à se gratiam inituros quam si vitam sibi ipsi seruarent. Hæc illum in nostros charitas huc adegit, vt Scino ipsimet pro iis fieret supplex, nedum aliis Christo medioeriter infensis. Iturus si quidem in Prouinciam Huguanam, armauit se ad eum expugnandum exercitiis S. Ignatij, & confessione à suscepto baptismo repetita; visentémque ex lege officiosi ritus, & multa prolixè deferentem, vnum sibi ab illo omnium maximum, instárque omnium respondit fore, si suo fauore Patres dignaretur, simul eorum in vitam, & laudes excurrit magnificè, ille ad Patres, ait quod attinet, fidem pignori meam habe, nihil futurum iis in posterum quod à me caueant, nihil quod metuant; exindè prorsus erado illos ex animo, & quàm multi cumque aduenerint, per me quidem, perindè fuerint, vt si neque in Sinis nec in viuis essent. Magnum planè, tantóque ab hoste inexpectatum munus; sed eo charitas Michaëlis ieiunè expleta, rogauit iis quoque ne fauorem negaret, eius enim excelsa generositate & Patrum meritis minùs fore, si solum nocendo abstineret. Subrisit huic Scin, nec tamen verbo vllo se vlteriùs obstrinxit. Verum quod erat pollicitus cum fide præstitit multis licet occasionibus in oppositum inuitatus. Proregum præterea, & Censorum qui ab aula destinabantur in Prouincias, Hanc eum attingebat nemo, cuius beneuolentiam non conciliaret Patribus Michaël, & laudis si posset, testimonium illustre, patentibus expressum tabulis, quæ præfiguntur superliminaribus domorum, & extraneos homines, impugnatores idololatriæ, aduersus odia populi. Bonziorum calumnias, & Mandarinorum violentiam muniunt. Postremò nostris ex Europa recentibus, characterum, & linguæ Magistros conducebat, docendis quin etiam ipsemet homo id ætatis horas quotidie aliquot patienter dabat. Qua tàm multiplici & inuicta significatione intimi amoris, cùm profiteretur apud illum vnus ex Patribus Societatem vniuersam, infinitis ipsi deuinctam nominibus, neque id nostros in Europa latere; præter pias lachrimas referre nihil potuit; quas item ex eius oculis mutuas exciuit. Iam eius illud erga nos palmare, & vltimum quod proposueram meritum, & beneuolentiæ solidæ monumentum fuit, quod prodesse nobis etiam post mortem animo voluit tàm deliberato, vt in hoc vitam posuerit. Patrum vitam & gesta scribenda susceperat quorum fuerat conscius, & testis exceptione omni superior, interserebat his de illorum doctrina tùm sacra, morúmque sanctorum artifice, tùm naturali, & Mathematica; mihi si quidem testi oculato, & familiari, & annorum vndecim hospiti, pronior, aiebat, apud omnes, quam vobis & certior futura est fides. Totus igitur in eo labore quem censebat fore Christianismo dilatando maximè vtilem, bonam noctium

partem

partem necessariæ quieti vir senex, & negotiosus detrahebat; creditúrque vita Matthæi Riccij, auctore tacito in Sinis vulgata eius opus esse. Accessit sub id tempus ex Gueicuni morte, actúsque damnatis, opportunitas producendi Patres in publicum; ad hoc amplam iis domum coëmit suo vicinam palatio, templúmque ad illam designauit; decumanis templi statuendis columnis interfuit die S. Xauerij anniuersario, cum tota Mandarinatus sui gradú que maiestate, non cohonestandæ modo functioni sacratæ spectator honorarius, sed operarius, & adiutor, nam priori columnæ cruricem ipsemet subiecit; alteri Ioannes ipsius filius, magno Sinensium stupore ad humilitatem Christianam tàm illustris viri demissione triumphantem. In ea fabrica interdiu dùm satagit; noctu scribendis incumbit Patrum gestis, legitur ad gradum in aula sublimem Hanceensis Mandarinus, hunc prouidens Michaël magnum fore Christianæ rei præsidium, si posset viro insinuari eius notitia ad conuiuium vocauit cum Literatis primarijs duobus, & vno ex Patribus, cum quo sermonis cautè inferendi argumentum condixit de Deo, & Christianismo. Processitque tàm bellè, quærendo, respondendo, in horas aliquot productus sermo, vt noctis residuum recenti memoria Michaël sumeret in eo describendo, quòd meditaretur in Patrum doctrinam illum inserere. Mensis erat December; hyems etuda; Hancei, vndecumque id fiat cruudior etsi non plus fermè triginta gradibus Septentrioni subiaceat; sed occupatissimus, & flagrans senex pia scribendi voluptate, naturæ vim fieri non sensit; penso igitur absoluto, cœlo prope albente, ad quietem secedens febri corripitur, quæ statim initio mortis nimiùm certæ inditia præbuit. Quare die quarto, confessione accuratissima purgauit animum, ingraueścentéque mox febri, mente aberrauit, sed immersa penitus, in templi fabrica vrgenda; describendo illius ornatu, & supellectili destinanda. Nihil enim altiùs hærebat animo; auditúsque fuerat adhuc sanus cùm diceret, nullius æquè se religione vellicari, vt dilati per dies aliquot eius templi, quod potuisset à morte Gueicuni statim inchoare; eam culpam se caro luere; seque in vxoris, liberorum, & caducorum omnium factura facili, hoc solo angi, quòd absoluendi meritum operis relinqueret alteri, cuius ipse tantum præsocordia incœptor esset. Aucto septimi diei accessione periculo; diuino viatico præmunitur, quod ne extra lectum de genibus sumeret, multum dolens, & querens fuit Patris imperio cogendus, sic, inquit, mi Pater! siccine apud te pluris sum, quam tui meique Domini maiestas & dignitas? vultuque velut inhorrescens, qui potest tantum audere homulus cum Deo? vna demum peruictus obedientia, demissis oculis pudorem illum hausit, nec lamentari destitit per diem proximè insequentem, irreuerenter factum, vt ipse interpretabatur. Demum oleo sancto delibutus, quo morti fiebat propior, eo iucundiùs beatitatis proximæ afficiebatur fiducia, Patrémque compellans qui semper lateri assidebat, quàm libenter,

40 Eiusdé mors sancta.

ait, pro cœlo terra deseritur! suósque lecto circum adstantes videns nec isti addebat, me plus tangunt quam si nihil ad me attinerent; nec mundi totius, perstringit grauiùs iactura, quam si planè in mundo non vixissem. Hos inter animi æterna spirantis affectus placidos, vitam cum voce pariter amisit sub finem anni vigesimi septimi, vel quod alij scribunt, initium sequentis. Religiosæ in Deum pietatis, & beneuolæ erga Patres hæredem reliquit filium Ioannem, qui vtroque mox cœpit munere perfungi: horæ fluxerant non multæ, cum ethnica cingitur propinquorum turba, suadetúrque ad iusta funebria tanti nominis viro digna, sed ritu Sinarum Bonziis committenda, domo primum ejectis, aut saltem dimissis Patribus. Responsum ex eo tulere, obisse Patrem Christianum; non decere illum exequias nisi ritu instructas Christiano; Patres illum seipso non minùs amasse; fore sibi eosdem vnicè semper caros, & parentis loco singulos habiturum. Ac ne parcitati verteretur quod vacuos remitteret Bonzios, quod erat in eos impendi solitum, ad fores suarum ædium largè in pauperes erogauit. Digestas interea ordo funeris à nostris quem ex iis vnus concione funebri conclulit. Nec Hancei modo, sed vbicumque Sinarum fuêre Christiani, parentatum est illi tanquam Patri nostrorum optimo, & legis sacrosanctæ inuictissimo defensori. Lubet hic vnum demissionis heroïcæ ex laudatione illa funebri excerptum, posteris exemplo transmittere. Portabatur aliquando exaphoro per vrbem, vt mos est Primatibus Mandarinis, & (quod ægrè in denso populo vitatur) in plebeium, tardiùs locum dantem lecticarij impingunt; is vel ictu attritus, vel alias dolens excanduit, & Doctorem Michaëlem probrosè ac rusticè verbis incessit contumeliosis, quæ dubio procul alius quilibet eius auctoritatis Mandarinus, repentè coram verberatione sæuissima per satellites exegisset, Michaël in eum ruentes inhibuit obiurgans; & benignè, furentem intuitus, præteriit; qui placiditate illa nihil domitus, magna voce præteruecto Doctori ocyma decantauit, sed nec eò vsque patientiam eius fregit, vt suis permitteret flagitioso latratori quod erat commeritus pendere. Verum facti præclari tarissima gratia hæc fuit, quam Patri aperuit, animæ suæ consiliario, & ductori; sibi nempe miselli conuitiatoris, maledicta veniisse gratissima, quotus enim quisque, vera mihi de me, quod disertè hic fecit, ausus esset in os obicere? absque numero alij, dùm me laudant, tot gratificantur mihi mendacia quot verba.

41. Neophyti mors mirabiliter Suauis, Colai ethnici formidabilis.

Sequuntur in rebus anni huius vicesimi septimi, trium mortes, memoria dignæ longè ab se diuersa. Prima Christiani quem Vagnonius Deo pepererat in pago Angelorum (sic illum nominat pagum) duodecim hominum millibus habitato. Magni profectò apud Deum fuisse meriti videtur cui mortem largitus est beatis eremi senibus inuidendam, etsi nondum egisset in Christianismo biennium. Sedenti enim de medio die in domus area quam illic habebat amplam, & commodam, vi sum

visum est repentè cœlum discedere; ille vultu accenso quid hoc, inclamat, quod video? panduntur mihi paradisi fores; panduntur, inquam, & ecce, Deus illinc me vocat. Si me vis Domine! præsto sum; nisi placet fortassis tantillum differre, quoad, aiebat vir simplicissimus, negotiola quædam ordinaro; submoto ab oculis viso, regreditur intro ex area; valere iubet quos domi habebat hospites, negotia expedit; loco eodem postridie atque hora, vxore cum liberis adstante; idem sibi affirmans quod pridie spectaculum obiici, seque pariter à Deo ad paradisum inuitari; propero, ait, atque in hac voce viuendi finem fecit. Funus illi Vagnonius Christianis ornauit exequiis, quas vxor ethnica, dolens ethnicorum fastui cessuras, cadauer Bonziis permisit, cerimoniis patriis humandum. Sed is noctu in somnis, impiam feminæ charitatem vehementissime reprehendit; mandauit ædibus quamprimum eiici quos vocarat dæmonum Ministros, omnémque sacrilegi funeris instructum. Beatum se in cœlo viuere; frustra illam eodem aspirare, nisi amplecteretur Christi legem cuius vnius præsidio contineretur felicitas, quamque ipse viuens, & moriens Dei & Patrum beneficio tenuisset; his & similibus roborata, eam animo, ex mariti salute, eiúsque monitis concepit lætitiam, cui parem in vita sensisset nunquam. Extemplo itáque Vagnonium quærit, ac rei totius apud illum narrata serie, ritè cum filiis baptismo lustratur; secutíque sunt illam postea non pauci, quos prodigij fama docuit sibi maturè consulere. E contrariò Focei Fochiensis Prouinciæ vrbe primaria, Colaus Iè, lamentabili fine vitam clausit. Vir alioqui sapientissimus, & legis Christianæ iam inde à Riccio, vt passim notauimus æstimator beneficus, & defensor, imo in Prouincia sua Fochiensi, per Patrem Alenium studiosissimus propagator; senum misertimus, & stuporis humani formidabile ostentum, qui ad suos in cœlum compellendos inducendósque populares, acer & strenuus, foris ipse pertinaciter substitit, præferens Deo indignum esse, hominum causa hominem fieri. Hac illum remora defixit in exitium Lucifer & dolore Patrum non consolabili, nec ethnicus nec Christianus interiit. Trium quos proposui vltimus, pro Apostolicæ functionis egregio merito longè esset pluribus dicendus quàm quæ huius anni tabulæ Macaenses auarè suggerant. Vtar iis tamen, ne saltem abeat indictus, & absque nomine. Fuit is P. Celsus Confalonerius natione Italus, patria Mediolanensis, in Collegio Macaensi hoc anno defunctus, annum agens ætatis vnum ad septuaginta, Societatis sex & quinquaginta; ex quibus nouem & triginta in conuersionibus Iaponum posuerat; & illic eodem tempore annos octo tùm præfuerat formandis tironibus, tùm subtilioris Theologiæ ac moralis breuiarium aliquod nostris prælegerat. Indè Christi causa in exilium pulsus, annos duodecim Macaense Collegium rexit. Magni vir domi, & foris exempli; cum Deo perpetuus, suíque osor asperrimus. Huius adhuc iuuenis virtutem magnifecit S. Carolus Borromeus & singularem gratiam in dicendo. Sed horum nihil sat

Mors P. Stephani Confalonerij.

valuit ad generosam mentem à conuersione Iaponum quam deperibat dimouendam. Quos & teneriter amauit, & fuit vicissim iis summè charus.

42. Longa inter PP. Sinenses, & grauissima disputatio de voce, qualicerer Deum inter Sin. appellare?

Fuit Patribus hic annus seculi vigesimus octauus, saluo ingenij & caritatis iure, contentionibus valdè inquietus, quas in annum sequentem productas auxit potiùs quàm sedauit, qui arrogato sibi de iis iudicio, conquiescere partes in sua sententia voluit. Carptim solum attingam quæ non sint fastidio futura; nam vel summæ tantum quæstiones de Deo, de spiritibus, & de anima suis perpexabiliter ventilatæ rationibus, obiectis, & ambagibus responsorum, referri absque tædio non possunt. Lis erat de vocibus quibus eatenus Sinense idioma Deum, spiritus, & animam significauerat, præ aliis tamen de *Scianti*, voce, (quæ Regem supremum apud Sinas notat) an ita propriè designatione illius imperij supremi cui par esset nihil, & nihil secundum; ingeneraretur conceptus diuinæ singularitatis, vt scribendi, & loquendi vsu, nihil creatum significaretur ea voce. Similiter an cœli Dominus, quem Tienciù nominant, posset Christianorum aptari vero Deo, absque periculo significandi aliquem ex Diis Bonziorum, quorum Theologia fabulosa, minores Deos triginta tres, cœlorum totidem præfecerat motui, eósque pariter Tienciù nomine appellabat. De his igitur vocibus, & earum vsu Patres in plane oppositas distrahebantur sententias, quòd nec satis penderet earum iudicium ex Theologiæ elementis, aut vi syllabarum; sed præterea ex sensu quem vulgò efficere putabantur, in veteribus & nouis codicibus quà Literatorum abhorrentium ab idolis, quà Bonziorum idola colentium; & ex eo quod vsus receptus possessione perpetua significari sibi putabant audientes. Qui cùm sit latissimus dissidendi campus, conciliare illos in vnam, & certam vocem nec sermo poterat Latinus, neque alius ex Europa; sic enim oris conformatione ad eum efferendum Sinas vel destituit natura vel educatio, vt pro voce hac Deus *Tensu*; pro Spiritus *Sepelitus*, necessariò cogantur diceret, parique deformatione alias voces corrumperet. Quamobrem dudum conuenerat non posse illis baptismi formulam lingua nostra committi, quod illam adeò prodigialiter euerterent, vt nec verum de illa quicquam nec vero simile sonaret. Optassent aliqui nominando Deo *Tiencim ciu*, hoc est *Verum cœli Dominum* vsurpare, placebat aliis *Tien ti ciu*. Hoc est, *cœli & terræ Dominus*. Vel omissis aliis *Cim ciu*. Quod *Verum Dominum*, mille retrò ab annis significabat apud Sinas, florente in iis Christi fide, legebaturque in effosso nonpridem, vt dixi, marmore. Sed quæcumque istarum vox in commune omnibus probaretur, huic reliquas omnes volebant cedere, illásque adeò, quod erat consequens, Scianti & Tienciù ex libris eradi qui per omnes regni Prouincias absque numero legebantur; & quidem facto à Riccij libris censuræ principio, quem fratrum quidam adiutorum ex Iaponia orti, ardenter magis, quam intelligenter impugnabant, quod

ex

ex proposito vocabula poneret ex antiquissimis Sinarum deprompta codicibus, quæ longè aliud in eorum Iaponia sonarent, vbi nec Confusij suggestus, nec Literatorum ordo genuinam & veram, sed Bonzorum fœx idolis inquinatissima, vocum illarum vitiosam dictabat intelligentiam. Opera Riccij vllo modo attingi vetuit Societatis Præpositus Vitelleschus, nisi suis ante rationibus probatis, facultatem ex se modúmque impetrassent. Ex alia parte, qui oppositum sentiebant, *Sciamt, & Tsencin*, asserebant esse tàm propria, ad ingenerandam Dei notitiam nomina vt nullis possent aptioribus mutari; habebántque à se præter solidas rationes, Christianorum Doctorum meditata, & firma suffragia, qui non satis coquebant animo externos homines plus sibi assumere in germana librorum Sinensium, vocúmque explicatione quam ipsos Sinas qui vitam in iis studendo contriuissent. Possessioni annorum quadraginta quinque merito deferendum quibus voces illas nec idolo tribuisset quisquam, nec animanti cœlos virtuti cuipiam naturali, & elementorum materiam formanti (quod falso Literatis aduersarij impingebant) sed Enti supremo, existenti per sese atque à seipso, Creatori omnium, & conseruatori. Multorum vtrimque occupauit stylum hæc controuersia, mutuísque vicissim permisit iudiciis. Impugnantes *Sciamt*, Ducem habebant Longobardum; propugnantes, Vagnonium; vtrumque Sinensibus literis excellentem. Longobardus in Sinis annos vixerat triginta duos Vagnonius quatuor & viginti, sed annis inferior, argumentorum vi, & rationibus vincebat. Nihil tamen actum est hac styli armati concertatione, nisi quod acutis responsionibus, componendæ litis aucta est difficultas; eam ob rem Chiatinum Hieronymus Rodriguez pro potestate cogendos censuit, vrbem longo secessu à suspicionibus in exteros semotam, vt illic certius inuicem audirent, quid quisque sentiret? quid esset omnibus sentiendum. Neque tunc primum Patres ducentis, & multò pluribus conuenerant leucis, vt expedirent inter se dubia perplexæ ad conscientiam definitionis, & de idoneis viderent subsidiis ad profectum Sinensis Christianitatis, quo fructu præclarè tantorum itinerum locatos ab se putabant labores, & discrimina viarum. Nos tamen laude hac dignantur boni viri, ab Societatis incunabulis assueti, sic de illa sentire, ac scribere, vt nullos Dei Ecclesia viderit segniores, & magis ignaros Euangelij Ministros, quàm qui ex nobis Sinas, Cocincinam, & Tunchinum illius prædicatione imbuerunt. Quam laudem ab iis nihil addubitamus fore nobis constanter perpetuam atque pertinacem, cuicumque operi admouerimus manum, si modo aliquid grande sapiat, & illustre. Verum enim vero in præsenti si quid à Patribus peccatum, immoderatione profectò laboris peccatum est, quæ Trigaultio, & mentem, & vitam abstulit, haud quidem scientiæ, aut ingenij æmulatione, cuius in illis hominibus ne vmbra quidem notata est. Sed religionis vtrimque graui metu, his quidem anxiè

diligentérque

diligentérque cauentibus ne conciperetur Deus occasione nominis minus dignè; illis verò ne proseminaret emendatio superuacanea, quod nitebatur euellere. Mensem tenuit hæc disputatio multarum quotidie horarum. Erant enim scripturæ Sinensium rationibus addendæ, indaganda illarum sententia ex germanis illarum principiis quæ recentiores sectarum auctores à sincera & certa Confusij doctrina deflexerant; sed has nihilominus tam longinquas moras & streperas, consecuta est solùm caritatis concors integritas, in opinionum discordi sensu; Cuius tamen pars vtraque contentionem mutuo laxauit in Scianti voce, adiuncta illi ex communi suffragio, explicatione qua in publicum edita, eximerentur à falsa de Deo existimatione, rudes, & simplices; sic finem certandi ambæ partes fecêre, quærendi nequaquam. Et hinc vulgatum extra Sinas, hoc iudiciorum dissidio, scissos dissidentium affectus, quare Palmerius Prouinciæ Inspector ex India missus, adeundos sibi eos statuit intra Sinas, & cognoscendum coram de re controuersa, etsi aliæ non deerant, de quibus postea, profectionis causæ. Totos igitur emensus Sinas ab vsque Macao Pechinum, de cõsensione animorum mutua inter nostros scripsit his verbis, sed Lusitanicè, ad Præpositum Generalem Mutium Vitelleschum. [Quartam, inquit, causam quæ me ad Sinas lustrandos impulit dedere rumores latè sparsi, (quorum etiam apud me suspicionem non satis expurgabam) illic nostros omnes inter se animis dissidere, & discrepantiam sentiendi de vocabulis quibusdam ad Dei naturam exprimendam & pauca fidei mysteria, transisse inuicem in discessionem voluntatum; re tamen vera nihil tale comperi, sed omnes mutua inter se beneuolentia coniunctos, & mixtos licet ex Italis, Lusitanis, Belgis, Germanis, & Polonis, peculiarem erga suos affectum præferre neminem. Hæc de animorum concordia quæ tanti nostra refert. Opinionibus vero sic dissident, & certant; vt velint omnino controuersarum quæstionum, solido aliquo firmari vacillationem; miratúsque sum vehementer, tàm diu tàm aspera pertinacique disputatione, nihil exasperatos, ac ne turbatos quidem tranquillæ beneuolentiæ affectus.] Hæc Palmerij literæ; qui ne diuturnæ altercationis periculum augeret longinquitas, compositurum se ratus est litigantium linguas, cum ingenia non posset. Graui ergo præcepto vetuit, *Scianti* vocabulum à quoquam vsurpari, quod profectò non fuit Item componere, sed partem illius, & quidem inauditam, silentio damnare; quæ Romæ tàm solidè, ac Theologicè causam suam probauit, vt restituta sit appellatio Scianti in possessionem, adiuncta potissimum explicatione quæ pacto vtrimque nuper Chiatini decreta fuerat.

Iam hisce tot motibus nihil quicquam tardatos, turbatósve progressus Sinensis culturæ, palam fecit messis, nunquam ante hunc annum vberior. Scansi Prouincia quingentos Vagnonio & Iacobo Rho dedit, in quibus Literati primariæ classis duodecim; Seorsum Vagnonio ducentos

ducentos pagi quidam, in quos excurrere maluit, quàm incertis spebus cum Prorege quodam commorari, quamuis id plurimum rogante. Illic in visendis, promouendísque Christianorum cœtibus quos pridem fundarat, nouísque fundandis erat perpetuus; domos quatuor sanctitate venerabiles effecit sacrificio diuino in iis celebrato; Christianorum cœtibus totidem, templorum loco assignauit; sacrarum imaginum, & piorum librorum suppellectili qua potuit instruxit, commisitque Dominis ædium suas vices vt qui virtute, experientia, & Christiana doctrina præstabant cœteris, illos excolerent diligenter omni studio pietatis. Porrò in Prouincia Scianſi magnam habebat Christi religio ab ethnicis quoque venerationem; quam iis mouerant repentina illorum supplitia, lepra faucium tumor, subindè mors, qui ausi essent in Christianum ludere, inuehi, machinas nectere ad eum euertendum; auxerant eandem venerationem, beneficia cœlitus ad Christianorum preces publico donata. Inter quæ illud fuit quod precante ad sacram imaginem de grnibus pago, obnubilatum ex templo cœlum, copiosa pluuiæ irrigatione sata recreauit magno rubore sacrificulorum qui suis simulachris, quò supplicabant clamosiùs hoc serenabatur cœlum calamitosiùs. Accessit præterea mulier simplex & rustica, superiori anno futurorum & occultorum cognitione instincta diuinitùs; & Vagnonio quidem iuitio suspecta, verum Ecclesiæ sacrosanctæ, & discernendorum spirituum accuratissimis regulis probata, vitæque insuper innocentissimæ cõperta, & Christi amore, suique despicientia insignis; existimata est simplicitate illa mentis Deo placuisse, visáque idonea quæ prævisione & scientia arcanorum augeret gloriam nominis Christiani, & confunderet pudore veneficos qui fallaces diuinationes à dæmonibus carò emptas cariùs venditant curiosis. Mihi de cœtero Christianos huius Prouinciæ, illorúmque virtutem eximiam prolixitate rerum amputata, prolixè videor narraturus si dicam eiusmodi fuisse vt vel solus aspectus secerneret illos ab ethnicis, & discrimen eius quod ante baptismum fuerant, & quod erant, character esset, quo tanquam frontibus impresso distinguerentur ab omnibus cuiuscumque sectæ mortalibus, adeò ab iis erant, & seipsis diuersi, pudoris ingenuitate, loquendi modestia, & agendi, omnique specie virtutis quàm compositio animi constans & stabilis solet exteriùs prodere. Sed eminebat inter familias, Stephani Literati domus genere illustris, virtute venerabilior, hic vt pridem notabam, in eam Prouinciam Christianismum induxerat; huic Ghiancei in patria, ad habitandum ædes, ad diuina peragenda templum debebamus, quod ipsi nomen ingenti cum fœnore exsoluit Deus, remuneratione dignitatis, vltra quam cuperet maioris. Nunc ad fores eius tertio quoque die, luculenta silens concione Christiana se charitas mirè commendabat, illic enim dùm fames vbique immaniter sæuiret centum pauperibus præbebatur victus; erátque tunc idem mendico panem dare vt vitam illi in eum diem producere. Quæ liberalitas vt esset

44. Mulier Prophetis & Neophytæ.

in Deum largior, ne domi quidem necessariis parcebatur. Filiam sibi virtute simillimam desponderat nobili de stirpe Regia, vrbem illam auctoritatis, & opum suarum reuerentia continenti: misit is solenni nuptiarum die dotale ad sponsam, splendido apparatu munus; supellectilem vasorum ex auro & argento, & vestes arte præcipua laboratas; sed templi fabrica Stephani curis sumptúque perfecta: gynæceum ipsius, aptandam vsibus, & ornandam ad diuinum sacrificium sibi sumpsit, Stephani filia negans decere, vt Christi altari, niteret ipsa magnificentius, argentum à sponso acceptum, vestemque pretiosam die ad hoc selecto in templum attulit, matre comite, ac turba propinquorum, Deoque consecrans, renuitatem doni, voto suo minoris, honesto rubore excusauit. Gemina huic fuit Doctoris Pauli liberalitas in Deum: virum fortem Gueicunus, Rituum tribunali, aulâque omni deiecerat; Rex nouus illico reuocauit, magna sagacitatis suæ laude in perspiciendis suorum meritis; nec restituit modo pristino gradui, sed adsciuit sibi in quotidianum ethices Præceptorem; cuius beatitate muneris, inter Mandarinos nemo sui sat compos gaudij duraßet. Magisterij tanti stipendium, Paulus integrè in templum conferebat quod habebat Pechini Societas, decorabátque illud munificentia singulari. Christiani verò Gueicuni terroribus diu solitarij, nunc cœtus sacros repetere; Patres oppida, verbo Dei, liberè lustrare; & sodalitatem *proborum hominum* Pechini cogere, quorum instituti beneficentia, in ægrotos, egenos, & mortuos incumberet penitus, cœteráque officia misericordiæ Christianæ, cui suo quoque detracta victui propensè indulgebant.

45. Sponsalibus orn. altare ornans.

Nec Pechini solùm, sed Regno vniuerso, Christiana res melior honoratior miraculis, cultura feracior, & nouorum fidelium numero extitit. Chianceo scribens Iacobus Rhò, [in hac, inquit, domo, quingentos circiter mecum Vagnonius annis singulis baptizat] & excolebamus tunc stationibus vndecim, octo Prouincias, quibus præter spem omnem Sambiasius duodecimam adiunxit in Prouincia Honana. Quam Sinæ, mundi vmbilicum propterea iactitant quòd sita sit in regni medio, extra quod vix mundū vsquam putant. Sed hæc Geographi viderint; certè nulla in Sinis, aut Europa, vel amœnitate vel feracipate, delitiisvè felicior, ob hoc olim sedes imperij, quam illic in vrbe Caifun regionis eius primaria, idcircò Reges locauerant, quod sex vndequaque muniretur, & defenderetur Prouinciis. Ad cœli beneficam, solique indolem, accedit agricolatio tàm solers, & diligens, vt hortorum speciem repræsentet. Septentrioni Metropolis Caifun, triginta sex gradibus subiacet, leucis duabus à magno flumine Hoano Flauo, cuius eluuionibus insanis aggerem obiecit, murum è secto lapide immanem, milliarium triginta septem, magnificentiæ apud illos fidem minimè habiturum, qui nisi de suis æstimare non norunt extranea. Iam ædificiorum superbia, delitiarum reliquiis, & sanguine Regio familiarum quadraginta, præferebat

præferebat adhuc nobilitatem priſcam veteris Regiæ, prognati enim Regum ſtirpe, ſplendorem Principum, & opes ſemper obtinebant. Sed ea hortorum amœnitate cultiſſima, nullum erat in Sinis horridius, & miſerabilius deſertum, Prouincias cœteras aliqui ſaltem illuminabant Chriſtiani quos Magiſtratuum, & commerciorum viciſſitudo in eas induxerat, frequentiſſimam populis Caifun, beatiſſimam inani, & temporaria fauſtitate Honanam Prouinciam ne vnus quidem: Petrus quidam mercator fratrem illic habebat ethnicum, Procuratorem rei ſuæ, qua per ſe interdum inſpecta Chianceum redibat in Prouincia Scianſenſi, qui vt erat vir ſanctus, Caifuni vrbis infelicitate miſerè torquebatur, optaſſetque maiorem in modum, è Patribus aliquem eò perducere; cum eius vna & Patrum ſtudiis diuina bonitas annuit, & propitios oculos in calamitoſum populum per hæc fortuita, nequaquam fortuito aduertit, Sunchiani Franciſcus Sanbiaſius periculosè ægrotabat; accurrit ad eum, pro Societatis charitate Iacobus Rhò dierum itinere viginti, per alpium iuga, & ſyrtes niuium, & cognatam locis barbariem hominum; paſſim degentium, qui eruendo, & coquendo ferro ſuas operas locant. Receptis Sambiaſius viribus, ſubductus eſt malignitati eius cœli, miſſúſque in Prouinciam Scianſi, eò dùm pergit, Caifuni, auſpicato incidit in Petrum qui fortè tunc venerat negotiorum cauſa; & cum illo agens de ſementis opportunitate in ea Metropoli faciendæ, decreuit Sambiaſius, in omnes euentus Deo fiſus, experiri per duas hebdomadas, poſſetne illuc veri Dei, & æternæ ſalutis notitia ingeri; at enim ægrè ſe in conſpectum dedit, cum ſparſus per vrbem velox rumor, adeſſe Literatum ex peregrinis illis occidentalibus, quorum vbique gloriosè volitabat nomen, plurimos acciuit ad eum viſendum Literatos; ille natura, vſúque annorum iam quindecim ad comitates Sinenſium procerum, & elegantiam ſermonis mirè factus multorum ſibi adiunxit ſtudia, quos dato mox ſui documento in ſcientiis Europæ, & cognitione veri Dei rerúmque æternarum, æſtimatores nactus eſt præclaros, & ambitioſos eius retinendi; rogare itáque ne porrò pergeret, Caifuni figeret ſtationem; fore illic ipſum in ea gratia, & honore, vt vrbem aliam non eſſet deſideraturus. Quid plura? conducto tugurio, ſe, reſque Chriſtianas, trimeſtri enſim velut aliud agens, cœpit explicare. Illo in ſpes futuras attentæ patientiæ lento ingenio, quod miſſionibus inter Sinas fundandis, plus omni ardore valet ac proficit. En autem ſub hæc Mandarinus ex aula Pechinenſi, noua inſignis Præfectura, præter omnem expectationem Caifuni Sambiaſium offendit, ſua cum incredibili voluptate, vtpote olim notum, ſibique intimum; & viri virtutem, ac literas deprædicauit primoribus ita magnificè vt Princeps de ſtirpe regia, conductitia eductum caſa, ſuis quibuſdam amplis in ædibus locarit, quas non faſtidirent Principes Mandarini, exin paucas ſibi horas retinuit ſui iuris, aucto in dies illorum numero qui aut illum adibant, aut

adiri ab eo volebant. At ecce paulò post alter item ab aula Doctor Mandarinus Sambiasio in paucis amicus & noua lætitiarum seges, sed minimè sterilis, domum hi duo suo sumptu coëmptam Sambiasio donarunt, eo fidei Christianæ fructu quem captant Patres ex Mandarinorum amicitiis, etiam ethnicorum Sic illam nuper Colaus Ié in Fochinensem induxit Prouinciam; sic isti duo stabiliêre in Honana. Horum auctoritas diplomati par Sambiasio fuit, cui contendere auderet nemo prædicationis diuinæ facultatem, quando ad hanc solùm Caifuni habitationem à Mandarinis acceperant. Crescente in publicum, maximè apud Literatos; qui sunt vrbis eius columina; opinione periliustri de Sambiasij dotibus, paulatim illi de Regio sanguine Primates, fastum ponere quo tument, visere aliqui, visentem nonnulli excipere; ipse, aula vt fit aduentantibus parata, post scrupulosas salutationes de illo respondere cuius in altari eminens imago quærendi statim, & loquendi fiebat occasio? de Christo scilicet Redemptore; nec erat inter Mandarinos, & Regis propinquos, qui filij Dei quem exhibebat effigies audita maiestate, non veneraretur illam quater proiecta humi fronte. His Petrus initiis gestiens tàm faustis, primum cœpit ex iis præmium impensæ in illa operæ. conuersionem fratris negotiorum suorum, quem dixi, curatoris; qui multis sanè magnisque obicibus perfractis ad baptismum euasit, & Paulus nomine, primigenius fuit renascentium Dei filiorum in Prouincia Honana.

47. N. Trigaultij mors.

Tam lætis ad Dei gloriam nuntiis mirabiliter affecti Patres qui distractis in Regno sedibus agebant; penuria hominum breui post grauiter doluerunt, quibus tàm vberes crederentur ad frugem campi. Duos enim hoc anno amiserunt Belgam vtrumque Duacensem, tristi vtrumque morte, & calamitosa. P. Nicolaus Trigaultius nostri æui Vlysses, milliarium triginta millia in obsequium fidei emensus, instabat nihilo segnius ad eam inferendam in Prouinciam Scianſi; scripturam, & linguam Sinarum elegantiorem, immenso labore sibi fecerat expeditam, cuius laboris pars fuit voluminum lectio centum, & viginti (quibus inquit, Sinarum historia clauditur) eorúmque Latina contractio, quam in Europa edendam, perduxerat ad ducentesimum Christi annum, scribénsque anno 1627. ad Cardinalem Parmensem, molis exiguæ operosum laborem nominat. Absoluit præterea quod olim Riccius, & alij cœperant, Christianum festorum abacum, ex lunaris Sinarum Calendarij vsu ductum; quibus in voce Scianti propugnanda, extraordinaria ingenij contentio tunc superueniens, abalienatum mente, improuisò extinxit, annos natum quinquaginta, duos, ex quibus Societati quatuor & triginta, Sinis octodecim dederat. Lamentabiliùs Petrum Spiram luxit vrbs Nancian, à Prædonibus necatum, grandi missionum Sinensium iactura, vitæ scilicet anno vix quarto & quadragesimo, Sinensis commorationis sexto & decimo. Necis modum & causam, confessione iuridica prodidere ipsimet qui interfecerant. Regebat Tunscianum Huguanæ Prouinciæ op-

pidum Mandarinus Puon Simon, & rogarat Patrem qui noſtris præerat Nanciani, ad ſe aliquem mitti qui ſe Chriſti Ieſu anniuerſario natali, ſuámque familiam ſacris myſteriis recrearet. Redibat tunc Spira ab excurſione vt valde fructuoſa, ſic & ærumnis & vitæ periculis conſita. Loco tamen quietis admiſit iter illud dierum ſedecim media hyeme, cum Nancianis ciuibus duobus qui ſe vltrò illi comites dedêre. Venerat ad Chianum, qui Huguanam ſecat Prouinciam, & quinto aduerſo amne nauigarat ad vigeſimum Decembris, qui vitæ vltimus illi fuit. Sacram enim ſecum ſupellectilem cum ferret, ara portatili ſatis grauem, argumentatus eſt nauicularius ex eo pondere, theſaurum aliquem; & tentata clam noctu ſarcina, cum tactu in calicem incidiſſet, facilè ſibi finxit omnia illic eſſe argentea. Crimen nihilominus diſtulit quoad latrocinij ſocios, & nauicularíæ inueniſſet, quibuſcum de loco, de modo, de articulo patrandi ſceleris; & partitione prædæ pactus, nocte S. Thomæ ſolennibus præuia recedit in medium amnem, tempus agi rem iis innuit; irruunt è vado vt videri volebant improuiſi, manibus ferreis correptum nauigium inuolant; ſtrictoque acinace in Spiram, & comites tàm crudeliter ſæuiunt, vt ſtens proditor ipſe clamitaret, ad prædam condixi, non ad cædem; inhiberetque nunc huius, nunc alterius ferrum, ſed niſu irrito; cum par eſſe vnus, ſeptem percuſſoribus non poſſet. Multis conciſos vulneribus, in flumen præcipitant, ripámque relegunt ad diuidendam prædam, tribus viritim nummis ſcilicet opulentam, adeóque promiſſis ditibus minorem, vt parum, abfuerit quin proditorem diſcerpetent. Latuit aliquamdiu crimen, Nanciani Spira cum Mandarino eſſe credebatur; differri eius iter putabat Mandarinus, quo tandem promiſſum iteratis literis exigente attoniti Patres, malè actum cum Spira diuinarunt. abſque mora famulum eò mittunt cum ingenuæ innocentiæ Catechiſta, ſed magni animi puero, cui triduo prius quam Tunſcianum peruenirent obiecta eſt ſpecies, tàm certis ad viuum expreſſa notis, vt ſe arbitraretur vigilare. Spiram cernebat, & comites; replicatis in pedes, & brachia funibus adſtrictos, plagis hiantibus, & multo cruore manantibus laceros, quales denique Sicarij perfidi merſerant in flumen præcipites. Quare appulſus Tunſcianum, Mandarino refert dierum numerum à profectione Patris Spiræ, ſubdítque ſomnium quo ſe aiebat luctuoſiſſimo afflictum. His dolore confixus peracerbo vir pius, nec iam de patrato facinore ambigens, homines ſuos cum puero mittit, qui manus ſuæ legitimo ſyngrapho perſcriptam ſceleris accuſationem ad Præfectum deferrent eius pagi, cuius erat nauicularius, Spiræ vector, & proditor. At is diſſimulato diſcrimine, negauit in ſua Præfectura tàm atrocia patrari, recuſauítque de cauſa cognoſcere. Adit puer tribunal inferius ſed æqualis ad cauſam iuriſdictionis, & amore in Spiram Magiſtrum optimum querelas dictante, tàm generosè ſe ad pœnas obtulit, delatoribus poſitas ſi de-

48. Spiræ mors.

stituantur iustis probationibus, vt instrueretur demum causæ cognitio, quinque ex percussoribus caperentur, & proferretur eorum ex ædibus fascis promiscuarum sarcinarum; quæ dùm euoluuntur apparet Spiræ vestis superior. Eius aspectu puer velut subito fixus telo, eiulare, flere, complexu vestem, & vultu stringere, vociferari se Patremque suum infelicem! manus barbaras & crudeles quæ illum necassent! tàm claris synceri doloris inditiis, vt nemini fieret suspectus iussarum lachrimarum quas habent semper in promptu delatores. Interrogatus nihilominus vnde ipsi constaret fuisse Patris illam vestem, respondit flens, accommodatam à se illius humeris centies, aliaque tàm multa, quò exiliora hòc minus dubia persecutus est, vt darentur ad quæstionem rei, & confessione singuli tùm sua, tùm socia conuicti, laniarentur ex iis frustatim quatuor, prosectione carnium lenta in ducentas aut plures particulas. Quintum minus reum sed criminis conscium mors breuior abstulit.

Atque hinc deinceps palam fuit quid sibi vellet prodigium, quod pagum illum diu terruerat. Vni percussorum in sortem cesserat è Spiræ sarcinis libellus, Christi patientis imaginibus impressus, ex quo is libellus in domum sicarij venit, nulla nox abiit, quin alterni velut animalium duorum supra eius tectum exaudirentur vlulatus, quoad liber aliò est translatus. Nanciani Patres rerum suspensos expectatione, vbi redux puer interfecti Spiræ fecit certiores, Christianis iuxta & ethnici prosecuti sunt multis lachrimis tristem casum, viri omnibus tota vrbe chari. Decernuntur illi iusta funebria, mittuntur, sed frustra, qui corpus ad fluminis ostia requirant; paratur interea honorificè humando tumulus, in cassum omnia; post tot à cæde hebdomadas nusquam repertum est. Sufficiendus illi accitur Macao ad procurationem Ecclesiæ Nancianæ Martinus Burgentius, & ipse Duacensis, & & annos in Mexico iam quatuordecim operarius strenuus, verum vt interdum qui agunt feruentius, præsentia, & certa fastidiunt; prægrandioribus longinquis & incertis, & Deo forte non ita placitis; desiderio fundendi in Iaponia sanguinis in Philippinas abreptus est, indeque Macaum, vbi vidit præclusos in Iaponiam aditus, noui potissimum, in vsu, lingua, moribus Iaponum & sagacitate illic necessaria; proinde sibi tantùm bonis, & in vita pro Christo ponenda fortibus; nam longè diuersis Ecclesia illa inter cruciamenta tyrannorum egebat præsidiis. Lusus ergo spe sua, vexatam Iaponiam Sinis pacificis mutauit, vixque appulsus Nancianum ægrotans obiit. Regis interea Sinarum iuuentus eximia luculentius in dies exerebat sese in ostenta fortissimi, sapientissimi, & æquissimi Principis, & eò velocior ad futuri iudicium populus quò visu obtusior, iurabat Sinis in priscum aurum rediisse tempora, quo narrant veteres eorum historiæ virtutem Regi eodem in solio dextram assedisse, iura populis cum ilio, & in illo dixisse; legem imperij columen, vitam Regis fuisse, quæ potentiùs exempli sui suauissima æmulatione sanciret leges quam iubendi potestate.

49. Mira Regis principia.

At senes præterito docti, futuris diffidere; & Regum duorum infelices, exfaustis initiis progressus, fermè adhuc ob oculos gerentes, iudicium certiùs mandabant tempori an hæc iuuenis virtus, ex humili Regis, necdum emasculati delitiis, feruor solum esset egregiæ indolis necessitati commodatus, quæ mentis etiam impotes solet ad mentem reuocare. Vulgus profectò, stultus vates, nunquam alienius à vero quam de hoc Rege ariolatus est. Debet tamen illi Christiana res, & nostra Societas beneficium viginti retro annis, ingenti ambitu, & magnis contentionibus prensatum ex quo conuersiones ethnicorum secutæ sunt innumerabiles; quod est alterum è duobus caput hoc anno gestorum 1629. missis quæ ob sui similitudinem vix sine tædio repetuntur. Triumphabat Pechini Doctoris Pauli virtus, Magisterio Regio, Magistratibus omnibus veneranda cùm prænuntiatur ab aula Regno vniuerso defectus luminum. Qui longè à puncto prædicti temporis euenit; Rex cui cordi erat perpetuitas publici ordinis, Mathematicos suos obiurgatione, minisque terruit, ipsumque cui subiacent rituum tribunal vbi retractatus eorum calculus, deprehensus est ad amussim cum Canonibus Astronomiæ Sinensis consentire, ipsi negligentiæ & inscitiæ culpa liberati; damnati erroris Sinarum Canones: rogatus à suis Rituum Collegis Doctor Paulus, consilio P. Terentij præstantis Astronomi, negotium suscepit, Regis idoneo placandi responso, sapientérque in futurum consulto: cui post sacra confessionis, & Eucharistiæ optatos exitus diu multumque precatus est. Laudabat itaque Collegij Regij vtriusque Mathematicos, eclipsis præteritæ vates, eorum calculum referebat scrupulosissima fidelissimáque accuratione scientissimè collectũ ex regulis, præter quas Sinæ nullas habens; eas tot sæculis à Mauris inuectas, fuisse iam inde à principio fallaces, errasséque à vero, sed tàm subtili discrimine vt sensum tunc fugerer; post lapsu temporum continenter auctũ in prædictiones eclipseon exisse longo spatio à veris semotas. Non esse hanc Astrologorum culpam, sed archetypos Canones, ductásque ex iis tabulas, & Calendarij Sinensis integrum abacum, egere solerti, doctáque emendatione. Nec eundum vlteriùs tunc quidem censuit. Pfobatam confessui rituum, scripturæ sententiam, dehinc libello ad Regem supplici Concinnatam, Rex quoque approbauit, eique in hæc verba subscripsit. [cum Regulæ veteres astronomicæ computationis deprehendantur falsæ; corrigantor, conficiendæ rei cura penes rituum tribunal esto.] At enim reliqui tribunalis eius Mandarini, omnem illam curam in Doctorem Paulum nihil ardentiùs cupientem, libentissimè excussêrunt, quod ipse Patribus mitè lætus, gratulatum mox venit, quibus id muneris ad authoritatem, & commodum religionis dilatandæ cupidè destinabat. Ad rem igitur pressiùs, libello altero Regi significat, non posse tàm desideratam, & necessariam Astronomiæ Sinensis emendationem haberi perfectam nisi Patribus Magni Occidentis ad eam adhibitis, quorum in omni genere doctrinam diu ac sæpiùs perspectam laudabat,

50. Ex falsa præd. eclipseon, reformatur Calend. magno Christ. bono.

laudabat, præsertímque in astronomicis, tùm Sinensibus, tùm Europæis, ex quorum mutua comparatione & conflictu facilè iis foret erroris fontem detegere, certóque, suo ac stabili computationum modo, exerrantem Sinensium calculum astringere regulis nunquam deinceps à vero erraturis. At hic mentio externorum aui Regis decreto publicè exulum, illos metu non leui perculit rituum Præsides; Regis veritos indignationem, si ad nobilissimi operis absolutionem proponerentur eiusmodi homines; discussere hunc metum Doctoris Pauli argumenta, quibus auditis auctores fuère libelli ad Regem supplicis; intellectum est non obscurè id negotium à Deo agi. Septembris vigesimo septimo, anni 1629. solenni Rescripto decernitur instauratio Calendarij Sinensis, amouendis ex eo errandi offendiculis, ope, atteque Patrum Magni Occidentis, experimentis constantibus probata, volat in omnes Prouincias Rescriptum, armillatis aulæ cursoribus, præcipitantibus de more quod Rex edixerat vbíque nuntiare. Hinc magna statim apud omnes Patrum auctoritas, quos tanti Rex faceret, hinc postliminio libertas clarior, quam si forent diserta edictione reuocati; secuta vbíque visendi, & gratulandi nobis prolixa officia, paulò interea Doctore Rescripti executionem ita festinante vt in fidei sacræ propagationem quam latissimè funderetur. Ad hoc votis illius afflante benigniùs Deo supremam obtinuit in Calendarij negotio potestatem, vni, seclusis quibusvis Mandarinis, Regi obnoxiam; sigillum indicem illius potestatis, tribunal denique suo lectis arbitrio assessoribus instruendum. Legit autem in primis Doctorem Leonem, & Philippum, ardorem spirantes religionis proferendæ; de ethnicis vero amicos veteres, & Christianis beneuolos; Longobardum & Terentium ex nostris Pechini degentes, quos in Regis adscripsit familiam, eódemque alendos commeatu sanxit, quo ante exilium fruebantur; fundendis demum fabricandísque organis locum iis, artifices, & pretia operum parauit. Fuítque diuini planè consilij quod munus tantopere expetitum differretur nobis in annum vicesimum & vltra, quo præstantes in astronomicis habebamus non paucos, & librorum ad hoc idoneam copiam, quos Trigaultius tulerat ex Europa. Præter hæc Doctores Leonem, & Paulum, experientissimos in illa omni Sinis vsitata dimensione cœlestium motuum, qua per Calendarios abacos regni vniuersi negotia omnia digeruntur. Estque peculiare per se ac proprium inuentum, à nostro alienissimum, nedum vt ab eo traductum sit, Quod missæ huc inde tabulæ testantur, nec illud ex nobis poscebatur vt transformaretur in nostros Canones, sed ex iis emacularetur, omníque in posterum errandi periculo purgaretur. [Fauebant quoque tunc operi, & Doctori Paulo potentissimi Mandarini, & amicissimi, aduersus ambitum inuidorum, quem fregit paulatim, & cunctatione non segni superaui. Licet autem bello sæuiens Tartarus, & infausta Sinis in eum prælia, & Doctoris Leonis, & P. Terentij obitus, cœpti negotij

negotij ardorem tardauerint, verum suos tenuit progressus quoad in optatum, vt post videbitur, desineret. Nunc styli compendio, exhibendum occurrit Patris Palmerij toto Regno iter ad inspiciendas pro suo munere nostrorum vbique stationes aut diuersoria; in quo vir prudens eximiè censuit quæ esset illis mandaturus, duci ex iis quæ vidisset, & re præsenti oportere. Nec fide illorum niti qui Sinas imaginarios dùm animo voluerent, multa suadebant, veris quos nunquam aspexerant Sinis obfutura. Valdè tamen habebat sollicitum qui tandem fieret vt ager ingenuus, & paratissimus ad frugem, cultura insuper, & semente annorum plus quadraginta exercitus, conuersos ad fidem non millionibus, sed parcè millibus muneraret? tùm cur ad Christum tàm pauci præ aliis transirent Literati? post ad Ecclesiæ incrementa cui bono professio, editióque naturalium doctrinarum? etsi enim multa de diuinis non erat nescius à nostris edi, cur non omnia? demum illa visendi, reuisendíque in sericis, paratúque splendido Rituum vrbicorum, cum Mandarinis officia mutua, & dona, Palmerio ægrè sapiebant. Hæc vtroque versum scrutaturus, Gonzalo Tesseiræ se dedit comitem qui ad Regem Sinarum tormenta decem muralia, & libratores eorum quatuor Macao peruehebat; nec euasit propterea ærumnas itineris, semper extraneis inuisi. A medio Decembri ad Februarium exeuntem, absolui Quanceo non potuit, partim solus ad nauigij saburram latens, durántsque illic frigidam hiemem homo annorum sexaginta; partim haud multò commodiùs cum aliquibus Lusitanis in cœnobio Bonziorum, ex quo tandem liber, Pechinum vsque omnia lustrauit, vbicumque essent Christiani, vel homines de Societate; nihílque omisit quod boni Pastoris prudentiam vigilem deceret. Quam ei diligentiam reposuit Deus animi voluptate præterquam metuerat singulari; cùm in nostris, & in Christianis, eorum excultis disciplina omnia comperit, omni sua expectatione meliora, de quibus ad Præpositum Viteleschum multas dedit Macao literas; nam occupationibus nostrorum quas suspicatus fuerat iusto leuiores; fatetur addi nihil potuisse quod absque miraculo tolerabile ipsis foret; harum specimen cepit ex anu sancta, quæ marito Giancei, ob decrepitum senium incipiente viribus & vita defici, vnum ex Patribus euocarat, qui postremis sacris consolaretur moriturum, narrabátque flens P. Visitatori accurrisse illum milliaribus bis centum viginti (quæ viarum à nobis vbique longinquitas, multò illic pluribus quam apud nos infesta periculis, quotidianus erat nostrorum labor) eius vero aduentu maritum immensa perfusum lætitia, ritéque ad mortem comparatum; dixisse, illa ipsa nocte paucas intra horas, euolaturum se in cœlum. Quærenti vnde id disceret? ex meis respondit oculis, cubiculum video, intus foríque beatis stipatum geniis, qui me præstolantur; nec miror à vobis non cerni, cum vestra causa non venerint, sed mea, vt me ad Deum deducerent. Ac de viso quidem lector sentiat vt volet; certè dicta hora bonus senex

51. Visit. nostrorum in Sinis, omnes reperit in officio &c.

placidissimè obiit. Quòd autem messe tàm auara, & Christianorum numero tàm angusto, pensaretur tantus agricolarum labor causam facile intellexit, cùm expertus agnouit cuiusmodi animal apud Sinas esset Extraneus; scripsitque, hoc solum tàm diuturno sudore si nostri promouissent, vt liceret iis in Regno Sinarum otiosè sibi, ac placidè viuere; debere in Europa videri incredibiliùs, quam si cohors Turcarum, ex hominibus conflata in occasiones omnes promptis manipulatim aut viritim, domum sibi Romæ, passimque Primariis fidei sacrosanctæ in domicilijs poneret; fana Mahometo, & populum faceret; communicaret consilia cum gentis eiusdem, legíque sociis extra Regnum, ex quo intestinæ coniurationes, & irruptiones externæ timerentur: grauiùs siquidem externos apud Sinas suspicionibus laborare, quàm Turcæ laborent apud Christianos, & ingraueſcere illas vicinia Macai, & Lusitanorum, Philippinarum prospectu exemplísque Malacæ & Indiæ, quæ suis olim subiectæ Principibus, nunc extraneis parebant. Hinc item cognouit, quanta nostros egisset necessitas ad professionem Mathematices, & Moralis, quibus eam sui fiduciam, & opinionem Doctrinæ fecerant Mandarinis, vt supercilio posito, quo legem Regni præcipuam aduersus externos seuerissimè æmulantur, eos secum habere cuperent, defenderéntque ab aduersarijs. Horum sedecim dies Pechini spectator Palmerius, & attentissimus Inspector non tenebat scilicet præ gaudio lachrimas, cernénsque regni primaria capita, ædes nostras visendi officijs frequentare; templi exitum, & ingressum, Christi Redemptoris adoratione quadruplici colere, cuius in altari extabat effigies; & aurem Patribus auidè præbere; vrbanitates has mutui honoris & additionum alternarum tanti didicit nostra interesse, quanti Mandarinos habere propitios, aut aduersos. Laudauítque in iis etiam nostrorum habitum cultiorem, quem paulo ante suspectum habuerat, vt qui excipiendis visentibus omitti absque illorum iniuria non posset, adhiberetúrque ab omnibus omninò Literatis, sed peculiariter à nostris ne quam Bonziorum speciem præferrent: nec verò decere ex nostris ritibus integrum Regnum fingi, in quo nullum censetur indigniùs venia, & iniuriosiùs facinus, leui etiam inurbanitate. Cæterum lustrandis Prouinciis tàm multa passus est Palmerius, vt sibi propiùs vitæ finem, quam itinerum instare, non rarò crederet: inspiciendis itáque vastissimis tractibus, in Prouincia Scianſienſi, Honana, & Scienſienſi, vices suas commisit Vagnonio, ipse interea capitibus tredecim, articulos digessit centum sexaginta, partim veteres, partim à se conceptos, omnes ad vsum maximè oportunos, experientia probatos annorum quadraginta quinque, & suffragio commendatos antiquorum operariorum: eò illorum spectabat summa, vt operarium Sinensem de Societate, effingeret religiosa disciplina, & Apostolico munere perfectum, in quo ad illas descendit minutias quæ in exemplar commune propositæ, nihil à se diuersum eorum arbitrio permittebant qui

qui noui quotannis Macao aduenirent. Sub hæc Inſpectoris officio decem ferè menſibus perfunctus, Octobri medio applicuit Macaum anno 1629. vbi Cocincinæ difficiliora negotia eius aduentum operiebantur, quæ parum lætam nobis materiam ſuggerent. Erat illic eorum qui primi Chriſtum profeſſi fuerant, obſeruatio euidentiſſima, ex quo illuc Patres Chriſtianiſmum induxerant, qui nunc magnis florebat incrementis, refloruiſſe pariter ethnicorum aduerſus idola cultus ſacrilegos; antea vix templis maioribus, deſperatiſque rebus in opem vocata; nunc ægrè arborem, aut ſaxi cauum Dei alicuius ſigillo carere; quæ loculamentis manu ruſtica inciſis bubalorum Paſtores inſererent; adirent, inuocarent, proſtratis humi corporibus adorarent. Iam ſpectra dæmonum, iam fœda cum iis familiaritas, reſponſa, præſtigiæ, occupationes corporum & ſimilia olim crebra, nunc prope continua, mitis modis infelices terrere, ludere, lacerare; prouiſione prorſus diabolica contra Deum incipientem Regnum illud ex inferorum tyrannide in libertatem aſſerere. Quantis enim acceſſionibus fidelium numerus à pauciſſimis operis augeretur, inditio ſit Ranrana Prouinciarum ad meridiem prima, vbi diebus non plus quadraginta Sacerdos noſter Pulocambi miſſus, ita Chriſtianos in propoſito fidei ſtabiliuit, ethnicos baptiſmo luſtrauit tàm multos, vt Bonzius tantùm non antea pro Deo habitus, à ſuis deſertus, cogeretur victum opificio quærere. Concertatiuncula de Religione, quam mouit Baubone in Prouincia Canghia, Manuël Catechiſta, & cui aderat Pater coram Magiſtratu, & populo, horis duabus ethnici pluſquam ſexaginta ad Chriſtianos acceſſere partiſque aliundè adiuncti lucris, numerum confecêre octingentorum, & vndecim. Sinoæ cum Rege agens Buzomius, Primates quadraginta Eccleſiæ adiunxit, ingentes ſecum tracturos familias, & fundaturos in ea Metropoli Chriſtianitatem, ex nobilitate conflatam regij ſanguinis & Literatorum. Illis enim primis iam Cathecumenis, dùm erudirentur, applicabant ſe alij, nec honorum gradu nec meritis impares, parabántque ſe ad Chriſtianiſmum, amouenda paulatim à ſe materia ſcelerum, quæ ipſi perperam neceſſitate vel conſuetudine excuſant; Chriſtiani candoris integritas non poteſt admittere: ibidem Princeps illa fratris Regis mater, ſex alios filios ſacro fonti dedit, inter quos Virgo annum agens nondum viceſimum, cuius celſitas mentis, parenti Mariæ ſimillima, ſperabatur fore, nomini Chriſtiano maximè glorioſa. Ipſum Regis fratrem Chriſtianiſmi pungebat ardor, ſed Regis odia verebatur, quem vna quæſtuum ratio Luſitanis, & Patribus fingebat beneuolum. Neophytorum porrò eiuſmodi erat toto regno virtus, vt arbitrarentur Patres, fuiſſe vel decuplatis laboribus emendam; eorum aſpectu Chriſtianos ab Europa mercatores, pudebat vacui nominis, cuius vim, & exemplum in Neophytis mirabantur. Onerarias duas Luſitani ad oram Ranranæ Prouinciæ fregerant, enatarant vita incolumi vectores, ſed lege barbara tùm ipſos, tùm co-

52. Chriſtianiſmus in Cocin. miraculis, & virtutibus floret.

rum rem omnem, reiectamento maris & fortunæ dono Rex suo pro iure inuadebat. (Quod erat etiam in Iaponia, rapinæ legitimum) sed oræ illius Christiani, sprera legis inhumanitate accurrere, dolere vicem naufragorum, velut quisque in illis parentem haberet, aut filium; certatim illos sibi diuidere, domo colligere, & necessariis iuuare, tametsi ferè viles, & de turba nautica egenos, quibus illi sanctæ charitatis tàm illustribus notis, malorum obliti gaudebant propemodum tanti fuisse suum naufragium, præsertim cum suis oculis feminas cernerent, itinere bidui orizam sibi afferentes, quantum poterat vnaquæque capite sustinere. Tàm liberali pietate refecti Lusitani, abire maturabant ne piis hospitibus periculum impiè crearent quibus veritum lege didicerant, naufragos tecto colligere. Neophyti contra negare constanter, prætermissuros se partem vllam occasionis propitiæ quàm vltrò illis Deus obiecerat vt se profiterentur Christianos, etsi foret hoc ipsis sanguine luendum: naui denique appulsa quæ naufragos reueheret Macaum, viaticum illis, & quidem gratuitum, sedulitate ingenua certatim denuò intulere. Hosce profectò Rantanenses aurum illud nascentis Ecclesiæ ornabat magnificè, quod Fideles omnes in cor vnum & animam vnam mutuo amore coagmentauerat; sed vbi agitur de prærogatiua virtutis inter Ecclesias Cocincinæ, dici verè id potest eximium aliquid singulas habuisse; & hoc ipsum fuisse omnibus commune, vt sua in aliqua peculiari dote omnes excellerent. Illud satis nouum, in morem transierat, vt acerba sui verberatione ægrotorum salutem à Deo poscerent, idque in ipsa ægrotantis domo: quos autem conatus adhiberent in conuersionem ethnicorum, breuitati condono, si vnum retulero. Quartum iam annum Antonius quidam, suis in Prouincia Rantana paganis Christum suaserat, raro auditore, nemine persuaso; pergebat tamen haud segniter, tacito sensu animatus, eò sibi laborum venturos fructus dulciores, quò differebantur morosiùs. Qua planè spe sua abundè potitus est: Pagi Primores hominem adeunt, & fictè an verè, aut molestum exosi monitorem, spondent fore se dicto audientes, si quis Patrum illuc aduenians, eadem sibi confirmasset. Aliquantò post illis Antonius de Patre nuntians proximè adfuturo, adeò frigidè oscitantérque ab iis excipitur, vt promissa obliti viderentur. Hic ille ad pedes Deiparæ quàm impensè colebat prouolutus ardentissimè ab ea multisque lachrimis contendit vt dilectissimi filij aspectus beneficos aduerteret in gentis illius cæcam duritiem, id illi esse perfacile, se verò imparibus tantæ gratiæ exorandæ quas dabat lacrimis, multò plus sanguinis daturum, totidem suimet cruentas verberationes data fide promisit, quot suo ex pago fierent Christiani. Mitares, paucas intra horas adest Pater, concurritur velut ad maximè optatum; auditur & crebrò, & semper attentiùs; perendi baptismi facit initium qui erat ab eo maximè omnium alienus, Antonij frater, quinquaginta Dux equitum, bello, & pace bonus. Pagi arbiter, & caput senex

senex hunc secutus, ab ethnica vxore pænè euersus est, cum esset postridie baptismo lustrandus, sed resumpto mox animo, vocatáque in auxilium Dei Matre, tantos sibi sensit infundi spiritus, non modo iis vt stabiliretur in tenacitate propositi, verum & coniugem, à cultu reuulsam idolorum, doni secum eiusdem sociam faceret. Inde octoginta qui erant in pago præcipui sacro fonte sunt tincti. Fueruntque prima hæc Antonij nomina, quæ cœpit alacer afflictationibus promissis exsoluere. Secuti sunt enim alij complures, Christianæ legis efficacia expugnati, quàm in sanandis illic per Christianum hominem plebeium morbis cernebant præpotentem; eáque paucis aquæ lustricæ guttis, & crucis signo prodigia edere, quæ suis omnibus cum diis, & cantibus Bonziorum turba nisu irrito tentaret. Quod passim vbique obseruatum (erat enim suus cuilibet Christianorum cœtui, diuinus Medicus, *curationum gratia* præditus) fastum depressit ethnicorum, quibus præsto erant ad auguria diuinationes, maleficia, & præstigias, Magi & dæmones; sed enerues & cassis artibus, si quis præsens adesset Christianus: quin & venefica eorum ligamenta extricabant, dissoluebántque Christiani. Basilius quidam Pulocambi Christianorum caput, mira potestate pellebat dæmones ex arreptitiis, appensa tantùm collo eorum cruce, sacrisque in ea reliquiis. Extat Thomæ cuiusdam in Ranranensibus Christianis, virtute Primarij, ad Patres epistola, qua se ethnicos triginta, baptismo paratos significat, morbis prius sanatis quibus tenebantur aquæ lustricæ sorbillo, verum, inquit, non ante, quàm sanctè promitterent se fore Christianos, & adhæsuros firmiter vero Deo, sanationis quam cuperent auctori, quam ille beneficentiam, ne bubalis quidem denegabat, ex quibus pauperum pendebat victus, quòd iis eadem, vt hominibus curandis necessaria vis esset; quam contestabatur semper, non suam sed diuinam; eosdémque cieret in hominum animis diuinitatis sensus. Visis denique superum, & rerum cœlestium mirabilibus & crebris confirmabantur maiorem in modum Neophyti; at singulariter pagum Ranranæ Prouinciæ affecit puer, horis post mortem quatuor, in vitam excitatus piorum parentum precibus, & merito in Christi fidem minimè vulgari.

Florebat numero, & sanctimonia Christianitas Cocincinæ, beneficio tranquillæ pacis cum anno cadente huius æui vicesimo septimo, cœpit & ipsa defluere. Duobus potissimum annuatim diebus, Neophytorum pietatem instaurabant Patres, nascenti videlicet, & morienti Christo sacris. Ad eos Christiani diuturno vsu, & strenuo sanctorum operum comparabant sese, pro conditione mysterij quod venerabantur. Diem Parasceues Christo dicatum patienti, gemitu, lachrimis, Crucifixi adoratione, precationibus, & multo sanguine colebant à senibus iuxta & pueris, vltrò seipsos cædentibus expresso, ac vt effrænes quoque petulantésque lætitias ethnicorum certis diebus bacchantium, exempli censura perstringerent; diem Christi natalem, pastoritio cantu, donis &

dramatis ad eius præsepè, celebrabant, ea populi expectatione, vt dierum sex pedestri, frigidissimóque itinere concursus fieret ad scenam illam teneræ pietatis, simul ad Christi Sacramenta. Verum enim vero Cacianenses Christiani, maius aliquid audendum rati, nocturna hic lumina, symphoniam musicam, ignium iacula, explosiones catapultarias maiore strepitu, quàm pietate addidere, quibus Mandarini sopitum diu contra nos odium exarsit, templi enim nostri vicinia, templum eius superbum cultore vacuarat, solúmque in eo se iactabat idolum. Scitanti verò causam, tumultuosæ præter morem gratulationis insusurrauit in aurem dæmonium aliquod, Christianorum triumphum esse qui Deo suo gratularentur victoriam de subacto ipsius idolo. Absque mora igitur custodes corporis & multos, & pariter ethnicos, in eos immittit, vlturos omni barbarie & sacrilegio, idoli sui iniuriam; quod etsi præter ius sibi arrogabat, satellites nactus est obsequentes. Nox erat post mediam, & sacro iam alteri dabatur opera, Christianis venerabundo silentio, & tacito fletu teneritatem mysterij iucundè fugentibus, cùm auditur foris sonus inconditus, conuitia in Christianorum Deum sacrilega, & iuncta multorum ad terrorem vociferatio, strictis gladiis in templum irrumpunt, & illam impressionis formidolosæ pompam omnem in diripiendis collo sacris reliquiarum thecis, precatoriis coronis, & crucibus effundunt: post in detrahendis Christianorum tergo indignè vestibus, quas pro celebritate diei pretiosissimas, pro tempestate perfrigidâ, singuli, vt solent, plurimas induti venerant; iis spoliis diuites, & ea impudentia saturi discedunt, multum sibi de suo sacrilegio applaudentes. Die postero Præfectus vrbis re cognita Mandarinum obiurgat vsurpatæ contra fas potestatis; si quid erat peccatum alacritate superuacanea inter Christianos, id suæ fuisse iurisdictionis. Quid porrò id esse potuerat tanta dignum vindicta? eius nempe somnum catapultæ strepitu rupisse? nam effusa gestire lætitia cùm per leges omnibus liceret, cur non etiam Christianis? adiecit his aliquam ex aula minarum speciem quas à se falsa criminatione depulsorus, Regem præceps contendit occupare, illius animum per se suosque tot calumniis dementat, & sic infatuat, vt in Christianos, nec auditos, sed neque vocatos, accusationis quin etiam ignaros, barbarè, iniuriosèque decerneret. Vltus seipsum pro animi rabie, suique securus Mandarinus Cacianum se refert. Secuta est perfidum promulgatio iniquissimi Decreti. *Seniores cuiusuis toto Regno vniuersitatis, Christianos palam Christum profitentes, inquirunto, claudunto carcere, puniunto: hoc si timidius aut negligentius præstabunt à Mandarinis, ipsimet castigantor.* Qua edictione, non damnabatur Christi fides, sed qui eam ausi essent amplecti: quo factum vt hoc anno seculi vigesimo octauo, vltra quadringentos ad sacrum fontem non venerint. Nec item dudum Christiani, vrgebantur ad religionem eiurandam; sed iis dumtaxat eius insignia vetabantur, cœtus publici, festorum solennitas, notatæ crucibus domorum fores, & istiusmodi cœtera.

55. Rex Concin. cõtra Christ. decernit.

cætera, quæ pro genio Ministrorum, truciùs lentiùs sunt administrata. Pagis quibusdam Christiani re sua paupere profana & sacra spoliati; robustiores quidam probra, & carcerem, & familiarum clades, perpessi sunt fortiter, cessêre ignaui, & timidi satellitum minis, territantium eò ferociùs, quò præter minas nihil poterant. In iis quorum inuictum animum, periculi grauitas præstantiùs commendauit, merito ille memoratur, nunquam satis laudatus Scia Bin Paulus. Quærebant inter se solenni consessu Mandarini, Rege malè affecto aduersus legem Christianam, quid consilij capere, quas ire in partes oporteret. De quo surgens Paulus ita perorauit, vt ex dicentis ardore, ac prudentia, minimè dubitasses ita perorauit, vt ex dicentis ardore, ac prudentia, minimè dubitarent pugnare illum pro causa veri Dei, & assentirentur plærique suadenti: vni tamen præ aliis idololatræ obstinatissimo sic bilem mouit, vt cessantem dicere carperet, exprobrarétque illi quàm inurbanè tàm impiè, macrorem stipendij quo cœli Domino militabat; potuisse illum si ethnicus pergeret inter Mandarinos gradum assequi sublimem; nunc verò Christianum; Scian iacere inglorium, & in classe illorum infima obscurum. Cui Paulus illicò, Malo inquit, Scia, & Christianus esse, imò & solùm Christianus, quàm Rex, & idolorum seruus. Cœterùm elapsis aliquot diebus Mandarino illi Deus censuram sacrilegam, amissione gradus quam erat commeritus rependit; Paulo Christianam generositatem Mandarini honore quem Cauche nominant, hoc est Literatorum caput. Redibat ille tunc è legatione, quam ad Regem Siani prosperè sanctéque obierat; nam è sua triremi vectores duodecim hortatu suo ad Christum traductos, ita erudiuit, vt eos Siani Patribus traderet baptizandos. Accepto ab aula nuncio collatæ sibi dignitatis, ritu illam statuit inire, quo præ suo, nomen Dei veri splenderet illustriùs. Vix habet aliud Cocincina maius, explicatione diplomatis Regij quo nouus creatur Mandarinus. Vocantur ad eam Literati, & nobiles conueniúntque ad aliquot millia, suis omnes spectandi Magistratuum notis, & officiorum, omnique magnificentiæ ostentatione; excipiuntur theatris vel capaci aula, vbi prisco ex vsu, musicorum chori, laudes Principum quatuor decantant Regis Sinarum antiquissimi filiorum; quos pro Semideis Regni fabula venditat. Profertur in medium diploma, & velut empyreo missum, colitur omnium veneratione; euoluitur denique, legitúrque contenta, & clara, sed lenta recitatione, magno auditorum quasi ad sacra silentio. Succedit musicorum scena, triplo quam ante sonantior, & maior, Regisque tunc sceptro potentis diuina decora cantu, & carmine, vel narrat, vel diuinat. Sequuntur Diis Eucharistica; tùm gratulatio singulorum nouo Mandarino vetustis ritibus, exquisitis verborum nouisque formulis exhibenda, reponendáque ab illo singulis mendaciorum ciuilium mutua venustate. Paulus tantùm abest vt de pompæ huius apparatu detractatum voluerit; auxit quin imò illius magnificentiam, sed quicquid illi profanum inerat in sacrum conuertit. Aulam pretioso vestitam petasmate, altari medio consecrauit; altaris ornatus

14. Creatio Mandar. in Cocincin. magnifica.

55. Mandarinatus noui pompa Christiana.

ornatus elegantia superbus; sublimis in eo imago Deiparæ, sub elaboratissimo conopæo, accensa circum funalia; odorum largus, & suauissimus suffitus. Ingressi locum Mandarini, mirari omnia, sed præ omnibus tabulam, nouitate arcana mysterij, & artis opere spectandam; hinc Paulus orditi quod meditatus animo fuerat; quæ Virgo hæc esset exponere? quod eius archetypum? quis infans papillis affixus Virginis, & Matris nihilominus intactæ. Postea illato de Veri Dei notitia sermone, de rebus æternis, immortalitate beata & misera, necessitate, modóque humani generis redempti, sic illam commouit multitudinem virorum grauium, nemo vt fuerit quin imitatus præeuntem prouolueretur infanti Christo in genua eiúsque Matri sanctissimæ, & in redemptione illa partem sibi ab iis flagitaret, tùm quater humili corporis proclinatione, fronte humum tangens vtrumque adoraret. In perlegendo autem Regis diplomate, & suspiciendo Mandarini gradu, nihil nisi aut sanctè aut ciuiliter inductum; de Semideis Sinarum nec vocem nec spiritum misit, septuaginta musicorum conducta symphonia; cantus omnes in poësim de moribus figurati, & inuitamentis ad virtutes; Regis quidem laudes nefas erat omitti, sed eæ iustis Veri, rectique finibus descriptæ: intercalaris metri distinguendis cantibus repetiti hæc fuit sententia; Cœli Domino laus, cuius hodie munere Mandarinus Cauche, Bin creatur. Cauche dignitatis est collatæ titulus; Bin familiæ Pauli gentile cognomentum. Persolutis Paulus verbanitatum morosarum ritualibus officiis ad Patres adit, & vultus quem in iis ægrè tenuerat posito sereno laxat animum dolori; miserum se cum lachrimis vocat, vt quem nouo laqueo ab Rege irretitum, grati animi ratio, eius obsequiis arctiùs obligaret, cùm è contrario sibi æquè in votis nihil esset, quàm vt etiam Sciæ qualicumque abiecta dignitate, priuatus cum Patribus Deo tantùm, & sibi viueret. Ignorabat nimirum quantum sibi bonorum noui honoris occasio, esset paritura, cùm postea illum Christianismi illustrem reum, Mandarinatu Rex deiecit, publica, vt infra narrabitur, dehonestatum verberatione. Nunc illo eiúsque similium auctoritate fisi Christiani, edicto Regio non magnoperè terreri, sed palam vt ante impunè conspici, fruique parte non minima pristinæ libertatis; quam iis paulò post multum auxit aduentus onerariæ Macaensis. Lusitanorum siquidem oratorem, comitati ad Regem Patres duo illius mansionis, benignè ab eo sunt habiti, & ampla donati facultat Caciani publicè habitandi, cui Matre defuncti Principis Regina suggerente, accessit potestas Patribus vbicumque vellent toto regno degendi. Sed horum numerum ad paucos redegerat Buzomij auaritas, cuius illum Palmerius arguit, quòd ea quæ sibi ardenter, & frustra postulabat, largiùs aliis donaret; nempe illum vrebat Iaponiensis Ecclesiæ sanguinaria ruina, exemplis fortibus cum verbis non posset, sustentanda. Duos ergo illuc natione Iapones, Europæos tres misit, in quibus Maiorica Italus vir Apostolici pectoris,

56. Iaponiam Christ. supplitiis ardentem noui operarij petunt.

&

& sermonis pridem Annamitici expeditissimus; paratam iis suo sumptu nauim Nauclero tradidit, quem ad oras Ranranas fecisse naufragium vidimus. Inter lachrimas diuersas mutuæ salutationis, dolebat Buzomius mandato iubentium Cocincina se claudi, arceríque ab sorte cum iis capessenda; gaudebant isti quod hebdomadum trium velificatione se crederent, Iaponiæ oris, & vnâ carnificum manibus sistendos. Sed hæc vota illorum egregia Deus aliò destinabat. Multum maris emensi, vento insuperabili reflante Macaum compelluntur, vbi breui deinde ex iis duo obière P. Baldinotius annos natus septem, & triginta; vndeuiginti in Societate; & P. Machi Michaël Iaponius, homo virtutis exercitæ, & operarius infracti laboris; Cocincinæ reliquos & Tunchino Palmerius reddidit, abundè vtique perpessionibus quas tantum deperibant explendos, Christiana re vtrobique, sed in Cocincina calamitosiùs afflicta; quæ clades proximo anno motæ, duodetricesimo etuperunt desierúntque tandem in Patrum exilia, & stragem illius Ecclesiæ. Primùm anni pertinax serenum, negatis eluuionibus, quibus humus pingueſcit vt Ægyptus Nilo, sterilitatem agris, famem populis invexit; herbæ si quid vsquam surgeret, locustæ vorabant; quas suis quibusdam carminibus idolorum cultores frustra depellere tentarant; Paulus Mandarinus tribus vastissimis ex campis eiecit quos depascebantur infestiùs; inuitatus enim à Præfecto vrbis vt suum ad hoc cœli Dominum inuocaret, tres aras in iis statuit; orauit aliquamdiu de genibus ad sacram imaginem, solum aqua lustrali modica insperſit, & Dei nomine, cuius essent flagellum, imperauit locustis aliò migrarent. Priore igitur ex campo ventus secum correptas abstulit; ex secundo in syluam se vltrò abdidere; ex tertio, mari se mersere; ter iis in locis concionatus de Deo Paulus, nonnullos ad Christum conuertit. Prouinciam Sinoam pestis huius pars minima tetigit; sed icta est longè grauiori contagiosæ luis plaga, venæni tam exitialis, vt ex pagi vnius trecentis hominibus duos solùm in viuis reliquerit; ex alio non ita frequenti, vnum hominem, & vnum canem. Tantarum simul tot cladium causam scientiores, & minus impij, facilè censebant defectione Solis quæ antecesserat, fuisse cœlo, & terris impressam; diis plærique omnes tribuebant, peregrini Dei honore offensis, quem sacris patriis desertis consectarentur vniuersi. Fame itaque rabiem stimulante horum fontem malorum Patres exsecrati, obruere Regem supplicibus literis, & flagitare illorum exilium, vt qui essent Regni exitium, & Deorum iram à populo, secum amoturi. Erant hæc fermè de Bonziorum incude tela; quibus dum populus exprobrat inanitatem sacrificiorum, ad tenue saltem calamitatis publicæ leuamentum; retorquebant in nostros hanc impotentiam; dum in regno hærerent, Deos quibus stragem Patres indixerant nullis placaminibus mitigandos; non esse id meriti apud Deos, precúmque negotium, sed Edicti Regij, & Proscriptionis; hanc omnes modis omnibus vrgebant; Rex trahebat in dies, ne

57. Locustæ, sic sterilitas soli Christ. tribuuntur.

78. Fœdi fraudis Regi & suis Lusitanus causa persec. Cocincin.

Patrum exilio, onerariam Macaensem cum speratis ex ea lucris ingentibus à se auerteret. Persuasum habebat, Lusitanis religione nihil esse chariùs, spectari hanc ab iis vnicè, frequentari eorum commeciis suos portus, ob hoc potissimum, quod libera fieret Patribus potestas eius suadendæ, in quo ille haud paulò digniùs de Christianis sentiebat, quàm ipsi studerent promereri. Fuitque illa Cocincinensium etiam ethnicorum, certissima existimatio, fractam sibi à Christianis fidem, fidei Christianæ oppressione vlcisci voluisse; alicqui minimè facturum si promissus quotannis onerariæ appulsus, expectationem iure firmatam, non lusisset. Ac soluit quidem Macao, nauis fœdifraga Cocincinam versus, nec Patres pepercerant necessariis sumptibus ad eam instruendam, quòd tanti cernerent interesse Religioni dilatandæ. At enim is quicumque fuerit, nauis Præses sceleratissimus, vt è portus oculis recessit, vertit mox in Philippinas cursum, haud aliis (quos fingunt nonnulli ad dissipandam perfidiæ infamiam) transuersus flatibus quàm auaritiæ, illic vt sibi somniarat ingurgitandæ profusiùs, quàm in Cocincina. Verum miser ad Philippinarum vadosa nauim fregit, saluisque omnibus aliis, solus interiit, abominatam sui memoriam relinquens Machao ingenti pecunia fraudatæ, & Cocincinensi Christianitati, cupiditate eius sacrilega tantumnon perditæ. Rex enim collapsis prorsus Eteſiis, qui nauis adfuturæ spem semper aliquam sustinebant, lusum se credidit; dolentis indignationem Iapones, & Sinæ Faifun incolentes vehementiùs proritarunt, questi nauem sibi cum Giacatræ Batauis communem, ab Lusitanis captam in mari Cocincinæ; Iaponum Præfectus Faifumi, eorum querelas nouis contra eosdem Lusitanos criminationibus incendit; quas nihil attinet referre. His causis aduertens Chiamlicam, Maximus Bonziorum, & fisci cognitor, res nostras in præceps vergere, accurrit vt ruinam impelleret; linguam mille nummis emisse dicitur Mandarini Præsidis Externorum, & Regi perfamiliaris, qui eius in Patres & Lusitanos mentem intimè notarat, eumque vno lucri studio amare, vel odisse. Quare instituit suadere Batauorum commercia fore illi quæstuosiora, quàm Lusitanorum, mercaturam facturos, præterea nihil: flocci eos habere quem Deum quis coleret; qua lege viueret; Patres tantùm abesse vt secum veherent, quin illos potius hostilibus odiis insectari. Vna ex commerciis Batauorum reditura in regnum lucra, iis purgata tumultibus quæ Christiana lex & Patres semper circumferrent. Mandarini consilium, sua Regi probauit cupiditas; decernit Patrum exilium; Legatos Giacatran destinat, qui de nauium trium commercio pacisicerentur cum Batauis: etsi hoc postea euentu caruerit.

Nondum hic annus 1629. in finem inclinarat, & Patres Caciani priuata consuetudine, quando publicè non licebat, ducentos septuaginta quinque Christo pepererant; Pulocambi octoginta supra quadringentos, in extremis Prouinciæ Rantanæ trecentos viginti, quos inter

inter magni vir nominis, qui defuncto Præfecto fuerat à secretis, & cum eo centum & viginti ex eius familia ; paulóque post reliquum oppidum. Dùm verò tacitè, restituunt sese in primam egendi libertatem, quam superiori anno Rex iis abstulerat ; en tibi Augusti decimo Proscriptionis nostræ ab Rege baiulus, Sinoa Cacianum missus, haud quidem vt debuit ad vrbis Præfectum quem norat affabilitate, & prudentia insignem ; sed lectum barbaræ executioni Mandarinum, hominem barbarum, & intractabilem, minisque præterea territum Regis gratia, Magistratu, & opibus in perpetuum excidendi, si quid indulgentiùs nobiscum, aut lentiùs ageret, velut esset timendum ne dissimulanter in exilium nostrum incumberet, vir Christo, & nobis palam inimicus. Rem nihilominus magno silentio, sextiduum distulit, Patres qui pagos incertis sedibus excolebant, si Cacianum rediissent, præsentibus iuncturus. Verum sua falsus expectatione, pro tribunali qui aderant citat Sacerdotes duos, totidem adiutores ; Exilium iis ab Rege indicit, salua, inquit, venia, præbendæ in nauibus operæ, cum huc Lusitani Macao commeabunt ; nam de stabili mansione intra Cocincinam iterum figenda, ne tanto quidem auro quantus est ille mons (quem manu monstrabat) Regem permissurum. Regno enim, aiebat, pietas in parentes auro quouis pretiosior est, hanc vos subruitis, dum illos vetatis adorari. Ad hæc populi odia in Deos accenditis, qui propterea siccitate anni, pestilentia & fame, quæ commeriti estis, in nobis plectunt. Quid porrò illud est luctuosorum solennium (sanctiorem notabat hebdomadam) quibus vestros sequaces inducitis ad dilacerandas sibi carnes vltronea verberatione? belluina hæc est, demensque pietas, & liquet profectò, cruore nostro iucundè vos pasci ; At hoc verum, an falsum ; barbarum est ; quales planè non sumus ; ac si vos rituum nostrorum cultus politior sic offendit, vt ne inter nos quidem sustineatis illo vti ; vobis æquum scilicet videtur, vt vestros ab vltimis terrarum finibus peregrinos, atque adeò absurdos, & portentosos perferamus? Sed hic cœlo fauente illorum finis esto. Quibus dictis, responsum discessu elisit ; & Patres vilibus famulis, militum specie armatis reliquit, Faifum ad littus sitam, deducendos ; quo ne data quidem ad petendum domo, sacrum breuiarium morula, sunt perducti, ignominioso certè, & ad omnem linguarum iniuriam probroso itinere, sed telis satellitum à grauiori aliqua sæuitia tuto. Dum hæc geruntur Caciani, Pulocambim peruenit Mandarini Scriba, idemque Patribus illic agentibus indixit exilium ; monitis vt se militibus quos secum habebat in custodiam darent. Cum illo Faifum ægrè attigerant, statimque ruinoso angusta in insula clauduntur tugurio, quà erat breuissimus traiectus in naues Macaum discessuras, & circum armatæ ponuntur excubiæ, quæ illos egressu prohiberent, accessu Christianos. Et iam Buzomium eiusque tres socios imposuerant nauigio, tàm importuna festinatione, vt ventis licet qui Macaum ferunt emortuis, nauigium tamen inuito mari eò impule-

59. Nostrorum è Cocincina exilium.

rint; sed reflans aquilo breui retrò id egit, & se reflanti permittens Buzomius consilium iniit, Ciampam adeundi, vt quod dudum versabat animo, Euangelij lucem ei Regno inferret. Qui Pulocambi aduenerant Gaspar Luisius, Antonius Fontes, & F. Michaël Ribero, in confiniis Ciampæ & Cocincinæ à custodibus sunt dimissi, & Ranranæ Prouinciæ desertam oram dissimulato habitu captarunt, vnde extra frequentiam populi, opis aliquid nauarent Christianis. Præter hos tamen, Mandarini obstinatissimam inquisitionem duo fefellêre, P. Manuël Fernandes, & P. Machida Matthias Iaponius, qui in Cocincinæ interioribus constanter mansêre. Ac Fernandes quidem mutandis quotidiè ædibus; Matthias Iapo nauium latebris, sic improbam hominis diligentiam fatigarunt, vt desperata indagatione, quærendo absisteret; hic suos inter Iapones Faifi hæreret; partiti se in alternas vices cogeretur Fernandes, & menses aliquot Caitlano, Caciano totidem commodare, etsi alioqui vrbs vtraque totum sibi certaret asserere. Piéque illud adnotatum, fuisse maximè pauperes in deferendo illi hospitio maximè generosos, inter hæc templa quæ Pulocambi, & Caciani ædificarat Buzomius, sanè pulchra, quæ item Faifi, Turone, multisque circum habebamus pagis, subruta funditus, & deleta.

Qui ora, vt diximus, Ranranæ Prouinciæ deserta abdiderant sese, Luisius, Pontes, & F. Riberus, Catechistas sex eum aliquot famulis habebant, & solitario secessu quærebant se tegere in quo adeuntibus Christianis sua opera præsto essent, illoque inde, nostu saltem, assimulati Iaponios, in Pagis adirent; ne si minus cautè in exploratorum subirent oculos, hospitibus suis periculum; sibi nouam crearent exilij causam. Quid autem iis factum idcirco memoro, vt constet longinqua inspicientibus tanquam vernacula, & in propinquo sita, pars quantula sit Apostolici munetis, institutio ethnicorum, præ assiduis mari terráque periculis & ærumnis quæ operarios verè gratuitos exercent, accinctos perpetuò, ad ponendam vitam in procuratione salutis alienæ. Tres ergo quos ante nominaui, locorum imperiti, ea sibi legêre in iis latibula quæ essent omnium pessima, dùm putant fore tutissima; syluosam vallem, & clausam montibus; latrociniis, eluuionibus, & pestilenti auræ obnoxiam ex paludosis expiranti. casam illic seu magis pergulam alacri opere ex ramalibus contexunt; partem eius sacello; partem seiungunt habitationi; dies in illa decem integros egerant cum febri omnes dempto vno maligna sternuntur, qui semiægrotus vstulabat raptim iacentibus orizam, (idoneum scilicet leuando fastidio cibum) quod consistere in pedes tamdiu nequiret dum posset elixam porrigere; præter alimenti penuriam & famem nulla sunt vsi medicina. His ita miserè depositis, adest fortuitus, & alia omnia cogitans Nauclerus, Christianus & Petrus nomine qui Pulouarellam haud multum iis latebris dissitam Buzomium vexerat, & in Pulocambi vxorem, & liberos habebat; sed calamitate Patrum motus,

&

& omnium suique adeò & quam subibat aleæ oblitus, totum se ad eos iuuandos deuouit, & contulit, cuius meriti præmium præter illud in cœlis æternum, id assecutus est, vt sua incolumi, seruaret Patrum vitam. Quanquam is suæ adeò non parcebat, vt corrogaturus solatij aliquid Ribero in extremis agenti, collo tenus per aquas, & limosa erraret, quibus fundum negantibus ne tandem mergeretur, euaderet altiùs in montes, sed tigribus infestos. Hæc de illo scripsêre ipsi Patres & illum quin etiam sic domo à furibus expilata, vt orizæ granum vxori, & filiis, in illa regionis totius communi fame, reliquum non feciſſent, duraſſe nihilominus in ministerio constantem; qui dùm vltro citroque oberrat, Patrum miseriam Christianis quibusdam exposuit, & accurrere ij quidem ad auxilium aliquod, sed omnes grauiter ægrotarunt aquarum vitio potandarum, & peruadendarum; nudis enim per illas, iter ad Patres erat. Ibat in longum morbus, & iacebant in illo tugurio defecti viribus ægroti nouem, nisi quòd Luisius quem febris mitiùs vexarat, incipiebat consistere, parque iam erat vitandæ cladi quæ multo acerbior socios excepit. Dies erat Nouembris decimus; nox nondum media, cum post streperum aliquid; tugurij sui parietem, seu sepem potiùs pandi vident, multis exterius facibus repentino fulgore, insomnes ægrotos terrentibus. Pandebant illum haudquaquam ex triuio, aut sylua prædones; cum eorum vnus Patrem haberet Mandarinum, supremum in Prouincia Ranrana capitalium cognitorem, eos ad hoc latrocinium agebat thesauri opinio quem solitudine vallis inacceſſæ occultari tantisper à Patribus philosophabantur, quoad secum liceret illum asportare. Primi apertum ingressi tugurium, strictis gladiis rem gerunt, alij nodosis fustibus; cædunt, vulnerant, contundunt, ferocitate promiscua stupefaciendi, si quis aduersaretur prædaturis; sed cum se terra erigeret nemo, ægrè omnes spirarent, similiores mortuis quàm viuis; cædendo absistunt, quicquid venit in manus colligunt, erat autem id, præter crucifixum ex ebore, & supellectilem altaris, tàm vile ac nihili, vt multis cæsim plagis sciscitarentur ex famulis thesauri locum, quem vbi demùm intelligunt nusquam esse, conuolutis in fascem quæcumque rapuerant discedunt, ne relictis quidem seruorum vestibus. Multum de cœtero precatoriis coronis, reliquiarum thecis, & crucibus, sibi gratulantes, quæ post diligentius inspecta, passim proiecerunt, quòd præter speciem venustatis, lucri sibi nihil essent allatura. Ad primum funalium lumen, diuinans Luisius quod erat, humi se illic affixerat, quò nunquam prædones, oculos aduerterunt. Alij duo vulneribus laceri, præsertim Riberus multo suo natantes in sanguine relicti; ex Catechistis, & famulis, occisi tres, mortem ægrè cœteri vitarunt. Redux qui tunc abfuerat Nauclerus, cruento cadauerum, & sauciorum spectaculo cohorresci, multóque se fletu conficiens ob immanitatem facinoris, & remediorum inopiam; excurrit tamen in vicina, vnde secum adducit Sinam

quendam pauperculum hominem, sed vltra quam soleat natura idololatris impertiri, misericordia diuitem. Hic se statim ad opem accingere, adstare saucijs, vulnera alligare, accelerare quicquid poterat, quod licet exiguum, erat tamen iis mali angustiis, aut magnum, aut ferendum, etsi halitus & squaloris graueolentia vix esset ægrotis morbo ipso tolerabilior. Petrus interrea latrocinium funestum Præfecto nunciat, & Ranranensibus Christianis; cunctantur hi dies aliquot vt in ancipiti, & malè tuta re; ille mox in reos ex iure decernit pro sua in Patres beneuolentia, quos Buzomij causa plurimùm diligebat, Buzomij autem cui amplam fecerat proseminandi Christi facultatem, improuiso exilio & doluit grauiter, & illac in Ciampam traiecturum, Poluarellæ per nuntium adiit, & stipe liberali iuuit; Patribus verò per familiares dolorem testatus crudelissimæ quam passi fuerant latronæ, receptum in vrbem obtulit, vt commodiùs in ea curarentur; quod officium in exules, & Rege inuito intra regnum etiam resides, humanitatis fuit plusquam singularis. Illos interim dum expectat, de atrocitate causæ cognoscit non dissimulanter; inditia sceleris perspicua, vt certò deprehendit, captos, tortos, confitentes reos pro tribunali damnat; capitis quidem duos tantùm; reliquos pro sua placabilitate, & quod eos nulla oneraret aduersa pars, leuiter cæsos, circumferendo addicit iugo, quo nempè illic ad ignominiam reorum colla stringi solent: Christiani Ranrano tandem conueniunt ad exportandos è funestis locis in vrbem socios; quaterni singulos gestabant reti, & vectibus suspensos; ac robusti licet, in stadia vices oneris alternare recenti quaternario cogebantur, ob ascensus viarum asperos studiosè captos, ne cæcis aquarum lacunis sorberentur. Inter quæ miseri, & portantium succussu, & crudorum adhuc dolore vulnerum, mortem in horas expectabant, Deo tamen fauente Ranranum viui peruenerunt, vbi alius tecto; vestimento alius eos iuuit, nemo vltra meras partes, ac debitæ charitatis, in qua Christianis Prouinciarum reliquarum, vt multùm absimiles; sic in timiditate cautionis, nisi noctis obscuro Patres minimè adeundi, quasi nefas id esset, vel inde aliquid sibi metuerent.

Post hæc saucij dum curantur; de causa, Rex à Præfecto ipso planiùs edoctus, tria sub anni exitum rescripsit. Videri reos satis iuri & legibus fecisse; iugo proinde eximi debere. Sua Patribus redderentur quæ inter prædonum inuenirentur manus; inde Patres in Ciampam regno pellerentur. Quibus acceptis, palam magna voce Petro Nauclero edicit Præfectus Patres tota Prouincia inuestiget, sistátque suo tribunali, noua Regis mandata audituros, quæ clam ei commisit iis illicò indicanda, norat enim haud procul ab suis ædibus latere. Baream prora iubet littori alligari, vbi nundinæ habebantur, Patres in ea populo ostentat; iisque Mandarino denunciatore in magna militum, & Ministrorum turba indicit iurgidicè, abirent quamprimum, rectáque ad austrum

austrum Cocincina exirent. Sic Regi placere, quo pompæ tam publicæ strepitu, & testimonio integri populi, optimus Præfectus, elidebat accusationes, si quæ fortè ad Regem perferrentur, neglectim curati eius imperij. Nam secretò per Petrum admonuit Patres, omninò ne abirent, nisi vellent ab iisdem trucidari à quibus fuerant crudeliter, vita vix integra, sauciati; qui inustæ sibi ignominiæ vindictam, iuratis insidiis in eos struxerant. Exin dilapsa nescio quo ex oculis naui, ex qua se populo prostantes diu Patres ostenderant, explicaturi versus austrum vela; delituêre in alia dies quadraginta, per quos dum planè ex vulneribus sanantur, curationem animis eorum adhibent, qui ad se furtiuo aditu ventitabant. Et iam annus inibat tricesimus, cum Turone apparet oneraria Macaensis, & in ea Benedictus de Matos, qui anno præcedenti Christianam rem misertus, ex abrupto commercio affligi, eam impetrarat, sperabátque Regem donorum splendore ac pretio placatum, abrogaturum Patrum exilia; quàm eius persuasionem minimè dubiam, euertere iidem sceleſtissimi auctores duo, decreti in Patres exilij; Regémque vltrò ad amicitiam cum Lusitanis optimè procliuem alio abstulere, mira is quidem affabilitate, Patrem & Legatum prosequi visus est, postque aliis de rebus nonnulla; negauit se nostros aliquo eorum errore, aut culpa pepulisse. Nihil apud se de illis secus quàm vellent depositum; sed ob superbiam stolidam Christianorum iactantium, nihil esse vsquam præsidij ad æternam salutem nisi in lege Christiana, qua illi perpetua, & importuna vanitate, patrios Deos obiiciebant contemptui; in desperationem agebant Bonzios; & populos in rebellionem; verum æquo animo essemus, se nobiscum denuò acturum; quibus vsque Ranranum perlatis nuntiis, nihil dubitatum est reconciliatum nobis Regem, cáque fiducia cœperunt, nostri latebras sociorum secus mare obire. At sacrilegus Bonzius sic Regem concussit, eiúsque consimilis Externorum Præses Mandarinus, ita conscelerauit Regis aures, non modo vt illum ab exilio abrogando, ad confirmandum illud abriperent, sed rescripti quoque executionem Mandarino eidem committi extorquerent, qua illo armatus Sinoa Turonem aduolat; Patres coram accitos, contemptu agresti, & rustico appellat, ac vester, ait, occidens ab nostro oriente, esto medio orbe disiungatur, coïbunt tamen facilius quàm lex vestra cum nostra. Illam huc inde vos intulistis; hanc nos ante omnem æui memoriam professi sumus, & tenemus. Quod perspicuæ adeò certæque veritatis, velle tamen nescire videmini; Rex ludos hos magnó rerum suarum compendio deinceps intelligit, proin tantò in vestrum exilium obfirmatus, quantò vos ad illud vitandum obstinati; nec vobis imponat suspicio capi esca donorum Regem posse, aut vestro aduentu lætaturum, si oneraria Macaensi huc aduehamini; soli palmum vobis nunquam daturus est, si vel auri tantùm dederitis quanta est rupes hæc; quod in rupem intendens, tàm asseueranter, & Regis nomine tùm

ipse

ipse affirmauit, tùm exequi perrexit vt Regis gratiam Patres desperarint, haud tamen fiduciam latendi ad iuuandos occultè Christianos; quocumque id tandem suo periculo fieret. Onerariam igitur conscendunt primis Eteſiis Macaum soluentem, cúmque inter vectores omnium oculis se notandos, & spectabiles præbuissent, nocte intempesta, in scapham desiliunt quæ surdo remigio Prouinciis quatuor Patres duos reuexit in quibus diu versati fuerant; Iapones item Patres duos seruauit Iaponibus Faifi docendis. Ita illius Christianitatis consultum orbitati; nam quos per se nostri adire non poterant, per eos adibant, quos Christianorum singulis cœtibus dederant monitores, in quibus excelluit Paulus ille Apostilici animi Mandarinus, huic certè magna pars eorum debetur qui huius anni residuo abidolis ad Christum traducti sunt. Restat Buzomio quid factum videamus? Cocincina ejectus quam Christo primus initiauerat in Ciampam nauigabat, excitaturus Euangelij sono regnum illud ex communi lethargo funestæ idololatriæ. Ibant illi comites Hieronymus Maiorica, & F. Antonius Torres, iámque in portus conspectum venerant, cum inuolantur à Batauis oram illam prædantibus; nostri remis ad fugam impares, in littus eiiciunt sese, & nauigij iactura vitam seruant, sed Pyratas Batauos dum vitant, comprehenduntur statim in terra pro naufragis, & lege barbara, in seruos Principis mancipantur, quoad libertatem amissam redimant. Ad calamitatem Cocincinæ accessit Tunchinensis, non valdè absimili ex causa. Temporarij scilicet commodi dira fame: non poterat vsquam fauorabiliùs quàm in Regia Tunchinensi Christianismus nauigare, nec locupletioribus vsuris Alexandri Rhodij labores pensare, quibus sanè magnis vt eum induxerat, sic infatigabilis promouebat. Septimestri iam toto, bis quotidie dicebat ad ethnicos, eorum baptismum, bis in hebdomada celebrabat; ad hunc illos Marchesius præparans, eadem opera perficiebat linguam, quam nondum satis in promptu habebat; ab Christi natali ad Pascha resurgentis, seculi anno vicesimo septimo, quingentos Rhodius lustrauit, in quibus, & aliis ibidem antea baptismo expiatis censebat plurimos, vtroque in ordine militari & literario, nobilitate, & dignitate claros. Erat verò tàm potens sanctimoniæ Christianæ, & legis quæ illam præciperet fama, vt familias integras procul ad Rhodium traheret, reportaturas in sua oppida Christi nomen, & cultum, eam ob rem ad messem tàm lætis prospectibus flauentem noui se Machao operarij accingebant; nec in eo tantùm Christianismi summa vertebatur, vt aqua capiti modicè inspersa, & noui nominis adscriptione inter baptizatos, nihil præterea exigeretur officij. Quin imò in omni hominum genere & ætate, eam morum edebat commutationem, baptismi gratia, eáque generositate Christianos inolitis ereptos flagitiis fingebat in Angelos, vt cæca in diuinis Bonziorum malignitas, diuinum id robur, & humano maius, magiæ tribueret, insimularetque maleficij Rhodium. Capi satis

60. Tunchinensis Eccles. vexatio, & nostrorum exilium.

satis ab iis non poterat, vnde recens conuersis, tantùm suppeteret animorum vt concubinas quas deperierant, & ex data prole, benè de familia meritas domo eiicerent; larga stipe pauperes alerent; amarent inuicem, quos fastidierant, nec diguati aspectu fuerant; ægrotis ministrarent, etiam ethnicis, & in fluminum ripas, cauum instar per suos abiectis. Nam de ieiuniis non erat adeò quòd suspicerent Christianos, cùm ipsimet non rarò à puero instituerent vitam legumine, & oleribus trahere, ad promerendam gratiam idoli alicuius. Quare nihil actum præmaturè cum sacri ieiunij promulgata est illis à principio lex. Longinqui demùm & frequentes conuentus ad diuina, & solennia festorum, maximè verò Christi patientis quæ aptè quindecim distincta partibus, incredibili fructu pietatis Rhodius proponebat, gerebantur hæc in Regis oculis, & aulæ conspectu; Rex verè an fictè in Rhodium mirè affici videbatur, accersebat illum sæpissimè, comitatéque planè insolita longos cum eo durabat sermones, interdum & mensæ adhibebat, & manu propria porrigebat de regia patella cibos, & quanquam ethnicus, damnatisque addictus artibus, de vero Deo, anima, & æternis, libenter dicentem audiebat.

Iam felicitatem curtus tàm prosperi, spesque multo maiorum progressuum non temerarias, quæ sensim vices tandem profligarint videndum est. Primi ab Rhodio Regis animum abalienarunt amores indomiti concubinarum, & vxorum. Pulsæ domo à viris illustribus Christianam amplexis puritatem secundariæ vxores, Reginas adeunt hoc sui repudium apud eas lamentabiliter deplorant, & casus eiusdem periculo, ac metu, illas cum custodibus Eunuchis in defensionem sui armant; nam hos quoque angebat vehementer, illa Regis in Patrem obseruantia, & assidui de Christianorum lege ac ritibus congressus, factúque pronum vaticinabantur vt inopinato Rex baptizaretur, ablegatisque ab se secundariis Reginis, cum iis pariter, & ipsi purgarent palatium, mendicaturi quà possent necessaria victui, cuius ratio omnis ex Reginarum obsequio hactenus ipsis constiterat. Aggrediuntur ergo bifariam Regis animum simul expugnare, seu potius dementare. Huic Spadones Rhodium depingunt velut archimagum, maleficio vbique ineuitabili famosum, ipsáque adeò quam afflasset aura homines fascinantem, argumentum ponunt deliramenti huius, Neophytorum exempla quæ attigimus in quibus vxorum antea flagrans amor audito Rhodio frigebat emortuus; tantus é contrario ardebat versus illum amor, vt non possent ab eo disiungi, ducentis subinde milliaribus venirent, eius solùm videndi, & audiendi libidine, quicquid ipsi liberet poscere quantumuis difficile, & durum, ab iis illicò exoraret, voluntatibus autem hominum afferri eam violentiam non posse absque potentissimo carmine, & præsentissimo fascino. Eadem instinctus priuati commodi scabie, Regis quidam sobrinus, quæ fabulabantur Eunuchi confirmat, recenti extra Cocincinam Patrum exilio, quòd li-

61. Nostri extra Tunchinum exilij causæ. præcipua Regis auaritia.

gato incantamentis cœlo, terram semper irriguam, & summè feracem, siccitate vrenti, & sterilitate perdidissent. Aliundè ploratus, & querimonias concubinarum eiectarum, ad Regem deferunt secundariæ Reginæ. Criminantur Externi vnius nunquam prius auditam barbariem, nunquam olim tentatam audaciam in abrogandis Regni antiquis legibus, matrimoniis soluendis; priuandis matribus sua prole; Rege tot ciuium & subiectorum numero, quot vna ex matre non possent suscipi; familiis denique sua orbandis perpetuitate, si viros contingat, vt sæpè fit, sterilem ducere. Ac magiæ quidem insimulatio effecit apud Regem vt colloquio Rhodij abstineret, & si quando aditum petenti daret, ab eo se paucis, & procul expediret, ne fascinaretur ipsius halitu. Quo item delirio sic occupati sunt alij, vt concionantem nisi iusto abiuncti spatio non audirent, monitique accedere propiùs, vt vocem dicentis articulatim perciperent, tunc verò suspicionibus multò magis exagitarentur. Die igitur quodam, dum octoginta baptizandos sale sacro ritè initiat, è turba stentor vocem tollens, exclamat tunc artis vim maleficam exeri, cauerent attactum incantati salis, ni vellent cerebro euerti; hoc veneficio Magum Occidentis deturbaturum illos sana mente; quibus dictis, templo se proripit. Verum hoc spadonum somnio, apud Regem mulierosum, plus valuit Reginarum fletus, & comploratio. Ex aula Ministrum ab eo impetrant, qui Regis personam, & imperium sustinens, Rhodium conuenit, & quænam, ait, hæc noua quam docetis, & scelerata lex? coniugia scilicet eorum damnatis qui plures vna vxores accipiunt; & iam pluribus adstrictos ad vnam redigitis? Ego verò iubeo vnumquemque quàm multas libuerit ducere, vt hinc plures & ipse suscipiat liberos, & ego pluribus subiectis augear. Vobis itaque capitis pœna esto, vt primum resciuero antiquum hunc morem, & Regno vtilem vestris sermonibus conuelli. Sed his haudquaquam absterritus Rhodius in suscepta vt ante concionum materia perstitit, nec quicquam propterea incurrit aduersi, Rege vt post videbitur, iudicante, fore sibi vtiliores minas, quàm vulnera. Quare nec efficaciùs edictum id mouit, quod grandi macrocollo iussit nostris foribus affigi. Eo admodum seuerè, vetabat Christiana sacra à quoquam suscipi, quòd cum Diis Tunchini Christianorum Deo non satis conueniret; imò esset hic illis palàm inimicus, eorúmque statuas, & cultum extirparet. Censum igitur iri rebellionis in Deos reum, & in Regnum, quisquis Deo Christianorum sese adiceret. Edictionem sacrilegam à Rege expresserat Bonziorum dolor importunus, irati querebantur templum sibi extructum ab ethnico, fuisse ab eodem sed iam Christiano donatum Patribus, & sacram in ædem commutatum, priusquam idolis contaminaretur, quæ fuit altera nostrorum in ea Metropoli ædes Deo sacra, & causa Bonziis extorquendi à Rege, impij, sed cassi Rescripti: vix enim Minister eius lator & promulgator abierat, cum reuulso illo Rhodius ad Regem contendit,

Deoque

Deoque illi custodias, aditus, & Regis animum commodante, sic eum permouit, ita pro se dixit; recensione singulorum particulatim beneficiorum & humanitatis quibus se hactenus dignatus fuerat adeo molliuit, vt raptum ex eius manibus Reſcriptum discerperet, pignúsque amoris reconciliati, esculenta ad eum mitteret munera, quæ ipse confestim pauperibus diuidi mandauit. Et huc vsque bruta irati barbari sed innoxia fulmina. Ictum tertij vitare nulla industria licuit. Veniti Macao Tunchinum prorsus desierant, oneraria promissa non venerat, cuius vna expectatione Rex auariſſimus, liberam nostris annuebat, & fidei sacræ, in ditione sua mansionem: alia quæ narratur iratum causa si Regis animum, quod aduersarij volebant, subegisset, nunquam nos postea vt fecit, reuocasset. Fuit autem hæc metus amittendi Regni qua nullam Dæmones illic experti sunt versatiliorem & validiorem machinam ad strages Christianitatis quas tunc in Iaponiæ insulis edebat maximè cruentas. Nam si tantùm in iis suspicio valuit quæ finxit legem Christianam, iuratam esse factionem ad sollicitandos in Regem populos, vt Christianorum fortium millia quadringenta, ferro & igni crudeliter deleret, quanto faciliùs in Tunchino Christianorum vix quinque millia perdere potuit?

Extitit vir notus sanguine, criminibus notior, maiestatis reus, & conuictus, qui nostrorum suique adeò atroci accusatione pœnam redempturus, clam Regi suggessit, nostros in illum cum Rege Cocinei-næ, & Ciua Can inimicis, confinibus, & aduersus Tunchinum armatis, versasse consilia, & proditionem comparasse. A Septentrione Ciuam, Cocincinensem ab austro eodem tempore irrupturos; dúmque tu, aiebat, vtroque versum iis occursurus copias disiunges, Christianorum Dux Rhodius, post vrbis Regiæ incendium, & prædam, à tergo te medium concludet, hostibus à fronte pellendis occupatum. At arcani huius tàm formidolosi aliud non dabat indicium, præter abstinentiam Patrum exquisitam, qui à Christianis, nihil exigerent, nihil admitterent, vel suo vel Catechistarum vsui quos iaciendis per vrbem facibus garriebat fuisse destinatos, inde confici volebat, à Ciua, & Cocincinensi eos stipendia capere. Accersiuit quoque huic suo mendacio colorem improbus sycophanta, ex Petri obitu, viri sancti, & fortis, fideque in Deum, & in Regem clari; quem tunc Deo visum nobis eripere cum eius præsidio Christiana res labans fulciri potuerat; familiares suos sedecim, in quibus & liberos, contagiosa ictos lue, præire sibi ad mortem, Christianè tulit, parique & ipse generositate illos secutus est. Sed sceleſtissimus nebulo insimulauit Rhodium apud Regem, conscitæ illi mortis, ad priuandam eius securitatem Prætorianorum Duce fidissimo; & arma experientissimo bellatore. Accesserе his plaustra querimoniarum à Bonziis, qui se impunè, suáque simulachra, dolebant à Christianis derideri, & ipsis etiam in templis indignè haberi, quam iniuriam Rhodius existimatus est non satis præca-

uisse, nimiúmque suorum pietati, male consultæ indulsisse, proindeque gloria excidisse continuandæ illius missionis; certè Rex, post annum, ab Inspectore Prouinciæ, remitti ad se in Tunchinum Patres, aliquos perens, Rhodium & Marchesium exclusit. Impulsum tot machinis Regem, ad eiiciendos Regno Patres illa expugnauit quæ violata ipsi onerariæ promissa, cum magna ipsius iniuria, & damno ingerebat; Ergo dum naues appellerent quibus Macaum portandos imponeret, Christianorum consuetudine iis interdixit; Rescriptum exilij celsæ arboris trunco mandauit incidi; Die Augustissimæ Triados quem annus hic sæculi duodetrigesimus Iunij octauo & decimo colebat; dum ad sacra fideles se comparant, adest ab aula Eunuchus cum armatis; ædem sacram irrumpunt, Christianos cædendo, vociferando, conuitiando tanquam canes, omni contumelia dehonestant; dùm foris alij defigunt arborem Decreto Regio insculptam; legebantur in eo multa in Deum sacrilega; multa idolis gloriosa; & edicebatur ethnicorum ad Christum conuersio posse Regno quandoque ingens afferre detrimentum, etsi quale id foret tunc parùm liquido cerneretur. Pœna mortis ingressu nostrarum ædium Tunchinenses omnes arcebantur; egressu quicumque in iis erant; iussu Regis, aut suo verosimiliùs, belluino semiuiri genio, aram imperat disturbari spado; obstat Rhodius, & Regis dono templum id asserit, aràmque possideri; negat templo debitum altare, & sacros ornatus ablaturum, nisi diserto Regis imperio; cui miles impudentior cœteris, en tibi! quod poscis disertum imperium, simul aram pulsu impio euertit, fuste in effigiem Virginis impacto, manum Iesu infantis, quem gestabat frangit. At quadrimestri post vlta est crimen nefarium sequax pœna. Furti damnatus carnifici traditur, qui præcisis sacrilegi digitis, Christi percussi ream manum condigno supplitio mutilauit, ethnicis quoque suo illo trunco futuram ostentui, haudquaquam impunè violari Christianorum Deum. Post hæc domo direpta, suos spado abducit milites, quibus ad custodiam forium succedunt nihilo meliores, nisi quod viliores. His inspectantibus adibantur Patres à multis seorsum Christianis assimulatis in mendicos qui procul à ianua incipiebant rogare stipem, nec prohibebantur subire intra limen, velut eleemosynam accepturi, nuntiabántque Patribus, & referebant quæ in rem facerent; audentiùs alij sopiris custodibus se intrò penetrabant, exigebántque piè cum Patribus totos dies, quod tamen haud æquè omnibus processit. Ingressi custodes quoties libuisset vt domus angulos subinde rimarentur, si quem offenderent, omnibus spoliatum, pugnisque, & calcibus pessimè contusum, capillis foras raptabant ad socios, à quibus haud mitiùs excipiebatur, iratis videlicet furtiuo illius ingressu suam in seruanda ianua oscitantiam derideri. Ethnicorum nemo, intro pedem misit, quantumcúmque fas esset, ne in summis quidem angustiis. Et ægrotantem adeò inhumanè Medici omnes visère recusarant, vt destitutus remediis interierit.

interierit. Erat is Ioannes, ille idolorum tanti quondam nominis Sacerdos vt Rex eius eremo adnauigans, classem iuberet vela demittere, veneratúsque hominem, eius preces enixè flagitaret ad felicem euentum expeditionis quam mouebat aduersus Cocincinam. Hunc aliquantò post Christianum ob calcatam famam ethnicæ sanctitatis, contemptu sui generosissimo, tot intra biennium donis cœlestibus diuina largitas cumulauit, vt eandem sed veram gloriam, sanctimoniæ præstantis assequeretur apud Christianos. Diues inter suos, & honestus annorum iam quinque supra quinquaginta, studio fidei assectabatur nostros quocumque pergerent, iungebátque iis strenuam operam in ministerio animarum, ac se demùm pro vili seruulo, eorum obsequiis velut ad optatam quietem dabat. Illum Rhodius Cheni patria sua, præfecit Christianis, vbi anno superiori Patres primigeniam statuerant Tunchini Ecclesiam, inde crebro ad illos recursabat, de commisso sibi acturus grege, sacrisque mysteriis animum refocillaturus. Et diuersabatur apud illos, cœperátque iam morbo tentari leuiter cùm miles impius, pueri Iesu effigiem fustis ictu confregit, verum inde sic morbus increduit, eáque in Christum iniuria sic animo fractus est, vt paucis diebus extinctus sit. Patres magno labore, ac pretio cum obtinuissent semel custodia egredi ad porrigendum Regi libellum supplicem, ab Eunuchis qui humaniores videri volebant dissimulanter conspecti sunt, ab aliis conuitio, & minis palatio pulsi: transiturum per aream Regem opperientibus, hinc inde se Prætoriani, spissis ordinibus obiecêre, ne aut illum videre, aut videri ab illo possent. Ergo Rhodius in editionem euadens locum Regem clara voce interpellat, liceret sibi ad pedes illius libellum deponere. Rex ad vocem conuersus, probè agnitum silens præteriit. Sed longè immaniùs sæuitum à Prætorianis, vel enim gratiam captantes Eunuchorum, vel indignati, quod se Regi Patres ipsis inuitis videndos præbuissent, punctionibus laterum, & gladiorum capulis vexatos & contusos è palatio extrusêre. Quamobrem spe omni causæ Regi probandæ abiecta Rhodius; curam omnem intendit ad Christianos dum clausus tenetur, animorum subsidio iuuandos. Vrbem sex regionibus distinguit; suam cuique assignat in ea domum; in eam Dominicis & Festis coibant regionis eius incolæ Christiani; Rosarium sacrum Deiparæ, precesque varias concinebant, præcentore egregio Catechista, cuiusmodi habebant plurimos. Legebat idem cohortationem, ex Euangelio depromptam compositámque ab Rhodio, cum incredibili animorum motu, fructúque pietatis; & iam quartus abibat custodiæ mensis, quam tamen interdum fallebat Rhodius, vt ex vicinia Deo aliquos semper lucraretur; cùm nauis appulit Sinensis; in hac Patres iubet Rex vela facere; Cochinam tamen quò erat renauigatura Prominciam abesse Macao longiùs cum audisset, nec peregrinos admittere, iussis supersedit, quamuis exstimularent illum nequissimæ concubinæ, non modo ad præcipitandum Patrum exilium, sed etiam

necem; fertur quidem minis per somnum exterritus ab eo scelere, re ipsa certè, vltra quam esset expectandum, exinde se Patribus exhibuit placabiliorem, missitandis quoque ad eos munusculis, quorum id saltem aspectu fiebat, vt custodes sentirent minus importunos, minúsque difficiles in admittendis ad eos Christianis, qui beneficij huius, & spei ab Rege melioris, gratum Deo animum testaturi nosocomium curandis ægrotis statuerunt. Hanc item nostrorum totiusque illius Christianitatis lætitiam, maiorem in modum incendit quod sequitur. Gaspar Diaz iuuenis Christianus, patria Sianensis, Macai educatus, libratorem agebat machinarum apud Regem, eámque de Patrum disciplina ex quo Tunchinum aduenerant, virtutem animi, morúmque hauserat honestatem vt monstraretur digito etiam ab ethnicis, velut expressus Christiani typus, audiretúrque cupidè de diuinis agens: at hunc medio in amne quà Regiam interlabebatur, festos ignes fingentem, & eiaculantem, atrox casus peremit; imperitia socij excussa scintilla aceruum corripuit igniarij puluueris, cuius flamma Gaspar momento vstulatus, vix tamdiu superfuit quoad vltimis sacris procuratus efflaret animam. Erat iuuenis virtus Regi apprimè chara; ministerium vtile, ac fidum, nec ignorabat esse Christianum. Quare Patribus mandat, iusta funebria Christiano ritu honorificè illi curent, nec parcant sumptibus, quos sit ipsemet suppeditaturus. Hinc libera nostris custodia, hinc piorum concursus & lachrimæ, & rupræ ex imo pectore gratulationes, affectus, Dei laudes, quæ stylus non satis assequitur. Funus duxêre plus mille Christiani, graui, & splendida supplicatione, pretioso illam è serico vexilla decorabant aureis prætexta fimbriis, & mysteriis picturata Christi patientis, comitabatur odorum copia, funalium facium non paruus numerus, Ministrorum ordo suo cuiusque cultu, cœtera omnia quæ non semel significauimus in parentalibus Christianorum celeberrimis adhibita, in ruborem probrúmque ethnicorum, qui suam auaram, deformem & deridiculam erga defunctos magnificentiam Christianæ non dubitabant anteferre. In campum pompa deuenerat vbi condenda sandapila, & aderat præter Christianos multitudo ingens ad quam Rhodius concionatus est, nec deinceps custodes obstitere quo minùs ad nos Christiani ventitarent, adirentúrque à nobis tùm ipsi tùm ethnici, tametsi parciùs, ne qua inde tumultus occasio aduersariis in promptu daretur. Hinc illa extitit Principis feminæ ad Deum conuersio, quæ Præfecto Cheduni hoc est Orientalis Prouinciæ nupserat. Illam baptismus Annæ vocabulo insigniuit, & satu diuini spiritus tàm fœcundo impleuit, vt præclaris illius studiis merito tribuatur conuersorum ingens in iis Prouinciis numerus, & frequens ad eorum cœtus capiendos ædium sacrarum fundatio.

Cœterùm hac Regis liberalitate rescindi videbatur indictum nostris exilium, si oneraria Macaensis anno saltem sequenti vndetrigesimo, longas

longas non falleret expectationes, sed illa biennio ante Tunchino Macaum recedens, ad Insulam Hainam alliserat, perieratque suo cum onere; vectores Macaum, ignara naufragij minimè requirebat, quamuis illic annum iam integrum solito diutiùs hærerent; Tunchinum casus infelicitatem, Lusitanorum fraudem interpretabatur: Martio igitur inclinante, adest Patribus ab Rege Scriba, eiúsque nomine ita illos affatur [quòd vestri, ait, fratres Lusitani, toto iam biennio non apparent; manifestum est ab iis vos nequaquam agnosci; aut si agnoscunt abdicari. Bonis auibus ite, & illos requirite. In Cocincinam triremis vos feret vbi vos naues excipient Macaum redituræ, quæ dedignantur hos portus attingere] subiecit præterea, suóne an Regis nomine haud scio. Benè legem nostram, cognominati vulgo mortis legem, adeò multos è medio tolli baptismo quem conferebamus, nec satisfacere quod accersemur ab hominibus iam morti proximis, Christianismum enixè petentibus, proinde morbi vim non baptismum mortis causam iis esse; nam hoc ipsum illos tunc adscribere Christianis cùm essent in extremis, & hanc baptismo nostro inuidiam odiumque conflare, imprudentiæ esse non ferendæ in viris alloqui quales essemus valdè prudentibus, aduerteremus de cætero, Regi persuasum, quem mortuum vellemus; hunc nos baptismo occidere. Deesse videlicet viuentes, & sanos quos initiaremus lege nostra, grandi eius decore, & fama; & oportere illi detrimentum & ignominiam quærere, ex baptismo illorum qui animam egerent, velut ab ipso necarentur? actis beneuoli affectus gratiis Rhodius, hominem docuit quibus legibus teneremur morientium saluti æquè vt viuentium instare. Peruictus necnè rationibus, abcessit; rumor nostri discessus imminentis, triduo Patres occupatissimos habuit, excipiendis salutantium lachrimis, confessionibus, querelis, aquæ vasis solenni Ecclesiæ formula in remedium malorum, & piaculum consecrandis; ethnicis verò ad baptismum quem efflagitabant, nondùm planè maturis, relictus est Andreas, & Franciscus, Catechistæ duo eximij qui totam iis operam nostro sumptu, cunctisque commodarent quos nobis absentibus ad fidem, Dei benignitas vocaret. Nec fuit vacuus eorum labor, inter alios non infimi gradus, etiam Mandarinos, qui Christianismum non mediocriter condignis moribus exornarunt, Regis cognatam, Annæ quam diximus filiam, Christi lustrarunt baptismate. Patribus triremem conscensuris Eunuchus à Rege duplex attulit diploma securi commeatus, aureos viginti, & pannos eiusdem pretij ad vestes. Sed munus Regis sanè beneuoli nequam spado, intempestiua querela fœdauit, aiens Regno nos pelli ob intolerandam Christianorum audaciam, quibus patum esset Deum colere peregrinum, nisi & patrios, & Regni Præsides suis etiam in templis contumeliosè tractarent; cui paucis Rhodius, & prudenter, id nostris quoque damnari legibus; peccassent esto in eo Christiani, sed nostris seriùs monitis non licuisse, ausis occurrere. Hoc verborum compendio

62. Lex Christi, cur dicta lex mortis.

compendio ripam versus contendunt vbi nauigij præsidiariis traduntur ab Eunucho. Sequebatur euntes Christianorum turba mœrens, expectabantur vbique cum lachrimis, rogabatúrque fausta adprecatione, humi passim proiectos dignari. Viri iuxta & fœminæ; plebeij & nobiles concursum augebant, omnes tamen accessu prohibiti. Multi quoad vadum sinebat, mirantibus ethnicis in amni constitêre, vt monitis fortibus, quos relinquere cogebatur firmantem in aduersa quæuis, Rhodium audirent. Interrogantibus lamentabiliter aliis, à quo peccatis soluerentur, iussit conceptum ex iis animi dolorem, qualem erant edocti percusso ter pectore testari, cósque ritè (quod petebant) absoluit. Senex fuit annis, & grauitate venerandus, qui vt erat ornatu suæ dignitatis conspicuus, vultu quater humi abiecto eos salutauit cum magna copia lachrimarum, secutúsque oculis recedentes cum domum rediisset, magnitudine doloris quem ex Patrum discessu non consolabilem retulerat, paucos intra dies contabuit. Ferebat illos quadriremis, cum Antonio & Ignatio Catechistis sub nauis Præfecto duræ frontis, & asperæ homine, quem tamen nobilium in Patres officia, fecêre sui modestiùs memorem, & ita facilem, vt bona eius venia Rhodius, verba de Deo ad milites faceret, inter quos etiam dicentem ipsemet audiebat, (quo fructu postmodum exequar) milliaria emensi ferè centum, applicuêre Chebum, vbi loci dynasta transituros opperiebatur; erat is qui anno præcedenti Christianæ legis, & Christianorum gloriosa excitus fama in aulam venerat, vnde à Rhodio, sacris imbutus mysteriis cum vxore, liberis, & famulitio nobili, domum redierat Christianus, Pauli deinceps insignis vocabulo; vxor Luciæ; Michaëlis, & Raphaëlis filij eius duo. Quorum omnium nouis à baptismo, & luculentissimis exemplis, sed suo potissimùm hortatu, & doctrina Paulus, bonam partem clientum sacro fonti aptarat: cognita igitur exulis Rhodij præteruectione, in ripam descendit; vltroque illum à nauis Præfecto amico veteri, in eum diem impetrauit. Clientum sex supra sexaginta in procinctu erant ad sacrum baptisma; iis erudiendis postquam vltimam manum adhibuit Rhodius, vitalem aquam Marchesius contulit; Patrem lustricum virorum egit Paulus; Lucia matrem fœminarum; filij duo, sacro ritui ministrarunt. Nox erat media, & tempus repetendæ nauis, nouum Christi gregem discessu suo mœstum, consolans Rhodius benficio recentis gratiæ, pergebat ad ripam; sed obtinere a Paulo non valuit, vt per noctis obscurum, viam satis longam & alto impeditam ceromate pedes conficeret, quin & diuturna & ardentissima contentione id extorsit vt esset ipsemet quartus è gastatoribus qui reti ad nauim Patrem detulerunt, cum pari vectorum admiratione, Pauli lætitia, inéuitabili Rhodij pudore. Postero die in mare subeunt; & propiori & remigio radentes littus Chenum tangunt; inde oras Engheanæ Prouinciæ, sitósque in iis Cuaciuæ, & Cuasoti portus lustrant, Rhodio vbique æternitatis semina mittente, quæ licet obiter iacerentur, fructus edidêre

63. Mira pietas Neophyti nobili.

edidêre non obuios; iis prætermissis, vnum hic memoro ingentis animi Christianum Andream nomine, qui vt assequeretur Patres, milliaria octoginta per montes asperrimos confecit, hoc vnum ambiens vt matri, & socrui baptismum impetraret, quas secum ducebat, annis graues, & orizæ sacco quem sibi vtraque in cibum ferebat. Subiturus in fines Prouinciæ Bochini, Præfectus nauim censuit mutandam, quod maris illius periculis impar esset. Cum illa remisit partem præsidij militaris, ex quo decem, & octo, tingi baptismo petierunt; & postridie lustrati, Christianis in aulam salubria monita Patrum nomine reportarunt. Plus negotij fuit in expugnanda Præfecti idololatria, sed hoc idem qui sibi eum in famulum legerat Deus biduo peregit. Die Aprilis quinto & decimo quem colebat is annus vndetricesimus solennem Christo resurgenti; Præfectus mari, cœlóque vocantibus in altum soluit, versa in cornu prora, quo nullum eo tractu formidabiliùs, & putant indigenæ Archidæmonum aliquem suam illic habere Regiam, & nauium stragibus crudele imperium in rupe exercêre quæ longè in mare porrigitur; nauarcho nemini vel tantùm roboris vel audaciæ sit vt aggrediatur hanc præteruehere, nisi ante placato sacrificiis dæmone. Quod dum parat Præfectus exequi, Patrum rationibus & Ignatij Catechistæ inhibitus est tandem ab eo scelere. At enim mutato paulò post cum mari, & ventis in aduersum cœlo, videbatur prorsus moueri tempestas à dæmone, cùm nec liceret retrò vela dare, nec vlteriùs nisi in scopulos, & naufragium tendere; hic se ipse incusans Præfectus, & simplicitatem suam nimium credulam, debacchari aduersus Catechistam, & ægrè ab illo manus continere, vt priùs videret mari præcipitem sorberi, quàm ipse sorberetur; prodire ad strepitum, & clamorem Patres, cassisque ad tumultuantem sedandum verbis, cœli Domino cui famularentur, & cuius nutibus obsequerentur venti & maria spondere mox se vota facturos; vix ergo Marchesius, sacrum Laurentio Martyri flexis genibus vouerat; Rhodius *Pater* & *Aue* recitarat; & fluctus concidere, componi mare, auræ recta in puppim vertere, tamdiúque aspirare dum nauis in tuto consisteret. Tàm subita post preces breuissimas cœli vnà marisque mutatio Præfectum edomuit, nihilque addubitans peractam diuinitus, missis aliunde suasionibus, & argumentis, quibus crebrò pulsatus fuerat Christianum se esse professus est, eadémque in naui cum sex militibus sacra vnda lustratus Augustini appellationem ex ea tulit, impetrauítque à Præside Bochini, cui Patres erat traditurus in Cocinecinam contiguam transuehendos, vt liceret iis conducta nauicula, pergere quocumque libuisset. Præses ætate octogenarius, Magistratuum gestorum experientia, & iuris integritate clarissimus, ad comitatem quam iis exhibuit, stipem addidit largam, & multos in dies sufficturam; donatus & ipse ab iis vicissim Riccij Catechismo, quod putarent illum pro sua sapientia, libri eius solidissimis rationibus cessurum. Idne fieret mors fecit viri primarij, quem in au-

64. Præfectus nauis quæ nostros vehebat, miraculo conuertitur.

lam profectum, paucísque illic à baptismo diebus extinctum, vxor vulgauerat, vrbemque turbarat iisdem quibus aula strepebat rumoribus; legis mortem esse, Christianorum legem; centum hodie si hanc susciperent, quinquaginta cras vix fore superstites; nostros mortis esse legatos; cuius nominis admiratione confluxit populus ad eos videndos cùm primum illic conspecti sunt. Præses vitæ amans quamuis decrepitæ; mortis, vt ipse quoque vocauit, legatis libenter indulsit, in Engheanam transirent, Prouinciam quam regebat cum imperio eius frater. De Christianismo haud magis consulere sustinuit, quàm de morte in præsens obeunda, eam tamen infelix infelicissimam sexto post mense ethnicus obiit. Patres illic dum nauim, & ventos expectant; ex continuata verbi Dei, constantíque prædicatione, præter ludibria, & sannas, & contumelias nihil retulêre; sex tantum vno mense scribit Marchesius baptismo tinctos. At verò Engheanam versùs quocumque applicarent, sorte vsi sunt meliori, & alicubi centum duodecim ab idolis ad Christum traduxere. Rutam appulerant, portum Metropoli proximum, in qua illos Prouinciæ Præses affabilitate collegit eximia, quam auxit maiorem in modum, solis paulò post defecturi articulata prædictio, & qui prædicti deliquij momentis singulis ad amussim respondit euentus. Suspexit illos Mandarinus tanquam ingenij portenta, & miris vltra quam credibile sit laudibus deprædicare cœpit illorum scientiam. Sed enim populus pridem iis iratus, & curam defectionum solarium, legísque diuinæ flocci habens, tumultuari contra eos; famosis quotidie illos programmatis, & quam docebant legem proscindere; orbis pernitiem, & Lusitanicum bellum vocitare; ne Diis quidem suis insani parcere, sed illorum inertiam, & impotentiam accusare, quòd sua lenti spectarent dedecora, & capitalium hostium non vlciscerentur iniurias. Erantque odia in peius eruptura, nisi vigilantia Præsidis, Patrum cauisset incolumitati. Quare minis, metúque delationis apud Regem exterritus quod hostes, & exules foueret, rogauit illos admodum comiter, cimbam sibi pararent, & prono, aduersoque amne qui mare influens in portum exibat, docerent quos vellent Dei legem; noctu sub arce ab insidiis prædonum, & populi rabie tutarentur sese, qui vnus iis erat receptui locus, cùm præbitum ipsis hospitium, Christianus iactura omnium bonorum, suóque & vxoris exilio luisset. Cymba ergo coëmpta, vitam in ea ducebant aquatilem, vndique reiecti, proculque lapidibus etiam amoti si qua terram tentassent legere; ne, quod constans habebat opinio, extremo infortunio paterent, qui eos admisissent; ipsi verò quot, & cuiusmodi conflictarentur incommodis, nihil attinet dicere, sub dio perpetui, sub sole, & imbribus, cœlique aduersi iniuriis, quas etsi grauissimas ferebant leuius orbitate teneræ Christianitatis. Nam in Cocincinam ex Tunchino transire in eam armato, & bellum mouente, nisi proditionis suspecti non poterant; & offensionem Regis Cocincinæ verebantur qui ex

ea

ea noſtros pepulerat. Vagos in hunc modum & conſilij inopes miſertus Chriſtianus, metu omni calcato, per fratrem inuitat, vt ſe in domum recipiant, quam habebat in ſyluis à publico ſemotam, ne ventis deinceps inualeſcentibus flumine ſorberentur, quod iam periculum non ſemel experti fuerant. Illic dum ſe vt poſſunt à populi odio, & cœli moleſtiis tuentur, propinqua fame vrgeri incipiunt, deerat oriza, nihil ſuppetebat quo illam emerent; illos eò adegit neceſſitas, quod nunquam antea ſibi licitum fore ſtatuerant. Catechiſtam Antonium in aulam deſtinant, ſubſidij aliquid in iis anguſtiis relaturum aut ſtipis, aut mutui nomine bona fide reddendum, in nauis annuæ aduentu; ac nummos quidem viginti retulit cum incredibili miſeratione à Chriſtianis miſſos, quod autem minimè omnium expectabant, P. Amaralij literas, quibus monebantur, P. Saitum Paulum Iaponium oneraria Macaenſi ſecum illuc deuectum; in portu conſtiterat nauis tridui ferè itinere à Patrum latebris, ad quos illicò ſcapham miſit commeatu neceſſario abundè inſtructam; at ij gratiis benigno hoſpiti prolixè actis, ſcapha eadem mirè læti ad onerariam, & ſociorum complexum feſtinabant; ſed ab Regiis qui eos præuerterant Miniſtris, Eunucho præſertim omnium peſſimo; velut peſte contacti, arcentur longiſſimè, nec precum vlla vis mulcere hominem valuit; donis oportuit acceſſum ad nauim, & in eam aſcenſum ex illo emi. Octimeſtre iam Rhodio & Marcheſio abibat, aula extorribus, ſed tamen paſſim regno vagis, & conſolabatur quidem eorum moleſtias, illarum præmium, & ſexcenti quos interea luſtrarant Chriſtiano fonte; verum magno dolore, pridem ſacro carebant epulo, quòd idoneam eius nullam haberent materiam; die Apoſtolis Simoni, & Iudæ conſecrato, peracta in naui diuina re, optatiſſimo illo pane refecti ſunt, & egere cum Deo impenſiùs de inflectenda Spadonis mente belluina, ne vetaret ipſos duobus in aulam Patribus accedere comites, & cum ipſis Regi annua munera Macaenſium nomine offerre. Id illi dum tentant exorare, rati ſe affatus commodos legiſſe, in eum furorem belluam egerunt, vt conuitiorum parum ſatur quibus eos indignè onerabat, inuolaret in eorum oculos, capitibus diriperet pileum, (qua ignominia nihil eſt illic probrōſius) rueret etiam in peiora, niſi qui circum adſtabant Chriſtiani ſuo illum numero terruiſſent; quare paulùm digreſſus, clamore ac nutu, vinciri arctè illos iubet. Verum enim vero tàm intoleranda in Patres iniuria, tantóque ſui dedecore offenſi Luſitani vix à ſe impetrarunt, vt abſtinerent ab eo manus; quod ſecuriùs videbatur, ſemiuiro edicunt, Patres illos in aulam aut ſecum venturos, aut in Cocincinam ſe vela vertere. His Spado timidus in ſe redit, Luſitanis in aulam Patrum exulum annuit comitatum, dumtaxat ne in eadem naui; ſed ne id quidem obtinuit Spado, edictione maioris poteſtatis à Chriſtianis prouidè curata, oneraria ipſa qua Amaralius venerat in aulam ſubierunt. Hoc vt quam minimo fieret ſtrepitu præmiſſus Ignatius Catechiſta, fideles monuit,

lætitiam publicam non modo omitterent, verum neque adire nt Patres nisi pauci simul; quo tamen prudenti consilio non id effectum est, vt Rhodij aduentus (laude certè ambigua susceptus) Regi probaretur, quare omnibus in cassum adhibitis, vt admitteretur in eius conspectum, quod reliquum erat, totum se in vtilitatem fidelium contulit, & conuersionem ethnicorum, haud quidem in propriis ædibus, quas si vel furtim quis ingrederetur, certò exibat nudus, & fustibus onustus. Naui suis defuncta commerciis, & primis Etesiis Macaum reditura, mandauit Rex Patribus quatuor, discessum adornarent, nec fuit exinde tergiuersandi locus. Christiani mora quinque aut sex dierum, quæ nauem adhuc tenebat in ancoris, Patres confessionibus diu noctúque obruerunt. Quibusdam in mentem venerat res Christianismo priuatim percommoda, publicè non item. Optabat alius aliam è Catechistis sibi obstringere, quos communi bono ad omnem virtutem & peritiam muneris formarat Societas; designabant illis aliqui sorores, nonnulli filias in vxores vt eos perpetuo apud se tenerent eo vinculo alligatos, tametsi genere non pares. Sed enim Patres qui nullos habebant præterea quibus salutem tot Christianorum committerent, quique illos diu curis ingentibus, & sumptu ad omnem doctrinam, & sanctimoniam informarant quæcumque potest ab laïcis in plebis Neophytæ regimen proficisci, consultiùs aliud Deo planè mouente inuenerunt. Catechistis quatuor optimis suadent vitam suam Deo, temporario voto tamdiu consecrarent quandiu illorum obsequio Christianitas illa eguisset. Qui vt erant piè sanctéque animo affecti, conditionem vltrò amplectuntur, & quo die Patres erant discessuri, post rem diuinam, in conferta Christianorum frequentia peractam, ad aram prodeunt Franciscus, Andreas, Ignatius, & Antonius, votóque se triplici obligant ad vicarias partes rectè obeundas Apostolici muneris quod sibi à Patribus credebatur. Imprimis victuros cœlibes, donec placitum Deo foret Sacerdotes illuc remittere à quibus illa Christianitas regeretur; deinde peculium non facturos, sed benignè donatis æquali iure in commune vsuros; Postremo illi obtemperaturos quem ex iis Patres præesse reliquis voluissent. Quibus ritè promissis singuli, sigillum addidere diuinæ Eucharistiæ sumptionem; Christianis mirè laudantibus generositatem propositi, & iam inde se prorsus illorum ductui ex Patrum præscripto dirigendos religiosè tradentibus. Horum autem labor, & vitæ ratio tantæ fuit admirationi, eósque virtutis æmulæ tàm multis subiecit aculeos, vt centum iuuenes pietate, & sanguine nobiles eorum ambirent institutum, nec esset pars eius Ecclesiæ sanctior, & fructuosior quàm Catechistarum. Post quæ, mutuas inter adprecationes, lachrimas, & lamenta deducuntur ad nauim Patres à suis Christianis, nunquam inuicem reuidendis. Repetamus nunc Sinas, & gestorum in iis seriem ab anno huius æui trigesimo, sed multò breuiùs quàm mihi licuerit præstare in Christianitate Tunchinensi cuius varios casus

651 Catechistarũ vota tria.

casus opinor cum tædio legerint, qui voluptatis causa legunt, vellentque scenam in noua prodigia singulis paginis mutari : hoc ego hic ago, (æquis rerum magnarum æstimatoribus vt reor placiturum) & intelligi hoc volo quanti sit, & molitionis quàm arduæ quamque heroïcæ Christi Regnum, regno inuehere idolis integrè mancipato, vbi quæ maximè videtur obstare religionis pugna, leuior est si cum aliis quæ expugnanda sunt conferatur, ex quo euidens fiat, quanta illos vigere virtute ad agendum, quantò ad tolerantiam animi robore pollere necesse sit, qui ad hoc opus accinguntur.

66. Mors P. Terentij belgæ.

Quam nobis lætitiam fecerat præcedens annus ex restituta libertate, ad emendationem Calendarij Sinensis; eam præsens annus turbauit plurimum, præstantium hominum P. Terentij, & Doctoris Leonis duplici iactura, quorum præcipuè ingenio, & doctrina, emendatio illa nitebatur.

Terentium Pechini occidit morbi leuissimi violentum, & furiale remedium, quo in sudores liquatus continuos, viribus tandem & vita defecit Maij decimo tertio, ætatis anno quinto post quinquagesimum; Societatis vigesimo, habitationis inter Sinas nono. Natione Germanus, Constantiensis ditione, in Philosophicis, medicina, & Mathematicis eminens, à magnis vtriusque Germaniæ Principibus, magnis item inuitabatur conditionibus, quas Societatis instituto generosè postposuit; eius in Indiam, Malacam, Macaum, in Sinas, & quam longè tenduntur Sinæ, non fuere, vt solent errantium, deproperata itinera; omnia notabat acutissima curiositate, in omnibus philosophabatur; & manu etiam habili qua valebat, plantarum figuras, & animantium reddebat, & natiua eorum specie coloribus expressas; quibus, & aliis illorum Regnorum singularibus, ornare parabat Bibliothecas Europæ. Ad religiosum hominem quod spectat, & virtutes Apostolo dignas, venerationi fuit etiam ethnicis, qui prosecuti sunt luctu eius mortem; funus vltronea largitate; quod quidem tunc primum à nostro exilio solenni ritu elatum est, vt sub Regis ipsius oculis, reuocaretur in possessionem officium illud vltimæ pietatis, quod viro in Regis domesticos adscripto, Mandarinorum nemo tentasset contendere. Non diu post Rescripto Regio Doctor Paulus iussus idoneo astronomo locum Terentij supplere Patres Iacobum Rhò, & Ioannem Adamum Scial euocauit, qui manum supremam imposuêre Calendario operi multis difficultatibus perplexo. Nondum sextus mensis à Terentij obitu fluxerat, cùm Doctorem Leonem mors nobis eripuit, illum toties laudatum, sed hic si vlquam celebrandum, vbi multum sibi labore assiduo de vita detrahi neglexit, modo is labor fidei proferendæ aliquid adderet. Quare Hanceo à Doctore Paulo, trans Prouincias quatuor ingentes Pechinum inuitatus, ad iungendam secum Patribus operam, nec annos excusauit sexaginta quinque in decrepitum senium vergentes; nec valetudinem morbosam, nec reliquias virium tàm exiles,

67. Doct. Leonis mors.

vt possent casu quolibet extingui, vt planè contigit, & meritum amissi olim Magistratus pro causa fidei, merito cumulauit breuiatæ nunc ob eandem vitæ, quam domi licebat alioqui, apricam & longam extendere. Ante annos vnum & triginta Deum cœperat nosse; agebat vigesimum à baptismo; æquè semper & idololatra, & Christi cultor, in defensionem religionis veræ expeditus. Scripsit ille de se ad Assistentem Hispaniæ Nunnum Mascaregnam, anno æui exacti nono & nonagesimo, se doctrinarum Occidentalium illecebra captum à Riccio; fuisse tunc illas pretiosi saporis dulcem escam, ad quam vnam currebant Literati, huius cupidine, Doctori Leoni se tanto amore copulatum vt diem sibi vitalem non crederet, cuius horas quinque cum illo non egisset. Hinc ille diu meditatus quà posset securiùs Christi fides toto imperio diffundi, nihil iudicarat validiùs quam vt scientiarum nostratium grato illicio cicuraremus Literatos, & addiceremus illos nobis peculiari beneuolentia, quæ pro summa qua pollent potestate necessarios fidei propagandæ aditus reseraret. Sensim verò illos pro ingenij bonitate cessuros veritati, & ex naturalibus doctrinis ad diuinas non ægrè transferendos. Eam ob rem instare perpetuo Patribus, vt Europæorum egregia opera, Sinensi charactere, ac lingua ederent; alere suo ære ad hoc idoneos; requiritare ex iis blanda importunitate, quotidiana pensa, styli sui acuto, & docto pumice perpolire, ornare procœmiis, suo excusa sumptu latè per imperium vulgare. Iam vt discipulos Patribus quam plurimos cogeret, ostentabat gaudens quantus ipse illorum è manibus exisset; nam de subtiliori arithmetice, de physicis, & dialectices volumina edidit plus septem, & viginti, quorum præstantiam de ingenij sui fœlicitate natam, Patrum magisterio aucbat tribui, vt multi se illis in disciplinam darent. Iucundissimus tamen eius labor, in piorum librorum editione versabatur. Libros sacris de rebus vigintiquinque nostri typis mandarant, in quibus vix fuit pagina quam ille amica, & acri censura non excoluisset. Asserebátque illis, præsertim Riccij Catechismo, quicumque restitarent, & Christo idola non mutarent, aut mente cæcos, qui tanti solis non sentirent fulgorem; aut animo atque voluntate; qui ab se solem excluderent, ne compellerentur fœditates cernere, & odisse quas amabant; & Christiana sanctitas, cum horrore damnabat; ob hoc ipsi longè venerabilior Irus quilibet Christianus quàm Colaus Sinensis. Ob hoc vilia omnia, & abominata quæ idolorum afflasset fumus. Anno sæculi quarto & decimo, missus vrbi cuipiam Præfectus, & in palatium magno nobilitatis vrbicæ comitatu inductus, derisit statuarum frequentiam qua pretiosa & splendida, fulgebant vniuersa, quærit quo suo commerito se in tartarum compegissent? tartarum planè domum illam esse, in qua dæmoniorum plus decuplo numeraretur quàm hominum. Se quidem vel gaza coronæ Regiæ inæstimabili nunquam adductum iri vt cum dæmonibus habitaret, proin si hanc sibi habitationem

68. Neophyti Mandar. heroicæ virtutes.

tionem adornassent, extruderent ex ea dæmones, hoc est inde omnes statuas deturbarent. Cohorruere adstantes illo imperio, Præfecti quidem potentiam veriti, sed magis Deorum, quos si nefariè adeò violassent, actum de se putabant, seque mox hiantibus inferis glutiendos. At is manu, & scalis, & securi, deiicere, sternere, frangere membratim, assulatim, & frusta hæc, ait placidè subridens, in culinam deferte ad coquendos mensæ meæ cibos. Pauêre hac primum cataſtrophe, ethnici spectatores, & fulmen, ignésque de cœlo expectare; vbi vero illam Deorum stragem nihil consequebatur molestiùs, sed suum tenebant omnia in cursu modum; mussare inuicem, & argumentari, vel exisse de mente Præfectum, eique vt stulto, misereri Deos quam iratos malle; vel esse ligna & lapides Deos illos, præterea nihil; ab iis certè nec sperandum quicquam, nec pertimescendum; ac vindictam quidem quam saxa & ligna non poterant, Leoni sæpissimè dæmones intentarunt, verum semper irrito conatu, Deo fidum sui nominis assertorem vbique seruante, atque interdum prodigiis, incendiorum præsentium, & mortis pericula ab eo depellente: quibus sanè peculiaribus cœli donis haudquaquam se indignam præbuit eius familia numerosa, & Christianæ virtutis minimè vulgaris professione spectabilis. Rogatus Pater ad benedicendam ex Ecclesiæ ritu eius domum, in expiandis lustrali aqua gynecœis, vidit suum in singulis altare bellè compositum, sacrásque in eo imagines eleganter ornatas, flagella etiam cruentata, non afflictandis modo corporibus propriis, sed conuersioni agnatorum suo sanguine redimendæ: & fuit quæ ethnicum ab audienda Christi fide obstinatissimè auersum, dierum decem ieiunio vicit; Crebris ad hæc Leo familiam, publicè absens, monebat literis; sed accuratiùs, post repetitam confessione generali vitam omnem decimo prius quã moreretur anno: ab Exercitiis enim S. Ignatij velut altera fornace inflammatior ad omnem sanctitatem, familiam conuocat, veniam ab iis rogat si quid fortè de se iis exhibuisset exempli minus laudabilis. Tùm Faustinum quendam ex famulis vnum, ætate, ac moribus grauem, sibi tanquam patruum statuit, & vbicumque dicto factóve labereturserium monitorem, quas in tanto viro pietatis minutias, malent pij lectores à me scriptas, quàm arma Sinarum in Tartaros, de quibus nunc ad me nihil attinet. Sed reddo suprema Leonis verba quibus die omnium Sanctorum vitam clausit hoc anno 1630. Doctoris Pauli manum tenens, & teneriter flens; morior, ait, cùm cœpisset vita ob hoc mihi placere, quod rei proderat Christianæ; sed gaudens morior, quod tuis mi Domine manibus Patres nostros committo, quos noui tuo securos præsidio meum haudquaquam desideraturos, proinde nec puto mea egere commendatione, cùm sciam illos tibi æquè vt mihi cordi esse; sic ille; sic ipsi triennio ante Doctor Michaël moriens, nostros commendarat; parique studio post tres annos Colaus Paulus, Doctorem Petrum in cura nostrorum gerenda sibi substituit; hæreditaria

taria quadam summorum virorum in Societatem beneuolentia, quos elegerat Deus tanquam columina Sinensis Christianitatis. Et redamauit illos vicissim Societas, habuitque filiorum loco, & indictis per orbem vniuersum, sacrificiis & precibus defunctos iuuit. Leonem annos vnum & triginta constanter nostrum, nulla vsquam pericula, à nostri patrocinio retardarunt; primo suo ad Deum accessu, aditum nobis in Sinas aperuit inducto Hanceum patriam suam Cattaneo. Eius industria Pechinum Rex nostros diu exules reuocauit. Eius domo, periculo, & sumptu, tyranni Scin rabiem nostri deuitarunt, tàm notus erat eius in nos amor, vt qui non auderent illum offendere, nostros impeterent, rati telo eodem ipsum quoque configi. Accedebat his continua largitas in nostros & domi egentes, & iter facturos, & editioni librorum daturos operam. Ædes quidem nobis Doctor Michaël curauit, sed hic templum construxit. Summum erat, ardensque vehementer magni viri votum, vrgebátque illud apud eos qui præerant nullo fine ac modo; dicere solitus; [si Patrem nostrum Generalem (sic illum nominabat) daretur alloqui, certò illi persuaderem Sinarum Regnum Patribus implere tametsi ad hoc Europæ dimidium illorum opera priuati oporteret] de quo Romam rescribens ad Mascaregnam sua illi obsequia prolixè in omnibus deferentem, aiebat nihil sibi animo altiùs insidere, nihil aut acriùs poscere, aut flagitaturum deinceps importuniùs nisi vt ingens & absque numero, nostrorum numerus in Sinas mitteretur, futurum enim quantuscumque is foret, necessitate breuiorem. Consequebatur hoc animi studium lætitia gestiens quoties Macao venirent; dabátque se illis affectu non dispari, parentem & Magistrum; curate igitur iis necessaria; scrutari num satis interulis contra frigus muniti; docere illos ceremoniarum comitates, & omnium rituum intricatissimam ambagem; prochinationum modos ac numerum, variis Mandarinorum distinctum gradibus; delineare illis formam characterum Hieroglyphicæ illius scriptionis; sonos præire, accentúsque sonorum in pronunciando natiuos, & nobiles; gaudere illorum in his profectu vel minimo, laudare ingenium, facilitatem attollere; quæ in homine id ætatis, & gradus tàm propè puerilia, & abiecta, proficisci non poterant nisi ex incredibili in nostros tanquam suos amore, & ardentissimo studio fidei propagandæ.

69. Mors Lud Gonzal. scol. Societatis.

Habet præter dicta hic annus trigesimus mortem egregij iuuenis Ludouici Gonzales nondum Sacerdotis, de quo ex Patribus non nemo, Macaum aiebat, sanctum hactenus cœlo dedisse nullum, si quos esset datura, primum in iis fore Ludouicum, cuius adhuc in seculo virtutes, videbantur esse prænuntiæ. Quare illi parens Lusitanus, & mater Sinensis à caducis alieniissimo nihilque præter cœlestia spirantí, facile assensere in proposito Societatis ineundæ. Noctis bonam partem precando exigebat; diei ægrotis ministrando in nosocomiis, & propensiùs leprosis. Sodalitati præerat, cuius vnum erat in piis operibus ex instituto pensum-

pensum. Modestia iuuenis hoc mirabilior, quo illic ratior; amor in pauperes tàm misericors, & effusus, vt sæpè domum rediret seminudus, quòd parte vestium texissет eorum nuditatem. Annum inchoabat ætatis vigesimum, dabátque Theologiæ operam cùm Societati applicuit animum, in ministerium Sinensis expeditionis. Missus est igitur in Sinas ad tyrocinium, simul ad aliquod Scripturæ Sinensis, & linguæ rudimentum, quo in vltimo adeò nihil egit, vt ne vestigium quidem biennis illius studij præferret, quamuis excellenti memoria præditus; at enim paucis post tyrocinium mensibus, mediocri studio, eos egit in iis literis progressus, vt cui parebat P. Cattaneus negaret se posse alteri quàm magisterio diuino illos tribuere. Motus animi sic edomuerat, vt cùm esset ingenio ardens, pituitosus crederetur; corpus tàm inimicè laniabat, vt esset ab eo inhibendus; horrori erat copia sanguinis, quo induſia, & solum cruentabat; qua sui verberatione abstinebat quidem in itineribus, ne plagarum crepitu aduerteret comites, sed vngues altè carnibus infigens, dolorem verberum scarificatione illa acerbissima pensabat; nihil fuit domi tàm abiectum & laboriosum, quod vltrò non ambiret; imò & aliquo difficultatis auctario, ad meriti cumulum condiret. Potest non temerè illius victus, quotidiani ieiunij censeri nomine, nec ferè aliud sinebat nostræ Hancei stationis in qua degebat penuria: & quò munusculis tùm vtendis tùm recipiendis abstineret, quibus missitandis certè parentes non parcebant, sat erat hunc scire, ex patria venisse. De hoc suo amore religiosæ paupertatis ad amicum scribens, ah! possem, aiebat, meipsum quoque in mancipium tradere, vt nec vitam hanc mihi fas esset meam nuncupare. Iussus alia quæ offerebantur pia munuscula non repudiare; parebat quidem, verum simul accepta facultate, iis tàm celeriter exonerabat sese, vt se multi libenter iisdem onerant. Tantis spatiis ab terra, & infimis; absais & omni suorum recordatione, atque adeò à seipso aulsum, & purgatum, mirùm non est, si tàm defœcati sublimè in Deum leuarent affectus, semperque in eo habitaret, colloqueretur, lachrimaretur, suspiraret: quæ fuit causa Sinæ cuidam apud nos diuersato dicendi domum illam visam sibi fuisse paradisum. Habuit suum nihilominus quo excoqueretur ignem tàm beata virtus; scrupulorum tormentum, quo nullo in terris bonorum animæ torquentur immaniùs. Hoc ille ferendo, & obtemperando superauit. Vno demùm post tyrocinium suum anno, morbo ictus, putauit solito se sui neglectu, vim morbi elisurum; sterit in pedes actuosus ad diem septimum, quo planè viribus destitutus cum decubuisset, duabus post horis animam efflauit, magno Christianis qui eum ex virtutum præstantia nouerant sui desiderio relicto.

Sublato è viuis Terentio & Ludouico Gonzales, subière in Sinas quinque, Octobri mense, Tranquillus Grassetius, & Petrus Canevarius Itali; Benedictus de Matos Lusitanus; Stephanus Faber Gallus;

Michaël Trigaultius Belga, Nicolai fratre parente ortus, nec fuit aliter suspicacitas lyncea Cantonensium fallenda, nisi Lusitanorum habitu, & cultu; nam decem bellicas machinas & arma Macaenses ad Regem Sinarum cum libratoribus illarum dono miserant aduersus Tartaros. Legationis huius caput Gonzalus Tesseira Correa Macaensis, interpretem duxerat P. Ioannem Rodriguez qui deinde Pechino remissus est Macaum vt auxiliarios Lusitanos trecentos Regis nomine impetraret, quibus quinque illos de nostris admiscuit. Crescebat interea iis profectibus Christi fides, qui magno dolore nostrorum animos, & stylum accenderent, ad operarios flagitandos quibus non dicam stationes, & partes operæ, sed regna diuiderent propinqua messe albentia. Nec enim licebat stationum nouarum studio, partarum curam prius omittere, quam professionis suæ sanctæ absolutam formam, Neophyti penitùs induissent; nec statiua hæc Patrum vno vel tempore vel loco arctabantur, sed suam quisque descriptam habebat regionem vrbibus, oppidis, & pagis frequentem, quam sursum deorsum perpetuo, itineribus, monitis, prædicatione, doctrina peragrabat, erántque ij discursus continuatæ velut conciones quibus captus subinde populus integer Ecclesiæ accedebat. Quod nunquam profectò futurum fuisset nisi factorum documentis, sanctimoniam Christianam ex Neophytorum innocentia suspexissent, qualem, apud suos etiam Bonzios, animorum Magistros nec discebant, nec deprehendebant.

Cæterùm hanc nobis agendi libertatem, tyranni Scin sacrilega rabie ereptam, nunc primum post annos tredecim integratam, debuimus Calendario abaco, cuius nobis emendationem solenni mandato Rex imposuerat, ex quo tantùm quotannis cernemus extitisse ad proseminandam, & defendendam Christi fidem præsidium, vt nullum humanitùs fingi valeret potentius. Et hinc Patres subibat, Riccij dulcis, & grata memoria, qui sancte futuri præsagus Mandarinis primus insinuauerat de Calendaria tabula, nostrorum studio reformanda: inde alterius, quisquis is fuerit, certè non grata recordatio cuius edictione nostri vetabantur correctionis eius oblatum munus admittere, nedùm illud sibi deposcere; quòd Euangelij præcones negaret decere, scientiæ alterius specimem præterquam solius Euangelij præbere; constabat autem amœnioribus literis, apertam in Sinas Euangelio Christi viam, eiúsque Ministros aduersus leges peregrinitatis, Literatorum beneuolentia defensos, quam sibi artium Europæarum prudenti ostentatione conciliauerant. Ex vna quidem suadendi Christi libera facultate, quam Calendarij præsens instauratio attulerat Vagnonius, & Rhò in Prouincia Scianſi quingentos circiter hoc anno baptizarunt. Sequenti Vagnonius sexcentos, tùm centum supra mille; fuitque non dispar fœcunditas stationum decem, quas in præcipuis octo Regni Prouinciis tenebamus. Præter hos prouentus Neophytorum tàm prosperos, aliud extitit postremis his annis incomparabile ex ea quam dicimus reformatione

70. Literis politioribus aditũ in Sinas Religio sibi muniuit.

tione Astronomiæ Sinensis. Eodem nimirùm aditu Christi crux palatium subiit; sibique nonnullos auctoranit ex primatiis Eunuchis, quorum vnius, quem post laudabimus, præstanti opera, paruus Sinarum Imperator baptismo lustratus est cum Imperatrice ipsius parente.

Dum verò vbique operi, nostri feliciter instarent, Adamus Scial in Singanfu, vrbe Scensiensis Prouinciæ Principe, infracta constantia laborem sudabat, nemini vtilem; sibi patientiæ inuictæ diuitis vberem. Nusquam tot alibi accusationes, iniuriæ, vadimonia, probrosæ passim epigraphes in legem Christianam, ea in ipsum foris conuitia exsibilantium, & contumeliæ; domi molestiæ & ærumnæ, vt eius quidam socius, Nanchini carcerem expertus, mitiorem putaret, commoratione illa Singanfuana. Sed hoc demùm anno mutatione omnium repentina, eos legit tolerantiæ suæ fructus, qui nisi miraculo adscribi non possint; nam exinde omnes ita est nactus sibi beneuolos, eosque maximè qui se præ cæteris vexassent, vt templum ædificaret sanè magnificum & ornatum, sed in eo prorsus mirabilius reliquis quod fere ex stipe ab ethnicis non tàm corrogata, quàm certatim collata constructum est; eorúmque frequentia celebratum dum verba faceret de negotio salutis, cuius summa esset, obseruatio legis Christianæ. His circumfusum lætitiis Adamum, & iam ethnicorum quinquaginta lustratis gaudentem primitiis, Regium diploma in aulam accersit, & in noui gregis continuanda cura, partes eius, vnus è sociis accipit. Fuere, quidem eiusmodi vrbes, & oppida ingenti numero, quibus veræ salutis, ministerio Patrum affulsit prima lux, vel si ex aliquo æternitatis fatu iam emicuerat, latissimè fusa est; verum huiusce faustitatis palmam tulit Prouincia Fochiensis, cuius ex Metropoli Focco incredibile est P. Alenius, quot terras obierit, ignem Christi quàm longè sparserit, Christianorum cœtus quàm multos coëgerit; quot Ecclesias fundarit, Ciuenceum sola, Metropoli prope par, nisi quod situ felicior, operarij cuiusuis in extinctum robur, & animos, magnitudine laboris fructuosissimi potuit exhaurire. Quem fortè Deus inditio voluit ineluctabili animare, adoratæ illic veteribus seculis, Christi crucis; Dum enim antiquæ fabricæ sepulta rudera educunt fossores, in marmor incidunt crucis effigie visendum, crassitudine digiti extantis, & concinnitate pulcherrima figuratæ. Surgebat in altum palmos duos & sesqui, tanquam scapus ex vmbilico plantæ, illic notissimæ, quod fronde ac floribus craterem formet aspectu elegantem; accurrunt Sinæ ad spectandum id signum; nam iis vbique venerabilis est quiuis antiquitatis odor; auent multi de illo cognoscere; docentur illius intelligentiam, & arcani illius maiestate benefica molliti, Christianismum profitentur. Ad hæc argumento inexpugnabili, falsè ridebatur Bonziorum mendax garrulitas, qui Patrum commentum interpretari soliti legem Christianam, cernebant illam euidenter possessionis antiquæ iure sectis omnibus Sinarum esse potiorem. Verum enim vero nullum crux egit

71. Repentini fructi laborū sterilium.

72. Crux refos. Ciuencei, in prouinc Fochiensi.

triumphum clariorem, quam de suffixis in crucem *vitiis & concupiscentiis*, quibus Neophyti quotidiano miraculo suas ornabant victorias, & qui heri effrænes vitam quadrupedum vixerant, hodie Christiani, angelos viuebant: Lotus est Hancei sacro fonte iuuenis Literatus, etiam patre ethnico, & valdè occultè; at ne spatio quidem vnius diei celare potuit quod erat, adeò se ab eo qui fuerat petulanti, & immorigero diuersum mox prodidit. Agnati quà sectæ contemptum indignati, quà paterni iuris vsurpationem in deligenda vitæ ratione, parenti suadebant eum ad idola retraheret; quibus sapiens senex, imò, ait, si nondum Christianus foret, omnibus lachrimis & precibus agerem, vt esset, nec vel in crastinum tantum boni differret; per me quidem vt talis fieret multis pridem ab annis feciſſem, si quod video in illo factum, putassem fieri potuisse, & intelligere valuissem vim illam Christiani lauacri quod illi Patres contulerunt cœlestem, & diuinam, quæ conuersione subita dæmonem transformat in Angelum; nam is, inquit, nudius-tertius in omnem effusus libidinem, peruersitatem, proteruiam, & curationis omnino desperatæ; mihi nunc parenti, exemplo est, pudétque hoc ætatis, licet innoxiè, & laudabiliter exactæ, abesse longiùs ab ea virtute, quam haud scio quo fatu in eo natam, pauci à baptismo absoluerunt & perfecerunt dies, addénsque de placabili modesto, docili grauique illius iam Christiani ingenio complura in eo hæsit, quod in iuuene nuper flagitiis dedito, iure portento vocabat simile; pudore videlicet ab occursu, affatu, & aspectu feminarum, auerso, & refugo, in quem antea effrons, & insolens palam ferebatur, nunc ad colloquium si cogitur cum iis consistere, collectus intra se, fixísque in terram oculis id agit, anxiùs interin, ferénsque verecundè si vel dubitat ab iis se aspici; virgo denique renatus videtur, in quo vtinam, & nostræ virgines illum æquent.

73. Prodigiosa morũ commutatio in Neoph.

Ob hæc beatum me arbitror, & illam Christianorum legem millies appello, & prædico sanctam, cuius etiam prima professio alumnos suos sanctos facit.] Hæc ille quibus aduersarij fraudulenti comminisci nihil poterant quod opponerent, plus nimio certi nusquam apud sequaces idolorum, integritatem illam repertum iri, quàm in nouitiis Christianis negare non poterant. Porrò conuersiones morum tàm admirabiles & nouæ, in decrepitis quoque, ac semper eatenus dissolutissimis senibus, argumentum erant, quo cunctæ Bonziorum iugulabantur calumniæ, & vera, si non erro, causa, cur in gente cultu, & ingenio docta miraculis pluribus parceretur, quæ illic tantùm necessaria sunt, vbi debilitas ratiocinandi mentem præbet assensioni difficilem. Quanquam ad damnandam superstitionem ethnicorum, & corroborandam Neophytorum fidem, tot omnis generis morborum sanationes extitere, tot è cœlo vsa, tantum in dæmones imperium, tàm multa denique naturæ viribus maiora, vt iustum possint volumen conflare; sed me magis virtutum pars illa delectat, quæ nihilo ad fidem propagandam quam ea prodigia minùs

nùs efficax visa est; nam quod tàm stultè Bonzij quàm malignè, mutationes illas morum in Neophytis illustres, magici carminis accusabant, non cogitabant hoc ipso stolidi se nostrum dæmonem Diis suis facere meliorem, qui suos sanctissimos faceret, illi deterrimos. Miraculo certè est in Sinensibus Christianis, educatione, & natura mollioribus, pœnarum grauium inter iuuenes, quoque & maritas voluntarius vsus quem in eos induxit meditatio Christi patientis Concionibus Patrum assiduis, imaginibus, & libris, pridem inculcata, & semper oculis animóque obiecta. Peculiarem, vt alios fileam, in laude hac locum promeritæ sunt Hancei feminæ, ieiuniorum crebritate, asperitate flagellorum, & ciliciis, quæ sibi vt plurimum texebant; quibus verò ars illa deerat, fronte solo ter quater admota, donari ea sibi à Patribus rogabant. Idololatræ vxor annorum viginti, sub capillari circulum gestabat triginta suffixum aculeis, monimentum arcanum coronæ spineæ Redemptoris, cumque vt fert vsus patriæ comitatis, fronti manum sæpiùs applicaret, premebat illos in caput aculeos ad sensum doloris toties reparandum; eam cruda sui verberatione copiam sanguinis ducebat è corpore, vt modus fuerit à Confessario ardori ponendus, quem ipsa teporem interpretabatur, marito præsertim ethnico à quo intime amabatur, iniquissimè ferente, illam sibi esse tàm crudeliter inimicam, quod autem esset virtutis mirè ingenuæ, & consuetudine multùm amabili experebatur à matronis etiam ethnicis, & audiebatur cum voluptate, de diuinis agens. Vocata igitur in numerosum gynæceum, in quo nulla erat præter matrem familias Christiana, Christum omnibus persuasit, haud tàm dicendo, quàm agendo, & exemplis afflictationum, quibus obseruabant illam in semet desæuire, & quarum ardorem in eas etiam transfudit. Aliàs rogata nobilem visere ex morbo fatiscentem, nec nisi ab horis aliquot Christianam, vbi eius impatientiam doloris, & vicinæ mortis amarorem, quibus licuit verbis diluisset, prehensam dissimulanter ægrotæ manum, suo sensim lateri admouit, quod crassa præcinctum catena vt sensit, exclamans, proh! quid hoc, inquit, tormenti est quod vestibus operis? cui blandè subridens, scires, ait profectò, & experta scires, nisi recens adhuc esses Christiana. Sic enim solemus contracta quotidie apud Deum delere nomina, ij quidem illa, diuersa alij satisfactione, mihi cinctus catenæ ferreæ ad hoc visus est conuenire. Quin demus nos esse omnium in terris innocentissimos, an possumus Christum inter opprobria, & cruciamenta, læti, & benè habiti cernere morientem, & qui mortis illius, & supplitiorum rei sumus, nihil eius amore perpeti? cuius documenti magisterio perculsa matrona seipsam erubuit, & verum, inquit, omninò ais, mihi nunc si vires suppeterent, profectò non parcerem vt cui tot annos idem fuerit viuere, & in Deum peccare; illorum vicem morbus hic subeat quæ factura essem si valerem; hoc vitæ residuum breue, aut secus, & patiens, & læta

74. Neophyti Sin. quam ardentes ad asper. pœnit.

perferam, quicumque illud cruciatus exasperauerint. Quod mentis sinceræ propositum æquali oris, & animi serenitate ad mortem retinuit. Intertexitur triennium sequens rerum similium aut satis vulgarium miscellaneis, ex quibus solum ea lego, quibus cognitionem legentium fraudandam non censui Tesseira ille cui nuper diximus creditas fuisse à Macaensibus bellicas machinas, ad Regem Sinarum defe-

75. Legationis exitus qua torméta bellica Regi Sin. mitteb.

rendas, haud multis à Pechino leucis, Lianchianum offendit à Tartaris captam, ex qua illi vrbe parabant Regiam ac Regem obsidione concludere; vna illis interiecta obstabat Cioceum, leucis non plus septem à Pechino distans, sed eam ciues cogitabant fuga deserere; subit in eam præsidio Tesseira & sui, pauci numero at bello viuidi; quà impressionem facturus Tartarus, machinis muros armat, & cantheriatis catapultariis. At enim Tartarus præda grauis captam omittit Lianchianum, nedum vt aliquid aduersus Coceum moliretur. Tàm inopinatus Tartarorum in confinia receptus, gloriæ plurimum Tesseiræ attulit, neque is ægrè sibi persuasit, sui nominis fama pulsos, tametsi fortassis alia omnia cogitassent; Rex ipse victoris Tartari trepidatione absolutus Lusitanorum donis & aduentu, mirè lætatus est; Tesseira paulò post cum suo interprete Ioanne Rodriguez, suos Regi dedere libellos supplices; profitebatur se Rodriguez vnum è Riccij sociis, cuius nondum obsoleuerat in aula decus; se legis eiusdem, & obseruatorem, & præconem esse, quàm ex Europa, Sinarum imperio Riccius attulisset; de Lusitanis comitibus, & Macaensibus à quibus mittebatur, subdebat tantùm quæ in rem facerent. Tesseira verò Legati officio perfunctus; Regi, modo iuberet, trecentos obtulit Lusitanos, quos esset ad eum aduersum Tartaros ducturus, eorum robore animaturus Sinas, nec profligaturus modo Tartarum, & compulsurus intra suos fines, sed eam de illo edituras stragem, quæ solenni exsecratione æternùm memoraretur à Tartaris. Nunquam erat cum iis congressus Tesseira nec eorum fortassis infinitum vnquam putarat numerum, eo confidentiùs promissa iactabat; itur super iis in consilium seriò, vbi Doctor Paulus eó suffragia inflectit, vt auxiliarios trecentos Sinæ à Lusitanis acciperent. Eam ob rem Tesseira retento, Macaum Rodriguez renauigat instructus diplomate quo illa auxilia petebantur, & ornabatur ipse fidelitatis laude, præter literas, & religionem, nihili cætera ducentis. Macaenses hanc occasionem, quam magnis pretiis emptam vellent vltroneam occupant, promerituri vt sperabant ab Rege Sinarum prærogatiua quædam iura, foro suo maximè quæstuosa.

76. Lusitan. 300. auxiliares mittũt Mac.

Lusitani centum quinquaginta confestim armantur, nobili cultu, & splendido, totidemque illorum famuli, cum iis Rodriguez & quinque quos diximus Pechinum contendebant, iámque venerant Nancianum Chiansis Prouinciæ vrbem primariam, cum aut metu laxato Tartari longiùs abscedentis; aut crebro suorum monitu, Rex cauens periculo, peregrini militis in regnum inducendi, per citatũ cursorem, mandat illos, retrò

retrò Macaum flectere, præter paucos illos, qui Macaensium nouũ munus, varij generis armorum, tutò essent in aulam perducturi. Cum his Pechinum Rodriguez & sui appulere; Timceum inde, nõ multis ab Tartaro milliaribus concedunt, vbi Sun ille Ignatius de quo antea sæpè Sinarum militiæ cum sommo imperio præerat, vir animosæ pietatis, consiliorum prudentia, & quod in Literatis rarum, fortitudine militari clarus, qua & Tartaros non semel obtriuerat, & vrbes quatuor nuper ex iis receperat; & Leaotuni, extra ordinem creatus Prorex, etsi nondum inauguratus Doctor, magnam Christianis præbebat fiduciam. Sed hunc securitas nimia susceptæ expeditionis miserè perdidit, vnáque Tesseitam cum suis aliquot Lusitanis. In eam militum tria millia miserat, & suo illo nudatam præsidio Timceum fortuitis impressionibus obnoxiam, & imbecillam effecerat; milites in pagis dynastarum, quos nulla publici tangebat, cura; pessimè accepti, prædantur, mactant, nihilo mitius hoste quouis, quà fames, & ira rapiebat in omnem barbariem feruntur; moxque conscij perduellionis, dum vagæ regionis deuastatione, & fuga pœnam anteuertere meditantur, consultiùs statuunt Timceum inuadere, quam reliquerant defensoribus vacuam, & inermem; eiúsque se præda, & mœnibus tutari, dùm conditionem aliquam tempus ferret, qua commerita exirent supplicia. Adortis vrbem de media nocte, occurrit Prorex è mœnibus; occurrit Tesseira, cum suis vterque, forti sed irrito conatu. Teisseira dùm tenet manu altera laternam, ignes altera græcos spargit, ad laternæ lumen transuerberatur telo, per medium pectus, quod nimis audenter, inermum ad pugnam attulerat. Reuulso sua manu iaculo concidit, & die postero viuere desiit. Ciues ne mora propugnationis, conditiones suas peiores facerent, rebelli portas pandunt, in quibus quod restitatum est, nece Ciuium quorundam, & Lusitanorum, nullo præterea fructu stetit. Libratores machinarum tres, & cum iis Rodriguez deiecêre se muro in subiectas niues quæ tunc omnia obtinebant, & cursu Pechinum confugere; Perduelles, & ciues sceleris pœnitentes, veniam ab Rege magnis intercessoribus exorarunt. Sed longè acerbius in Proregem Ignatium, Ciam Michaëlem, & Doctorem Van Philippum consultum est. Primis duobus abscissum est caput, inuidia potiùs æmulorum, quàm Regis indignatione, tertius omnibus exutus, vitam ex aula solam incolumen retulit. Adamus Scial, ore, & vestitu assimilatus in carbonarium eò se intrusit. vbi duo illi plectendi capite seruabantur, audiuit confitentes, & per integrum sesqui diem, erexit omni consolatione ad supremum illum vitæ suæ actum condignè suis virtutibus Christianéque peragendum. Debebatur hoc ingentibus in Patres, & Christi legem Ignatij meritis, viri probatissimæ virtutis; & digni planè cuius diuturnis obsequiis Rex peccatum donaret, aliena magis conscitum culpa quam propria; vel ob hoc saltem quod oblatum Regnum à perduellibus, abominatus respuisset, maluissétque vt aiebat, caput

innocens

innocens perdere, quàm mille imperiis reum coronare. Hanc mortem luxit Ecclesia Sinensis, tanquam publici boni cladem, cuius exempli heroici, & auctoritatis firmamento se destitutam sentiebat. Tesseiræ, eiúsque comitibus tùm libratoribus machinarum tùm reliquis, parte plus media in conflictu cæsis, præter sumptus honorifici funeris, Rex titulos addidit, laudis eorum testes perpetuos, quos Sinæ pecuniis omnibus consueuerunt præponere. Roderiguez & superstitibus Lusitanis, missionem petentibus humanissimè concessit, & Macaum vsque, mensium trium viaticum liberalissimum. Quam Regis largitatem Senatus militaris, Doctore Paulo suadente, auxit prolixa commendatione Ioannis Rodriguez, qua semper è Societate Iesu nominatur, data est Iunij vndeuigesimo, anno 1632. quo iam cœperat Sinis perspicuum fieri, Societatem Iesu, peculiarem hominum cœtum esse quibus id esset propositum, vt religionem quam profitebantur, quauis alia expulsa toto imperio funderent. Nec aliud memoratu dignum in eo legitur commendationis diplomate.

77. Rex idola palatio exturbat, & cur?

Iam si quod metu præsago ethnici, desiderio Christiani, ex quodam Regis præcipitato facto diuinabant, integrè processisset, actum erat de tota Sinarum idololatria. Nam die quodam Rex, quod mortalium nemini venire in mentem potuisset, turbam illam mutorum Deorum innumerabilem quæ in palatio prostabat præcepit exturbari, æreos, argenteos, aureos fundi, conflari, ad vsum pecunia cudi; ligneos, odoratos, cuiusuis aut formæ aut materiæ ij forent, flammis tradi; templa illorum, & delubra in vsus alios conuerti, dempto solum vno quod indulsit potiùs lachrimis, quàm religioni Reginarum; cuius imperij nouitas à cogitationibus hominum adeò aliena, illudque Deorum vniuersale comburium atque exilium, diuersissimis iudiciis, & rumoribus, regnum omne impleuit. Illud communiùs, & frequentiùs iactatum, Doctore Paulo suasore, quem Rex in Colaum promouerat, hoc est rei summæ administratorem, aut esse Regem Christianum, aut propediem fore, cùm abiectio idolorum, vltimus, de more, ad baptismum præmitteretur gradus: quæ opinio ita inualuit, vt Mechliniam vsque seu Manillam peruadens Philippinarum vrbem, tres inde acciuerit è S. Dominici ordine, infinitati populorum baptizandæ operam daturos, quam certò fingebant Regis exemplum secuturam ex iis vnus tantùm in Prouinciam Fochiensem applicuit; Duo proditione Nauarchi Sinensis, expilati, & cæsi: alij totidem cùm venissent, vnus ex eadem, alter è S. Augustini familia, primi omnium ex religiosis ordinibus Sinas ingressi sunt, quinquaginta post annis, quàm nostra Societas cœperat in iis laborare. Ac ne his quidem occupandis quod meditati fuerant respondit, nec visi sunt velle linguæ Sinensis addiscendæ longissima tædia perpeti, citra quam putarant fore sibi in promptu populos tingere; at neque hos populos ad baptismum paratos, nec ipsum Regem inuenerunt. Portò illam Regis in Deos iram haudquaquam accendit veri Dei veritatis notitia,

notitia, nec amor legis Christianæ, sed desperatæ indignationis in illos furor, quòd se suis in hominum, & vrbium immensis, & perpetuis cladibus, ne ope quidem leuissima iuuissent aduersum Tartaros, etsi sedula semper, & sumptuosa pietate illos coluisset. Quam ipse sibi adorationem, sentire hinc cœpit fuisse damnosam, quòd cœlo erepta, cui debebantur, sacrificia idolis tribuisset, diuinitati scilicet peregrinæ. Quare in illa confirmatus aurei seculi antiqua persuasione, omnia de cœlo, boni aliunde nihil expectandum; muta illa & cæca simulachra, nullam nostri curam gerentia, exegit ab animo, & aula, omnémque deinceps religionis cultum ad sacrificandum cœlo contulit tanquam Deo, & quidem Regis tàm peculiari & proprio, vt ei sacra facere præter Regem fas esset nemini. Fixis ergo quotidie spatiis humi prouolutus venerabatur cœlum, & capacem ex auro acerram cumulabat odoribus pretiosissimis, quorum vapor, vota infelicis Regis dissipanda in auras portabat. Cœlo enim fiebant huic inanimo, & aspectabili non eius conditori, & domino, quem cœli nomine, Sinarum antiqui sapientes intelligi, & coli voluerant. Profuit hic tamen rei Christianæ maiorem in modum, idolorum contemptus, & ignominia, Regisque conuersi qualiscumque fama; ea potissimùm ex causa, quod purgatum idolorum peste palatium; salubris subiit veri Dei cognitio, & nobilissimæ Christianitatis, iacta sunt fundamenta, eius primarij lapides fuêre, potentissimi Eunuchorum decem, & qui reipsa posse se omnia in Christianismi decus, & gloriam abundè comprobarunt. In iis excelluit Pam Cum Achilleus, cuius æterna in Christi Ecclesiam decora celebrabit, quisquis hanc nostram historiam producet vltra Societatis annum secularem; quam mihi scribendi metam proposui: socium habuit mutationis generosæ Nereum nomine; matres decrepitas in palatium induxêre, instituendas à F. Pasqualio Mendez Sinensi, cuius incredibilis in dicendo, docendoque comitas, & elegantia, eius aulæ sapientissimos plurimùm delectabat. Catechismo excultas Adamus Scial, baptismo lustrauit, principibus feminis duabus, renatas anus è vitali fonte excipientibus; addidit Scial gratulationi tàm inusitatæ, augustissimum sacrificium altaris, quod primum in Regia Sinarum Deo oblatum est. Exin Achilleus, salute matris in tutum subducta, conceptæ baptismo caritatis ardorem egregium, in Collegas Eunuchos semente tàm prospera misit, vt ab eo ad Patres subinde alij aditent diuina pleniùs edocendi; sed fuit palmaris eius victoria ex nobilissima Liei familia Eunuchus, Dux prætoriæ cohortis, quem Prothi nomine Sacer baptismus insigniuit, & de fœdissimo turpitudinum omnium reuulsum gurgite, in eam eduxit puritatem, vt cùm esset aula, & officio mouendus ob informia vitæ propudia, post ablutionem sacri fontis, iam non sit agnitus, planéque diuersus ab eo qui fuerat, Prætorianorum retinuerit Præfecturam. Matrem is & aliquot sorores Christianis adiunxit; sed ob duratam ætate memoriam, nihil matri pote-

78 Eunuchorū conuersio.

rat eorum imprimi quorum debet baptismo scientia necessario præmitti, eam ob rem illi optimus filius dierum quinque ieiunio à Deo impetrauit, non modo vt facilè quæ tradebantur perciperet, verum etiam solidè retineret; cæteris autem palatij Principibus feminis, & honorariis rudimentum diuisit fidei Christianæ, quod olim à Patribus editum recudi iusserat, spargebátque ex occasione, læto quem postmodum retulit prouentu. Eodem in palatio sacellum', superbo cultu adornatum & supellectili instructum diuite Patribus obtulit ad rem sacram, & Christianis intra palatium ad fundendas preces, quas quotidie frequentabant, & multiplici proclinatione, largóque suffitu accendebant: nec se clausstris palatij tenuit, nobilis Prothi ardor; Longobardo Tacimum eius patriam petenti, diuini operis se comitem dedit, nec scio vtri plus debeat, quæ inde nata est Christianitas, Longobardo Euangelium promulganti, an Protho illud exemplis confirmanti. Agebat enim vir eius officij eiusque maiestatis quæ supremos quoque Mandarinos ægrè aspectu dignatur, agebat, inquam, Longobardi humilem Catechistam, familiarem, affabilem, facilem, pauperibus, pueris, vulgo promiscuo, principia fidei patientissimè exponens, & prodigij nouitate Christianismi vim miram reipsa comprobans, mutandis in Angelos hominibus efficacem; dum castimoniam Eunuchus, modestiam, & demissionem sui Christianam superbus antea suaderet.

Non disparibus incrementis, ex palatij foribus in vrbem, & vicina splendor fidei fundebatur; sex mille quingenti quadraginta baptismo lustrati, ex quibus Pechinum octingentos sacro fonti dedit, qui velut primigenius numerus, magnis deinceps accessionibus quotannis auctus est, Longobardo strenuè Christi negotium agente, cum F. Pasqualio Mendez Catechista. Sed his libertatem agendi tàm pronam & peruiam fecerant Adamus Scial, & Iacobus Rhò, qui ab Rege delecti ad rectandos Sinatum Astronomicos abacos, tàm venerabilem vbique nostrorum famam excitarant, nemo vt illis auderet contendere quod vnum ab iis agi norant, cultum scilicet veri Dei, & religionem sanctissimam vniuerso imperio, pulsis idolis statuendam. Visendi obsequia Magistratuum etiam supremorum, ea crebritate nostros occupabant, vt ne iis quidem in vices quatuor mutati sufficerent, sed fructu incomparabili regionum, in quas perfuncti officiis aulicis redibant, spargebántque notitiam veri Dei, & inflammabant vrbes, & oppida desiderio nostrorum. Quamuis autem ille polygamiæ incœstæ murus aheneus, Literatorum compluribus obstaret, ne quod magnificè laudabant fortiter sectarentur; verum ad fidem dilatandam mirum quantum conferret, eos rationibus conuictos de vero Deo, & religione, verè excellentérque sentire; postea si quidem publicis arctati calamitatibus in templa nostra confluere, crucem venerari, & sacras imagines; malis remedium à vero Deo flagitare, nec rarò illud, euidenti prodigio referre, ac votorum rei, donaria, odores, encomia, acuto

79. Magnæ extra palat. & Regiam vrbem cõuers.

ingenio

ingenio lucubrata, beneficiis grati rependere. Quod eò denique processit, vt magni nominis, & sapientiæ Mandarini religionem Christianam ea orationis præstantia, & sublimitate, libris editis commendarent, quibus optimus Christianus, nihil posset adiicere. Horum ex numero is fuit, ad quem merito referamus Christianitatis in Puceo exordia, Pergebat inuictus laboribus Vagnonius in Chianceo, & circumiacentibus, quem propterea Iacobus Rhò Scianſis Prouinciæ Apostolum nominat, quòd ei Ecclesiæ haud dudùm ab se inchoatæ obtulerit hoc anno bis mille quadringentos, & septuaginta ex ethnicis Neophytos, omnesque sua manu tinctos. Sed concionando, scribendo, viuendo, & eorum quos instituerat moribus, cum esset omnibus admirationi, & desiderio, negligebatur à Puceensibus. Est autem Puceum amplissima ciuitas diuitiis præpotens, & nobilitate, maximè verò Mandarinis, Literatisque omnium Ordinum. Sed eam cultu idolorum, tàm pertinaciter Bonzij infatuauerant, vt de vero Christianorum Deo, lege, vitáque mirabili, etsi multa audirent circumquaque; nunquam tamen adiicerent animum ad inuestigandum de rebus tanti ad æternitatem momenti, & pretij, donec eos Colaus de stirpe Han expergefaceret. Pechino rediens Colaus Puceum diuerterat priuatum quoddam acturus negotium; illic Vagnonium, cuius pridem amicus & admirator erat, fortuitò accepit itinere tridui abesse, rogauitque statim per nuntium ne grauaretur Puceum excurrere, quem illic dum auidè operitur, tantam mouit illius Mandarinis, à quibus certatim adibatur expectationem, non modo vt omnibus optatissimus aduenire, sed exciperetur etiam communi gratulatione. Post, eius quod tantum de illo deprædicauerat experimentum coram præbiturus, induxit illum in sermones quos cuique libuit ponere, de naturalibus, mathematicis, ethicis, vt quisque maluisset, præcipuè tamen de Deo vero, eiusque filio Christo Iesu, cuius effigiem, editiori aulæ loco, & nobiliori statuerat, tàm multa disputauit, & ad euertendam superstitionem tàm efficacia, vt ignoti Dei, & Vagnonij nomine Puceum omnis resonaret. Hinc Literatorum feruere accursus, quorundam studio curiositatis, aliorum disputationis; ille tàm felix argumentum eximiè versare, & impossibili primarum multitudine causarum reuincere atque asserere diuinæ essentiæ vnitatem. Cuius ille demonstrationis, vsu atteque experientissimus, eam Literatis obiectabat, tàm perspicuè palpandam, vt stupentibus Bonziis, ciuitas vniuersa, ex summa idolorum veneratione, in summam eorum detestationem repentè verteretur; & Literati centum quinquaginta diuinis aquis lustrarentur, nec vnquam antea tàm multos angusta mensium quatuor opera dederat, plebeiorum verò non est initus numerus. Cæterùm coactus Vagnonius, ne aliis sedibus deesset quibus eum partiri laborem suum oportebat, primigenia hæc Puceensis Ecclesiæ germina tantisper omittere, quoad illa deinde ad maturitatem perducturus rediret, dis-

cessum nactus est, quàm aduersariis Bonziis ignominiosum, tàm sibi, & fidei illustrem. Soliti enim sycophantæ, veniam scelerum, loca in cœlo felicia, & quicquid sacrum habent, sumptuosis diplomatis, vt dictum sæpiùs, nundinari; vulgarant Patrem qui beatam sponderet immortalitatem, haudquaquam id gratis facere; adessent tantùm abituro, asportaturum inde thesauros opum; Christianorum auro, & argento, currus onustos abducturum, exsibilatum iri à se & damnandum sacrilegij eiusdem quod insectabatur in Bonziis; verum vbi de medio die solum vt venerat, cum eo quem tulerat supellectilis sacræ in humeris sacculo abeuntem viderunt, pudore confictæ calumniæ disiecti latebras quæsiêre.

80. Nostrorum 25. innouem Prou. diuisi.

Vt suam Vagnonius villicationem magno domini sui obibat lucro, sic reliqui de societate, quinque & viginti, ex nouem Prouinciis quas sortiti fuerant excolendas vberiores tulêre hoc anno manipulos, tulissentque multò locupletiores nisi partem illam Sinarum mediam quæ vergit ad Septemtrionem, turmatim prædones rapinis, cædibus, & incendiis miscuissent, intercluso ex parte Euangelij sacri præconio. At ille de quo paulò ante, indefessi vir animi, & laboris Alenius, hanc inter socios gloriam primus adeptus est, vt octo Regionum quæ Fochiensem Prouinciam componunt, nullam omiserit quam non multis bearet Christianorum cœtibus, & templis, statáque in iis exercitatione pietatis; in quo templum Focei vrbe Prouinciæ Principe constructum, præter elegantiam maiorem, illud habuit valdè singulare, quod spontanea ethnicorum contributione, magna ex parte ædificatum est, & condecoratum; ethnicis hoc sui erga Deum amoris, eiusque legem sanctissimam pignus dicantibus, quam etsi caperent vnam esse veram, & verè salutarem; respondere tamen eius castitati, & integritati se posse diffiderent. Absoluta demùm templi fabrica, & ornatu, inter musicos choros, & peregrini operis lumina, sacram imaginem in templum intulit in altari locandam, longis supplicantium ordinibus præuiis, & comitatu nobili stipatus, ea innumerabilis populi admiratione & reuerentia, vt ex tanta multitudine ethnicorum nemo vocem doloris aut gemitum mitteret, Christianorum Deo possessionem publici in luce omnium ordinum ineunte, & transuectione glorioſa per mediam metropolim de Diis illorum triumphante. Alenio Socius in hac pompa fuit Andreas Rodomina Lituanus; domum solitus seruare, dum is longinquas subinde reuiseret Christianorum suorum sedes. Ac potuit quidem Rodomina multum Sinensibus prodesse, sed Deus eius patientia contentus, caritatis labores non exegit; ab anno siquidem currentis seculi vicesimo sexto ad tricesimum secundum morbo insanabili languit, ob hoc ipsi potissimum molesto, quod præter priuatum tolerantiæ meritum; alienæ saluti non posset incumbere. Quanquam iuuit non parum Christianos, vitæ innocentis laude præcipua, familiaribus in communi congressu colloquiis, & serenitate oris, & animi

acquiescentis

acquieſcentis hilaritet ſuis doloribus, vitæ melioris expectatione, quàm ei feliciter obtigiſſe indicauit quiddam ſimplici certius coniectura. Nam mente præcipiens morienti ſibi non fore præſentem Alenium; ſæpè illi promiſit ſe illi poſt obitum vbicumque is foret nuntiaturum de obita morte. Igitur aliquando ſuos inter Neophytos agenti Alenio ſplendor obiicitur puræ lucis, nulla ſpecie figuratus, erratque ob oculos aliquamdiu, deinc ſenſim diſſipatus iterum redit, & toties vt ei promiſſum Rodominæ in memoriam reuocaret; en autem poſtridiè Foceo miſſus mortuum nunciat; horámque obitus & articulum notat, quem eſſe eundem agnoſcens Alenius quo pridiè perculſus fuerat viſo ſplendoris iterari, proſecutus eſt apud Deum mortem illam multa gratiarum actione, optauítque ſibi, poſt laborum quantaſcumque ærumnas, non diſſimilem à ſuauiſſimo ſocio exitum. Defuncto exequias honorificè pariter, & religiosè Foceenſes Neophyti ſoluerunt; ſepulchro impetrarunt montem tertio ab vrbe milliari, eò faciliùs quod ominoſus habebatur, nec vllus ethnicorum benè ſibi futurum in ſubterraneo Bonziorum mundo credebat fore, ſi eo in monte humaretur. Chriſtiani verò, pulchrè ſibi vbique, ac beatè futurum rati, dum ne ab Rodomina longiùs ponerentur, quem venerabantur velut ſanctum, montem ſibi eundem in ſepulchra legerunt. Ædificarunt in eo ſacellum egregium, in ſacello crucem viuo è ſaxo elegantiſſimam ad quam conditus Rodomina, & cohoneſtatus infixo parieti marmore, Andreæ Rodominæ inſculpto nomine, patria, virtute, milliarium vaſtitate, quam eſſet emenſus ad vitam in ſalutem Sinarum profundendam, quo grati & memoris animi Epitaphio illuſtri, non nemo ex iis qui diu poſt, in Dei opere illi ſucceſſerunt, incitati ſe ſenſit magnoperè ad ſalutem tàm nobilis populi animosè conſtanterque curandam. Porrò in fabrica ſacelli, & deinceps, ea dicuntur contigiſſe, quæ prorſus non ſcriberem, niſi magno teſtium numero conſtarent, tùm ethnicorum; tùm Chriſtianorum. Primùm cædendis in opus lapidibus, auditæ ſunt crebriùs articulatæ in lamentum voces. Abeamus hinc, vbi grauior pœna, quò longior mora; nec durando vincemus; ſucclamabant alij maiori rabie, malè pereant iſti qui hanc etiam ſolitudinem tot ſæculis noſtram, nobis eripiunt, eſtque verò ſimilius fuiſſe dæmones qui nidulabantur in eo monte, vt in multis pariter deſertis, vbi à maleficis & Magis, quibus ſcatent Sinæ ad ſua veneficia requiruntur. Alterum odoris ignoti exquiſita fragrantia è ſarcophago expirans, aliquot menſibus poſt Rodominæ conditum cadauer, qui vndecumque afflaretur, certè ab natura non videbatur poſſe exiſtere. Tertium caterua ethnicorum nocte ſæpius intempeſta in montem euadens ad profanandam crucem, & ſacellum, ſemper illic armatos reperit, quibus impar eſſet expugnandis, credidítque hos eſſe Chriſtianos qui pro defenſione loci excubarent. Sed vbi tandem perſpectum eſt, Chriſtianorum neminem vel eò cum armis vel noctu profectum; intellectum pariter ſacram ædiculam beatis

geniis curæ esse, piisque functorum animis pro quibus annuatim mortualium die, res diuina solenni ritu in ea fiebat. Verum omissis nunc pluribus quæ naturam transcendunt prodigiis, Neophytorũ piæ fiduciæ affatim concessis, pauca narrabo maioris miraculi, beneficio Dei prorsus singulari ad animorũ salutem edita. Differebatur ethnico baptismus, quod errorum suorum optimè conscius, anteactæ vitæ assuetudine improba teneretur; huic erat filius quem plus oculis amabat, hunc cernens morbo ad extrema perductum, vsúque sensuum intercepro animam agentem, & ipse præ dolore, semiuiuus, discruciari, angique morte filij, sed æterna magis, quàm temporaria, vt qui sacro adhuc careret baptismate. In hoc ergo rerum præcipiti, motus diuinitus, moribundo ad aurem se applicat, eúmque de nomine inclamans; tantisper ait, ô fili sustine; crastinum expecta, manè aderit nobis Pater, qui te baptismo expiatum transmittet in vitam immortalem; peris alioqui, & in ignos raperis sempiternos, ex quibus nulla te vel tua alterius opera vnquam eripiet; cui velut reuiuiscens puer; omninò genitor, crastinum, & Patrem, & baptismum ab eo, vitámque beatam præstolabor. Adest postero die Pater, puerum baptizat, & post horæ quadrantem, oculos claudit morienti. Baptismum item ardenter flagitans, virgo annos nata vix quatuordecim, differebatur à parentibus Christianis, quòd tàm crassi foret ingenij, vt fidei symbolum nullo studio posset menti defigere. Mœsta repulsæ pudore, ac damno puella, secedit in domesticum sacellum; illic vt poterat, dùm precatur, matronam videt adorabili maiestate, & formæ præstantia diuinam, cuius blanda voce erigitur; ne metue filia, quin ad me propiùs accede, & fidenter sequere præeuntem. Inde verbatim puellæ symbolum recitare, puella verbatim repetere, quod vbi absoluit, abi nunc, ait, & tuis edicito ne pergant tibi de cœtero baptismum negare. Illa cursu parentibus, visa, & audita enuntiat, & recitatione symboli expedita probat, nec dubitatum est ab cœli Regina edoctam, cui erat, & ipsa, parentum imitatione maximè addicta. Eiusdem Reginæ Deiparæ munus fuit, anus octogenariæ ad Christum accessus, cui præter ætatem superstitionibus incoctam, obstabat stulta sed pertinax meritorum ingentium apud vitæ futuræ Deos, opinio; quàm à se sceleratissimis Bonziis altè imbiberat. Annnos nata non plus octodecim, maritum amisit, & dedignata tunc se feminam esse ne in hac vita sub viri potestate; in alia Diis esset exosa; vidua permansit. Venduntenim maximis pretiis Bonzij singraphas, quarum arcana vi, feminæ mutato sexu renascuntur in mascules, & hæc præterea longè cariùs ab iis emerat obsignatam fidem Dei Præsidis transmigrationum, qua spondebat iuratus effecturum se statim post obitum, vt in Mandarinum nasceretur, quo delirio amens mulier velut propediem futuro, stola muliebri abiecta, Mandarini cultu incedebat, monstrosa visu, sed auaritiæ Bonziorum sancta; totaque penitus in adoratione idolorum. Respexit infelicem anum, pia, & misericors virgo,

81. Virginem docet Deiparæ, scitu necessaria ad bapt.

Et anum 80 a pn. mirab. conuertit.

virgo, aliena fraude quàm proprio scelere magis ream; nocte quadam illi spectandam se præbuit sereno vultu & hilari, cum formosissimis pueris duobus, Christo, & Ioanne Baptista; monuit benignè, ne sequi pigeret, multo melius ipsi, quam sibi fingeret post vitam hanc fore. Hæsit anui somnium tam expressis imaginibus viuum, vt rem sibi crederet vigilanti, prudentique obiectam, sed quò, cum quibus, & quam sequi deberet ignorabat, en ergo sub noctem sequentis diei, P. Gaspar Ferreira in id oppidum venit Chiencianæ subiectum ditioni, sacram in altari componit ornátque imaginem quod in auditorio struxerat cogendis ethnicis præparato, confluit populus ad imaginem nondum visam, & apud Sinas elegantem, ex qua Ferreira docendi aditus captabat; adest inter alios quoque anus cernendæ imaginis curiositate, de qua vulgo mira dicebantur, etsi multæ artis specimen non esset: primo autem ingressu, & aspectu, subsistens exclamat. Tres illi en! hi sunt quos nocte hac vidi, hos, inquam, ipsos vidi, quod P. Gaspari lachrimans cùm dinstinctè narrasset, ex eo didicit quò inuitaretur, & sequi quos viderat aliud non esse nisi fieri Christianam. Quod amplexata mox, personam deponit Mandarini, pallam resumit femineam, nugarum plaustra illi tradit igni absumenda, quibus absumptæ fuerant eius opes ab nequissimis Bonziis prærogatiua ipsi beatitatis iura in futuram vitam vendentibus. Postremò diuina bonitas obtinatissimum quoque [in filij monita parentis animum portento misericordiæ subegit. Familiam omnem, Christianis adiunxerat filius; solus obstabat suadenti parens, cuius denique infelicissimam animam cum ardentiùs solito, postularet à Deo filius, alioqui mœrore non consolabili moriturus, sic illam obtinuit. Orabat eodem tempore in lanario suo parens, & ecce idola omnia, nullius aut pulsa aut contacta manu, suis moueri sedibus, atis, & loculis; corruere, affligi, & dissilire membratim mutila; ethnicus, quod erat, iam non obscurè agnoscere Christianorum Deum Diis omnibus imperare, vnum esse ac verum Deum, solúmque adorandum. Surgens itaque filium accersit; Christianum exinde se asserit, pignus fidei suæ iumentum ad Gasparem mittit, simulachrorum fragmentis onustum, igni vindice absoluendis.

Sequantur nunc prodigia diuinæ gratiæ in Neophytis luculentissima; in iis non pono cilicia, catenas, verbera, præmissa communioni sacræ ieiunia, celebrationem festorum principum & rei diuinæ, cruda hyeme, per montes asperos, longis itineribus quæsitam; hæc enim omnia, vulgo vsu trita, videri singularia desiere. Literatum Suzaium, hominem ferum ideoque impotentissimæ, monit Deus vt veller esse Christianus. Patrem adit modestus, affabilis, humilis, & ab se, iam alius, cui tamen propterea, nec baptismus, nec fides statim datur. Moras sibi, spem inter & repulsam iniectas patienter ferens; aliquantò post redit, eadem qua priùs moderatione, suisque tùm precibus, tùm Christianorum amicorum à Patre susceptus diuinis imbuendus cum omni familia

84. Mirac. gratiæ diuinæ in Neoph.

lia quam ipse iam Christo manciparat. Die lustrico in paratam aulam propinqui eius conuenerant, & quibus fuerat in literarum studio magister (quod munus apud Sinas honorificum est) sistit illuc se medium Siuzajus, ad Sacrum fontem, sed eo schemate quod adstantes omnes habuit valdè attonitos; manu altera gestabat facem; vestem & insignia Siuzaij læuo brachio sustinebat, & hac specie consistens coram Patre, scio, inquit, has vestes non esse reas meorum criminum, his nihilominus peruios aditus ad tribunalia inueni, vbi arte dicendi causarum æquitatem millies venalem habui: boni vt damnarentur, fontes absoluerentur feci; nunc aliam initurus vitam, hac veste me spolio, vnáque omni Literatorum iure ad agendas causas pro tribunalibus; tàm certò id obseruaturus, quàm vt maximè vellem, nunquam has vestes sum repetiturus, cum his vestes in ignem coniicit, & demissione sui abiectissima prostratus in genua ritè abluitur Pauli nomen ex fonte sortitus. Dies fluxerant non multi, cum vitæ antea per flagitia omnia exactæ, præcipua scelera grandi charactere in aula propositi in qua fuerat baptizatus, vt de Christiani, & nuper ethnici moribus intelligerent legentes, Christianæ legis sanctimoniam efficacem, cui esset tàm pronum suos in melius mutare. Perseuerauit constans in adolescentibus docendis, haud tàm suo vili, quàm pretioso illorum, & æterno bono. Ex iis triginta intra paucos menses Ecclesiæ addidit; & animaduertens suo illi Deum afflare conatui, affixo foribus claro programmate, gratuitam docendi operam pauperibus obtulit quæ liberalitas boni præceptoris, scholam ei discentium numero breui angustam fecit. Prima illic prælectio de Christiana Doctrina habebatur, & crebro subinde aliqui se dabant, quos eius spectabilis probitas, & condiscipuli magistro concolores, Christianissimi desiderio inflammarant, ipse ad Patrem deducebat, baptismo expiandos. Nec dolebant ethnici parentes mutatione illa filiorum; Nam præstantia discendi & morum honestate, ita splendebat Pauli schola, vt beatè secum putaret agi cui obtigisset eius disciplinæ suum aliquem filium tradere. Pietatis autem Christianæ quam in ea nostri peculiari diligentia fouebant, quantam geterent sollicitudinem experimento sit quindennis puer qui parte verni ieiunij, quo per ætatem minimè tenebatur, per inconsiderantiam omissa, erratum innocens decreuit, dierum centum pensare ieiunio, produxítque id pensum longissimè quoad monitus Pater vetuit vlteriùs pergere: fuit & aliud Chiatini, Pauli gymnasio simile; docebat illic iuuenis Christianus, suósque omnes discipulos professioni Christianæ solenter addixerat, educabátque in omni cultu pietatis, sed vnum experiebatur intractabilem rixosum, & parum honestæ apud socios famæ, cumque refractarius adolescens nec blandis monitis, nec seueris melior fieret, seduxit illum aliquando in templum præceptor pissimus & solus cum solo ante aram, de genibus, flens, orans, gemens commendauit Deo miserum iuuenem; post inculcatis rationibus

nibus quibus eum toties pulsarat, secedit paululum, nudatisque seorsum humeris, cruento cœpit in sese ac longo verbere sæuire; ac resumpto denique vestitu, silentio discessit. Hic ille hactenus effrænis erubescere seipsum, demirari sinceram Magistri beneuolentiam, & è vestigio illum assecutus, actis industrij amoris, & curationis operosæ plurimis gratiis, eius deinceps arbitrio integrè se permisit, qui nihil ab eo exegit præterea, nisi vt Patris consilio regi vellet Christianis Præfecto, & more condiscipulorum hebdomada quaque apud illum peccata deponeret. Alium fallente diei memoria frustillum carnium in conuiuio cùm gustasset, ea cepit obliuionis pœnitudo, vt abstinentiam carnium in annum vouerit. Erátque idem ab omni labecula tàm auersus; vt tentationum sensus periculosarum retunderet, styli ferrei punctione, sed tàm altè carnibus infixa, donec multo sanguine fluerent, qua sui victoria breui obtinuit, ne se in posterum turbaret impura sollicitatio. Fochiensem quendam Christi caritas eò egit vt casam pauperem venderet, hoc est quicquid in bonis possidebat, quo librum publicè vtilem à Patribus editum, recudi iuberet suo sumptu, largéque in omnes, ethnicos, Christianos indiscriminatim dispergeret. Simili alius instinctu in oppido Nancianensis ditionis, domus suæ frontem hac epigraphe insigniuit, digitalibus conspicua literis. Hic cœli, & terræ Dominus adoratur; hic eius sanctissima lex seruatur. Domum subeat qui cupit pluribus, doceri quærere, disputare. Et verò illam omnium ordinum ea frequentia subiit, vt veri Dei cognitio breui quoque vicina peruaderet oppida; cumque haud minus agendo quàm dicendo posset; eius rationes qui minus perciperent, exempla viuendi vltro capiebant, & virtutum lucem, ob quas apud Deum, magna credebatur pollere gratia, vocabatúrque assiduè ad sanationes omnium morborum; quam ille curandi gratiam prudenter omnino ad propagationem fidei dispensabat. Nam illud, quo tota constabat eius medicina, aquæ lustricæ sorbillum priusquam iacenti porrigeret, omnium animos ad beneficium parabat, domúmque purgabat omnibus quæ superstitionem redolerent, ne posset ab impiis morborum sanatio, nisi Christianorum Deo attribui. His & aliis sexcentis in omni genere virtutum beatis manipulis consolabatur Deus annuatim labores Sinensium operariorum; à quibus certè feminas non excludo, quin iungo dictis superiùs Virginem Ceuciensem, quæ plenis Missæ solenniis, magna clara voce Virginitatem Deo consecrauit, cuius facti, fortassis non tàm festinatò à Patribus probandi, habuisse se auctricem interiùs & magistram dixit Deiparam, cui nihil gratiùs censeret, virtutum eius imitatione. Aliarum item & Virginum & conditionis omnis in Prouincia Scansi mulierum extitêre præclara in defensionem pudoris decora. Earum enim oppido irruptione subita prædonum capto, per abrupta in præceps se demittunt, quò illas haudquaquam ausi sunt prædones consequi, eæ supra sexum, & periculum audaces membrorum & vitæ discrimen ma-

luêre, quàm honoris subire. Erant Vagnonij in Christo discipulæ, quarum accepta clade Tuon ille Petrus Siuzaius, vir sanctus familiarem suum ad illas misit, gratias acturum honoris eximij quo Christianissimum illustrarant, & quo Christianam pudicitiam commendarant exempli fortissimi; summam inde argenti in eas diuisurum, quæ accepta damna vtcumque sarciret. Postremò factum masculæ generositatis, elegantissima historia complexus, latissimè vulgauit. Quibus ille officiis non diu distulit quantam à Deo inisset gratiam sentire. Eius oppidum pariter aggressi prædones quod se præsidio militum pro muris solo tuebatur, putarunt se illo facilè potituros, & verò milites quibus Petrus arma cum familiaribus iunxerat, terga vertunt; ipse animose solis stipatus famulis Deum, & Angelos magna voce in opem vocantibus, stare fortiter in prædones, instantes repellere, fundere, fugare, prædámque ex iis opimam recipere, haud sanè alio quam peculiari præsentis Dei auxilio. Matronam in præda nobilem reperit, Mandarini afflictissimi vxorem, quæ abducebatur in famulam; eam honesto septam comitatu ad virum illico remisit qui beneficio permotus quod negabat posse nisi à Christiano proficisci, & ipse cum vxore, familiáque numerosa factus est Christianus. Supereſt ab anno tricesimo tertio Sinensis Ecclesiæ ingens lucrum, supereſt inæstimabilis iactura; illud insulæ Hainan, nullius antea cultura tactæ. Hæc Pauli Colai, cuius religiosa generositate, & mirabilibus exemplis, Christianitas illa fouebatur.

83. Hainan insulæ sing. & cõuers. apud nos.

Syllabæ seu voces potius quæ vocem Hainan componunt, austrálem apud nos sonant oceanum, nam à continenti Cantonensis Prouinciæ vix horæ sex, eius nominis insulam diuidunt, inde austrum versus longè porrigitur, & Sinum de se Hainan nominat, pauendum illud nautis, & infinitarum nauium sepulchrum. Sicilia haud multò minor est: latitudinis gradui boreali vndeuicesimo medi a subiacet, oras tamen vtrimque in gradus oppositos magnis spatiis extendit. Sed mira vbique soli feracitate; montana ebenum; aquilam, Calambam, & eiusmodi proferunt arbores, odore, natiuis coloribus, & perennitate speciosas; venatu præterea abundant omnis generis ferarum: planorum vbertatem, fluuiorum irrigua sic opimant, vt sint alendis habitatoribus largè suffectura, etsi eorum bonam partem contingat à cultoribus omitti; quod si auri quoque illos vrat cupido, auri bracteolæ, & grana, fluminum lapsu ex montibus deuecta, venarum diuitum certa iis præbent indicia, ex quibus illud effodiant. Præter cæteram autem varietatem vniuersarum frugum Coccum item producunt illam, cornucopiam Indorum, ex qua Indi oleum, vinum, acetum, saccharum, clauos, & vasa, vsus cuiuslibet; domos, necessariis ad vitam instructas, naues earumque omnia armamenta, ducunt, ædificant onerántque eiusdem arboris fructibus, in diuersas oras magno quæstu portandis. Sed non sunt Hainenses in vsu eius arboris tàm solertes; iis tamen haud parciùs suum mare, quàm solum, compendiosum est; bimestrem exercent

cent à Septentrione, piscationem vnionum præstantissimorum; à meridie balenarum; in qua Batauis nihil cedunt. Habent, & quædam naturæ miracula, cancros qui vt mari educti fuerint, lapidescunt, quod Patres aliqui vidisse referunt; pisces planos qui mari, mortuis similes ventre verso se labi simulant, & marinas aues ad prædam illectas branchiis inuoluunt, & deuorant. Indigenarum porrò est duplex genus. Montani agrestes, inculti, vsum veterem pro lege, libertatem pro domino, paupertatem solitariam & vagam pro tributi pensitatione retinentes. Vbicumque libuerit domum ponunt; & degit familia quælibet seu cœtus suo iure; venatu, & syluæ frugibus vescuntur; quibus pelles vrsorum, & tygridum desunt, ad vestes & salem, quo carent penitùs, calambam, ebenum, & herbas medicas exquisitissimæ raritatis, cornuáque ceruorum immania & quicquid iis aliud mons gignit comportant in plana, commutandum cum iis quibus egent, non ad conflandam pecuniam quam spernunt, interprete opus est vt percipiantur, quod ignota prorsus vtantur lingua, nisi quod ab æuo creditur ab iis seruata inter inuios externis syluarum recessus. E contrario qui plana incolunt vrbani, affabiles, & Sinis ferè per omnia similes. Quatuordecim vrbibus habitant, muro clausis; maiori numero apertis: Iura iis dicunt Cantonensium Mandarini, cuius Prouinciæ pars quædam est insula, quàm situ propinqua, tàm genio dissita. Cantonenses maligni, perfidi, fraudulenti, Hainenses ingenui, fideles sinceri. Furta inter illos continua, inter hos vix vlla; in furem enim, si deprehenderint, tanquam in draconem inuadunt vniuersi, nec absistunt priùs quàm male necauerint. Vxore vna contenti viuunt, eáque non vti Sinenses fortuita & inuisa, sed multiplici probata morum examine: solenne iis est, iuréque sanctum inuiolabili, quod vtinam vbique gentium perinde ratum foret, si priuatos furor in pugnam singularem, aut duos populos in bellum egerit, & iræ armaque expedita cædem vtrimque, & dira omnia minentur, matrona verò, quamuis silens, per medios transeat; repentè omnes arma, vindictam, iniuriam, inimicitias deponunt, & primam gratiam reperunt; idque lege tàm certa & necessaria vt si quæ partium restitet, in eius ruinam omnes circum vndique coniurent.

Hoc Insulæ Hainam, & insularium illius ingenium: hinc ortum ducebat Guan ille Ciun Min, Magistratuum Præses Mandarinus qui Riccium ante annos quinque, & triginta, vt olim scripsimus, Pechinum duxerat. Huius filium adoptiuum, Mandarini nunc insignem gradu Patres nuper Pechini lustrauerant Vam Pauli nomine, Deus clementi consilio legerat, vt præconium fidei sacrosanctæ, suæ primus patriæ inferret, quam illi mentem Colaus Paulus Pechini indiderat, vnde recens Macaum appellebat. Macai ab nostris quanta potuit comitate, & reuerentia, hospitio exceptus, ex iis aliquem enixè petiit quem secum duceret ad illuminandam eius Insulæ cæcitatem. Commodùm

sub hoc tempus Inspector nostrorum à Vitelleſcho Generali habebat in mandatis, operarios quoquò versùm quàm posset plurimos destinaret, & in Ciampam, Cambogiam, Sianum, Laios, homines expediebantur: ne autem etiam in Coraium, obstabat Tartarus cuius illic arma grassabantur. Hoc itaque proniùs itum est in Hainanensem expeditionem, cóque ambitiosius prensata à Macaensibus Collegis quò ferè plus habent negotij, & ærumnarum, institutiones Christianorum cœtuum nouæ, quàm continuata veterum cultura. Sortiti sunt tandem hanc Prouinciam Petrus Marchezius, Iaponiæ, Cocincinæ, Tunchini laboribus diu tritus; & F. Dominicus Mendezius Sinensis, dexteritatis miræ Catechista, post exantlatos inter Sinas triginta iam annos, vbi & semel in conuersione ethnicorum ad mortem cæsus. His comitibus alacer Mandarinus Hainan contendit, spretis Cantonensium minaciis, qui delaturos se ad Regem iactabant, inductos ab eo in Hainan exteros. Vix palatium intrarat, cum aulæ decumanæ locis conspicuis, professionis Christianæ clara explicuit documenta, Iesu & Mariæ augustissima nomina, charactere augusto, & ornatu, qui adeuntium perstringeret oculos, & ingenia moueret ad interrogandum, quibus ille de Iesu & Maria, de se, de lege Christiana quam profiteretur, de Patribus qui eam docerent dum satisfaceret primos in patriam accessus Christo teserabat. Nostri vt essent quibusuis obuij, & ad manum, in ædes concessere satis incommodas, vbi statim Mendez elegantia sermonis, numerosum collegit auditorem, & primam illi diuinitatis veræ affudit notitiam. Primum tamen suscepti baptismatis honorem Vam Pauli familia merebatur. Die itaque Paschæ lætissimo, & beatissimo, eius vxor à P. Marchesio initiata est sacro fonte cum filiis tribus, nuru, quatuor agnatis, & familiis eorum integris, quæ ingentem conflabant numerum, & Christianitatis Hainanensis fausta fuêre primordia, postmodum vbi quid fuerit scitu dignum à nobis reuisenda. Hoc religionis incrementum, secuta est, vt dixi, Colai Pauli mors,

86. Colai Pauli vita heroica.

cui parem non habuit Ecclesia Sinensis, aut magnificentia gestorum in Christi gloriam, aut excellentia virtutum; aut Colai gradu quem Christianis aperuit. Annum agebat septuagesimum alterum, cum initio autumni, valetudine occupatur non ita leui, quin eum bimestri absumeret; nec ita graui, vt illum à Deo, & æternis dimoueret; tres illi è nostris ad latus erant Sacerdotes, qui cæcis intra palatium foribus in communi apertis pariete subibant. Visit illum Rex sæpiùs per primarios eunuchos, verborum consolationem nunquam non condiens aliqua donorum raritate, suisque Medicis ad eum sanandum industriam omnem, sollicitudinem, & diligentiam iniungens. Vicissim ipse binos misit ad Regem codicillos, quibus monebat, emendationem Astronomici calculi Sinensis Patrum opera prope finem esse; Patres Adamum Scial, & Iacobum Rhò libros centum triginta ad eam attinentes ex idiomatis Europæis, charactere, ac lingua Sinensi reddidisse. Hoc labore

bore illos, & Regis gratiam, & liberalitatem promeritos; sibi demortuo, ad perfectam operis absolutionem, si Regi placeret, optimè successurum Doctorem Li Petrum, capitalium cognitorem in Singafù, Prouinciæ Scensis Metropoli. Oblatis codicillis, rescripto suo Rex annuit, quo Paulo venire nihil optatiùs poterat, cum Mandarini Christiani patrocinio tutos Patres, relinqueret moriens; & commissi secutos negotij de temporum emendatione, cuius prærogatiua toto Regno societatem nostram, aduersus Bonzios, & mandarinorum potentiam defendebat. Suauitate ergo intima delibutus, quam oris specie, piáque cum Deo, & Patribus de Deo & æternis prodebant colloquia, rite vltimis procuratus sacris ad præmia transiit summorum in Sinensem Ecclesiam meritorum, quæ Colai Siuchanchi Pauli seruatura est glorioſam memoriam æternis monumentis, & in posteros omnes transmissura.

Tanti viri iactura Rex magnoperè dolens conditorium misit ex ligno pretiosissimo quo defuncti cadauer clauderetur, funeris eius curam Rituum Præsidi imposuit, iussitque illi de fisco Regio magnificentissimè patentari: efferendo autem Sciamhaium, eius Patriam corpori Mandarinum præfecit primarij nominis qui tot illis quibus Pechino distat milliarium centenis honores curaret ex more debitos viris in Colai officio defunctis: cohonestauit denique mortuum amplissimis titulis, quos familiæ transcribunt in perpetuos hæredes, seruántque velut monumenta nobilitatis præcipuæ & nunquam in dubium vocandæ. Etsi autem anni ab hinc retrò triginta, illustrem semper nobis subiecerint eius laudandi materiam, supereſt tamen & quidem affatim, qua postremam hanc eius memoriam prosequamur.

Prima illum Dei notitia Sciaocei Cattaneus imbuit; primis fidei Christianæ amoribus Pechini Riccius; primo eius sacramento Rocca, qui eum Nanchini abluit sacro fonte, & dies quindecim apud nos in diuinis pleniùs erudiuit; inde ille tàm certo assensu & solido Christiana dogmata complecti, tanta profiteri generositate, tàm incensis diffundere studiis, vt hæc eius prima sub Christo stipendia emeritam vincerent, aliorum militiam. Riccij liber sententiarum quinque, & viginti, editionibus iteratis toto regno clarus, cum esset denuo in typos omnesque Prouincias mittendus, voluit eadem promulgatione Christianum se Paulus vbique gentium profiteri, libro suam præfixit cordatissimam lucubrationem, qua suscepti ab se Christianismi edebat laudes, mirabiles, sed longè merito parciores sic credi volebat, vt fidem, honorem, & caput, assertionis pignus non dubitaret obstringere. Exagitata non multò post lege Christiana, & suspectis prodendæ patriæ, quibuscum amicè conueniret; nunquam illorum consuetudinem & amicitiam timuit, dissimulauit nunquam; & quoscumque in casus res esset abitura, Christianum se, Patrúmque defensorem denuo publicè testatus est; cuius professionis apud Reges

duos, libellis atrocibus accusatus, libellis totidem fassus est quod accusabatur; sed eorum vno, caput ferro præbebat amputandum, nisi liquido Regi constitisset sectas omnes Sinarum falsi reas esse, si dignaretur prius, cum Patribus Bonzios disputatione committere; aut Christianorum vitam cum Ethnicorum vita componere. Libellum quicumque legerant, quanquam occinerent fore illi exitiabilem, cœpto non destitit, quoad Patres monerent desistendum, vtrobique profectò generosus, audendo, & obtemperando. Omnium tamen cùm iaceret aleam, quoties posceret Dei causa, nunquam sensit damnosam, & in sua desideria malignam: posteritatis votum, & familiæ propagandæ, quod summum ambiunt Literati sacrificarat Deo ad Christum accedens, & patens filij vnius, retinuerat effœtam matrem secundariis vxoribus dimissis; Deus illi nepotes ex filio perpetuauit in stirpis successores. Christianus tunc palam cum eius inuidia nominis incipiebat Literatos ab optatis gradibus retardare, præterlapso vix anno inauguratur Doctor præcipuo trecentos inter suffragio; paulò post examinum viginti quatuor periculo nobili, in Collegium Regium euasit; denique paulisper gradu, honoribus, Magistratu deiectus, Colai ethnici scelerato in Christum odio, restitutus est post aliquot menses in integrum; adscitus in Regis Præceptorem; creatus Colaus, quo maiestatis apice post Regem apud Sinas, nihil augustiùs, potentiùs, ditiùs, & nobilitandis in æuum familiis glorioſiùs. Sed enim vir sanctus in hoc rerum suarum liberali arrisu hoc vnum gaudebat, quod posset Patribus, & rei prodesse Christianæ. Corium missum cum summo imperio, in templo vidimus Saluatori coram ad eius fines dilatandos haud minus ardentem se sistere, quàm ad Regis arma fortiter, & fideliter regenda. Verum enim vero alter eius in templum excelsior, & animosior accessus, cùm venit gratias acturus ablati per summam iniuriam honoris, quo in rituum tribunali maximo fungebatur, quod supremo sibi decori duceret, Christianismi causa illatum dedecus. Cœterùm vtcumque res illi fluerent, sublimis, aut humilis, ore semper & animo serenus, quòd acquiescceret vni Deo, & quæcumque ab eo acciperet, in eius gloriam conferret. Hinc ille præterea omnium contemptus præterquam æternorum, & Christiani cuiusuis paupertis æstimatio maior; & ratio, quàm Semideorum aulæ Ministrorum, Regisque ipsius ethnici. Cum proletariis, modo Christianis, agebat vekit cum paribus, pariqué cum iis vrbanitatum obseruatione; vt si Princeps apud nos, mendicum, aperti capitis, & titulorum reuerentia prosequatur: abiectionem sui Christianam non norat Philosophia Sinensis, nisi postquam illuc Euangelij sapientia pedem misit, cuius Paulus fuit insignis discipulus, & doctor, sui enim vel solo conspectu, Christianam legem præ sectis omnibus commendabat, & fatebantur ethnici, quod docebant Patres hoc Paulum viuere, illorum præcepta moribus perfectè ab illo exprimi; legis autem illius vim quandam esse diuinam.

diuinam oportere quæ interiorem hominem fingeret penitùs ex amussi rectæ rationis, motúsque illius omnes componeret ad numeros solidæ, non personatæ fucatæque modestiæ, tranquillitatis item & beneuolentiæ etiam aduersus inimicos. Talem Pauli fuisse virtutem, non elaboratam exteriùs, & scenæ famulam, sed ex legis quam Patres docebant dictatis intimis, efflorescentem in morum præstantiam, vitæque rationem æqualem vbique, nec vsquam ab se dissimilem. Laudabant viri sapientes, & legem cui insistebat, opinione tàm sublimi & efficaci vt multos ei adiungeret. Certè anno tantum labentis seculi vigesimo tertio, nec nisi diebus pauciſſimis, centum viginti, sacro fonti dedit, eósque partim Literatos, partim ampli ordinis Mandarinos. factis nimirum dicta sanciebat, eratque suadendo potens, sed potentior agendo, quo Neophytos quoque in conceptæ cursu pietatis acriter animabat; quem enim non mouisset, vir tantæ dignitatis, facienti ad aram ministrans in linea castula, eoque omni humilitatis cultu, qui decet eius muneris celsitatem; promiscuè ad hæc in sacris ædibus cum vulgo audiens, & orans, reiecto loci iure sibi parati discrimine, ac ne pueros quidem amoueri ferens qui officiebant prospectui, sed velut vnus è populo, pietate populi gestiens, attentioris ad diuinos quàm ad humanos ritus. At de Monarchia Ecclesiæ, eiúsque tùm capite, tùm ordinibus singulis dici non potest quàm præclarè, augustéque sentiret, quàm dulcibus lachrimis rigaret literas quæ conuersiones ab hæresi, & incrementa Ecclesiæ quot annis nunciabant. Tunchinum verò tot ei millia sex tantùm annorum spatio adiecisse, incredibili accepit gratulatione, meritúque posthabito capitis quo vetantur Sinæ dare literas extra regnum, imperare sibi non potuit, quo minus surgentem illic Ecclesiam corroboraret in omnes casus, ipsámque adeò si fausta sors ferret pro Christo mortem. Se verò ipse Christiarum, & Ro. Ecclesiæ filium cogitans, tanti gratiam æstimabat tanta ad se orbis intercapedine delatam, vt ab se nihil posse crederet in Dei gloriam suscipi, quod magnitudini eius boni aliqua ex parte responderet. Suos quidem pro Dei Ecclesia conatus gaudebat plurimum Patribus probari, sed Pauli quinti Pontificis maximi salutatione visus est sibi cœlitus salutari. Hanc Roma Trigaultius retulit, fuitque paterni amoris simplex argumentum, quo illum Pontifex, eiúsque in Ecclesiam Sinensem dignabatur egregia merita, nempe illi salutem suo nomine mandabat, subiecta saluti hortatiuncula ad durandum constanter in eo fidei ardore in se, & aliis augendo: monitus ergo Trigaultium salutis eius latorem aduentare, tota Mandarinatus sui, familiarium, & amicorum pompa spectabilis, in aulam processit sui palatij. Et suo cuiúsque cum iis ordine, & gradu, ante aram proiectus in genua, misit qui Patri diceret se adesse, ingresso occurrit mutuis de more vrbanitatibus, quibus redditis Pater, dexter illi consedit, rusticum enim est in os cuipiam considere. Inde Trigaultius mandata perfunctus salutatione, & hortatu amico summi

Pontificis,

Pontificis, responso inhiabat quod Paulus graue ac modestum sub lingua dùm haberet interturbatus est, teneritate animi subita, & plures edidit lachrimas quàm verba. Magnis enim Deus delitiis animi, fida serui sui pensabat obsequia, & studebat ipse diligenter præstare se ad illas idoneum; nam curis licet oppressus publicis, suum tamen quotidie fixum contemplationi, sacro, designatisque pietatis muneribus tempus dabat, suos cilicio, ieiunio voluntario, & flagellationi dies; suas cohortationibus Patrum audiendis horas, etsi non nihil subinde berbarum sonarent, quod rerum præstantia captus, ad elegantiam sermonis minus attenderet. In Colaum prouectus hoc est totius imperij ministrum, & quidem turbulentissimo belli Tartarici tempore, ante solis exortum per angustas fores ad nos commeabat, præuertebátque nobiscum negotia omnia precatione matutina; tùm adeuntibus honoris gratia Magistratibus supremis, ne quid mente, linguáve à Christiano aberraret, singulorum affatus præoccupabat in domestico sacello Deum rogans, vt magis animo ad illum attenderet, quam oculis, ad se adeuntem. Summa eius vltimum ægrotantis consolatio hæc fuit, suorum brachiis in sacellum deferri, vt rei diuinæ interesset. Quoties tamen diuino accumberet epulo tanta id fiebat significatione pietatis vt secum pariter omnem qui aderat populum ad sensum diuinorum, flectúsque permoueret.

Iam robur viri geneneroſum in fidei causa, & defensione Patrum nullum vt sæpè vidimus refugit periculum, hostis nullius insidias aut potentiam timuit; solus interdum contra omnes; nihil famosum in Patres & legem quam tradebant, criminosum nihil in lucem vomebatur, cui non ille confutando noctes solidas vigilaret, suggerentibus materiam Pattibus eloquentissimo eius stylo, quo si minus aduersariorum improbitas & ignorantia fateri errorem & mendacia cogebatur, viribus saltem deinceps retusis, impudentia posita humi se trahebant. Proditerat liber Literati cuiusdam vel athei, vel idololatræ, qui Christistanorum dogma idem esse cum sectæ dogmate asserebat, quæ audiebat pessimè inter Sinas. Paulus mendacio; scriptoris audacia, & argumenti nouitate plausibili, occurrit, laruam confestim effrontem detrahit; discrimina edit quatuordecim, sibi à Patribus descripta, quibus toto cœlo Christiana religio discernebatur ab infami secta, minatúsque sexcenta alia se daturum, ventosum hominem ad palinodiam adegit. Sed de inuicta generositate fidei propugnandæ non pergo longiùs; illud malo hic mecum aduerti ab omnibus, vt quam Riccio mentem Deus indiderat, futuri prouidam, futurisque potiùs intentam Ecclesiæ lucris, stabilibus, & magnis, quam præsentibus sempérque timidis, eandem Paulo indidisse, nempe vni huic incumbentem curæ, vt in regno suspicacissimo, omnia metuenti, exterísque inimicissimo, sedes Societati firmas collocaret, nullísque obnoxias aduersantium impressionibus quod edicto tandem Regio euicit, quo nostros curauit obstringi,

ad

ad emendationem Astronomiæ Sinensis cui ministerio immensa quæ consecuta sunt, & nunc etiam eduntur animarum lucra deberi profectò deprehendet, quisquis attenderit lapsis omnibus retrò annis nostra impetu steriisse in lubrico, & vacillasse in alternas vices. Postremò vt quantus sua quoque in familia Paulus extiterit compendio referam, repetendus est Sinarum genius, qui felicitatis apicem in familiæ dignitate, honoribus, opibus, perpetuitate constituunt, & quod summum, & Regi secundum in Colaorum Præfectura quæ paucis, & sero, & sumptu laborum meritorúmque ingentium obtingit, quem tamen breui post graui cum fœnore rependit; Colaus quilibet, esto minimè solers (cui solertiæ, metas conscientia non describit) auri millionem quotannis facilè reponet; Paulus tàm pauper obiit, vt necessariis interdum ad medicamenta paranda eguerit, cuius fortè haud satis abstinentiæ constaret fides, nisi tres è nostris Sacerdotes qui morituro tres menses adstitere, illam confirmassent; vno inter Sinas eóque singulari Christiani Colai miraculo. Sua enim contentus honoraria mercede legitima sanè mediocri, facultate indulta minimè vtebatur, priuatas suas rationes quærendi simul cum publicis. Quam integritatem in cæteris item quos gesserat Magistratibus cùm semper tenuisset, ex iis semper exsanguis, & siccus exierat. Quod eius in egenos liberalitati magnam addebat commendationem, cum iis alij superuacanea largirentur, necessaria ipse sibi detraheret, quibus eorum leuaret inopiam. Natalem quisque apud Sinas lætissimo recolit, & sumptuosissimo instructu, epularum, comœdorum, symphoniæ, & celebrium eiusmodi nugarum; Paulus eius diei hilarem largiratem quadrifariam diuidebat, nosocomio partem vnam; carcere detentis alteram, tertiam senibus egenis, vltimam Patribus tribuebat, quam ij deinde partiebantur Christianis, quos prolis numero, & inopia premi norant. In Prouinciis quas rexit variis, annona, & fame afflictis tàm effusa, etiam ethnicis succurrit manu, vt Pater pauperum cognominaretur; contigítque vt mensæ mox accubiturus, petenti stipem mendico prandium donaret sibi præparatum, impransus ipse diem exigeret. Longum fit ire per familias, & domos, Christianorum maximè, reique Christianæ vtilium, quas victu, vestitu, opeque omni iuuit. Claudo breuiter, Paulum meritorum illustrium & sublimium exemplorum patrimonio sempiterno; rei vero domesticæ angusto suam stabilisse, & locupletasse familiam. Huic erat filius Iacobus, parenti per omnia similis quem in cursu honorum & graduum cùm posset facilè frigidula solum commendatione maximè promouere; nefas sibi putauit, vocem eius gratia mittere, aiens illic iniquum fauore niti, vbi deberent ingenij merito, & labore omnia constare. Verum animis suorum vt prodesset, nulli parcebat sollicitudini, aut labori, dies festis colebat lætitiis quibus aliqui eorum ad fidem accederent; soceri & soerus, & duorum nepotum solenni baptismo, magna ipse pars pompæ interfuit, & Cattaneo ad aram post baptis-

mum, sui vt erat magistratus ornatu verendus ministrauit, & sacro epulo, irerata quater confessione refectus est. Sed Patris decrepiti ætatem idolis à puero miserè mancipatam, quot gemitibus, ieiuniis, precibus, quam duris sui afflictationibus redemit. Nolebat senex de Sinarum Diis multis, & propriis, cum vno externo & ignoto mutandis secum agi; nolebat sibi septuaginta annos in cassum periisse, & parta per eos merita desperans, nouam sibi texêre catenam meritorum: misertus est Deus infelicissimi hominis, & conuersionem eius votis ardentibus optimi filij donauit; baptismo biennium superstes ita vixit, vt eius obitu doleret minus Paulus quàm gauderet. Sed in nepotibus fuêre quibus plurimum angeretur; primum quod amicitias cum flagitioso idolorum cultore copulassent obtrectatore palam nominis Christiani, nec dissimulauit iis dolorem ex periculosa illorum imprudentia conceptum, at hi dissimulantes se capere quid vellet, in familiaritate impuri hominis proteruè nihilominus hærebant, quod eum ràm graui mœrore consternauit vt sesqui diem ieiunus, & solus, & multo pro iis gemitu apud Deum vrgeret supplex, quoad illos à præcipiti reuocasset. Repentè ad frugem traducti eius pedibus aduoluuntur, & malè conciliatam, peiúsque culpam hominis scelerati amicitiam æternùm eiurant. Alterum priori longè immaniùs pœna vltus est grauiori. Natu maximo nepotum erat filiolus ægrotus, pro valetudine infantis, Iacobi famulos in templo idolorum vota quædam feciſſe sacrilega cognouit Paulus, Pechini tunc agens; indignatúsque impietatem facinoris, erant enim omnes Christiani, ardentibus literis Iacobo filio, pro sua Colai potestate imperauit, seruos illos iuberet cædi asperrimè, domóque in perpetuum exturbari. Nepotem pueri parentem quo vel conniuente, forsitan & iubente, patrata impietas dicebatur, ab se suísque posteris abnegauit, edixítque se item effecturum, vt è regiis fastis eraderetur eius nomen, ne quid bonorum ad eum pertingeret quibus solerent ab Regibus Colaorum nepotes honestari. Proin domo quoque Rex illum expelleret, tanquam nihil ad se attinentem. Demùm claudebat epistolam tacita reliquorum admonitione, ne faxit Deus, inquiebat, vt meos censeam, & meo prognatos sanguine, qui fiduciæ aliquid in idolis ponunt. Apertis literis cæduntur serui, sed ex pondere plagarum, pondus sui sceleris pendentes, domo electi, in templum confugiunt, colloque crassa depresso catena, sacrilegij veniam publicè implorant. Intercessores apud Paulum Patres, non difficilè inuenit nepos, quod planè inscius admissi criminis probaretur; sed ij nihil agebant apud Paulum, nisi cognitione multorum dierum lenta, & prope iuridica eius innocentiam confirmassent, qua perspecta Paulus illum in pristinam gratiam recepit. Atque his de illo & Sinarum rebus hic annus absoluitur 1633.

Pauca tres vltimi qui sequuntur de regno Cocincinæ, de Tunchino plurima suggerunt. Cocincinam colebant tres nostri Sacerdotes Manuël

nuël Fernandez, & Gaspar Luigius Europæi, furtim; quia exilio damnati; Machida Mattias Iapo apertiùs, indulto Principis sed patrio habitu. Horum, & Buzomij opera subinde ad suppetias accurrentis, quingenti quadraginta primo anno tincti; altero, multo plures; tertio etiam accessione satis liberali. Quod sacris ædibus excisis, operariis exulibus, vetitis cœtibus, clam tamen, & trepidè partum, non debet exiguum videri; sed operæ eius partem dimidiam cum à se contulerint Catechistæ, laudis quoque in partem non minimam veniunt; excelluêre in iis duo Manuël & Petrus, in explodendis Bonziis & idolis tàm grati & habiles, vt solicita custodia excluderentur à palatij foribus, ne regni hæredem Principem facerent Christianum. Buzomium vt pridem diximus exulem, & Ciampæ regnum proximè subiturum, Batauorum nauis, in continentem fuga coniecerat, vbi ex lege tyrannica pro Regis mancipio, velut ex naufragio captus, cum P. Maiorica, Antonio Torres & tribus Catechistis, miserè ac barbarè habitus est, sed data Regi fide referendi pro se ac sociis pretij, si renauigare Macaum sineretur, non id modo benignè obtinuit, sed hoc insuper vt quos relinquebat socij, & nautæ benignè haberentur. Ipse priusquam retrò vela daret, promouit altiùs Cambogiam versùs, inspecturus quam esset idoneum id regnum ad Euangelij sementem. Illinc resciuit paulò ante religiosos quatuor alterius ordinis repetiisse Philippinas vnde aduenerant, post sterilem illic biennij moram, neque propterea animo concidit, sed Regem adiens acceptus est ab eo humaniter, & eius quædam ad negotia Macai peragenda fidenter adhibitus: confecto illic redemptionis promissæ pretio, mare iterat cum onerariis quatuor Lusitanis, Turonum tendentibus Cocincinæ portum, quibus superuenêre ab India tres Macaum euntes, magno Patrum periculo & metu, si enim Rex aduerteret animum lucri odore Lusitanos, ad suos portus confluere, non autem, vt sibi admissæ cum Patribus in Regnum, legis Christianæ reponerent gratiam, futurum videbant, vt Christi prædicationem excluderet, cum sola cupiditas Lusitanos abundè sibi faceret obsequentes. Iturus obuiam huic malo Buzomius, vnum ex Patribus Europæis qui latebant requiri iubet vt sibi quamprimùm Societatis habitu adesset velut recens Macao appulsus; Lusitanorum legatum cum eo ad Regem comitatur, qui se illius aduentu gaudere significat, inde apud Legatum, excusare Patrum exilium, culpam in eos coniicere, notare imprudentiam illorum, quod æquo, & iusto non acquiescerent; se cum Lusitanis amicitiam iniisse, Deum illorum diligere, & Regno excipere, vicissim ex iis iure peti, vt Regni sui amarent Deos, contra quam erat Patribus solenne, qui diuinitate, cultoribus, statuis, illos spoliabant. Parabat Buzomius negare, posse illos amores conuenire, & vna in sede commorari, vt nec falsum cum vero, & cum terra cœlum; vrbanitate superuacanea illius responsum senex improbus anteuertit, veterem erga Buzomium beneuolentiam memorans, iu-

84. Fructus ex Cocincina

bensque ab se omnia sperare. Animi postridie, scelestus ille regni Administer, & motæ vexationis Instigator, prolixiùs quoque eadem illi confirmauit; & verò Faifum reuersus Buzomius, rescriptum inuenit festinatò transmissum quo sibi ab Rege potestas fiebat liberalissima, visendi, recreandíque Christianos, quod eò illorum vberiori fructu est præstitum quò illi Princeps, & mater Principis Regina fauebant apertiùs, eumque cariùs diligebant, & Rescriptum quod illi reddendum acceperant, honestauerant peculiari gratulatione. Sed is cum socio dum ministerio incumbit animarum, Sinoæ quæ sedes Regis est, ignis fortuitus vento incendia spargente, stragem edidit luctuosissimam. Ad hæc pluuiæ montanæ quæ fertilitatem annuam faciunt, camporum sementem diu frustrabantur, incipiebátque de futura fame dubitari. Duobus his Dij statim crediti sunt iram suam testari, & angustam licet, quam Rex Patribus restituerat, vlciſci, annuntiandi Euangelij libertatem; fremere populus, furere Bonzij; scelerosus Animi, querimoniis illorum, sua apud Regem nefaria consilia miscere, iisque ipsemet præfici exequendis. Faifum aduolat, Lusitano Legato denuntiat, Patres secum omnes, primis se iam ventis exerentibus asportet; cogitúrque Buzomius ægrotans conscendere, & in Ciampam ad redimendos quos reliquerat socios redire, sed eos nauis Lusitana ebenum referens, reuexerat Macaum: quem verò in aulam Societatis cultu adsciuerat comitem, assimulatus in alium, continenti se intimo abdidit, ex quo interdiù latens, noctu operam dabat Christianis. Verum enim vero suspicio fuit, senem veteratorium, eiúsque Administrum aliud momordisse præter duo illa incendij, & sterilitatis prodigia, auditus est enim cum iactaret apud Mandarinos, detersis se demùm oculis cœpisse perspicere, quò Lusitanorum spectarent commercia, quò præconium legis Christianæ; nempe illos regna ambire aliena; quibus cum occupandis pares viribus non essent, Patres in illud præmittere, qui religionis vinculo, quo nullum est fortiùs, consociarent illis indigenarum voluntates; idcircò à Patribus crucis tessera notari; adscribi catalogo veluti stipendiarios, & cogi sæpius quasi recensendos. Cuius pestem venæni, haud scio quis illi afflare potuerit, præter illos eosdem hæreticos, qui toties illam hoc ipso tempore Imperatori Iaponiæ adspirabant, vt extorquerent denique ab eo deletionem sanguinolentam, & barbaram florentissimæ Christianitatis; Patrúmque exclusio ab ea instauranda negotium fieret maiestatis non religionis: Nec Regem videtur Cocincinæ, suspicio alia egisse ad amputandum caput Paulo Mandarino, cuius sagacitatem consilij, fidelitatem meritorum atque industriam honoribus omnibus cumularat; nunc mendacia persuasus Christianæ legi prorsus contraria, vt constantiùs haberet fidelem, noluit habere Christianum. Misit ergo in primis suasores qui ad patrios ritus illum reducerent, id Regem ex ipso petere, hoc solo pignore fidem suam, fore Regi securam, & rutam. Hæc homini sancto & temporariis, æternorum amore calcandis assueto, araneorum fila videbantur.

85. Cur nostri Cocincin. pulsi.

Accersit illum Rex ipse die quinto augustioris hebdomadæ anni 1633. & frequenti suorum Prætorio laudatum, blandè inuitat ad desertionem; blanda in pectus animosum cum flaccidè caderent; in acerba, & minas, & facta erumpit; capillos illi è vestigio imperat abscindi, quo nihil censetur eo in regno probrosiùs; Mandarini gradu deiectum edicit, & quantùm ex eo Magistratu rem suam auxerat, tanta illum multat pecuniarum summa. Hæc Paulum alacriter magnæ sibi gloriæ vertentem, mente captum nonnulli garriebant, pertinaciam alij arguebant, quæ detrectaret Regis imperium; Deos eius vocaret dæmones; Religionem damnaret, æternæ saluti exitiabilem, Christianam contra solam deprædicaret salutarem, solum & verum Christianorum Deum: qua tàm luculenta professione veritatis offensus tyrannus, centum illi coram mandat plagas imponi quibus ille acceptis semiuiuus cum ex prono vt erat, erigeretur domum reportandus, sat animi habuit, vt serenus Regem affaretur; si tibi, ait, domine! videor supplitio dignus grauiori, quòd Christianus sim, talisque semper Deo propitio futurus, habes quà reum crudiùs & diutiùs ferias, corpus hoc, liberos, vxorem, nihil potest mihi (hanc modo ob causam) venire beatiùs, timebatur his barbarus iturus quò cœperat, & tragœdiam clausurus, cum prætoriani, partim miserti partim indignantes, proturbant tortores baiulos, & de via eiectos à Regis conspectu amouent. Lusitani qui magno tunc numero in aula, naufragij sui reliquias gratiæ loco ab Rege postulabant, Paulo gratias publicè egerunt inuictæ generositatis qua decus Christianum fortiter propugnarat; & stipem nummorum triginta contulere, tunc certè minimè spernendam, cum esset à naufragis, & egentibus collecta. Princeps factum parentis in magno consessu improbauit, quo se Ministrorum fidissimo, & maximè necessario orbasset: auso quin etiam apud Regem hoc ipsum dolere: negare Rex iacturam non potuit, sed Paulum refractaria obstinatione, & contemptione patriarum religionum ac Deorum hanc à se pœnam extorsisse.

86. Tunchin. Christiani tas flores.

Fuit hoc tempore in Tunchino res Christiana felicior, quo Regno haud scio an aliud cœlum clementiùs viderit: nullum certè sementi messem tàm deproperatam, & vberem reddidit, nullum tanta tàm breui proseminando Euangelio præbuit spatia, nec suos Neophytos cultorum præsentia destitutos, aluit tàm constanter in cultu susceptæ pietatis. Fauit quoque portentis supra modum naturæ continuis diuina bonitas, ad dissipandam opinor ope tàm prodiga tyrannidem Dæmonum, præstigiis omnibus, vbique illic imperitantium, maximè corporum inuasionibus, & perinde in pœnas afflictissimæ gentis bacchantium, vt si iam tenerent inferis addictam: non defuere tamen prosperis aduersa; nec aduersis fortes moriendo; cadendo fragiles; sed nec centeni qui decem cadentium ambirent, & occuparent locum de quibus inferiùs. Pulso in exilium Rhodio satore Christianitatis illius primo; & socio eius Marchesio, petiit Rex Patres à Prouinciæ Inspectore

dumtaxat ne Rhodium, illuc remitteret, ob multas planè falsas quas proferebat rationes, aliquas fortassis, non æquè ab recto alienas. Designatur illuc Antonius Pontes, & Gaspar Amaralius, cum Antonio Cardino, transituro quamprimùm, ad illuminandum Christi luce Laiorum Regnum, quod consilium postea processu caruit. Februarij octauo decimo anni 1631. Macao cum soluissent dierum septemdecim turbulentissima nauigatione Tunchinum attigere, incredibili quidem Christianorum gratulatione, sed sua haud paulò maiori, cum suis ipsi spectarent oculis, quibus extrema timuerant salutis pericula, auctos in duplum numero, feruore, & æternorum studio Christianos, quod iure inuento Rhodij attribuendum est, qui tres, vt diximus, insignes Catechistas curæ illius Christianitatis voto obstrinxerat: quanquam si res inspiciatur penitiùs, illæ ad Christum vbique tàm facilis, & numerosæ accessiones ortum habuere, ex peculiari diuini spiritus impulsu vniuersum id regnum extraordinaria vi tàm efficaciter agitante, vt emersi modo è sacris fontibus seu viri seu feminæ, statim prosilirent, & quæ norant de Christo prædicarent, suaderéntque quàm plurimis possent: itaque pro quinquies mille sexcentis duobus Christianis quos illinc discedens reliquerat Rhodius, octies mille nongentos quadraginta duos Amaralius veniens numerauit, in quibus permulti armis, literis, & nobilitate valdè conspicui. Magdalena Regis defuncti vidua; Catharina eiusdem filia; Regnantis gener Ignatius, cum Iosepho parente, septuaginta pagorum Præfecto, nec dissimili splendore alij. Post Deum tamen Riccij Catechismus conuersiones has mirificè promouit, cum Mandarinorum Sinensium munitus procœmiis, admiratione ac laudibus, maximè verò argumentis ex naturæ depromptis iudicio, censeretur passim indubitatæ veritatis: eam ob rem, & typis denuo subiectus, & breuior alius Patre Soerio auctore.

87. Benignè nostri à Rege habentur.

Tunchinensis Ecclesiæ tàm propitium serenum effecit vt Patres Regem confidentiùs adirent, ibat tunc omni ordinum omnium splendidus maiestate, vt Literatorum adesset Examini, & comitabantur procedentem, hominum circiter millia triginta; conspectis qui occurrerant Patribus frontem ad eos explicuit verbisque, ac vultu hilaris, eorum audiuit salutationem; post inter eundum, cum iis paululùm collocutus, tres illis mandauit dari equos insignes, quibus sequèrentur. Indè biduo accersitos, trahensque familiariter in varia sermonem, interrogauit abruptè, satin' ij libenter suo in regno essent, nec expectato responso ego quoque, subiecit, in eo libenter vos video. Sitque huius mei erga vos animi si quæritis pignus, quod amplam vobis facio potestatem Christianam legem promulgandi, & meis populis eam amplectendi; dumtaxat Deorum nostrorum statuas ne iniuria lædant, si minus quod iis inesse diuinum nihil autument, saltem ne mihi displiceant. Sub hæc iterum de Rhodio, & Marchesio exulibus, postque ritus solennes agendarum Regi gratiarum à Patribus editos, fore vltro promisit,

promisit, vt templum iis & domum extrueret, (quod ei postea excidit) demùm illos ab se comiter dimittens cœli, ait & terræ Dominum rogate, vt vitam mihi, & valetudinem, populo meo messes præstet vbertimas. Et horariam machinam rotis fabrè aptam, dono ab iis accepit cuius occasione deinceps crebriùs in palatium sunt vocati: Degebant interea iussu Regis apud Mandarinum illius generum, qui ob suam in omnes & vxoris beneficam indolem, toti aulæ in delitiis erat; illic statim sacellum decenter componere, sacra tabula decorare, haud quidem per se, sed pro spectantium oculis eleganti, & insinuare sensim mysteria tabulæ, & præcipua dogmata salutis Christianæ quibus Principis vxor, ingens breui concepit, suæ ignorantiæ odium, & Bonziorum à quibus decepta fuerat. Tempus aliquod in sacello cum honoratis puellis trahebat quotidiè ad pedes Saluatoris, recitandis quas iam optimè tenebat precibus, & hauriendis auidè de Deo & æternis quæ proponebantur. Quibus tandem effectum vt fateretur Patribus se esse Christianam, Regis tamen parentis metu, à quo teneriter grandi suo malo amabatur à suscipiendo baptismo arceri. Christiani verò reliqui quorum bonam partem ab accessu Patrum excludebat palatij dignitas, contributione liberali domum iis extruere volebant; sed non placuit Patribus grauare illorum paupertatem, aut significare diffidentiam promissi quod de ædificanda nobis æde sacra Rex identidem iterabat. Interpretatus ergo cum Principe coniuge Mandarinus, aut promissa illa, pulchra verba esse, aut fortè veriùs argumenta nostræ parum adhuc in regno solidæ stationis, vt cui nec locus, nec soli palmus attribueretur, domum nobis ad latus sui palatij posuerunt. Non sunt vsi Patres totâ illorum munificentia, sed eo solum quod non abhorrebat ab religiosa pauperitate, præferebátque semper expectationem promissi Regij de quo nefas erat vllam præferre dubitationem. Paucis diebus constitit fabrica ex connexis inter se cannis, insertí que in tudes è sylua trabes, & opertis palea tegulari. Agitabant ad illam milites iussu Mandarini nocturnas excubias, quot enim illic interdiu opifices, totidem noctu fures, qui eam alioqui nullo negotio expilassent. Augusti vicesimo quarto pars eius factis dicata est, sacrificij diuini oblatione summè pia, sed minimè strepera, ne qua Regem nobis perpetuò intentum, siniſtra in nos moueret suspicio. Necessaria plane cautione. Paulò enim quam nauis Lusitana accingeretur ad reditum, ecce tibi ab eo Eunuchus, indicens Patribus vt naui eadem repeterent Macaum quod motum consilio dicitur impiissimi cuiusdam ipsius generi, & indignatione aduersus Lusitanos, à quibus in Regem Cocincinæ negata sibi auxilia dolebat quæ Regi Sinarum contra Tartarum præbuissent. Egere Patres apud eum causam, vocatos venisse, sedem in regno non fixisse nisi vltro delatam; Christianismi promulgandi facultate vsos quam liberaliter ab eo nuper acceperant, denique infidum ad datæ fidei reuocauère memoriam; vni primùm, deinde alteri mansionem in regno annuit,

Tum eiiciuntur.

nuit; sed otiosam & silentem, vetita quam prius ne petentibus quidem indulserat, religionis dilatandæ benigna facultate, tradendæque apud nos publicè doctrinæ Christianæ.

88. Habitū aulicum incautè assumunt, & fructu exiguo.

Non fuit barbarus detrectatione imperij manifesta lædendus; quin vt eius, & procerum oculos eò minus Patres offenderent quò essent illis similiores quàm externis, consilium ineunt laudabilius fortasse ex eorum mente, quam reipsa, & facto. Cultum assumunt illum grauem, & conspicuæ dignitatis quo Literati & nobiles, soliti erant apud Regem obsequiis aulicis defungi. Vestis erat talaris, & ampla sic eam Amaralius describit, ex gossipino tunc, è serico postea, cœrulo, aut in viridem variante, promisso lapsu cadentibus, & capacibus manicis, quibus infra medium hominem manus decenter collectæ reconduntur. Multò quoque inferiùs quàm nobis motis est tenui zona laxè præcingitur, ambiente magis quam astringente vestis sinus, inde dextra sub manica funiculi tres ad terram penduli, dignitatis, & gradus indices quem quisque obtineret; tegmen capitis pileus rotundus niger, planus, nonnihil in vertice apertus; eo prolixa cæsaries antrorsum ita colligitur vt tota in humeros magno decoro refundatur. Addit Fontes vilum sibi hunc habitum Sacerdotali quam aulico propiorem, ego senatorio magis quàm religioso.

Hoc Amaralius & Fontes, qualicumque salutatores matutini, Regi se quotidie sistebant, profuitque non nihil personatus hic auliciſmus ad fulciendos Catechistas in sui muneris strenua executione, sua enim Patres nisi furtim, & cautè, & domesticatim ministeria non obibant. Prorsus autem nec Regis animum domuit; neque nullo modo Præfectorum nobis conciliauit beneuolentiam; Rex nihilo mitiùs, occasione qualibet, edictis propagionem fidei inhibere; Præfecti edictorum metas modúmque prætergredi, ac ne nostrorum quidem vllam propterea ducere rationem. Eam ob rem consilij nouitas Rectoribus insciis susceptí, Patres Macaenses grauiter offendit, & expostularunt apud Vitelleſcum, longè aliam viam iniisse Riccium cum ad vitandam infamiam Bonziorum, nostros iudicasset Literatorum veste indui oportere. Amaralius contra factum suum multis rationibus defendit, quibus ita fidebat vt subderet, maioris id esse quam posset ab inexpertis credi (at certè Rhodius fundator missionis non erat inexpertus) hoc solum quod aulam frequentarent, Regíque adstarent pluris esse ad Dei gloriam quæstumque animarum, quam si plenos earum manipulos de assiduis excursionibus reportarent. Sic sua homini facilè placebant; an verò melius Hieronymus Maiorica illuc mense Octobri appulsus, omissa aula, in missiones maximè fructuosas se totum effuderit, & qui consecuti sunt reliqui; lis est, opinor, in forum vitæ alterius minimè remittenda. Rationibus verimque id modo actum est, vt benè an secus inchoata minori damno continuanda censerentur, quàm si forent ab initio probata. Porrò Maiorica, & Bernardinus Regius Itali à P. Palmerio dati sunt:

sunt Petro Antunesio Præfecto nauis in Tunchinum ferendi, hæsurique illic si Rex annuerit, sin è vestigio renauigaturi quod ingenuè Inspector Palmerius suis ad Regem scribebat literis, mittique illos vt suo nomine salutationis officium demississimè illi exsoluerent, & munusculo aliquo suam reuerentiam testarentur: vtrique Deus pro sua clementia liberalissimè adfuit, in mari de vita, in aula de Regis gratia periclitantibus. Fuerat Maiorica Buzomio comes tentandæ in Ciampam quam diximus calamitosæ expeditionis. Regij virtutem magni faciebat Palmerius, & ingenium ad linguas varias facile. Dùm ergo Macao in Tunchinum descendunt, & velis etiam ad medias contractis, tanta erat vis venti, volant magis quam nauigant, inter continentem & Hainam insulam in cæcas arenas se induunt, quibus nauis tantisper priori ex impetu sulcatis hærere capta, conuulsu crepitare, laxare iuncturas, tantum maris haurire, vt ex hauriendæ nulla sufficeret opera. Actum denique intra horam de illa erat ni vento quassari, & cædi fluctibus desiisset. Quare Patres ad Deum confugiunt, sanctos Ignatium & Xauerium in auxilium inuocant, & silet illicò sine flatu ventus, tranquillatur mare, nautæ illo sanctorum patrocinio confisi, nauim machinis attollunt, ventóque se statim qui cessarat ad puppim denuò intendente Tunchinum feliciter legunt. Sed transmissuri quà fluuius prope vrbem Regiam portum facit, in truncum arboris incertum, cui vsui defixum incauti offendunt, quo repercussa, ægreque iam sibi cohærens, nauis soluta deprimitur, cum se vectores paulò ante scapha periculo exemissent. Sed diu certandum cum Bonziis vt reciperentur merces, cum naui demersæ, iurabant sibi Deum illum in somnis adstitisse, & qui eo in templo, & cœnobio colebatur iuxta quod nauis perierat, monuisséque ab aquis illac præterlabentibus possessionem eius nauis suo nomine initam, eámque suo cum onere ad se pertinere. Remissurum se tamen in Regis gratiam, quod is remittendum censuisset, reliqua vel stipis, vel redemptionis, vel donarij titulo ab Lusitanis accepturum: accessit mendacio apud vulgus color, quod nullis organis, arte, aut viribus nauis fundo reuelli potuit; suspicatus Rex Bonziorum incantationibus id agi, qui naui dæmonem alligassent, comminatus est missurum se alium superioris imperij dæmonem, à quo liberaretur nauis; ipsi vt erant commeriti plecterentur, non fuit opus vltra minas ire. Lusitani vrinatorum industria, & peritia machinali piscatorum, merces omnes mari eduxerunt, trimestri vero post etiam nauim ipsam. Maioricam interea & Regium, siue misertus naufragorum, seu leuitate fidei obligandæ de qua minimùm laboraret, adeuntes comiter accepit, foreque sibi dixit gratissimum si vellent secum remanere. Naui tamen noua ab Lusitanis fabricata, Ecce improuisus ab eo nuntius, iubens duos illorum conscendere, Regium cum eo quem mallent in regno hærere; lapso autem vix mense, annóque iam 1632. ineunte, pridie quam nauis solueret, omnes ad se vocauit postque mira iterum

89. Iterum nostri & pelluntur, & retinentur.

propensi animi testimonia, nihil tale sperantibus, nedum poscentibus suam detulit gratiam, liberámque in regno habitationem; Deo versatilem barbarum aliquando firmante, quoad Christianitas illa nascens firmiùs constitisset; nauis enim discedens, Patrum metus in menses saltem aliquot abstulit. Sperabant, & amplam facultatem Apostolici muneris publicè obeundi, si Rex bellum inferret rebelli Cocincinæ, cui recuperandæ, ab anno præcedenti habebat in armis ingentes mari terráque exercitus, & in iis elephantes mille qua vectarios qua pugnaces. Vnum deerat ad mouendum, quod nefas putant ante bellum omitti, sacrificium solenne archidæmonum maximo, & Regum functorum Manibus quos eò tantum Semideos colunt, quod Tunchini Reges extiterint. Dies erat auguratò lectus ad sacrificium, secundæ Lunæ vicesimus sextus; Sacerdos ipse Rex; locus sterilis insula quam efficit fluuius, vterque circum exercitus in suos ordines elegantissima specie digestus. In medio Rex, & Mandarinorum Senatus vniuersus, cum præcipuis militiæ Præfectis, longo vtrimque, & pulchertimo prospectu naues, cuiusmodi solent à Tunchinensibus ornari. Agi vix cœptum, & bubali, porciuè mactari, cùm vel casu, vel fraude dæmonis cui sacrum fiebat, densari ex templo nubibus, & nocte cœlum, totúmque in imbres per horam continuam ruere, post quam Sol serenum referens, duobus circulis coloris ambigui apparet coronatus. Hic statim augures, ipseque Rex eorum nequissimus, præsagiri motus intestinos, abdici bellum, reduci exercitus domum oportere, de Cocincina mirum silentium, Patres eodem interdicto ministerij sui vt ante arctari, quod occasione belli putarant dissoluendum. Hinc tamen Rex animaduertens, non posse sibi nisi à fratribus in Regno negotium fieri callidè ipsorum eneruatas vires, potentiam & opes, priuatæ propemodum fortunæ adæquat; vtque sensum doloris in hac eorum diminutione splendido titulo incantet, Cinæ honore euanido illos ornat, hoc est sublimè in cœlum suspendit nullo iis relicto ad firmamentum solo, quo eius tituli partem aliquam sustinerent Patres tamen occulta & strenua munerum assiduitate (quando publica non licebat) quantis Christi gregem millibus auxerint, quantis promouerint gradibus in sanctimoniæ decursu, testes sint primum lustrales membranæ in quas magna fide referebantur nomina initiatorum. Sex quidem vltimis anni 1631. mensibus lustratos legimus ethnicos ter mille tres & quadraginta, sequenti anno quinquies mille septingentos, septem & viginti. Anno 33. septem millia septingenti quinquaginta duo prioribus addita, nec annus vllus prouentu caruit, creuítque ad octingentos sexaginta quatuor supra octies mille qui iuncti partis à Rhodio eiúsque tribus Catechistis Christianorum millia triginta, & viginti nouem supra ducentos conficiuut in Tunchino renata, cui ante annum æui huius 27. nec vmbra veræ lucis nec veri Dei affulserat; quodque theatrum videtur diuinæ gratiæ luculentissimum, paucorum opera, eáque tyranni

89. Conuers. occultæ ingenti numero.

90. Pietatis exẽpla & curationũ dona quãta in Tũchin. & liberatio arrep.

rauni barbari edictionibus, inter fines priuati conatus & taciti circumscripta: neque is ego sum qui bona nonnullorum fide velim numerum in plures extendere, sequi eos malui qui fuerunt in eo computando parciores. Pietatis verò quantus vbique ardor viguerit, testis fuit vbique sacrarum crebritas ædium, & frequentatio quæ pro more vsuque regionis triginta interdum pendebant columnis pretiosæ venæ ac proceritatis, & æuo cuilibet ac ponderi paribus. Abundant enim syluis lignorum eiusmodi corruptionis expertium. Checij quæ Regis sedes est duæ erant, præter attributum Catechistis sacellum. Hæ cum affluenti vndique populo, diebus maximè celebrioribus longè angustiores essent, laxatæ sunt piaque ad hoc fidelium contributione; & largigitate Autunesij, depressæ nauis Præfecti Lusitani, palatium emptum est parte iusti pretij media quòd morte Mandarini in eo defuncti refugeretur velut ominosum, eademque de causa eius quædam domus nostrorum habitationi vili etiam coëmpta, sed ædificium vtrumque in solum commodius translatum, formámque vsui aptiorem. Vix credibile sit æmulatione quàm religiosa Christiani omnes vtrique operi certatim quod poterant conferrent. Ne feminæ quidem esse ab eo immunes voluerunt, sed in templi dumtaxat fabricam sunt admissæ, lege illic vulgari, vt spontanea illarum opera, in vias & pontes, & publici commodi fabricas admittatur.

Sed hæc leuia, si cum industrio ardore conferantur quo in interius ædificium animorum incubuêre septem Catechistæ quos voto solenni diximus illi obstrictos Christianitati probabãt; tales se agendo ac viuendo, vt eorum sortem ambirent plurimi, quæ nisi lectissimis & probatissimis minimè credebatur. Huius ambitus documentum esto Lucas quidam qui adhuc ethnicus, cum & grauibus pœnis, & custodia militari, & affixo ad fores edicto Regio prohiberentur omnes accessu ad Patrem, ad eum nihilominus hac arte penetrauit, curta quam habebat supellectili vendita, emit acinacem, & longè diuersæ à vulgo figuræ pileum militarem, sic in militem subornatus, custodibus forium velut vnus ex ipsis audacter se ingerit, captatóque ad Patres aditu, cum pridem scitu necessaria calleret baptizatur; mutatis inde custodum vicibus domum redit, acinacem vendit, & pileum, collatóque illorum pretio in Catechismum Riccij, piosque libellos, qui magno iam numero circumferebantur, ex eorum Magisterio exiuit non modo egregius diuinis in rebus discipulus, sed etiam Magister insignis. Siue autem naturæ, siue Dei dono, eloquentia pollebat ad persuadendum Christum mirabili, quam fœlicitatem quærendarum Deo animarum adhibiturus deinceps vberius, vxori auctor fuit vt castam seorsum vitam traduceret, ipse cum Patribus habitaret, qui eius operam magno illius Ecclesiæ bono prosperè occuparunt. Ego ex litteris quibus particulatim ea notat quæ sibi contigerant in excursionibus ad idololatras, hominem aduerto Apostolici characteris, pauperrimum, patientissimum,

animarum, & iniuriarum, quas sibi non semel Bonziorum instinctu paratas audiens, subibat nihilominus in eorum pagos, & barbarie ethnicorum suis probris, & afflictationibus, saturata; quasi nihil passus, iis se denuo sistebat, placidè rogans, aures commodarent, ne damnarent causam de qua cognoscere renuissent; incipiensque de vero Deo, & religionis Christianæ integritate dicere, parco primùm; paulatem frequenti; totius demùm concursu populi cingebatur, multorúmque ex eo conuersionem reportabat, ex aliis saltem desiderium amplius cognoscendi, & opinionem excellentiæ Christianæ. Hæc viri optimi Lucæ virtus, cuius socios habuit non paucos, ex tribus initio ad hoc officij designatis Ignatius à mense Iulio in Decembrem anni 31. quingentos adduxit baptismo lustrandos. Præter cœteros eius officij socios, & tyrones, multos diuina mouebat caritas, vt ei se vltrò dederent, etiam nobiles, & illustres, germanos illos è regni Primoribus duos Petrum, & Paulum. Magdalenam ex secundariis olim Reginis viduam; Ignatium medicum qui anni spatio ducentis ethnicis vitam animi dedit: quibus aptum non erat ad Catechesim ingenium, suis illam eiusque Magistros iuuabant subsidiis, hospitiis, & secura in itineribus tutela; quærebant Patribus ethnicos auditores; tollebant proiectos è publico moribundos, blandéque persuasos vt vellent morte Christiana, præsenres miserias æternis bonis permutare, in nosocomia per mediam vrbem propriis humeris deferebant, iam enim ægrotis, in Regia & cœteris vrbibus hospitales domos Christiani multas statuerant.

Huic in lucra salutis alienæ, strenuitati occupatissimæ accedebat vis efficacissima ex prodigiis diuinitùs editis quibus illam Deus remunerabatur. Scribit qui aderat & spectabat, illud de Christo vero Deo præsente legisque illius sanctitate potuisse Tunchinensibus ethnicis exprobrari. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*; additque præterea, restituuntur cerebro amentes; arreptitij à truculantissimis spiritibus liberantur. Cum cernerent, heri ethnicum, sibique similem, hodie Christianum, repentè hodie illa posse quæ heri non poterat, constareque illi hanc potestatem sola Dei sui inuocatione, precatiunculis breuibus, signo crucis, & leui aspersione aquæ sanctæ. Eam ob rem nemo Christianus prodibat absque cruce, quam superioris vestis laxioribus manicis tenebat recondita, vndecumque verò ad sanandum ægrotum rogaretur, etiam ethnicum, prolata cruce reuerenter ad eam de genibus orabat. Nemo terra marive peregrinaturus, suum aquæ lustralis vrseum omittebat, qui esset ad reditum suffecturus: vt verò donum hoc est per se gratuitum, & ex diuini arbitrij vndique suspensum largitate, non idem, neque ad eadem, nec promiscuè omnibus par dabatur. Dæmonibus alij cum potestate imperabant, alij morbis tantum, vtrisque nonnulli; breuis interdum precatiuncula rem totam absoluebat, alias nisi multorum & precantium,

precantium, & dierum perſeuerantia non obtinebatur, opinor, vt diſcerent nihil ſibi ex ea priuatum, ac proprium arrogare. Cæcus multis ab annis, baptiſmum poſtulans, facultatem videndi momento recepit; eiuſdem aut petitione, aut pio propoſito, multi grauibus, & inueteratis diu tenti morbis curati ſunt; quibuſdam reddita valetudo argumentum fuit religionis veræ, atque in poſterum ſeruandæ, quos vero ſuo in errore impietas tenuit, ingratos licet, ſemel tamen accepta ſanitas nequaquam deſtituit. Narrabant Chengatenſes à populari ſuo Michaële, feruidiſſimo Chriſtiano, decemdiali prece ſtultos tres menti reſtitutos; duos illorum pueros, natura tales ediderat; tertium tribus inde annis deſtituerat ſenſus bonus. Ab eodem quoque idololatram ferum, & Chriſto palam inimicum, triduanis precationibus à Deo impetratum, & à morbi vitæque extremis, incolumitate redonatum. Sed æquè nullum ex his prodigiis auctoritatem illuſtrauit nominis Chriſtiani, vt excitata Rumi ex mortuis Maura nomine Chriſtiana; eius obitu filius Benedictus, vitæ innocentiſſimæ iuuenis, tàm acerbum hauſit animo dolorem, vt nihil vndeuis admitteret conſolationis, eratque illi dolendi cauſa non matris ipſa mors, ſed quod morbi lethalis præcipitantia, & Sacerdotis longinquitas illius animam vltimis priuaſſent Chriſtianorum piaculis. Venerant ad funus honeſtandum frequentes oppidani, etiam ethnici, compoſitum erat in ſarcophago cadauer, & obducebatur configendo clauis operculo, vt Chriſtianorum pietati committeretur efferendum, cum ſe certa quadam fiducia repentè ſentit moueri filius reſtituendæ ſibi à Deo matris, quam & Chriſtianis ſignificat, & eorum ad hoc preces efflagitat; dumque illi orant ſtillam aquæ luſtralis, labris mortuæ infundit, cuius illa contactu oculos aperit, reuiuiſcit, ſeque funebri ex arca incolumis expedit. Perculſi ſpectaculo Chriſtiani, & ethnici (quorum nemini ſuccurrit dubitare, fuiſſe ex mortuis ſuſcitatam) flere præ gaudio, ſtupere attoniti, magnis in cœlum vocibus miraculum tollere, omnes demum in laudem præpotentis Dei, & gratiarum actiones deſinere: nongenti ad Chriſtum acceſſere quos prodigij manifeſti argumentum ineluctabile, ſui erroris effecit conſcios.

Suſcitata ex mortuis femina.

Supereſt de illa quam exercebant in dæmones perpetua & imperioſa poteſtate etiam ipſi Neophyti, adeundo, irridendo, columnæ alligando ſigno tantum crucis pro vinculo ad manus, aut pedes, aut totum corpus adhibito, ex quo nulla ſe agitatione quamlibet violenta extricabant; nec ſubire quemquam ſuſpicio poterat, tot arreptitios (erat enim illorum ingens multitudo) aliunde quàm à dæmonibus vexari, cum iis ſe indiciis proderent, quæ non poſſent naturæ, multo minus Deo attribui. Abigebantur autem, è corporibus repentè nonnunquam, interdum lentius coactis ſæpius Chriſtianis, ad precationes iterandas, & ſignum crucis, præter quæ alias exorciſmi quas adhiberent formas non callebant. Huc facit reſponſum Pythonis, qui rogatus ab idolola-

tra in pago Dausciathen cur obmutuisset? solitus paulò ante densè oracula fundere; negauit se obmutuisse; sed nolle in eó pago loqui, ac ne propiùs quidem ad illum accedere, quod tribus aut quatuor exceptis domibus, habitaretur Christianis à quibus, mutuis, & crudelibus odiis dissideret. Pergentique ethnico quærere, cur illos non interficeret, si forent sibi tantopere inuisi? possem, inquit, possem! tàm liberè, quàm puncto temporis præstarem; ingressu raptim, & egressu pagi, rem totam conficerem: sed negat fieri, qui faciendi negat facultatem; tibi præterea non dissimulabo, infantem Christianum, duos modo sciat in crucem digitos decussare, illámque mihi obiiciat, eodem me terrore torquere, quo cruciamini dum animam agitis. Accedit miris in vtilitatem quoque ethnicorum patratis, mira etiam vindicta, quibusdam salubris, nonnullis mortifera: sagæ quatuor (artis illic publicè venalis) inter se condixerant, vt ludos facerent Catechistam *nostrum*, eiusque ludibrio, ex laboriosis perpetuisque fumigationibus, & sacris dæmonum, sese paululùm recrearent: docenti ergo cùm superuenissent improuisæ; nutare inuicem, nictare petulanter, clamore obstrepere, & proteruitate meretricia, dicentem à suo argumento, auditorium à dicente auertere. Sed hilaritas improba nequissimarum incantatricum, præsenti supplitio statim mutata est, occupantur à dæmonibus quatuor, modisque lacerantur tàm diris & horrendis vt miserationem quaerant indignæ, etiam à Christianis exprimerent. Qui tamen haud prius suis precibus valuerunt ab ea carnificina illas absoluere, quàm claro eius & peruagato documento alij sapere didicissent. Tunc illæ vocato Christianorum Deo, & promissione illi nuncupata legis eius seruandæ, Christianorum precibus instauratis, liberatæ sunt penitùs à carnificibus truculentis, & religiosè promissis steterunt: funestiori exitu alius mimum suum clausit, importuna exprobratione insultans Neophyto quod legem mortis sequeretur (cuius vocabuli causam ridiculam pridem narrauimus) illum tandem à Christo ad idola reflexit, sed eius ad pedes suasor pessimus, è vestigio mortuus concidit. Desertor ad mortem ægrotauit; tunc sui denique ac Dei memor, cum sacrilegij venia vitam ab eo & valetudinem impetrauit.

91. Vindicta in ethnicos.

Nec dissimilis pœnæ æterno pondere oppressus Poëta idemque musicus, sed tàm inimicus integritati Christianæ, quàm altè in suas turpitudines defossus. Cantionem composuerat in Deum iocularem, & iniuriam legi Christianæ: hanc solenni quodam ad exhilarandos qui conuenerant, dum cantat, iuncta instrumentis, & salibus voce inter latos risus Cachinnantium, & applaudentium occulto verbere in terram afflictus animam efflauit, & grandi astantium terrore, solenne ludicrum lamentabiliter absoluit. Tametsi verò quæ naturam transcendunt, eorum à quibus pattantur merita certo testimonio non probent, ab iis tamen dum eduntur qui mensuram professionis Christianæ virtute sua implent, inuicem sibi suffragantur, & argumenta sunt

mutua

mutua piè de vtrisque sentiendi. Hoc in Tunchinensibus Christianis videtur minimè obscurum, nec sinit tempus de quo hic agitur vitæ illorum rationem tacitam prætetire. Imprimis Lusitani ex Tunchinensi commercio quotannis reduces, implebant Macaum admiratione feruidæ pietatis, innocentis vitæ, sinceræ castitatis, & mutuæ beneuolentiæ quæ in Neophytis ipsimet spectauerant, aiebántque beatè cum Christianis actum iri, piè à puero ad senium in Europa educatis, si forent vel mediam virtutum illarum partem assecuti. Anno item 1632. naues Iaponum tres, seu Iunci vt vocant, Checium cùm applicuissent, eáque in Regia multorum millium numero, nec dispari ad religiosa opera ardore, florentem Christianismum cùm cernerent, tunc sibi redditi (erant enim ferè apostatæ) occursantes in vicis amplectebantur passim, lugebant seipsos, damnabant suam ignauiam, & diffidentiam, qua metu lentorum ignium, & ferri, potentissimum & optimum dominum perfidiosè eiurassent, cursúque in templum supplices, ingenti dolore, sacrilegij veniam rogabant. Sed erunt, arbitror, qui pluris æstiment murationem spadonum aulicorum, quos vita infamis, & nocendi libido pænè arbitraria, & potens formidolosos fecerat Christianis; at hi quædam publicæ pietatis, & beneficentiæ opera demirati vsu eatenus ignoto à Christianis vsurpata, scrutatíque illos penitiùs, tàm innocentes, & sanctos inuenerunt, vt vetera sua in illos odia, amore pensarent singulari, clareque testarentur, per se quidem nihil obstiturum quo minus qui vellent amplecterentur eam legem, quæ qualicumque auctore prognata, dubitari non poterat quin esset optima. Porrò illam speciem formosæ caritatis, quæ Eunuchorum tàm iucundè oculos perstrinxit, aiunt quicumque inde scribunt, fuisse non aliam quam Christianorum, quorum nascente Ecclesia, cor vnum erat, & anima vna: diuites & egenos; plebeios & nobiles, communis fratrum appellatio sociabat, nec ea vmbratilis, perinde cuique velut fratri, quilibet opitulabatur, & communia commoda vel secus, sibi tanquam propria deputabat. Iter agentes ex precatoriis de collo globulis, aut cruce à Christiano quopiam agniti, etsi antea nunquam noti, ea profusione comitatis, & beneficentiæ excipiebantur vt si forent eodem ex sanguine, & multum diúque expectati, & vbicumque esset pernoctandum totidem sibi quisque hospitia illic esse signata minimè ambigebat, quot essent in pago vel oppido domus.

Mos est Mandarinis, & Præfectis iter agentibus, turbam secum trahere famulorum & militum, quibus si desit hospitium vbicumque Dominus illorum constiterit, sibi quisque aut ære aut industria parare id cogitur nisi malit sub dio agere. Outhajus igitur filiorum Regis tertio genitus, ad regendam Enghianensem Prouinciam cùm transiret, multos secum ducebat milites, quibus indigenæ occurrere obuiam, salutare, complecti, inuitare tàm alacriter, & familiariter, vt si forent amici veteres, aut propinqui, etsi alioqui hoc solo noti quod essent

92. Mores Christi sancti etiam Eunuchos conuert.

essent Christiani. Post verò omnes in opus accingi, ad quærendas illis, & trabes, & reliqua fabricandis apta domunculis ea sollicitudine & diligentia, vt paucis diebus nouos tecto acciperent hospites; eo pudore ethnicorum, quibus non furari magna sanctitas est, vt suis vix crederent oculis, cum cernerent homines communione sola vnius Dei & religionis, tàm sincerè ac prodigè inuicem amare, omniáque perinde vt fratribus habere communia, nec minus ad hæc stuperent miracula, quam ad sanationes ægrotorum, & solutionem arreptitiorum. Eam ob rem permultis ad sacrum baptisma opus non fuit validiori argumento. Iámque in illa non modo Prouincia sed latè in Regno lex Christianorum, lex inuicem amandi audiebat, hoc est mutuæ caritatis. Erant præterea nosocomia ægrotis colligendis frequentia, etiam ethnicis; & iis potissimùm quos superstitio crudelis proiiciebat sub dio morituros, quorum si minus deposita corpora, vt plurimùm animi seruabantur. Vigebat toto anno liberalitas priuatorum; publica quinto, & septimo mense, ad leuandas pœnis functorum animas, qua in re ethnici sibi multùm placent; potissimùm verò Checiensis aulæ admirationem aduertebat Christiani cuiusvis funus, proletarij licet, & miseri, cum modestissimo supplicantium ordine à trecentis deduceretur Christianis, manu altera crucem, altera facem gestantibus. Digna res denique quam æmulentur Europæi, vnum sibi legebant singuli quem anno integro alerent pauperem, vel certum habebant domi cubiculum, vbi fame, frigore morboue attritos, dies aliquot refouerent, & misericordiam liberalem, ministerij sui merito cumularent. Postremò cultu pietatis Christianorum vulgo quantum eminerent, ex eo liqueat, quod suum quisque habebat domi locum in quem cum omni familia ad orandum bis quotidie conueniret; pro tenuitate quidem, aut facultate cuiúsque adornatum, semper tamen altari, cruce, & sacra imagine instructum. Quod ne ipsis quidem in itineribus, quæ sunt illis quam nobis multò crebriora fas sibi putabant omittere. Quocumque diuertissent, erigebant aliquid altari simile, crucémque in eo cum pia icone reponebant hæc enim duo qui secum non ferret, non rebatur se satis liquido Christianum. Festis diebus si Patres abessent, decantabant vnà carmen doctrinæ Christianæ, dein precatoria corona simul etiam Virgini recitata Catechistam legentem audiebant mysterium aliquod Christi patientis. At primariis anni celebritatibus, ea se diligentia comparabant, vt iis totidem fierent spiritus, & virtutis instaurationes. Confessionem sacram ieiunio, & sui flagellatione præuertebant, & cùm accubuissent, aliquando sacræ mensæ sexcenti simul, testati sunt qui per octiduum confitentibus aures dabant tres nostri Sacerdotes, in multis subtili discussis examine non deprehendisse quod ritè absoluerent, etsi alioqui & conditio, & ætas esse iis labeculæ saltem prona occasio potuisset. Verum enim vero vt essent Checienses in omni genere pietatis exculti præ cæteris, haudquaquam tamen iis coæquandi, quos tyrannici furoris

roris infectationes, interdum etiam triennes ad purum excoxerant; nec dico hos omnes in gradu stetisse, deiecit aliquos iners metus, si minus à fide, saltem ab eius necessaria professione. Mouit tempestatem, præstigiatorum qui sunt in regno innumerabiles, auaritia immanis, ij suas paulatim artes nefarias, & quæstus cùm apud ægrotos, gratuitis, & puris deteri cernerent Christianorum miraculis, coniurauêre communi rabie in illis per calumnias atroces extirpandis. Harum nulla cùm esset apud Iudices crebrior, procliuior creditu apud plebem, quàm de violatis idolorum templis, noctu in illa sceleratissimi homines subibant, deturbabant humi simulachra, deformabant, membratim concidebant, ea præcipue quorum erat in populo veneratio sanctior, spretis tamen eorum ornamentis, vt credibilius suspicio omnis in Christianos incumberet. Postridiè mane, clam à se patratum accusare, detestari, damnare, eius auctores Christianos execrationibus deuouere, qui cum præiudicio tenerentur professi odij aduersus idola quibus ante baptismum domos suas consueuerant purgare, indicta causa damnabantur; & alibi quidem immittebantur in eorum domos lictores vilissimi habitu militari, qui profanis & sacris barbarè, & contumeliosè dissipatis, pretium operæ direptionem accipiebant domus, & quicquid libuerat adsportabant. Alibi catena stringebantur, affligebantur humi, fustibus corpus, ora & latera calcibus tundebantur. Ducebantur alij ad tribunalia, etiam feminæ, & pueri inter plebeculæ scommata, & conuitiorum probra læti, & alacres. Mandarinis quibusdam abrogatus est honor, & dignitas quod essent Christiani; quorundam ædibus subiectus ignis, acti in exilium complures, multati aliqui summa bonis suis grauiori, raptauere capillis vxores Christianas mariti crudeles, & semimortuas extra domum proicere canibus laniandas; parentes, filios pueros ad defectionem diu frustra tentatos, communitatum Præsidibus, (& habent subinde hæ communitates ius gladij) detulere vt exemplum in eos ederent. Mitiùs cum illis actum est, non minus tamen ignominiosè, quorum arctata sunt iugo colla, seu vt pridem scripsisse memini, lignis longioribus duobus, cum adiuncto cui quisque mercedem solueret custode milite. In hac tot malorum acerbitate tàm varia, & experimentis virturis Neophytæ tàm crudis, ea multorum in animis micabat alacritas, in ore serenitas legebatur, vt conscij naturæ debilis ethnici, & diuini roboris ignari attribuerent illam aut incantamentis, aut mentis aberrationi. At si res ad ferrum & sanguinem latius processisset, futuri erant profectò complures, quos vitæ prodigos, fortis in fide constantia sacris martyribus addidisset. Benedictam quandam pauperculam feminam ferox Mandarinus vrgebat ad desertionem, & stricto acinace, nisi è vestigio Christum eiuraret minabatur se illi caput demessurum, illa silentio in genua procidens caput ferro subiecit; qua faciliate fundendi pro Christo sanguinis obstupefactus Mandarinus, silens & ipse intactam reliquit. Felicior alius cui Francisco

93. Tempestas in Christ. à Magis.

nomen, homo tenuis fortunæ, sed vitæ nobilis, quam totam precando, visendis ægrotis, & speliendis Christianis insumebat, demptis solum horis ministerio debitis, quod inter gestatores seu lecticarios, fratri Regis nauabat; superbissimo, & ferocissimo Principi, hostique Christianorum acerrimo. Qui vt de vita Franciſci cognouit, terribili domitum obiurgatione, putauit illicò ad sua idola reuersurum; at is qua seruum decebat modestia, ingenuè respondit, lege quam tantoperè improbaret obstringi se atque animari ad fidelissimum ipsius, & diligentissimum famulatum; fratrum cadauera tangere, virtutis esse non modo Christianæ, sed communiter omnibus laudatæ, quæ nusquam vilescceret, modo quæstu procul, & auaritia obiretur. Cæterum vt quiuis aliter sentiret, auertat inquit, Deus tàm horrendum nefas, vt ab eo, & à me deficiam, eiúsque lege, sola veraci, & sola salutari. Obfirmatus itaque priùs mori quam Christum negare, Principis gratia, famulatu, stipendio exutus, palatio eiicitur, Princeps haud multò post seipse colligens, sibique iratus, quod tàm pertinacem iussorum detrectationem, hausisset tàm patiens; hominem reuocat, iterat imperata, hortatur morem gerat, negat posse Franciscus contra Deum morem hominibus gerere. Mortem demùm præsentem comminanti, bonum factum ait, vt hoc vitæ paucillum, & miseræ, cum immortali, & beata commutem. Hic dato satellites qui adstabant signo, magno in terram impetu hominem collidunt, túm suarum arundinum grauissimo verbere, corpus medium commolunt; inde crura, & ossa tibiarum frangunt; os tandem, caput, & cerebrum conterunt atque comminuunt, hisque illustrem meritis animam Deus sibi, & cœlo asserit, prima inter eos donandam corona qui suo deinceps sanguine in regno Tunchinensi Christi fidem signarunt. Contigit ea res anno 1631. cuius item mensibus vltimis Christiani tres, curationum insignes charismate, ab incantatoribus, & medicis sua sibi lucra perire dolentibus, appetiti sunt venæno. Duo ex iis Petrus, & Maurus præsenti exitio, paucas intra horas perierunt; Thomas proditione deprehensa, validissimis antidotis, venænum discussit, felix! si pari cum aliis sorte interisset; exinde si quidem nec ægrotos curare, nec in templo cerni, nec apparere Christianus, & quantum ex vita intelligi poterat, nec satis ethnicum, nec satis præferre Christianum; Virgines duas duobus in pagis ad documentum constantis fidei Deus seruauit incolumes, Dariam, & Piam; has deposcebat Mandarinus in secundarias vxores, conditionis turpitudinem exosæ, centies tantum vexatæ sunt, quantum in amoribus fuerant. Dariæ causa Christiani qui pagum eius incolebant exiliis, & spoliationibus vexati, Checium ad Patres confugerunt. Pia crudelem in modum cæsa, dies aliquot immobilis iacuit, & destinarat illi tyrannus certam mortem, nisi eam in tutas latebras Christiani callidè submouissent. Illic tanquam semota in eremo cum Deo tota bonam noctium partem orando ducebat, inde

94. Primus in Tunchin. martyr.

inde se acri verberatione afflictabat, ob reuerentiam Christi patientis. Daria domi carnifices nacta est parentem vtrumque, & germanos fratres, siue ethnicos seu desertores, & solennia naturæ iura priuatis commodis immolantes. Veriti enim ne se inuolueret Christianorum communis calamitas, si de Daria certiùs resciretur, omnes illi machinas admouere, vt se saltem ethnicam simularet: illa sacrilegium auersata, contestata est semper generosè, reuelli sibi posse vitalia, Christi fidem, & amorem non posse. Responsione hac filiæ inconcussa atque intrepida furens Pater, eam columnæ alligat laquear fulcienti, & matre cum impia, & fratribus impiis tamdiu cædit, dum ad pedes illorum mortua caderet, acturáque post paulùm animam crederetur, recepit se tamen aliquantulùm, & dum minus à suis obseruatur à pio Christiano domi absconditur, vnde furtim Checium ad Patres transmissa est. Christianorum in eius aduentu gratulationes, & alacritas, exantlati laboris partem maximam abstersêre, sed consolata est illam præcipuè vir sanctus, & mortis pro Christo oppetendæ, ardore nobili, ei simillimus, iam enim secundùm obscuro carcere, tanquam mortis pignore tenebatur, diu noctúque crura compedibus; collum iugo adstrictus, accedente subinde ab immani Eunucho, fustuario crudeli, vt reuocaretur præsenti dolore & futuri metu ad Sacerdotium idoli, & templi quod ei antequam fieret Christianus, Regina commiserat; & quos ad Christum traduxerat populos idolo redderet. At is non minus in propugnanda fide sua fortis; quam in propaganda fuerat strenuus, atque indefessus; Eunuchi feritatem patientia, Reginæ spes impias inuicta constantia fregit, liberque dimissus, animarum obsequio liberaliùs etiam quàm priùs se deuouit. Non sit huic suppar, at certè mira est, pueri nouennis fortitudo, in retinenda sacrata icone quam gestabat è collo conspicuam, dum pœnarum timor Christianismi notas in multis occultabat. In hunc Mandarinus dum fortè incidit, & videt patentem ad pectus iconem, fronte tristius caperata propiùs accedit, manibus illam direpturus, puer manus mittentem anteuertit, pugno iconem stringit, brachiis se tuetur & contra vim etiam dentibus rem gerit; indecorum Mandarino erat certare cum puero, minatur itaque, superiores vestes tergo direpturum, quo nihil est illic probrosius, licet, inquit puer interiores quoque: & passù gemino retro cedens, ad Pedes Mandarini superiorem vestem proiicit exclamans, felicem iacturam! qua seruo quod mihi est carius, cursúque se proripit quò talari abolla implexus Mandarinus eum consequi non posset. Dum hæc variis geruntur locis, P. Hieronymus Maiorica Neapolitanus, quem diximus nulli loco affigi voluisse, longum sit dicere quot terras obierit, quantum ignem vbique spiritus diuini accenderit, nouem maximè in Regionibus Prouinciæ Engheanæ, anno seculi trigesimo secundo: magno quidem sed necessario accisi corporis detrimento, cum deessent in quos onerum tantorum partes reiiceret. Fuit

95. P. Maioricæ excurs. fructuosissimæ.

cum pagorum duorum ac viginti, confessiones vno loco audiuit, qui ad se dierum trium & quatuor laborioso itinere ventitabant, magnam partem pauperes, & digni quorum causa cibi, somni, suique immemor, diu noctúque iis excipiendis audiendisque se traderet, impetrata vix hora qua pensum officij solueret. His verò cum daret operam aderant ad eum longinquioribus ex pagis legationes interdum sedecim, expetentium eius præsentiam, ac dum surſum deorsum nauigat, præsto iis futurus quibus condixerat; refert ipsemet vtraque in ripa viros sibi, pueros, feminas occurrisse, præstolantes dum illac transiret, procul-que conspecto, quo circumuehebatur lintre, tetendisse in cœlum brachia, humi fronte proiecta gratulatos sibi ipsius transitum, propinquanti verò inclamasse omnes, & nobis Pater miserere, sumus enim & nos filij Dei, vt sunt illi ad quos tu properas, & nulla te tangit nostri cura? quæris procul quos serues, & præsentes omittis? ac velut fortassis occasionem nunquam reuisuri, quæ tunc vltro se dabat, menses & hebdomadas numerabant, quibus iam Sacramentis caterent. Maiorica, quod vnum licebat, benè iis millies precatus consolabatur illos, & diem dicebat quo esset iis non raptim, sed abundè facturus satis: quibuscum verò aliquamdiu fuisset, auelli ab iis non poterat sine sensu doloris peracerbo, cùm post aquæ lustralis quam secum adsportarent sacratam copiam, post oportuna salutis documenta, & vltimam ante discessum adprecationem, circumuallarent eum singultibus, fletibus, desideriis audiendi, quærendi, discendi, tanquam recens appulsum. Prolixum foret, referre prodigia quibus illam Deus fouebat Christianitatem; lapsos metu tyranni, sollicitè sagacitérque requisitos, & pœnitudine condigna Deo restitutos; ædificatas ædes sacras, Christianorum cœtus idoneis ad stabilitatem legibus, documentis, Præfectis munitos. Partem hanc laboris ab operario excellenti, Christianorum impensam culturæ, non putaui latius explicandam. Habet pars altera conuersionem ethnicorum, haud paulò maioribus ærumnarum impensis curatam, sed quas operæ pretium etiam dulces fecit multúmque amabiles, cum ex iis videret, quinque solum mensium spatio bis mille quingentas septuaginta quinque animas ab idolis ad Christum rediisse.

Præter hæc etiam Antonius Fontes Christianos inuisit qui erant in Tignoa, quo in itinere, ne quis ei remoram poneret, comitatui se adiunxit, quem Regis filius immensum trahebat, ad parentalia matri Reginæ instauranda in ea Prouincia sepultæ; solet hæc cerrorum tituum à viris tantùm Principibus instauratio vsurpari, primóque, vt iis libuerit vel secundo ab obitu anno. Est profectò laus Tunchinensium singularis, pietas in defunctos, in eam sunt qui patrimonia profundant, malintque egere filios suos censu, quam ope mortuos. Mitto caluitium, quo partem sui fœdant maximè honoratam; cœlebs triennium, mœrorem non consolabilem, dies insuper habent quamplurimos,

plurimos, luna potissimùm septima, & modos, & inuenta mortualium rituum; esto, sacrilega, stolida interdum, & deridicula, sed apud eos sacra, & efficacia, liberandis orco functorum animis, transferendisque palingenesia meliori in pulchra, sana, sublimis fortunæ graduſque corpora, qui ferè illis est felicitatis scopus. Hic priuatorum funeribus taceitis quæ pro conditione illorum variantur, tantisper digrediar in Reginæ funus ab ipsomet descriptum spectatore, vt fieret de similibus coniectura; à me verò idcirco redditum vt intelligatur quàm sapienter Patres contenderint pietate aduersus defunctos magnifica, nec Sinensibus nec Tunchinensibus cedere Christianos; tametsi secus nonnullis visum sit fieri oportere, qui heri aduenæ, hodie moris incogniti, iudices agere ausi sunt. Locus, scribit Fontes, exequiis lectus est vasta planities, ad Oppidum Cheuacum; pars eius maxima crassis illis quas habent, & validis arundinibus clathrata, demptis ad quatuor cœli plagas portis ingentibus; intus moles superbæ machinarum, mensium multorum operosus labor. Stabant ad postes decumanæ portæ orienti obuersæ gigantes duo, ad eius custodiam armati. Sequebantur elephanti sex, & equi totidem phalerati, sex inde triremes, suspensis ad nutum, & cursum remis, vtrimque omnia tùm animantia, tùm naues eleganti ordine digesta. Aliquantò vlterius gestatorium retè delicatissimæ texturæ, quod puellarum octodecim, & quinquaginta militum stipabat comitatus, eodem omnes tesserario colore & bacillo in manibus, vt solent qui Regum propinquos deducunt. Offerebat hæc matri Princeps, futura vsui, si quando illam cepisset cupido oberrandi per campos elysios quos fingunt, & pingunt, & credi iubent Bonzij, etiam fabulis lætiores. Ponè Regium comitatum, veniebant auiaria, greges, villæ, & quicquid ad mensam pertinet, legitimis missibus ornandam. Erant hæc iustis inter se distincta spatiis, turres duodetriginta, coloribus variis, & luminoso sandarachæ obductu longè præfulgentes, exagonæ quædam, rotundæ aliquæ, inæquales nonnullæ, sed nulla quæ ad orgyias saltem quadraginta non surgeret. Ima bubali, boues, capræ & porci occupabant; media animantes palati delicatioris, suprema omnis generis alites, & mixtus vocum tàm dissimilium tàm erat rabiosus, & calamitosus strepitus, vt confusos inferos claustrum illud graphicè referret. Tectum alitum, orizæ sacci, vina, & esculenta varia coronabant; Reginæ scilicet sub terris, & multo meliora, & abundantiùs reddenda, sic illi tàm sine ambiguo, vt vestes, & supellectilem adulterino intenta auro, quas ad sepulchrum inferias cremant, putent in alia vita auri probatissimi futura. Spectabantur deinceps vno ex latere, domus ex ligno viginti quatuor, cælaturis, gummitione splendida aurique obductu, & omnis canonis architectonici elegantia perfectæ; futuræ sub terris palatia Reginæ. Latus oppositum implebant ingentes porticus, in iis vastæ capedines trecentæ octodecim seu conchæ potius, suo singulæ aceruo cibi lautissimi sic exaggeratæ vt imum acerui

96. Reginæ funus.

tres homines suo complexu non cingerent; eques manu altè sublata fastigium minimè tangeret, prostabat hoc donarium in conspectu Reginæ, cuius eminebat in throno statua, sed absque capite (nam solent pro capite statuis mortuorum indere laminam, eorum nominibus insculptam) circum tota illius & sponsæ, & Reginæ gaza, ornatúsque, sed fictus & aureis pellibus incisus. Deerant turriculæ ex auro solidæ, & argento, deerat probatæ monetæ numerus quo mos est regia, funera honestare, quòd noluisset ea contributione populum grauare. Apparatu in hunc modum digesto, prodit tota cum aula, & Mandarinorum ordinibus Princeps, omnes albo atrati, (qui color illic funebris est) maiori ad ortum ingressi porta, rectè feruntur ad statuam Reginæ, quam procul conspicati statis semper deinceps passibus, iterata humi frontis proiectione consalutant; post coram vbi constitere scenam vtrimque diuisi faciunt, qua medium excipiunt Principem, suprema parenti dicturum verba, & ingentis sui erga illam amoris exigua illa quæ circum cernebat argumenta dolenter oblaturum; sub hæc si minus ex vero, flere saltem ex ritu debuit. Tunc demùm Bonzij (quorum absentia cassæ omni merito putantur exequiales pompæ) familiarum diuersarum multitudine ingenti, pars quiddam decantare, mixtis animalium vocibus quæ clausæ tutribus, & fame tenebantur, concentu qualem posset discors Erynnis contexère; pars Regum Tunchini antiqua legendo referre miracula, gigantum quidem, & heroum maiora fabulis, sed æquè credita vt si oculis cernerentur; pars digniori ministerio fungi, & Sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi splendorem habitu exhibere. Nihil enim in Ecclesia sacrum sanctumque est quod Xachæ, & Amidæ detestabilis idololatria in Indiis imitatione sacrilega defœdatum, vsque in Iapones, & alias gentes non latè distulerit. Fine tandem exequiis posito, commeatus illius tàm conferti partem iussit Princeps in pagos vicinos tribui; partem cedere Mandarinis qui parentalibus adfuissent; machinas, turres, domos, supellectilem regiam, ad vltimam assulam cremari, eorum cineres, quocumque ventis portarentur, esse testimonium suæ aduersus Reginam pietatis.

Hoc ergo, vt dixi, comitatu, securus Fontes, bonam Prouinciæ Tignoæ lustrauit partem, comite Ioachino sene illo sancto, quondam Mandarino, nunc tàm præstantis, & diuini ardoris Catechista, vt eodem secum ardore omnes incenderet. Quocumque deuenisset, spreta sua, & Patris quiete, statim illi auditorium cogere, congregato cœtu instare ad mittendum retè, dicentem audire cum perpetuis lachrimis quæ dicta loquentis peculiari motu confirmabant, apud ethnicos præsertim, quibus nota hominis grauitas. & sapientia, rectam esse ac veram persuadebat legem, cuius ipse tanto amore flagraret tùm colendæ tùm in alios inducendæ, quod ipse illorum iudicium vitæ suæ signabat præclaris documentis. Sed dùm Fontes tàm strenuo comite ethnicos initiat, Neophytos alit, & roborat, erigit lapsos, & in gradu reponit;

repentè

repentè cogitur in aulam reuertí, ad inhibendum si posset edicti furorem Christianitati exitiabilis, & tàm præcipitis vt eius ante sentiretur fulmen quam audiretur fragor.

Checium egressis, occurrunt pagi aliquo numero propè contigui, quos iure beneficiario Rex Sanfuæ dederat, Concubinas inter, vnicè sibi caræ, sed Bonziorum & dæmonum magisterio duplici sceleratissimæ, & quod consequens erat, legem Christianam implacabiliter exosæ. Contigit autem vt ethnicus, sed mentis emotæ subiret in templum quod præcipuo in pago ædificauerat Sanfua sanè magnificum, & sapiens facinus dictante stultitia auderet, caput & brachia idolo confringens Sanfuæ maximè venerando; consternati, vt primum illuxit Bonzij ad tantum nefas in aulam certatim procurrere, denuntiare crimen dominæ suæ Sanfuæ iam per se proritatæ, & furiæ furias subdere; illa cursu pariter ad Regem, querelas deponere, dolere, lamentari, Christianorum audaciam ante omnia indignari quos nec Regis maiestas, nec Deorum in officio contineret; pusilli Rex animi, & & eius amore perditus, consolabilem non putauit nisi proscriptione legis Christianæ, quam impiissima femina postulabat; quare iussis coram Bonziorum primariis adesse, & queri quæ vellent, indictam causam, inconsulto & præcipitato edicto in hæc verba damnauit. [Nos Regni Annam Dominus Tandouang, subiectos nobis populos volumus nostro huic parere rescripto, cuius executionem, iudicium nostrorum præfectis iniungimus, vt toto illud regno promulgent, & promulgandum curent. Cum ad nos perlatum fuerit, quosdam falsam doctrinam condiscere, & legem profiteri, virute omni cassam, peruersam, mendacem, fraudulentam, eóque audaciæ progredi, vt simulachra in templis indignè dehonestent; vetamus quenquam in posterum; quantuscumque sit, legem illam publicè, aut priuatim, verbis, aut opere profiteri; ad hæc vllum sectæ huiusmodi, pedem in templa immittere, & loca idolorum cultui dicata; qui secus faxit, potestatem facimus præsenti cuilibet iniiciendi in illum manus, fistendique nobis reum impudentem; id qui præstiterit eius strenuam fidem sequetur præmium gradus alicuius etiam Mandarini, vt solet qui bello fortiter aliquid gesserint. Datum decimæ Lunæ decimo septimo, anni Ciam] hoc est duodetrigesimo Nouemb. anno 1632. hoc tamen Rescripto, creditur voluisse expressione legis Christianæ ideò abstinere, ne Lusitanos offenderet, quos nihilominus amicos cupiebat. Porrò cùm sit & Sinis, & Tunchinensibus tàm apta locorum, & Magistratuum ex superioribus articulatio, vt quicquid Rex iusserit, nusquam omnino ignoretur, breui vbique probrosi edicti apographa lecta sunt; sed edicti metas prætergressa insaniens Sanfua, parum habuit præesse executioni, pagis suis in futurum cauenti, nisi vlciscereturillatam, vt putabat à Christianis iniuriam. Ad hoc', armorum Mandarinum nacta clientem suum, tempori suo idoneum, ingenio peiorem, immittit illum ad cladem insontium.

96 Regis edictum contra Christ. à concub. falsa ex causa expr.

sontium, Adest globo cinctus hominum perditorum, qui essent cum eo milites, prædones, & carnifices acturi. Verso ille in templum digito quod erat amplitudine, & ornatu præstans, signum dat impiis, concurrunt, euertunt, solo æquant, materiam aliò transferunt ad constituendum idolo fanum; leuior fuit furenti mulierculæ, Dei sui violati hæc vltio; Saluatoris effigiem quam statuerant in altari Patres, idcirco habuit cariorem quod eius vstione, discruciatura esset Christianos; sacra æde destructa, Catechistæ sacellum complanatur; priuatorum ex ædibus factum omne direptum & comportatum in aggerem igni absumitur, ac ne quod pietatis, nedum religionis vestigium restaret super, nosocomium etiam crudelis incendit Mandarinus, eiulantibus miseris, seque inde humi trahentibus ne eodem incendio arderent. Post hæc verso furore ad vexandos, quos iam expilauerat Christianos grandem illis mulctam, & imparem viribus indixit; tùm sparsit *in* vulgus, velle se illos omnino desertores, aut mortuos, ostentauitque terriculamentum stragis quam esset cruentam editurus; eorum viginti coram iussos, produci, argumentis, precibus & minis tentatos cùm præstolaretur, responsione timida sibi assensuros, prodiit matrona omnium nomine; de sanctitate legis Christianæ, & Christianorum qui eam tenerent, tanta sui animi voluptate, tanto Mandarini cruciatu, & tædio dixit, vt is loquentem interpellans, deliram vocaret, & mente captam, minaretúrque se linguam illam, corque ipsum ei ab radicibus euulsurum; cui sedatè illa, fiat id modò, inquit, carnificem expecto immobilis; at is minando potentior quàm agendo, noui negotij specie omnes à se abegit, distulitque in alium diem.

Dùm Christiana res in pagis Sanfuæ immani barbarie iactatur, nobis ex regio edicto, ipsisque sub Regis oculis quanquam planè ignari, ruinæ metus incubuit, armatorum turba, magno vt vsus est strepitu, domum nostram intrat; qui primùm occurrit Bernardino Regio lictor arcuatum lignum, iugo haud multum absimile, in collum iniicit, aiens Regis nomine illum capi; quo ille nuntio, respondet, nihil sibi venire optatiùs, & retortas vltro in tergum manus præbet militi ligandas, quem fune instructum aduerterat. Christiani ad hæc qui bono numero aderant, exclamare, expostulare indignitatem facti, vimque ad Patrem liberandum parare, sed eos increpitans & obiurgans amouit, eductúsque domo in publicum illic detentus est, dùm ad eius pedes quicquid domi erat profanum, sacrum congeritur. Currit ad tumultum, & famam populus, Christiani, ethnici, multitudo ingens; occasione, auditorio, & ardore vsus quo nunquam maiorem senserat, in aream quæ illic deposita fuerat loco pulpiti scandit, de necessitate legis Christi, & felicitate pro Christo moriendi magna vi detonat, cumque is accentus non satis haberet expeditos, & erant quæ dicebat supremi ad salutem momenti, exceptas ab eo sententias, nunc ille, nunc alius auditori, explicatiùs repetebat, vestem, pedes, vincula osculis premebant

alij,

alij, beatum appellantes, qui martyrij decus (sic fore statuerant) per tot quæsitum maria denique inuenisset. His Amaralius dùm foris redit, mirari primum reiunctis in dorsum manibus Regium, custodia septum militari; tùm se magno animo Ministris offerre, vt se cum Regio pariter ligatum in partem honoris adsciscerent, cunctis demùm abnuentibus, & ipse ex edito aflari populum, & de gloria vinculorum, pœnarum, & ignominiæ magnificè dicere, quorum crimen non esset aliud nisi vita & salus, immensis periculis, & itineribus regno importata & communicata cum populis longè ab ea errantibus, quæ dùm incitato feruore sequitur inculcare, voce procul sublata, ex aula nuntius, auditores aduertit, & iubet Rex inquit, nihil à Patribus auferri, si quid fuerit ablatum restitui, & iis pro sua clementia ignoscit. Ignoscit nempe? resumit Amaralius clara voce, hæc vero est gratia, sed quam necessarie præcedit culpa; cuius autem nos culpæ rei, nisi quod sanctam & veram Dei legem populo denuntiauimus? hanc certè ob causam vel ipsum mori, gratia summa est, qua nos vtinam dignetur Deus; Regi quæso sistamur, vt qui culpæ veniam largitur, doceat, & culpam. Prouidè omninò, Amaralius ne oblata palam, & admissa taciti criminis venia, enormia quælibet Bonzij fingerent quæ Rex nobis clementer ignouisset; Regius vero ab suis custodibus, multis precibus exorauit, vt se mediam per vrbem, quà viei maximè populo feruebant ducerent, ad captanda plebis conuitia, & contumelias Bonziorum. Recreabat se Rex equorum spectaculo, quo explorabatur eorum velocitas; vbi cò ventum, sistit se coram Amaralius, & modestè quidem, ac demissè, sed tamen liberè, quærit ex eo quod nostrum ob scelus apparitores domum immisissent, qui eam in vicum publicum effunderent, & P. Regium quem præsentem cernebat, ligarent? perculsus facto improuiso, attonitúsque Rex mirari, dolere, culpam in alios quos nesciebat reiicere, idque suo iniussu, & se inscio prorsus aiebat attentasse. Patrem imperat solui, vtrumque ab se humanissimè dimittit; milites seueris cognitoribus traditos cùm parum se purgarent, aliquot mensium carceri, pœnisque non leuibus addicit, nec vlla Patrum intercessione ab iis absolui potuêre. Biduo post præco, vrbis compita peruadens denuntiauit magna voce, religionis causa factum iri negotium nemini; qua indictione restincta est rabies Bonziorum, occasionem irati Regis captantium ad lanienam illius Christianitatis ad quam Mandarinos incendere cœperant. Non multum inde temporis fluxerat, & is qui scelestissimæ Sanfuæ idolum confregerat, stultus, & cerebro vacuus comparet, rem gestam sermonibus iactari audiens, auctorem se illius iterum, tertio, sæpiùs apud omnes non modo intrepidè fatetur, verum etiam gloriatur, nec fuit in potestate Bonziorum in eius caput defigere, vt sui illius quo se ostentabat præclari facinoris gloriam cum Christianis partiretur. Existimauêre Patres confessionem hanc adeò manifestam, & liquidam non minus ponderis apud Regem ad absoluendos insontes.

habituram, quam habuisset ad eos damnandos cæca, & maligna calumnia; sed noluit errasse barbarus, nec præceps edictum, noua leuitate abrogare. Libellum quidem paucis inde diebus, ab iis comiter accepit, quo sanctimoniam legis Christianæ tuebantur, eius edicto falsi, mendacij, & nullius virtutis infamatam; sed rescitum deinde, inter reiectitios ab eo repositum; responsi quidem nihil vnquam retulit.

Procellosum hunc annum tricesimum tertium Christianis fecit, praua passim edicto Regio à Mandarinis afficta interpretatio. Quin ne ipsa quoque in aula licuit tranquillo diu frui, vbi Rex atheo quam ethnico propior, sua in Christi fidem odia, & amorem moderabatur ex proprio lucro. Nihilo seciùs eo indignante, & edicti eius sacrilegi suasoribus inferis, septem millia sexcenti quinquaginta duo, ab idolis ad Christum hoc anno accesére, & baptizatis accensi sunt, quàm multos tàm breui tempore superiores anni non viderant. Auxêre præterea Christi gregem ingenti numero, in Prouincia Engheana, Maiorica; in Tignoa Fontes, vterque non sine præmio, carceris scilicet, in quem coniecti sunt, quòd disseminarent vbique sanctam Christi legem, quanquam Regis edicto vetitam. Ac Fontes quidem quatriduo tantum illic egit, Maiorica grauibus quadrimestri toto attritus incommodis, inde sex mensis ægrotus iacuit, nec alio magis remedio quàm patientia est curatus. Ædes sacræ complures fisco addictæ sunt, sed à Mandarinis superioribus postea redditæ. Trium quæ erant in vrbe regia, maximè insignis, capax, & splendida, sacrilegio immani in publicum stabulum versa est, quare in singulas vrbis regiones designatæ sunt singulæ ædes amplæ, quarum pars fidelibus pro templo esset. Cæterum in hoc malorum turbido, vbique fortes, vbique debiles, sed eorum supersedeo casibus, vt similium tædium deuitem. Nauis quidem Macao aduecta eodem qui ante biennium venerat Antunesio Præfecto spem magnam fecerat, cupidissimi Regis gratiæ reparandæ; at quantò lætior, tantò dolor sequens acerbior. Lex erat vt quæcumque nauis ad mercaturam appelleret, mercium indicem quas ferebat accuratissimè initum, Ministri Regis ad eum deferrent, ipse sibi eximia quæque, quibusuis conditionibus vi aut vili optaret. Vexerat autem Antunesij nauis rerum sacratum ingentem copiam, libros, reliquiarum thecas, imagines, cruces icunculas, precatorios globulos, & his similia, quæ Neophytorum alendæ pietati mittebant Patres Macaenses, quòd eos audirent magno quotidie numero augeri, & verò annus tricesimus quartus decem ferè millia iis adiecit, nec vllus erat inter Neophytos qui non aliqua saltem pia imagine donaretur. Ex hac rerum sacrarum immensa copia, argumentatus Rex Christianorum in Regno numerum, hæsit aliquamdiu cogitabundus, & cernuus, concepitque insanum consilium propagationis illorum inhibendæ, quæcumque in naui sacrum aliquid redolerent, imperat ad se quamprimum deferri, & producebatur ignis, iis in cinerem redigendis, cum multis precibus

vix

vix tandem Patres nefas auerterunt; omnia confertim iubet coram in capsam ingentem congeri, clausamque diligenter, & picatam tradit Eunuchorum fidissimo asseruandam, quoad Antunesius ad reditum solueret, tunc verò illi explicatis iam velis reddendam, vt ea Macaum referretur. Ornamenta sacrificatium & altarium, vel nimis displicuerint vt facta, vel nimis placuerint vt pulchra, sibi retinuit; & quò latrocinium euidens, priuati commodi ficto neglectu contegeret, viles aliquot è serico vestes ad Patres remisit, & monetæ nonnihil pro libris Sinensibus, & Europæis quos sibi pariter vindicauit. Sed eius ingratiis Neophytorum nemo pia imagine caruit, altera Saluatoris, Deiparæ altera, quibus sacellum ornaret domesticum: vtriusque archetypum ligno incidit Bernardinus Regius, quod infinitis impressum aut cartis, aut sericis sacras imagines abundè omnibus suffecit. Nunc ad prospera nostra in Sinas redeamus, & iis contiguum annum 1634. quorum pars maximè illustris cum Vagnonio maximè debeatur, æquum est hanc laudem ei confirmari testimonio Furtadi Inspectoris ad Genera-Vittelleschum. [Inspectis, inquit, nouem Prouinciis in quibus viginti tres ex nostris Europæis Sacerdotes, fratres Sinæ tres, duodecim stationibus diuiduntur omnes comperi desiderio salutis alienæ, & propriæ virtutis ardere. Sed recrearunt me præcipuè Vagnonius, & Longobardus septuagenario vterque maior, actuosior quadragenario; Longobardus Pechini, Vagnonius in Prouincia Scianſi vbi multa Christo animarum peperit millia, sparsa in vrbes quinque aut sex, & pagos supra quinquaginta: bis omnes quotannis reuisit, & vitam agit in motu perpetuo; si quem diem nactus est quietum, scribendis libellis ad conuersionem ethnicorum insumit. Huic labore egregio non impar Longobardus, non Christianis modo Pechini excolendis, quorum est maxima ea in vrbe multitudo, sed excursionibus etiam longinquis dierum subinde sex aut decem dat operam. Eundem quoque in aliis notaui spiritus ardorem, sed horum duorum in tam graui, & exercita ætate labor indefessus fecit illos mihi præ cæteris memoratu dignos.] Sic ad Vittelleschum scribebat Furtadus: & Longobardi quidem libenter hic memini, tùm ad laudem ipsius virtutis, tùm ad commendationem præmij quo illam rarissimo in Societate, & extra ordinem remuneratus est Generalis, iusto quidem, & merito, sed nec petenti nec roganti concesso. Eius enim mandato Decembri mense anni 1617. ad professionem votorum quatuor est promotus, annis decem & octo postquam erat formatus in spiritualibus adiutor. Scripturæ Sinensis, & linguæ peritia, perspecta diu virtus, Apostolici labores & perpessiones, id illi iure honorarium acciuêre. Nunc ad Vagnonij operosos quæstus veniamus à quibus nihil virum constantem, & solidum dimouit, cuiusdam alterius vile, & philautia cæcum iudicium qui eum litteris inconsultis Generali descripsit illa indignum missione, & quem nihil propiùs fuerat quam vt Macaum reuocaret; adeo illum pupu-

gerat Vagnonij firmitas qui certa linguæ Sinensis peritia fretus, eius de Scianti, & Tienciu vocibus decreto obstiterat (de quibus prolixè superius) at enim fixo in Deum oculo, & constans in munere Apostolicæ missionis Vagnonius bis mille octingentos & septuaginta hoc anno abluit; ex perpessionibus ærumnosis & itineribus hibernis ita ægrotauit, vt miraculo creditus sit Christianorum precibus donatus,

97. Fames horrenda & charismas Christ.

totum enim illud quo periclitatus est bimestre, orando, vouendo, flendo, priuatim, & publicè, cruciandisque afflictatione spontanea seipsis perinde traduxerunt, vt si foret quisque de parente in extremis posito anceps, & anxius: & verò quantus Vagnonij esset, & paterno maior erga omnes, etiam ethnicos, maximéque abiectos, & miseros amor, annus hic ostendit trieesimus quartus quo nullus ab æuo Sciani Prouinciam calamitosiùs, & funestiùs deuastauit; stetit menses octo tristi sereno obfirmatum sine nube, & pluuia cœlum; sementis è terra ne pilus quidem geminauit; hinc lamentabilis annonæ labor, hinc fames si vnquam aliàs crudelis, exemplisque barbaris horrenda. In plebe potissimùm egena, infinita, opere in diem, rogato, & furto viuere assueta; consumptis arborum frondibus, mandi cortices, & ligna quamuis exsucca & arida; milij purgamenta, & siliquæ simul teri, & in panes coacta ad solem excoqui. Famis denique rabies incadauera hominum semiputrida inuolare, & mortuis vesci. Dicam mox de incendiariis, & grassatoribus quos suprema egestas in exercitum conflarat; horum interea complures quotidie ab iudicibus comprehensos, & viuos clauis in terram confixos circumsistebat turba famelica; cultris acutissimis in postremum halitum intenta, statimque in membra, in viscera, in caput inuadere, prosecare, rapere, manantia tabo & sanguine vorare; cuius lanienæ viros quoque honestos partem sibi tulisse F. Manuel Gomez vidit. Execrabilius illud de matre, & filia quæ deprehensæ sunt infantem membratim lacerare, sibique parare in epulas. Hunc tormentis subiectæ fassæ sunt esse quartum supra trieesimum, quos aut furto sublatos, aut expositos, fami suæ mactassent. Chianceo tota, ignominiosè raptatæ sunt, suspensæ, confixæ iaculis, & famelicis post mortem in escam proiectæ. Crescente interea immensum cadentium numero, vrbeque sepeliendis iam impari, fossæ quatuor ingentes extra muros apertæ sunt, & tracta vncis in eas cadauera, quoad ad summum implerentur. In communi hac strage, infantes, & pueros excepit sors leuior ne dicam felicior; exponebantur primùm à matribus, ne coram cernerent morientes, inter voces postremas cibum poscentium, quem dare non poterant; fuere quæ viuos defoderent, ne voracitati eos obiicerent; fuit parens, & mater qui suo, & cari filioli desperato victu, misère illum in amnem, sepeliendum aquis, & iêre post illum præcipites; diuersis oculis insontem, & reos diuina æquitas respexit; hi fluuio obruti perierunt; ille innatans aquis receptus,

receptus, traditus Patribus, baptizatus, vnicè iis carus superstes vixit.

Iam ex quo à matribus destitui cœperant infantes, à Fabro, & Gomez in vrbe & foris, multis milliaribus quærebantur, vt si minus valerent seruare corpora in tuto saltem animos ponerent, errabant itaque in omnem vagitum, & gemitum arrecti, & quoscumque in viuis reperissent, baptismo lustrabant, instabat enim iis certa mors, cum nisi fame iam semimortui à matribus non abiicerentur; in iis vnum offendit Gomez mortuo similem cœptumque à vermibus depasci, adhuc tamen spirantem, sed aqua defecerat quam circumferebat ad baptismum, cum ecce tibi aquatum rediens mulier transit; petit ab ea potum Gomez, quem illa humaniter porrectum, ore Gomez tenet, cursuque ad infantem celer, aqua in manum reiecta illum tingit, verba sacra vix pronuntiarat, & puer apertis oculis se viuum testatus, mox in mortem beatam eos clausit, & Deo animam reddidit. His, & similibus narrandis Gomez admirabatur lachrymans tàm singularia bonitatis diuinæ documenta. Sed enim decussa vt solebat Prouincia, Chianceum redux Vagnonius, campum ratus patere nobilem ad legem Christianam, caritatemque illustrandam, magna se fiducia accinxit ad nosocomium colligendis illuc proiectis infantibus pandendum. Primam operi suggessit impensam, commeatus quem ad suam, & sociorum sustentationem Macao acceperat, hinc domum conducit; quinquaginta statim requisitos infantes in eam curat deferendos, nec fuêre deinceps requirendi, postquam enim res vrbem peruasit, vltro ad eum centeni ferebantur, nec propterea cessabat alibi alios qui baptizarentur perscrutari. Tanto vero nutricum, & infantium numero cum nullæ Vagnonij curæ, sumptúsque sufficerent, primas ei suppetias tulêre Christiani; post etiam ethnici, tàm pij operis misericordia emolliti, & verecundati pauperes homines orbe toto à patria dissitos, eam filiolis quos ipsi exponebant, opem ferre, quam iis & diuites, & ciues, & parentes negarent. Nullus ferè de aliis in vrbe sermo; generositas Christiana suspiciebatur, si cui nostrorum Mandarini per vrbem occurrissent, gestatores suos sistebant, laudabant consilium, gratulabantur nostris etiam publici nomine. Excibat omnes ad videndum admirabilitas ordinis, ministeriorum, strenuitatis, industriæ; Gubernatorem, Taolium, propinquos Regis, omnis ordinis Magistratus; ne matronæ quidem primatiæ solitudine se tenebant, quam seruant Nostratibus religiosiùs; nec videndo, mirando, laudando curiositas explebatur, dabant lachrimas pias, dabant capitis ornamenta, dabant gemmas in subsidium sumptuum; argentum homines conferebant; quidam aliquos legebant suis impendiis alendos, alij etiam adoptabant. Feliciores omnibus, quos è limine vitæ infelicis, baptismi gratia beatæ transcripsit immortalitati: censi sunt breui tempore trecenti quibus vita seruari nulla ciborum opportunitate valuit, quod essent iam pessimis alimentis adeo

vitiati, vt ex eorum graueolentia frater Gomez, bis ad extrema ægrotarit. Dedêre quoque Christiani nonnulli caritatis prorsus heroicæ fortia documenta; ruri vnus in puerum incidens, abiectum, nudum, vermibus opertum, persuasit sibi quo illum indicio Deus monstrauerat, eodem illum sibi commendasse, sublatum puerum domum defert, purgat saniem vulnerum, vermes deradit, squalorum detergit, suomet in lecto collocat, blanditur, assidet, consolatur ea animi sui voluptate, vt quod temporis punctum ab eo aberat, diem putaret benè longum, nemo ambigebat puerum proximè moriturum, credita est caritas viri boni, vitam illi sanitatémque promerita. Mandarinus Tuon Petrus, cuius ante non semel, mirati sumus virtutem egregiam, ex iis pueris centum domi suæ collegit, præter alios pauperes à quibus perpetuò obsidebantur eius fores; & spectabatur palam, homo id ætatis, & auctoritatis, vnum aut alterum ex iis infantibus inter brachia gestare, & domum ferre, vbi sedulitatem iis omnem exhibebat quam eius ætatulæ necessitas misera posceret, nec cessit vxori paulùm delicatæ & iniquo animo ferenti per se illum obire, quæ præstaret seruis, & ancillis committi; at is subridens hortabatur, vt iis è sordibus gemmas seligeret, hoc est meritum caritatis, & decus veræ non solo nomine Christianæ; quod non modo ex ipsa obtinuit, verum etiam ex fratre, & ex sorore. Accepit aliquando auditos extra vrbem infantis vagitus præmaturè ab suis sepulti, accurrit anhelus, & multum rogans vt bono Angelo indice puerum inueniret priusquam expirasset, inuentum sinu tollit, intranti domum occurrunt famulæ, vt puerum lauent; sed putor, & sanies, & odor pestilens retro illas abegit, vult ergo, inquit, Deus totam huius venationis gloriam, ad me pertinere, suisque ablutum manibus & in lectulo compositum peculiari sollicitudine curauit. His eius familia præclaris facinoribus inflammata, eius ardebat imitatione, & conuersionibus ethnicorum quos è vicinia, centum breui ad baptismum perduxit.

98. Insignis char. Mandarini Petri.

Octimestrem famem secutum est latrocinium immane, & quouis bello peius. Sceleratissimi homines, vitam exosi suam, quam sustentare nisi rapto non poterant, in pagos, & oppida effundi, alij turmatim & temere, sub ducibus alij, rapere, occidere, deprædari, quicquid audet hostis probrosum & barbarum patrare; cædem, & incendia circumferre, nec vllo loco consistere ne obsidioni ansam darent. Iam Prouincias vastabat lues illa, & regni vniuersi communis rebellio timebatur, cum Chianeeum regendam suscepit Mandarinus vir sagax, & ad remedia extremis malis extremis adhibenda intrepidus; passim igitur illos, cateruatim, sigillatim, vi, dolo bono, industria deprehensos captos, festinata sententia damnatos, arborum truncis, muris, solo configere, & famelicæ plebis ferinis morsibus laniandos & deuorandos exponere. Verum enimvero tam crudelis vindictæ sæua spectacula, ipsis quoque Chinceis præsidiariis tantum formidinis hauquaquam intulere, vt vrbis incendio,

99. Latronum exercitus.

dio, & direptione abstinerent, nocte appetente quæ proximam præcedebat Lunam, cum anni vertentis festas lætitias ciues in struerent, spargunt incendia milites variis simul regionibus ciuitatis, & prædas inter ignes captant. Arsit Chianceum integra illa nocte, & die sequenti, nec de illa quicquam residuum fuisset præter muros, si vel auræ sibilus spirasset. Incitatus est ignis vehementiùs in ædes diuitum, vt fugatis iis prædones liberiùs quod vellent tollerent. Solæ Christianorum ædes, & eorum qui expositos infantes alebant, Christiani forent vel ethnici; plebeij, aut diuites, immunes ab igne perstitere, & quanquam iis sæpiùs iniectus, nunquam arsit. Hinc mira Christianæ legis, & nosocomij à Vagnonio instituti laudatio: erat enim illarum ædium ingens multitudo, & paucis ethnicorum exceptis, omnes Iesu augusto nomine frontibus præfixo notabiles; vnius tamen valdè Neophyti contiguæ flammis correpta domus conflagrabat, cum implorata mox Dei ope, spectabilis omnibus puer apparuit, qui vestis suæ laciniola flammam huc illuc sequens, & tegens præfocabat, eáque penitus vndique restincta videri desiit. Foris item pagis, igni ab latronibus iniecto deuoratis: Christianorum domos ne scintilla quidem violauit. Alibi ædes ethnicorum cum deprædarentur, cæcutiebant ad Christianorum fores tametsi diuitum, eásque intactas velut inuisas præteribant. Pago duæ prædonum equitum instabant turmæ, nec dabatur aut fugæ aut defensioni locus, cum vt erant incolæ virtute singulares, vocato statim in auxilium Deo equos sistunt, in calcatia, & verbera tàm refractarios vt nequiuerint vlterius adigi; quare sessores consternati furorem aliò verterunt. Post anni squalorem, & famem pestilens morbus terræ incubuit qui contagio sparsus paucis diebus ictos absoluebat. Noua Vagnonio misericordiæ, & caritatis seges. Cumque morbo stragem latam edenui, ab natura, & arte deesset remedia; eo præsentit à Deo adfuere, præsertim ex chirographo S. Ignatij quod propterea circumferebatur. Multi morte optantes Christiana, vitam ethnicam claudere, sacro baptismo sanati sunt; lustrali aqua innumeri; erat feminæ Christianæ filiolus; huic alterum oculorum, concreta suffusio clauserat; matrem vicini fatigabant idolo cuidam vt sacrificaret, magno vt aiebant cæcitatis, & oculorum Æsculapio; hortabatur illa è contrario ad verum Deum confugerent, dissipaturum cæcitatem, qua tenebantur tàm densa, & periculosa vt sibi coram apertos inferos non viderent. Inter hæc puerum alteri oculo innascens membrana penitus excæcat. Insultare hic matri omnes, exprobare inanem fiduciam, Deum illius traducere; at hæc duplo confidentior, geminato filij sui malo, extremum digiti aqua lustrali mergit, & stillam filij oculo vtrique infundit, eius attactu panduntur oculi redit lux, & visus facultas longè quàm antea purior. curfat puer, seseque ostentat per ædes vicinorum, & factum modumque sciscitantibus enarrat cum incredibili eorum stupore; quanquam erat adeò inter ethnicos certum Christianorum Deum illorum fiduciæ præsto

100. Mirac. sanationum.

præsto esse, vt hoc in ista morbi Chianceum populantis strage testati sint. Circuibat vicos Bonziorum, & meleficorum agmen; hi pestiferos spiritus cantionibus abigebant ne auram venæ carent; illi ad ianuas domorum, maximè diuitum execrationes in mortem vibrabant tàm horrendas, vt si domum ingressa iam foret, esset omninò è fenestris saltum præcipitatura. Sed cùm domos obiret agmen hoc circumforaneum, eius ductor ad fores Christiani cuiusuis, Iesu nomine sat notas, exclamabat, Christiani domus: respondebant alij, nostra opera non eget, habent suum, ac cœli Dominum cui credunt, à quo egregiè seruantur incolumes, & medecinam accipiunt nostra quauis salubriorem.

101. Christianitas Pucci fundat.

Cœterum palmare huius anni opus à Vagnonio peractum, fuit Christianismi fundatio in vrbe Puceo, qui deinde illic si vsquam alibi magnificè floruit; superiori anno Vagnonius eius vrbis tentarat ingenia, Colai Han vsus comitatu sibi intimè addicti; eiusdem nunc fretus præsentia ad quam hiscere auderet nemo, illuc redit, missósque sibi obuiam à Parente duos Colai filios inuenit, dehinc etiam ab ipsomet, eiúsque germano officiosè inuisitur, quod in Magistratu Regi vni secundo, humanitatis & amoris prodigium extitit. Post tugurio eductum quod sibi conduxerat, tamdiu detinet in palatio hospitem, dùm illi commodam metatur stationem, ea interim affectus præcipui, & reuerentiæ in sanctum senem, testificatione palam ac publicè, vt intelligerent vniuersi, quanti esset habendus, quanta docenti fides tribuenda. Legem enim Christi sapienti Colao; sermones nostrorum, & Christianorum mores, tàm amabilem fecerant vt nihil optaret ardentiùs quam suam patriam Puceum cernere Christianam. Nondum tamen surgebat ad æterna; dumtaxat virtutem suspiciebat moderatricem vitæ, & deprædicabat institutum quod suos efficeret bonos, alios meliores, atque in hæc duo contentiones omnes consumeret. Domum igitur mandat Vagnonio quæri, ministeriis eius idoneam. Huius partem Vagnonius sacrificio diuino inaugurat; inde in selecta Literatorum frequentia, viros tres proceres Colai propinquos solenni baptismo expiauit, eiúsque filiolos quatuor; & paucis ab hinc hebdomadis Literatos, & Mandarinos eo numero qui par esset sodalitati congregandæ ad peculiare studium pietatis, & magisterium populi, exempla sodalium sectaturi. Certè inter illos inualuerat is ardor, vt profiterentur Christiano indignos nomine nisi ethnicos saltem sua quisque pro parte decem Christo esset lucratus, eódemque igne beatitatis alienæ ardebant illico quicumque ad fidem accederent. Reuisebat illos quotannis Vagnonius, & cautè dilatum baptisma maturis conferebat: anno demùm 37. cò creuit Christianorum multitudo vt ei curator attribueretur Ignatius Costa, doctrinam & linguam Sinensem apprimè doctus, qui & ipse suburbicarios Puceo pagos fructuosissimis excursionibus coluit; sed biennio priùs Franciscus Sambiasius eximiis clarus in Ecclesiam Sinensem meritis, nostram in Regia Nanchinensi stationem denique instau-

rauit:

rauit, eam tyrannus Scin, in ruinas impulerat ex quibus annos octodecim non valuerat sese attollere, connitentibus licet Doctoribus Michaële, Leone, Thoma, & Philippo, ipsóque adeò Colao Paulo, tàm diris impius Christi hostis fautores suos in eam odiis imbutos reliquerat. Etsi enim subinde nostri vrbem adirent, ipsique Ciues Christiani, cœtus suos vt erant edocti variis in domibus haberent, sed hæc furtim, & suspenso gradu atque manu, quod centum oculis, Bonzij obseruarent ne in vrbem nostri nisi raptim pedem iniicerent. Hoc demùm anno, Sambiasius primùm tolerari, deinde amari, paulò post foueri, tandem etiam certatim frequentari. Rescripto munitus Colai Pauli, tum hoc viuis exempto, Doctoris Petri, vrbem ingressus est; Præerat Paulus reformatoribus Calendarij Sinensis, edicebátque Sambiasium publico commodo, & iubente id Rege, oportere in vrbe consistere, & poli gradus, defectionésque luminarium obseruare. Erat Sambiasius ob virtutem ethnicis quoque venerandus, dexteritatis autem miræ, in negotio quouis difficili explicando & verbis, ac gestu salua religiosi hominis, & Literati grauitate summè amabilis, sed iudicij circumspectissimi. Hunc Mandarini aliquot cum adissent à Christianis minùs alieni, ita sunt eius humanitate, & scientia capti, vt ad eum visendum, alios mouerint complures, pari apud omnes laude virtutis & doctrinæ. Inter hæc eclipsim paulò post futuram cum prænuntiasset, eiúsque articulos, momenta, & durationem ex astronomico Europæorum canone descripsisset, sub eius initium flos Mandarinorum ad eum conuenit, & respondentes ad amussim prædictionibus ipsas quoque euentuum minutias singulas cum vidissent, pro oraculo suspexere, secutæ sunt intimæ quorundam amicitiæ cum illo, familiaritates, & tituli, elegantibus inscripti tabulis, domum pompa solenni, & symphoniæ concentu ad eum perlati, quibus in aulæ propatulo locatis, conciliatur auctoritatis splendor iis quorum in laudem compositi fuerint. Eminebat quoque superliminari edictio, qua palam fiebat grandioribus literis Patrem ad Regis domum pertinere; iubebantur vicani tribuni, diu, noctúque illius saluti excubare, quem deprehendissent in eum aliquid moliri captum sistere tribunali. Parta in hunc modum aulæ gratia, & opinione, secutus deinceps diuinam gloriam salutémque vrgere animarum, ad quam eatenus omnia sed dissimulatim referebat. Primum eius conatum fortunauit Deus nobili pignore opulentæ in posterum messis, Mandarinum eius aulæ decus Ecclesiæ adiunxit. Illectus enim Sambiasij suauissimis moribus, & blanda comitate, suum illi tradidit filium erudiendum astronomicis elementis, quem Sambiasius de aspectabili hoc cœlo, ad æterna sensim attollens spectacula, prælectionibus perpaucis ex mathematico Euangelij fecit discipulum; & aquis vitalibus regenerauit in nouum hominem, motesque longè à pristinis diuersos; mutatione inexpectata, & subita perstrictos parens, dùm causam inuestigat, capitur, & ipse Christia-

101. Nanch. eccl restituitur.

norum dogmatum honestate, excellentia, & soliditate, fassúque se victum baptizatur; tùm septuaginta paulò post ethnici, quos inter Eunuchus palatij, septuagenario grandior, qui felicissimam deinde, ac strenuissimam operam multorum conuersionibus sudauit. His rerum prosperis sapienter diffisus Sambiasius, factúsque cautior damnosa ibidem præcedentium annorum experientia, inuidiosa omnia deuitabat, submouebátque ab oculis, maximè Bonziorum. Quare non est passus Christianos apud se congregari, sed domos quatuor; foris binas; in vrbe totidem assignauit, in quibus sacros peragerent cœtus; quintam feminis solis peculiarem & propriam; obibátque diuersis diebus sigillatim hos cœtus, concionibus, sacramentis, institutione ethnicorum quos amici docèndos adducebant, omníque officio Apostolicæ functionis. Obscura in speciem, & minimi strepitus, sed secura, & valdè vtili opera.

Anno triceſimo ſeptimo, nam præcedentiũ duorum intercidere nobis monumenta, eundem lego Nanchinenſi augendæ Chriſtianitati magnis contentionibus intentum, eam octo primariis vrbibus, multíſque minoribus intuliſſe, & telerantia laborum ſupra quam vires ferrent infatigabili periculosè ægrotaſſe. Mandarinos aulæ tametſi ethnicos illum intimè obſeruaſſe, & propter illum legem Chriſtianam; triginta ex ipſis liberali contributione ædificaſſe domos duas quas illi donarunt, alteram extra vrbem in ſepulchra noſtrorum, cum olim Pechini Riccium, ſepulchro magnifico Rex ipſe ornaſſet: in vrbe alteram, cogendis ad ſacra Chriſtianis, cuius fronti marmor indidêre, perennatura in æuum Chriſtianæ legis inſculptum commendatione, ſed illuſtrata eſt clariùs Sambiaſij exiſtimatio, facto Bonzij ſenis, & cœnobiarchæ inter ſuos nomiuatiſſimi; qui contra tumorem morémque Bonziorum proclinationibus infimis, eum proſecutus, vertit ſe ad illum quem ſecum duxerat (ætate grauem, & aſpectu qui procul venerat de rebus animi conſulturus) & huic ait, ſecurè te trado, de iis edocendum, ſapientiùs vtique quàm poſſim præſtiturum; omnes eum aulæ Mandarini, hoc eſt omnis doctrinæ, & prudentiæ medulla, demirantur, obſeruant, diligunt, certatim colunt, ex quo fit conſequens, eſſe iis virtutum & ſcientiæ dotibus præditum quibus alibi fruſtra requiras ditiores. Sub hæc Saluatoris adorata ſæpiùs icone abſcedit, & ſuum proſelytum initiandum fidei dogmatis Sambiaſio relinquit. Hanc legem Sambiaſius vſu ſanciuerat, vt quicumque veniſſent, eandem effigiem adorarent, videns ergo quandoque inſignis Mandarinus ſtare coram nonnullos, & curiosè magis, quàm reuerenter aſpicere, reprehenſos, exemplo compulit ad eandem Chriſti venerationem. Hanc imitatus eſt Nanchinenſis ipſe Taolius (ſunt hi Præfectis eminentiores, & monitores Regum, ſi quid Regni adminiſtratio à bono exerret.) Hic mirè cordatus, & Regno Dei aptus optabat magnoperè Sambiaſium placidè audire, ſed occupationibus obrutus, perſeuerabat ad mortem ethnicus,

cus, nisi Deo volente Rex, Taolij pondus leuiori officio illi commutasset, post hoc enim audito Sambiasio, breui Vero & recto quò iam erat à natura pronus, manus dedit, & sacro ex fonte nominatus est Paulus; quanta ethnicorum admiratione, quàm effusis ad Deum inter Christianos actionibus gratiarum, melius cogitatur quam dicitur. Portò hæc fidei incrementa secundis rumoribus longè extra vrbem dissipata, accersebant ad illum aliarum vrbium nuncios, implorantium eius opem, quibus nisi raptim & paucis diebus iens & rediens cùm satisfacere non posset, discruciabatur eorum miseriis vehementer: hæsit tamen Ciampij aliquamdiu Doctoris Thomæ patria, vbi præter suam expectationem, expectatissimus, & fama notissimus, incredibili gratulatione Mandarinorum exceptus est. Audiebatur vero in Doctoris Thomæ suburbano musæo ea frequentia, vt cùm peroraſſet, auditori nouo repetenda esset habita concio. In Cathecumenis docendis durabat ad medias noctes; pridiè quàm baptizarentur eam in iis mouebat diuinæ offensæ detestationem, & horrorem vt præteriti dolore soluerentur in lachrimas, & lamenta; sponderéntque Deo in posterum innocentiæ Christianæ obseruantiam inuiolabilem; trecentis baptismum contulit, triaque hunc foris poscebant opida, erántque magnis accessionibus nascentem illic Ecclesiam auctura; sed eam Bonzij, mendicitatis metu exciuêre mox tempestatem, vt satiùs duxerit spem paruam in præsens omittere, quàm rei summam in periculum vocare.

Iam de Regno Dei inter Sinas læta mihi suggerit hic annus seculi huius tricesimus septimus; nam ad Regnum Sinarum quod attinet, semper hinc deinceps quot annis in peius, & in præceps ruit, quoad denique transiret ad Tartaros qui Prouincias eius dum hæc scribo, saltem duodecim obtinent. Defuncto ante biennium, P. Palmerio Prouinciarum Inspectori, quæ solent Macao operarios petere, Manuel Diaz, suffectus est ad discrimen alterius iuuenis, & cognominis, senior appellatus, qui pro suo in Sinas ardenti studio, viginti mox operarios à Vitelleſcho Præposito mitti ad se quotannis postulauit generosos, nec amantiores vitæ quàm ferret cursus illius nauigationis, qui tolerabilis habetur si vel mediam ex Europa vectorum partem transmittat incolumem. Sed enim inspecto postmodum quàm longè pluribus operariis egeret, Semedo Viceprouinciæ Procuratori negotium dedit, vt Roma rediens bona cum venia Generalis, ex nationibus variis septuaginta deligeret secum in Sinas perducendos, addiditque Semedi precibus prudens senex valdè sapientem ad Vitelleſchum epistolam, quam à tanto viro, missionúmque illarum experientissimo, non ab re arbitror posteris profuturam. Sic ergo ille Martij 10. anno 1637. annorum sum quinque, & septuaginta, ex iis sexaginta transegi in Societate, & quidem quod pudet negligenter, versor in his Prouinciis quinquagesimum nunc annum, & in regendi, consultandíque munere quadragesimum nonum, quod præmittendum idcirco censui vt intelligat V.

103. Omnium nationum operarij ad Sinas conuert. necessarij.

P. quantum mea interſit vera dicere & ſcribere, cum accerſendum me quamprimùm ſentiam ad reddendam Deo omnium rationem. Fidelitatem à me niſi ſum impiè ingratus, ſingularem Societas repetit, cui tot vitam annorum, & quicquid boni habeo, debeo; cum eam ingreſſus, vix niſi abſurdè loqui poſſem: tamdiu præterea perſonas expertus, reſque tùm noſtras, tùm externas; Paternitati veſtræ aſſeuero nihil eſſe ad ſalutem harum Prouinciarum deſiderabilius, & maius, quàm vt ex multis nationibus operarij ad eam concurrant. Suis enim hominibus Luſitani egent in Luſitania, egent iiſdem in Braſilia, nec poſſunt Prouinciis quatuor de ſuis cultores ſuggerere, quæ à capite bonæ ſpei huc vſque porriguntur. Vt neceſſe ſit alterum fieri ex duobus, aut externos è noſtris in ſubſidium euocare, aut ſuſceptam Sinarum, Cocincinæ, Tunchini conuerſionem omittere, Cambogiæ præterea, & Laiorum, quorum aditum regnorum ab annis ſeptemdecim tentamus. Accerſendas ergo ex nationibus aliis ſubſidiarias operas hæc ſunt quæ Paternitati veſtræ poſſunt confirmare.

1. Iapones, & Sinas haudquaquam primi eruderarunt è noſtris Luſitani, ſed alij, primamque in iis ſementem cùm fecerint, æquum eſt vt pergant, & meſſem colligant animarum quam excoluerunt.

2. Deinde Macaum paucos habet ad Societatem idoneos; militet ſunt Præſidiarij ducenti quinquaginta, ſed ij ne mediocriter quidem inſtructi dotibus ad noſtra munera opportunis; & ſi quibus aliquid viuax inſit, Regi malunt in India militare, quàm hic nulla ſpe honoris aut occaſionis bonæ torpere; Macao quidem oriundi, natis in India longè præſtant, quòd eorum, & melior indoles, & educatio, at ij & pauci ſunt; & in iis qui Societatem expetant pauciores; cum tamen Sinarum, & Iaponum vaſtitas, & cultiſſima literis, & intelligentiâ virtutum ingenia, quamplurimos exigant, & magnis animi præſidiis fultos!

3. Qui admittuntur hic in Societatem, annos octo, ſumptúque non leui, & propter aduerſum ſtudentibus cœlum, fructu exiguo, literis incumbunt, iiſque ita eneruantur vt fiant laboribus impares quos harum miſſionum conditio ſtrenuos exigit; Externæ Prouinciæ dant nobis homines virtute, ac literis abſolutos, gratuitos, & ſolo huc vſque Vlyſſipone, viatici ſumptu: quanto prouentu animarum, dixiſſe ſufficiat, illos ſtrenuè ſemper, & fideliter laboraſſe.

4. Magnum noſtris hiſce Prouiciis nomen facit, quod earum caſa ſuas deſerant externi, ac licet in iis vtiliter & honorificè occupentur, noſtras tamen has magno ambitu prenſent.

5. Exempli eſt admodum illuſtris tàm nobili inter nos amore coagmentatam cernere caritatem, vt fratres fratribus ad laborioſa, & arduа tàm procul ſuppetias ferant; periculáque & ærumnas præferant commodis quibus in patria gaudebant, intra metas religioſæ obſeruationis quod hic ordinibus cæteris in vſu eſſe non videmus.

6. Contin

6. Contingit non rarò peti à nobis Mathematicum insignem, aut solertem pictorem, quod iis careant Lusitani, iam si semel aduertant externæ Prouinciæ, natali spiritu nos agi; nec eæ facilè postulata concedent, nec decebit nos ad ea postulanda descendere.

7. Denique Sinenses, cùm multa faciant ad Societatem idoneos, sed fidei sunt adeò teneræ, vt quantùm capio, nisi multo tempore matureſcant, & corroborentur, intutum valdè sit Societatis famam, votorum sanctitatem, & sacramentorum ministeria iis committere. Iapones verò (si pergat tyrannus vt facturus videtur) furere multis annis nascentur ethnici, ethnica educatione, ad superstitiones idololatriæ dictatis ethnicis fingentur, ecquando igitur in illis ad Societatem aut Sacerdotium fore habiles exspectemus? quare oportet nos esse Catechistis laicis contentos: Sacerdotes verò ex Europa accersere, quos cum sufficere Lusitania non possit, petantur sanè ex nationibus aliis docilioribus ad nexum mutuæ caritatis] ista sapiens senex religiosissimo instinctu solidæ pietatis, quibus adderem multa si vellem historiam in argumenta deflectere, atque illud imprimis, operarios externos, possessionem stationum à dominis (sit verbo venia) nequaquam auferre; sed multas ex paucis; ex macris, & parum fructuosis ob penuriam sociorum, sociis operum diuites facere; iam vtri præstiterint in Apostolico munere, discernant facta ipsa non verba.

Huic suo insistens considerato iudicio Diaz, quatuor in Sinas hoc anno 37. destinat Ioannem Monterum, Franciscum Brancatium, Hieronymum Grauinum, & Ludouicum Bullium, qui se Macai pridem ad eam expeditionem comparabant; Primus Lusitanus, reliqui Siculi, senioribus diuersas in Prouincias adiuncti quorum vsu, & linguam, & modum agendi perficerent; quo se vtroque ab anno 1630. abundè munierant Tranquillus Grassetius, Petrus Caneuarius, Michaël Trigaultius, Benedictus de Matos, & secundum hos Antonius Gouea, & Ignatius de Costa; quorum aduentus Seniorum Patrum cadentem ætatem inexplicabili gaudio affecit, dum se in iis renasci quodammodo cernerent, confideréntque nunquam defuturos ad consummandam conuersionem imperij in qua ipsi tàm diu sudauerant; nunc planè exhausti viribus, quod vitæ supererat in compositionem librorum conferebant quorum emolumentum perpetuum, & omnibus commune Christianam rem inter Sinas, Cocincinenses, & Tunchinenses promouit plurimum, censebantúrque iam hoc anno 37. ducenti quindecim; manuscripti verò, proximéque edendi duodetriginta supra centum charactere omnes difficili, & lingua illorum regnorum exquisita, de Religione, pietatis cultu, Philosophia morũ, natura & Mathematicis.

Sed quietis huius, etsi laboriosæ, impatiens Longobardus rem aggressus est hoc anno periculosam, & difficilem, quæ tamen feliciter, Dei beneficio est confecta. Vocatus fuerat ante aliquot annos Pechino Cinanfun, Sciantunensis Prouinciæ vrbem primariam, ad filium

103. Noui oper. noui Christ. à Longobar. fund.

Colai Pauli confessione sacra expiandum, vbi ethnicos tredecim Christo lucrifecit; & Mandarinos expertus est tàm præclarè erga se animatos, vt hoc instar promissi habuerit pangendæ illic Christianitatis; nec eò reditum distulit vltra annum; quo, itineris duce feruido Christiano, initium fecit Euangelij prædicandi ab eius patria bidui spatio Cinanfuno distante, plus centum ethnicos errorem dedocuit aut lauit; in reliquo populo eos excitit motus qui desituri videbantur in professionem omnium Christianam, nisi Bonzij Deorum Sinensium ad vrbis Præfectum querelas detulissent, quos aiebant à Mago, Peregrino, Seditioso, falsario proscribi. Præfectus accusationem pro comprobata re habens ratam, & accusatores pro testibus, decernit Longobardum cum comite, non examinandos, sed puniendos comprehendi; verum eius ætate inhibitus, & quadam veluti aspectus maiestate, frontem solum rugauit, contemptim minatus, nisi tuam hanc attenderem promissam canitiem, plagas hinc ferres quinquaginta, & volentem aliquid dicere foras iussit extrudi; ejus comitem crudeliter cædi, & iugo tanquam carcere adstringi. Longobardus & ipse vrbe pulsus Cinanfum solus venit, & Mandarinorum amicorum intercessione recepto comite Pechinum regreditur. Sed vlciscente iniuriam Deo, Præfectus gradu, & officio motus, successorem accipit Mandarinum æquitate præstantem, æstimatorem Longobardi magnum, qui hac esca illectus, per niues, & gelu concreta flumina, eandem iterat expeditionem. Cuius ipse successus sanctus senex quàm verè præsagisset, testatur eorum felicitas de qua sic ipsemet ad Viceprouincialem. [Res, inquit, nostræ Sciantunenses, votorum meorum mensuram æquarunt. Taingan appulsus Præfectum vrbis, amicissimum nobis pro obsequij munere adij; visendi officium is statim rependit, hinc quicquid in vrbe Mandarinorum est me domi visere, ego illorum comitates, dies totos viginti excipere, & Saluatoris effigiem iis ostendere, qui mihi aditus ad diuina, & salutem animæ, apud eos erat, valuitque ad triginta ex ipsis baptismo tingendos. Vulgata erga me Mandarinatus vniuersi honorifica beneuolentia, conuenire ad me ex vicinia ethnici complures, & quotquot erant Christiani, certioresque facti vexationem præteritam ex ignoratione legis Christianæ ab expræfecto attentatam, magnis animis illi ad eam ambiendam, ad retinendam isti sese accingere. Ego stabilito mihi in vrbe domicilio exiui in propinquos pagos tanta eorum lætitia, quantum ab ipsis expectatus, & trecentos in iis, quæ Dei est gratia, ethnicos baptizaui, sonabatque circum tàm longè, ac latè fama nobili, lex magni Occidentis (sic eam nominant) vt à milliari septuagesimo ad audiendum concurrerent, & me quisque in suum oppidum traheret, sed Decembris & Ianuarij spatio à R. V. conscriptus, satisfacere illis non potui nisi spe facta mei reuisendi ad quintam, aut septimam lunam. Recreauit autem illos præcipuè domus in eorum Metropoli figendæ promissio, vnde nostros ad manum toto anno

essent

essent habituri, hoc futurum vt sperem Mandarinorum promissis confido à quibus illic sub medium annum expectabar] hactenus ille; magnoperè rogans operarios strenuos in procinctu haberi & reliqua ad ponendam illic stationem necessaria, ex qua Prouinciæ integræ penderet salus. Nusquam tamen is esse poterat quam Pechini vtilior vbi Adamo Scial, & Iacobo Rhò in Sinense Calendarium intentis, solus ipse pondus sustinebat nobilissimæ illius Christianitatis ad quam sexcentæ hoc anno animæ accessere, sed euentu nonnullæ tàm admirabili quàm certo extra omnes vires, artemque credebatur. Fuit hæc præclara feminarum octodecim, quæ primas in palatio tenebant ad Christum conuersio. Fiet rei gestæ præstantia clarior, si præmisero Sinarum Regem nullius vti nisi Eunuchorum famulatu, & multò magis feminarum. Triplex harum est ordo prout ad maiora ab Rege adhibentur. Primæ duodecim Ciamcaiæ dicuntur hoc est, sapienter loquentes, eæ linguæ Sinensis, & scripturæ concinnitatem omnem callent, & sublimitatem; ministerij vices pro Regis cubiculo obseruant; libellos ad Regem supplices à primis palatij Eunuchis, qui Colais extra palatium respondent, acceptos legunt, Regi offerunt, & exponunt; rescriptos à Rege, Eunuchis reportant; Eunuchi ad Colaos remittunt. Secundum ordinem faciunt Tataiunæ numero quadraginta penes quas omnia quæ ipsummet ad Regem attinent, vestes, libri, atramentum, penicillus ad scribendum, denique omnia, nec re vtitur vlla Rex nisi earum manibus porrecta. Tertio gradu sunt Siaotæ; quæ Regi mensam ponunt, instruunt, ministrant, adstant vtrimque discumbenti, nitorem cubiculi curant & supellectilem. Hoc triplici ordine principum feminarum, nihil infra Reginas augustiùs; habent & ipsæ singulæ suas Eunuchorum familias, & honorarias puellas; habent, & alias Reginæ multo plures suis obstrictas obsequiis, sed inferiores gradu iis quæ Regi deseruiunt. Iam quod septa interioris palatij, æterno adamante feminis illis clausa, lux veri Dei, penetrarit, consilium fuit diuinæ bonitatis, quæ Christiani Eunuchi non magni nominis, virtutem eximiam nobilitauit tàm pulchro facinore. Appellabatur Van Iosephus, triennis Neophytus, sed veterum nemini secundus. Domui præerat nobilis f. minæ secundarum Reginarum cuipiam honorariam operam nauantis: hanc post expugnatos feliciter, traductósque ad Christum propinquos suos, aggressus est. Ac primum de illa cum Deo ardenter; de Deo postea cum illa, de vita post mortem, de æternitate, & sanctimonia legis Christianæ agere, audiri ab ea cupiè, probéque percipi, eò tandem processu vt vellet esse Christiana; ille dominæ suæ salute gestiens ad Patres accurrit à quibus edoctus quæ ritè fieri oporteret, ampliùs eruditam lustrauit sacro baptismate, & Cathatinam nominauit. Duobus his accessit tertius Lien Marcus Eunuchus, quos tanto afflatu diuinus spiritus, ad difficillimam illarum feminarum conuersionem inflammauit, vt paucis nihilominus mensibus, præter illas quæ adhuc pendebant

104 Mira femin. conuersio in palat. per Eunuchos

pendebant ancipites, primi ordinis tres ad sacrum fontem perduxerint, secundi vnam; ex tertio quatuor; nouem ex familiis Reginarum, quarum mox omnium viuendi ratio eiusmodi fuit, vt ex disciplina Monialium expressæ viderentur, nostrorum quidem (quantum procul amotis licebat) institutione formatæ, sed longè feliciùs, efficacia diuinæ gratiæ Sacramentorum supplente vsum, quo necessariò carere cogebantur; seruabant stata orandi tempora, legendi, & inuicem communicandi de rebus animi; si quid labeculæ iis excidisset apud Patres dolebant per literas, eiúsque pœnam, & cauendi monita rogabant. Intercedebat inter illas eò iucundior mirabiliorque consensio, quò antea simultatibus femineis, æmulatione, honoris ambitu & superbia ventilatis ferè semper inter se dissidebant; largitas vero in egentes, & cultum diuinum liberalis; earum familiæ ad mores compositæ dominarum, multique in iis ipsarum hortatu Christiani, vt ex agnatis similiter quos statim à baptismo hortatæ sunt ad præclaram sui imitationem; postremò Regi & Reginis si daretur ansa, tàm luculentam sui, & religionis susceptæ parabant rationem, vt quod multum sperabant Christiani, de elicienda eius approbatione publica nequaquam diffiderent.

Annuit quoque hoc anno Deus veteribus Patrum desideriis de Euangelij sacra face in Huguanensem Prouinciam inferenda, totius imperij locupletissimam, centum triginta quatuor vrbibus habitatur, primi, medij, & tertij nominis, præter pagos innumerabiles, & castella. Vocabulum ducit ex lacu perameno quem Hu vocant, & ciuitates amplissimæ quatuor aliáque minoris ordinis coronant; Prouinciis octo conterminis cingitur Huguana, & amni regio Chiano propè mediæ secatur, qui tandem in Iantio (maris filio) nomen cum aquis perdit. Metropolim habet Vucianfum in montis editi sitam planitie, quem decurrentes è summo aquæ, propè in peninsulam redigunt. Pridem illuc nostri spes sanctas miserant, in cassum semper, his annis potissimum, quibus annonæ labor Prouinciam præ cæteris diuitem, prædationibus & incendiis latiùs & crudeliùs habebat infestam. De hac eius Prouinciæ amœnitate, & opulentia Mandarini duo ex ea oriundi, Iacobus, & Matthias, cum nostris dùm agerent, fassi sunt nostri nullam esse beatitate quadrupedum terrena, & fragili fortunatiorem, cæterum nullam egentiorem veris bonis, Dei notitia, & felicitatis sempiternæ, neminem illic æterna & immortalia cogitare. Quibus paulò fusiùs deploratis, viros egregios acriter pupugit Dei honor, & patria charitas; Viceprouinciali Furtado vltro spondent, si quem ex Patribus eo mittere placeret, fore illi se duces itineris, omnémque ab illo iniuriam defensuros; Iacobi fratremin recens in illum, quem explicuimus, Doctoris apicem prouectum, futurum ei potenti præsidio; Vucianfum vrbem esse aptissimam summéque docilem ad concipiendos verbi Dei fatus; addúntque alia in rei commendationem, qua sanè Furtadus non egebat vt cui nihil æquè cordi esset; Goueam confestim Hanceo euocat mittírque

Vucianfum

Vucianfum, menſis integri fuit ea nauigatio aduerſo flumine, luctuoſo vtrimque per ſex dies ſpectaculo horrenda; ardebant vtraque in ripa pagi, & caſtella milliaribus ſingulis, vaſtabant regionem latronum Cateruæ, incolæ miſeri vt ferrum, & ignes fugerent, ſubire in fluuium coacti ſorbebantur. Ipſemet Gouea parum abfuit quin demergeretur ab ſuis nauicularijs, quo genere nullum inter Sinas latronum genus deterius. Iniecerant oculos in Goueæ ſarcinas duabus diuiſas capſulis, vna librorum, altera veſtium ad ſacrificandum. Latere iis capſulis theſaurum ſuſpicati; has vt ſubmergerent, poſtmodum piſcaturi, venti vim tantam in latus colligunt, vt velo nauis ſuccumberet, euertenda omninò, niſi Regis curſores duo, veli pedem ſtricto acinace illico abſcidiſſent, minati ſe caput iis abſciſſuros, ſi quod auſi bis erant ſcelerati, idem tertio attentarent. Ianuarij ſexto Vucianfum ingreſſus Mandarinum inuenit Iacobum, quod tamen non eſſet ab ſcientiis exoticis admodum inſtructus, Matheſi præſertim, quibus Mandarinorum æſtimationem, & beneuolentiam prolectaret, ſolitarius, & ignotus egit; hiemiſque reſiduum in montis vertice ſub tecto paupere traduxit, vnde nihilo ſeciùs ſubinde progrediens, Chriſtianos effecit triginta, Iacobi fermè propinquos, aut famulos. Tùm præterquam metuerat, Proregem nactus humaniſſimum impetrauit ex eo facultatem domicilij in vrbe ſtatuendi, lentiſque progreſſibus biennio poſt, plures trecentis baptizauit.

Hoc etiam anno Fochienſis, & Scianſienſis Prouinciæ ab Alenio, & Vagnonio earum Apoſtolis, (hoc illos dignantur nomine qui de illis huc ſcribunt) adminiſtratæ, mille ſexcentos Chriſto peperere, ſed clara virtute, & prodigiorum editione mirabiles; potiſſimùm verò ſtudiis nunquam antea ſic incenſis Eccleſiarum augendi numerum, populis Neophytis alios populos in accepti doni ſocietatem vocantibus. Erat Vagnonio laborum comes, & heroïcæ pietatis P. Stephanus Fabri Auenionenſis vir prudens, & ſanctus dignuſque iam tùm qui accenſeretur in præſtantiſſimis vineæ illius cultoribus, ſed annorum deinceps viginti profectibus in eum prouectus meritorum gradum ex quo veluti canone fingi poſſint, religioſi virtute perfecti, & Apoſtolica operatione. Schola ipſi fuit Vagnonius, ex ipſo didicit quo Magiſter aliis fieret. Quam porrò Vagnonius vitæ formam ſuis imprimeret Neophytis, vel ex ea liquet veneratione, qua idololatræ etiam peſſimi eos obſeruabant; contigit aliquando prædones impetum facere in turmam viatorum, quibus plures decuplo cum eſſent, ſeorſum ſingulos è turma ſeductos ſpoliant, nudant, ſecto capite obtruncant. Ad Chriſtianum cùm veniſſent qui vnus erat ex viatoribus, reculas inter, quas illi detrahebant precatoriam aduertunt coronam, & interrogant quid ſibi hoc vellet? reſpondit is Chriſtianum ſe eſſe; iis ſe globulis vti ad cœli Dominum colendum, exorandáque ab eo animi patrocinia, & bona. Ad hæc omnes, turba perditorum, circumſtare

hominem, laudare quod esset Christianus, gratulari, atque inuidere, profiterique se fore Christianos si possent aliundè quàm rapto viuere, hominem denique suis cum sarcinis dimittunt intactum, sola sibi retenta corona Deiparæ Virginis, teste suæ propensæ in Christianismum voluntatis. Iam pelliciendis ad Christum Mandarinis elucubrabat Vagnonius tractatus complures, quos cum etiam manuscriptos auidè perlegissent, remittebant cum pecuniis ad Patrem in necessarios editioni sumptus ad quam illum magnoperè vrgebant, ne legis tàm sanctæ notitia regnum diutiùs priuaretur. Vt autem prædones necessitate rapiendi excusabant quod non fierent Christiani, sic isti polygamiæ assuetudine, quam vt abrumperent non satis sibi imperabant, agebat hoc tamen celsa illa in iis existimatio dogmatis Christiani, vt Christi legem tuerentur, cuperéntque fundi latissimè: qua ex re Deus Vagnonio ad religionis incrementa suppeditauit nouum, & perutile inuentum. Ædes sacras viginti statuerat multò pluribus cogendis Christianorum pagis non sine illorum qui procul distarent incommodo: Mandarinorum ergo fiducia qui se tàm comiter ad accipiendam quamlibet gratiam inuitabant, Præfecti maximè, ausus est petere vt ex templis pagorum, & vrbium, tàm multis in quibus dæmon colebatur, aliqua darentur Christianis in quibus cœli dominum colerent, quod vbi multis impetrasset locis, in ædes sacras ita commutabat, vt formæ nouitas, superstitionis antiquæ memoriam aboleret; nec id multum inuitis fiebat ethnicis, vt quibus esset veneratioui Christianorum Deus, & Rex communi opinione Christianus. Illum enim iconem Redemptoris suo quondam auo donatam, ornasse magnificè; loco aulæ maioris primario statuisse; coram illa quotidie ter quater in frontem procidere; extrusisse palatio simulachra, & dispulueraſſe, quod solent baptizandi, cùm solus coli velit qui solus Deus est Christianorum Deus. Hæc illi de factis ab Rege vera; de consilio illius & animo falsa, verùm ad auctoritatis incrementum, fidei sacræ percommoda. Peregrinantes quoque ad varia Bonziorum sanctuaria ethnici, non prius recedebant quam imaginem Redemptoris in Christianorum templo adorassent, & quod opportunè admodum captabatur, de illo docerentur quem picta species referebat, vno & vero Deo, cœlique Domino, aliorum verò effigies, hominum esse mortuorum aut cacodæmonum. Quod apud ethnicos tàm certo iam inualuerat, vt si cœlum stetisset, vel alia vrgeret calamitas, fatigatis frustra simulachris suis, conuenirent ad poscendum in opem Christianorum Deum, & donario aliquo publicè placandum, & impetrata ferrent quæ postulauerant. Spectandis demùm ob oculos curationum prodigiis, quæ pueris etiam & mulierculis tàm erant in promptu, vt paucis preculis, aquæ stilla, vel cruce constarent, eluctari non poterant diuinitatis præpotentis, & suorum amantis, inextricabile argumentum. Cæcis planè, videndi facultatem, tabidis valetudinem, apoplecticis vitam repentinis sanationibus videbant testitutam; cæteruatim

104 Creberr. miracc. in confir. fidei.

cateruatim lupos è montibus, in subiectos pagos, famis rabies exegit, quemcumque obuium inuenissent, vallatum, deiectum, strangulatum, diulsum vorabant, soli ab iis immunes erant Christiani, & sola crucis ob signatione tuti.

Fochiensem, quam dixi, Prouinciam, partim Diaz à Castelblanco, & Lobus; coluere, partim Alenius Brixianus, qui Christi nomen in vrbes duodecim propagauit, Ciuenceo in qua residebat conterminis; quibus vnus sat esse non valens Caneuarium accepit socium tàm perspecta iam notum pietate, vt ei læta gratulatione alij triduo, duplo longiùs nonnulli occurrerint. Liber statione Alenius in vrbes effunditur Iunciumo subiectas, & earum pagos, vbique Christum, Christianorum nouos cœtus, & sacras ædes serens, rustici operis, sed magnæ ob cruces, & sacras imagines, impetratáque in iis beneficia venerationis. Clauderem hunc annum factis heroïcis Christianorum Sinensium nisi essent iam dictis similia. Sollicitati iuuenes ab heris & parentibus ad fidem Christo eiurandam, precibus, fustibus, cruciatu; steterè in gradu tàm alacres vt admirationi essent torquentibus; castimoniam alij sæua verberum perpessione redemerunt; Cechianenses Christiani ex institutione Catanei & Froes afflictandis seipsis tàm erant rigidi, & immisericordes vt frænis egerent. Sanctioris hebdomadæ vltimo triduo, anus debilis cibo potúque abstinuit, dura Sinis inedia, quater in diem edere solitis. Appressum capiti circulum, duobus & septuaginta horrentem spinis constanter gestauit, sæpè in seipsam flagellis desæuiit; nec fuit dissimilis illorum ratio quos in Prouincia Fochiensi Alenius Christo educarat. Primum anni diem quem Sinæ agitant solutis hilaritatibus, consueuerant Christiani vnâ rebus diuinis in templo insumere, illuc iuuenis Christianus cum subisset, elegans, competulus, cultu venusto, & florido; signari primum oculis tacitè, post indignanter, nec sine pudore; seria demùm commonitione castigatus ab vno ex adstantibus viro graui, domum se recipit, detritis, & vilibus induitur, Christianorum cœtui mente & habitu mutatus, se sistit de genibus, veniamque errati à Deo, & ab iis petit. Acriori obiurgatione sed necessaria offensionem emendauit Mandarinus quidam Pechinensis; priuatus dum esset vitam exigebat Christiano, vt erat, dignissimam; Mandarinatus fumo mox ebrius, tumere, diffluere, Christianismi suique immemor, dissolutis propalam moribus omnes offendere. Hic illum per vrbem dum ouans equitat, turba pedissequa, & antecambulonibus stipatus, adoritur matrona, solidæ ac masculæ pietatis, prensisque habenis exultantem morata, modestè sed fortiter, qualis esset, qualis ante fuisset repræsentat. Vnde tam alius ab eo qui fuerat? ex Mandarinatus videlicet gloria, nisi ergo viueres Mandarinus, Dei contemptor non viueres, nec Christiano nomini probrosus? tibi æquum videtur, vt beneficio diuino collatæ in te dignitatis, indignitate motum, & offensione publici respondeas? & Dei bonitas, ex semente fe-

raci, & diuite hos fructus metat? mitto rationes conscientiæ Christianæ; miror tantum quî possis, pudorem omnibus insitum, cum vita quam agis sustinere. Si non est emortuum penitùs fidei tuæ lumen, cum emortuo igne tuæ charitatis, puto te in præsentiarum prospecturum, quid te post vitam futurum sit. Expectabant omnes, feminæ libertatem, quo ferret supercilio Mandarinus, in nutus arrecti, ad iniiciendas illi manus si significasset cohercendam; at is vitæ futuræ amara confixus mentione, exscendit equo, agit matronæ moniti gratias, facturum spondet quod admonuerat. Nec facere distulit, ea enim domum officiosè reducta Patres adit, accusat, exsecratúrque præterita, & in nouum ardorem accenditur, extincto meliorem. Emendatum est duorum qui sequuntur peccatum stolidius, crassiori pœna. Imperatum sibi à Confessario ieiunium triduì alter neglexerat; huic in conuiuio celebri, lethalis humoris infesta guttula os repentè distorsit; simul animo recurrit quam culpam lueret, & factum doluit, haud tamen prius ex deformitate os restitutum est, & glutiendi recepit facultatem, quàm planè ieiunus triduum implesset. Alter die quodam Dominico dum sacro interest, prolixitatis tædio sub medium discedit, non sine offensione adstantium. Efferenti pedem duo se obiiciunt iuuenes; vnus exeunti manu pectori indita moram facit, sonorum alter impingit colaphum, cuius clarus plausus cum templi totius oculos ad fores aduertisset, vident miserum humi volutari extra se positum, & semianimem, donec peracta re diuina, recepit sese, fassus adhuc tremens se ab duobus Angelis ad emendationem sui, & aliorum disciplinam castigatum.

105. Cocinc. Rex præter morem beneficus.

Dùm religionis inter Sinas, tàm bellè negotium procedit, nihil propiùs abfuit quam ipso cum regno funditus in Cocincina deleretur, sustentauit illam Bazomius nunc Deo propitio ex Cambogia redux qui viginti ab annis eam fundauerat. Agebatur annus ævi huius trigesimus quartus (ex quo filum scribendi de Cocincina resumimus) nostri vero simulati exilij quintus quo tutari nos priuatim latebris sinebamur, dùm ne in publicum nos daremus nisi cum oneraria Lusitana ad illos portus applicaret. Applicuit autem hoc anno auspicatissima. Nauis enim Præfectum dona Regi solita ferentem comitatus Sinoam P. Manuël Fernandez, tàm inopinati erga nos affectus, in eo offendit popularitatem, quam eius ab ore insuetam, & nouam; dolere se grauiter nostris malis, euersione sacrarum ædium, & exilij decreto, quibus quintum iam annum nos vexasset, haud vllo quidem aduersum nos odio, sed quòd pij & æqui saluo iure, non posset Princeps, antiquos Regni Deos Christianorum probris, & stragi permittere, qua sæpè moniti, pergebant nihilominus in eos sæuire; sed hoc quicquid ante hac transactum, transierit, inquit, & obliteretur penitùs; noua exinde amicitia, nouis conditionibus colatur. Meis integrum sit religionem profiteri in qua securiùs cuiúsque animus acquiesceret, seu Dei vnius, cœlestium

cœlestium Domini ; seu auitam Deorum plurium. Sed alterius ab sua sequaces, verbo, factóue lædat nemo ; qui secus faxit, culpæ audaciam condigna pœna luet ; hac lege libertatis in religione optanda quam quisque maluerit, constans alatur concordia, quam fore vobis inuiolatam, & sanctam confido ; veniant Patres, & centum si volent ; omnes mea gratia complectar, Buzomium maximè, cuius magnitudinem animi dotesque virtutis, & prudentiæ, pridem sibi probatas, mirè dilaudauit. Lusitanis præterea ædificandi pagi potestatem fecit in portu Turonensi, frequentare illum hibitatoribus suæ nationis quàm multis liberet, suo illic iure, ac legibus viuere, Præfecto & iudice Lusitano, cui ad hoc amplam tribuit facultatem. Iam hæc contra omnem expectationem, nec rogata, nec nobis cogitata liberalitas Regis tàm larga & subita, non satis diuinabant Patres, secluso Dei nutu, vnde profluere, nisi forte ex amplificata maiorem in modum, in Tunchino confini, & hostili, Christianitate, & se putaret vafer senex rationibus regni, sibi vni aut notis aut fictis consulere ; velletque Christianis, & eorum legi videri beneficus, & amicus eò propensiùs quod in Patrum vita subtili examine cribrata, nihil potuisset arguere, præter illum quem falsò putabat permitti fidelibus furorem ad proritandos populi animos deiectione ac probro idolorum ; contra Bonzios norat ex omni colluuie scelerum concretos. Horum tamen sectas si regno non pelleret, cur Patres, & eorum legem ? expertúsque suo cum magno dedecore fuerat cuiusmodi esset animal Bonzius. Venerat enim paulò ante in aulam è regno Sinarum qui ore cultúque squallidò, modestus, humilis, terrenorum contemptor, & verborum maximè pondere, aspectúsque in cœlum crebritate aditum sibi tanquam cœlo dilapsus in palatium fecit, spondens fore vt animos suorum cum spiritu Deorum iungeret, nescio quo amoris glutine quod omnes præter se ignorarent ; menses fluxerant non multi cum deprehensus est longè alio suis quam spiritus amore nexuque coniungi, insimulatúsque vulgante fama, etiam cum Regis filia consuesse, verè an falsò, quadratim dissectus est : eius scrinia, gemmarum, & auri thesauro grauida quo simulatorem illum paupertatis, & spernacem bonorum, suæ ditabant discipulæ. Argumentatus Rex Bonzios cæteros non posse isto omnium optimo esse meliores, veruit feminas pedem mittere in eorum templa, ratus hoc fore castiores quo abessent ab iis longiùs. Singulari hac Regis beneficentia vndecumque tandem proficisceretur, haud cunctanter Patres vestem deponunt simulatam, resumunt propriam, ministeria repetunt publicè intermissa, tepentem in multis, extinctam in quibusdam, iterato inflammant pietatem, quæ nostrorum quinquenni exilio iners iacuerat. Turone fabricant ædem sacram, quæ in aliam tipam deinde translata est vbi nouum pagum, noua Lusitanorum colonia Regis concessu obstinebat ; instaurant denique conciones, excursiones in oppida, baptismi solennia, & quà sua, quà Catechistarum industria octoginta supra octingen-

106. Bonzius insignis hypoco ponitur.

107. Femina Christ. enan. galizat.

tos sacris fontibus tingunt. Præcessit hanc instaurationem feminæ Christianæ planè audax & insolens facinus, Ioanna vocabatur, & quæstus indigens aut indigentiam simulans, circumferebat pagatim merces aliquas venales sed nulla ipsi merx & quæstuosior, & expeditior procedebat, quam Regni Dei insinuatio, quâ tàm suaui cæcos illos mulcebat dæmonum cultores, vt in Dei filios mutaret. Ianuarium huius anni huic commercio insumpsit quo vno ex pago ethnicos quadraginta Christo asseruit, & loci Præfectum Mandarinum. Duobus cum Bonziis diuinorum Magistris disputauit de animo, & beatitate quam extra Deum assequi nullam posset; explosit illorum stolidam in alia corpora transmigrationem, & supra feminam, illos pressim adeò totondit, & domuit vt acclamaretur à numeroso auditore theologorum duorum expugnatrix. Sed mirabiliùs ex multitudine ethnicorum sese expediuit, qui ad sanciendum veri Dei quem prædicabat cultum, sanari ab ea infantem flagitabant periculosè ægrotantem, corámque allatum ad experimentum de illa sumendum; nihil cunctata in cœlum attollit oculos, Dei opem implorat, cruce puerum signat, & sanatione repentina, ex morbo restituit. Expostulabant ciues apud Mandarinum, Antonium nomine, cuius domi degebat Ioanna, quòd tantus cùm esset, nunquam quicquam ex iis ab eo audissent, quæ simplex femina, tàm necessaria, & magnifica docebat. Quibus ille, vitam fateor hactenus studendo contriui, sed partem, inquit, eorum centesimam non sum assecutus, quæ ista suopte haudquaquam ingenio, sed cœlesti afflata spiritu loquitur. Certè quidem extra id temporis quo verba faciebat ad ethnicos, nihil se profitebatur scire, nec eius ab ore verba tria cohærenter duxisses; dicenti ad ethnicos, affluebant sententiæ, argumenta, compositio, & modus explicandi vt videretur non ipsa, sed alia loqui; vt autem dicendo, hæc deus fidei, causámque magnoperè adiuuit, sic illa pridem à nobis dicta Maria Princeps, agendo, ac fouendo. Erat huic filius Regis frater, sed longè cariùs quod se Christianis, Matrem posset præstare quicumque aulam, & vndecumque adiissent negotiorum causa: templi vicem cunctis præbebat eius palatium, sacros illic agebant cœtus, & diuina tractabant, toto exilij nostri quinquennio, Rege velut inscio, suæ in eam obseruantiæ id dissimulante, cum nusquam præterea fas esset Christianis palam conuenire. Manuelem Fernandez cum Præfecto nauis Lusitano in aulam appulsum incredibili gaudio accepit, quòd religiosis Patrum obsequiis diu caruisset, quibus vt frueretur vberiùs, non est passa illum extra palatium degere vbi magnus eius lætitiæ accessit cumulus ex Mandarinis duobus ab eo baptizatis, multisque aliis, qui iam Christianorum nominum appellatione, ac vita baptismum præuerterant. Inde suos Fernandez reuisens Christianos, & Sinoam, & proximè Tunchinum haud sine aliquo Christi lucro excurrit; post in Prouincia Quagniæ iterum morbo correptus est ex quo non pridem valuerat, fuitque Cacianum præatorio lembo reportandus, vbi

108 Princ. feminæ virtus.

matis

maris violenta prostratus agitatione, tertio quàm applicuerat die interiit, vir patientiæ multis & grauibus aduersis exercitæ, qui labori annorum duodecim, si linguæ peritiam iungere potuisset illis regionibus vsitatam, quæstus ex iis tulisset haud paulò ditiores. Tentugalli natus in Lusitania, vixit annos ætatis quinquaginta, Societatis triginta quatuor.

Inter hæc Buzomius à P. Palmerio ex regno Cambogiæ, vbi eum putabat in condendo Christianismo frustra niti, Macaum reuocatur, illic, aiebat, talentum creditum occupaturus vtilius: verum quicquid benè aut secus cogitarit, diuini fuit consilij, vt hac via Cocincinæ restitueretur, ad Christianam rem fulciendam, quæ illic in ruinam vltimam pendebat. Et Cambogiæ quidem, aduenas complures, Christo lucrifecit: multos quoque illi reconciliauit Iapones apostatas, quos tormentorum immanitas in desertionem præcipites egerat; ex indigenis vero vix octo & triginta baptismo lustrauit, quod Rege in nepotem, & nepote in Regem armato, intestino bello arderent vniuersa. Fuêre tamen illi vndequadraginta primitiæ segetum quas Societatis operarij postea messuere, metuntque nunc etiam in eo regno amplissimas. Illinc ergo profectus *Visitatoris* iussu Buzomius redibat Macaum, cum iter medium emensus obiter attigit Cocincinam anno in quem subimus 1635. reperitque ab nouo Inspectore seu *Visitatore*, Manuële Diaz mandatum priori æquius, in Cocincina remanendi, cuius clades inspectæ propiùs acerbum illi dolorem inflixêre. Caciani, Faifi, Turoni ædes sacræ, olim amplæ, ornatæ, sumptuosæ, tunc mapalibus similes, & caulis pastorum, regionis totius incendio duplici cineratæ; & deprædatione nauigij à Batauis priuatæ subsidio, quod iis reparandis mittebatur: sed eum confixit acrius à Præfecto Prouinciæ edictum, quo iubebatur aliò gentium mare iterare; Christiani, pœna capitis cœtibus; Patres sacris muneribus abstinere; milites, templorum miserabiles reliquias, cum repositis vtcumque altaribus, imaginibus, crucibus perdere. Sceleratissimum iuuenem, & fine quo clausit dignissimum in hæc sacrilegia non egit, odium fidei; sed declinandæ infamiæ conatus qua apud populum ingenti laborabat ob inductam in eum improuida gubernatione diram famem; hanc ipse volebat iratis Diis attribui, ob restitutum cœli Domino religionis suæ cultum. Cessaturam vero templorum profanatione, & repetito sacrorum Patrúmque exilio. Verum impietas exsecrabiliter meditata suum frustrata est auctorem; Caciani quidem satellites in ædem sacram improuisos misit, quorum duo reliquis impudentiùs audaces sacram imaginem stricto acinace quadratim secuere, quasi pœnam de offensis Diis à Christianorum Deo exigentes. Buzomius vero haud facile strepitu terreri solitus, aduersus mandatum, purgandi quamprimum Prouinciam, edictum protulit, quo Rex nobis liberum fecerat vbicumque vellemus sedem statuére, Regem appellauit, & illo causam apud eum vicit: sed ambitiosum iuuenem

uenem mordaciores vrebant curæ. Cocincinæ regnum natu maximo liberorũ ex primaria vxore à Patre destinatum, meditabatur inuadere; & sublato fratre, Patrem adigere ad cedẽdum sceptro quod esset alioqui sibi bello asserturus. Ac germani quidem proditoriam necem orditus fuerat priusquam Cacianam Prouinciam regeret, aulicis octo sacramento adstrictis ad eum occidendum cùm ipse se primum in sua Prouincia Regem nominasset. Arma interea, terra marique comparabat, ob hæc à Patre in aulam accitus, verbis illum, & næniis ad mensem Nouembrem circumduxit, quo senex infelix moriturus, designatum sibi successorem, Cocincinæ Regem iussit acclamari, & iurata fide regni ordines illi obligauit; coniuratos octo quod pepigerant confecturos, tanti arcani rima quædam, fecit nouo Regi suspectos, ipsúmque in acrem, & tutam sui custodiam arrectum, inuitabat nihilominus beneuolè in aulam, rebellem ad cohonestandas communis parentis exequias: at is non temerè de suo fratris animum æstimans non modo aulam cauit, sed apertè cœpit ad sustinendum fratris exercitum, accingi; Turoni portum qua patebat ingressus validè muniit; fauces amnis præcluſit vallo ex templi nostri quam fecerat sceleratissima ruina compacto; parem denique se fore triremibus fratris quadraginta duabus credidit, & terrestribus copiis, elephantorum numero formidandis, quòd explicatis vtrimque ordinibus fideret aduersarios ad se transituros. Fefellit sua spes perduellem, quin & illum sui eadem expectatione ab eo lusi, ante conflictum deserunt; ipse tribus vix triremibus in portus ostia confugit, sed accessione maris, vlteriori fuga intercluſus pedes in oram se coniicit cum vxore, & paruis liberis, duobúsque germanis ex eadem matre, & errabant palantes, qua sua quemque consternatio, & hostis insequens ad quærendas latebras vrgebat. Instare igitur militem sentiens conclamantem perduellis mortem; pugione sibi guttur sed leniter perstringit, capitur, exarmatur, probris, & cõtumeliis onustus in aulam portatur, clauditúrque horribili carcere, vnde mox præsenti quod ante pugnam sibi prouiderat venæno se expedit, vxor filij & fratres probrosis mortibus necantur; par centum proceres inuoluit laniena; obiiciuntur consiliarij armorum suasores elephantis qui proboscide implexos docentur in altum proiicere, dente cadentes configere, humique afflictos pede conterere: secti alij quatuor in partes, minus sontes capite truncati; ex quibus Paulus Mandarinus, quem nuper vidimus ab Rege ob professionem Christianam dedecoratum, gradu motum centum plagis affectum. Felix si quod pronum tunc fuit sub earum pondere expiraſſet. Nunc infortunatus potiùs quàm reus, non potuit non mori; quam illi mortem rebellis intentarat, nisi Regem Tunchini legatus suo nomine adiret, hanc ei victor denique intulit; eius interitu gaudere ethnicis non diu licuit; luxere statim post facinorosissimi Christianorum hostis Anni Mandarini, eiúsque filij, nihilo Patre melioris iustum supplicium, qui deprehensi inter coniuratos viui dissecti sunt.

109 Cocincina in partes scissa post mortem Regis.

In

In hoc discriminum ancipiti turbido, perduellis Princeps sedem Buzomio Turoni, confirmabat; duobus ipse comitibus sociis, tàm longè in syluas & montana consultò errauit (nec sine aliquo animarum lucro) vt suspicionem moueret nemini amicitiæ cum rebelli. Sedatis inde tumultibus in aulam venit gratulatum coronam nouo Regi. Erat hic homo ferus, indole malè fida, moribus belluinis, quem fama erat, Patre centuplo peiorem, lectum idcirco à Patre successorem, vt eius comparatione suum demortui desiderabile Ciuibus imperium fieret. Germani eius qui duo Cacianam Prouinciam diuersis temporibus rexerant, dogmate Christiano plusquàm mediocriter imbuti, erant erga illud, & Patres illius Doctores beneuolè affecti, quos ipse præter Buzomium, nec norat, nec quicquam de fide veri Dei, videbatúrque de cœtero iturus, quo illum dictata familiarium impulissent. Prima tamen hæc ad illum officia Deus Buzomio secundauit, lætatus est eius aditu, affatu, obsequio, & in conferta proceribus aula, tantum illi amoris testatus, vt fratres eius duo, & patruus Mariæ Principis filius gratularentur Buzomio securam in posterum illius beneuolentiam, & defensionem: cùm ecce vix quatriduo post in hæc verba edicit; Patres, multi vel pauci regno in præsens exeunto; in futurum, nunquam pedem in illud referunto. Et fuit hic decumanus fluctus cui auertendo, aiebant redditum Cocincinæ regno Buzomium; regnant enim ferè Principes vt cœperunt, & si ab nostrorum exilio auspicaretur imperium frustra foret sperare futurum aliquando qui de reuocandis hiscere auderet, multo minus apud se priuatim dissimulato etiam habitu retinere, certus sibi rem fore cum irritabili homine, & sanguinolento. Ob hoc Buzomius ne viginti annorum periret labor in cultura illius vineæ à nobis posirus, & nunquam postea repetendus, contentiones omnes adhibuit vt exitiabile decretum rescinderetur ab ipsomet rege, nihilque moratus auertentes ab eo conatu velut casso, Dei vnius fiducia, cuius agebat causam, non dubitauit humanis præsidiis imprimendam cœlitus vim illam quæ conficiendæ rei sufficeret; impressáque est profectò tàm mirabiliter vt homo gente peregrinus, religione aduersarius, aulam omnem ad se diuerteret, & Mandarinorum primarios ita suis addiceret partibus, vt si de illorum exilio ageretur. Tanti fuit operarium sapientem, virtutum, & doctrinæ splendore conciliasse sibi voluntates, & admirationem etiam ethnicorum; fuit inter Principes Reginas, cui nunquam visus Buzomius, quæ pari ardore pro illo egit vt si foret maximè Christiana; tot officiis Deus barbari animum inflexit ad rescindendum quod edixerat, addendámque facti excusationem in frequenti suorum consessu; sibi nempe fuisse persuasum, Patres Cocincinæ, & externorum regnorum saturos libenter patrias reuisuros; sed quando iis tantùm placebat Cocincina, (quod faustum, & felix) remanerent tùm ipse Buzomius, tùm quos sibi de suis optaret socios; sedes sibi, & illis vbicumque libitum curaret; ædificaret Deo suo templum, & ad

109. Rex nouus Cocin. Patr. admit. Resc. reuocat.

se sæpiùs rediret. Actis Deo, & Regi gratiis Buzomius, possessionem statim adit redditæ libertatis, dies triginta sex concionatur ad aulam, & populum, magno ethnicorum ad Christum accessu, in quibus Mandarinus bello clarissimus, & alij quidam ex regio sanguine. Post hæc in Iaponum præfectura cum Rex cuidam Dominico rebellionis fraternæ conscio subrogasset Rocoben nescio quem aut desertorem aut ethnicum, eiectione Patrum insignire hic voluit præfecturæ suæ primordia; prætexens Iapones deinceps aut idololatras, aut apostatas à fide, non frequentaturos commercijs locum vbi essent Magistri religionis eiuratæ, quos præcipuè antehac requirebant. Egit tàm fortiter, & caurè Buzomius cum Præfecto externis, Mandarino intimè erga se affecto, vt Christianorum hostem sacrilegum Magistratu Rex abdicaret, templum Faifi iuberet aperiri, quod homo nequissimus clausserat, & Patres ad sua in auxilium Iaponum repetere munera, sic prosperè hoc anno Buzomij opera renascens Cocincinensis Ecclesia se extulit, quæ per eum ante annos viginti lucem acceperat. Cuius hic finem historiæ pono, quod quinquennium subsequens ante secularem Societatis annum nihil quod scribam suppeditet.

10. Ingens numerus bapt. in Tunchino.

Plenioribus velis ferebatur Christiana res Tunchinensis cuius glorioſos progressus ab anno seculi trigesimo quarto in consequentes tres continuato filo ducam, in quibus nihil grandius quàm quod quatuor his annis regenerata sunt in Christo ethnicorum triginta quatuor millia sexcenti quadraginta quinque, futuri multò plures nisi fames, & Regis inconstans animus, & priuatæ quædam à Mandarinis diuexationes obstitissent. Lucris tamen adeò numerosis incubuêre non nisi quatuor, quinque interdum ex Patribus, quorum semper aliquis, aut morbo languens, aut linguæ ignarus, commodare sociis operam non valebat. Paucitatem hanc supplebant Catechistæ numero quadraginta, ætate, ac viribus integris, quos se gratuito Ecclesiæ illius ministerio, votis solennibus dicasse scripsimus: quorum erat in iis exploratior pietas, & scientia notior, Thaij, hoc est Magistri creabantur, vulgabantur eorum nomina in sacris ædibus, & proponebantur cubitalibus literis è regione altarium, vt se in oculis, documento se omnium viuere meminissent; noui quoque subinde, formandis iis ritus excogitabantur, nouæ perficiendis leges, vt essent religiosis modestia, pudore, demissione sui, & piorum sermonum assiduitate quàm simillimi, quam etiam ob rem peculiaris vestiendi modus eos à vulgo secernebat, nec in eo solùm ministerij illorum ratio versabatur, vt verbum Dei quocumque pateret aditus spretis incommodis circumferrent; sed iugo & carceri, exilijs & probris læti obuiam irent, fingebátque illos ad hanc animi generositatem, qui vt essent subsidio Patribus eos excitarat.

11. Catechist. in Tunch. quales fuerunt.

Patres huc illuc perpetuo in quæstum animorum discurrebant. De lustrata hoc anno Engheanensi Prouincia, Rumum in oppidum Maiorica rediit, diues ethnicis centum octoginta tribus supra quatuor millia,

millia, quos cum Catechistis Christo feliciter venatus fuerat. Sedem alij fixam in vrbe regia sed mutatis vicibus tenebant, vt opportunis per annum temporibus vicinas excolerent regiones. Est autem regia Checium Tunchini Metropolis, & mater, habitatore innumerabili conferta, cui suam operam tacitè Patres diuidebant, templo enim carere maluerant, quam ejus euersione, quæ semper in lubrico erat fideles consternari, idololatras triumphare, nec Regis amor in odium facilis sinebat nos longius quàm præsenti diei confidere. Ædes ergo legebant ciuium sibi contiguas quinque aut sex, quæ parietibus mediis arundineæ texturæ facilè solutis, capaces fidelium cœtibus, nouem locis in vrbe præbebant aulas, vbi Christiano perfuncti officio cum abissent, sua ædibus interior species, & distinctio reddebatur. Aduersarij templum in quod sæuirent non habebant; Christianorum ingentem numerum Rex minimè cernebat quem suspicari posset à Patribus in regni perniciem conflatum.

111. Cur in Tunchin. regia, nullæ sacræ ædes.

Iam quæ nostris esset in ea Metropoli viuendi ratio, P. Morellius, gestorum memoria celebris, in hunc modum Vitelleschо descripsit, anno postquam eò aduenisset. [Ad laborem, ait, quod attinet; quietis nomen diu noctuque ignoramus; sacris operati, preces de more cum Christianis decantamus; audimus confitentes; elucidamus eorum dubitationes; ethnicos erudimus; paratos baptismo tingimus, sacri demum officij pensum nisi ad lucernam non soluimus, detracto ad hoc nocturnæ quieti tempore. Inde per lutosa, & longinqua nudis pedibus huc illuc discurrimus, ad religiosam operam Christianis vbique præstandam, stationem hanc quidem per altum ceroma prope crurum tenus ingressus sum, bonum & gratum omen perpessionum futurarum. Domos hic ligneas nemo præter diuites habitat; nos tuguriola contexta ex paleis; sarcinulas nostras sub cauata humo recondimus (quod omnes itidem factitant) vt sint ab incendiis securæ quibus creberrimis obnoxia est omnis harum domorum materiatio; nunquam nisi humi sedemus, & si quando commodiùs, subiecta in storea. Somnum in vestibus capio, substrata exili culcitra, cuius reuoluta pars tegit dormientem: panem nescimus præterquam ægroti, & quidem buccellatum, qui cum annua naui Macao mittitur, & subinde seruatus diutiùs vanescit in puluerem. Mensarum nostrarum lautitiæ omnes elixa & parca oriza, ne salis quidem tantillo condita. Potus, decoctum ex oriza vinum tàm igniti feruoris, vt eius etiam modicum, & aqua dilutum plurima, caput pessimè vaporet, & guttur incendat. Cibi horam nec mos, nec reficiendi præscribit necessitas, sed commoditas eorum quibus laboramus.] Addit Manuel Diaz visitator accubuisse interdum ita fractos vt quiescere magis luberet quàm edere. Nam concionatos in die sexies, haud multo quidem præmisso studio, sed contentione vehementi, ad Christianos, Catechumenos, Ethnicos, Externos, prout visum quibusque conuenire, qui etsi libenter

113. PP. viuendi ratio in Tunch.

audirent Catechistas, plus multò Patribus deferebant. Hanc inter tàm pressas, & graues occupationes ærumnosam vitæ rationem, mirum non est fuisse diuturnis conflictatam morbis, quibus tamen consueta carissimis filiis, animorum auxilia minimè subtrahebant. Primus succubuit ponderi, P. Bernardinus Regius Alexandriæ in Italia natus, qui Apostolici Ministri de se spondebat perfectum exemplar, & omni ex parte absolutum. Expeditionem Iaponicam annos duodecim prensatam denique sortitus ex Prouincia Veneta Vlyssiponem profectus fuerat, eodemque dùm oras Africæ Indiam versus iam nauigat, fera tempestate reiectus est. Proximum igitur in annum dilatus, repetito cursu Goam applicuit; crebris, in eo quoque itinere, præsentibusque naufragiis vultu semper sereno, & tranquillo animo vitaris, quod non est nisi magnarum mentium. Goæ; Iaponici sermonis initiatus rudimentis, Malacam primis Eteſiis assimulatus in militem soluit, inde Macaum perrecturus; sed hanc mutandæ personæ artem Iapo tyrannus eluserat, pœna viuicomburij nauarchis posita, si quem Euangelij præconem, quocumque modo in regnum intulissent, quare ipsis prope in Iaponum portis sacros Dei nutus adorauit, quibus capessendis milliarium octodecim millia emensum se prosperè credidit quanquam vela retro vertere cogeretur; præcluso enim ad Iapones ingressu, in Tunchinum est missus. Sed mortem pro Christo obeundam cuius ambitu Iapones appetebat, enixè roganti mutauit Deus in acerbissimos dolores, quos vt primum sensit, Patri Amaralio indicauit, clementer sibi fuisse concessos, crudo lateris abscessu per mensem cruciatus, præfocatus est tandem maturato pure, dolores interea vehementissimos ne gemitu quidem laxans, sed perpetua pro illis gratiarum ad Deum actione: fuit corporis sui hostis acerrimus, & implacabilis; in alios mitis, & miræ amabilitatis. Religiosæ paupertatis tàm ardens æmulus, nihil vt admitteret quo posset vita incolumi carere; veste nunquam noua indutus est; vetustæ suæ detritæ, & laceræ plagas manu sua & acu ipsemet emendabat, nec is sui contemptus obiiciebat illum aliorum contemptui; venerabantur Mandarini, & aulæ Principes virtutem eius eximiam in vili panno; in accessu & consuetudine modestiam, & suauitatem adamabant, nullum erat domi ministerium adeò abiectum quod non inuaderet; animi tamen celsitate sic rebus omnibus eminebat, vt inter biennij ærumnas maiorem in modum sua hilaritate socios recrearet. Accersebatur ab Rege sæpiùs, & audiebarur cupidè de Deo, rebúsque animi æternis, atque adeò de morte, licet eius nomen sibi ominosum, & intolerandum Tunchinenses non efferant nisi leniioribus verbis circumscriptum. Mortem enim docebat germen esse immortalitatis, & aditum ad felicitatem, dùm tamen adesset morti comes, vita Christianè, fideliterque acta. Fore alioqui temporariam mortem, atrox præludium sempiternæ. Luxere Regium Christiani vt Patrem, & Magistrum, nec dubitarunt in cœlo beatum viuere, sed gratum animum significaturi

114. P. Regij vita & mors.

turi toto quisque regno, Rosarij recitatione quietem eius certiùs procurauit; quod erga homines de Societate exinde ab iis obseruatur: annos natus vndequadraginta, Maij vigesimo quarto decedens Regius successorem accepit, in cura Ecclesiæ Checiensis Antonium Fontes, in Prouincia Tignoæ tàm læto prouentu occupatum, vt inde hoc anno manipulum tulerit ethnicorum bis mille, quadraginta vnius supra quadringentos; Maiorica vero in Engheana Prouincia præter illos quos censui fuisse ab eo baptismo lustratos, ædes sacras erexit septem, & viginti: cumque varias excogitaret artes quibus suorum foueret pietatem, nulla ipsi tam bellè & tanto compendio cessit vt editio dramatum quæ gesta sanctorum, & mortes generosas repræsentabat in theatro. Alexij, Eustachij, & similium quibus miseræ gentis corroborabatur debilitas crebris ob Christum vexationibus ethnicorum exposita. Ad hæc liberos suos iam inde à puero cum in syluis procul pascendis bubalis occuparent (quo nullum habent armentum vtilius) ne ipsi paulatim, bonam anni partem, Christiana cultura destituti, semibubali fierent, prouidit hoc modo Maiorica; puerorum turmas cum suis è pagis ad hoc mitterentur, audiuit in primis confitentes, inde illis doctrinæ pietatísque sacræ elementa inculcauit, tùm vnum ex ipsis suæ cuique præfecit cateruæ, cui obtemperarent cœteri, qui eos quotidie congregaret, preceíque cum iis & diuina præcepta decantaret. Hinc rudis fides paruorum armentariorum, quam prope antea delebat obliuio, excitabatur assiduitate illius repetendæ, alebatúrque vsu pietatis. Sicubi autem Christianos (quod in Neophyta, egena, & numerosa rusticitate pronum erat) vel ignorantia, vel arrogantia sciendi, in fraudem induceret, accurrebat eò Maiorica, vt germen virulentum priùs reuelleret, quàm in exempli pernitiem serperet latiùs; sin minùs, pro se mittebat literas, in vicinis, quoque legendas pagis, quibus explicabat quid conscientia integra, & religione fieri liceret; aut esset damnandum. Occupatissimam interdiu linguam, stylo noctu adiuuit, quem illi Deus pro quiete visus est copiosissimum dedisse: annis duobus tricesimo quarto, & sequenti tractatus quamplurimos, Annamitico sermone composuit. De præcipuis Christianismi dogmatis, & velut cardinibus: de Christo patiente; robore fidei ab eius hostibus impugnatæ; matrimonio & vsuris; confessione sacra, communione, & sacrificio diuino; de vitæ Deiparæ Virginis, & Antonij, Hieronymi, & Patriarchæ nostri Ignatij; contemplationes item de variis argumentis de gloria maximè, & felicitate beatorum, aliáque non pauca, magno in populis fidei, & pietatis incremento.

115. Editio dramatum vtilissima inter ethn.

116. P. Maioricæ virtutes eximiæ.

Sed in tanti viri præclarè gestis non facilè dictu est plusne delitiarum cœlestium hauserit ex tot animarum quas Deo asseruit salute; quam molestiarum & angoris ex assiduo vitæ discrimine, & perpetuis ærumnis; narrat illas densè ac breuiter Checium ad socios scribens, post lustratam hoc anno trigesimo quinto, pro solenni suo Prouinciam

Engheanam ; notánsque suos multiplices casus , nec rarò contrarios, hic se ait baptismo initiasse quamplurimos ; illic initiatos amisisse, & desertione timida , & ignaua lapsos reuisentem se tantumnon expulisse. Fortiter alios in fide perstitisse, suáque ad sanguinem pro Christo fundendum nobili comparatione , mœrorem consolatos quem ex ruina lapsorum ceperat non consolabilem , Deum locis quibusdam ethnicos prodigiorum argumento ineluctabili domuisse , suoque nomini mancipasse ; alibi Thanos (qui sunt penates Romanorum) aut falso rumore , aut verò spectabiles doluisse quod voluntario exilio cogerentur Maioricæ aduentum , & eiectionem suam præuertere ; ob hæc illos in pagos cum pedem inferret memorat se à furente populo fugatum ; pagos alicubi fuga vacuatos ne fascinarentur suis carminibus , & metu quidem tàm anxio vt ripam fluuij signarent in qua ipse manus abluerat , velut incantatam , ne quis deinceps in ea lauans transformaretur in alium ; sæpè se maleficij accusatum , sæpè ductum ad tribunalia ad edendam sui rationem , sæpè nece à magis appetitum (quibus nullus est in Tunchino fidei sacræ hostis damnosior) horum contextum euentuum sat habens cum illo indicasse, ne fiam barbarie nominum molestus, paucos eius lingua Italica, sed latinè narrabo , qua scribens ad socios idcirco abstinuit quòd eam non intelligerent. Dausci a , inquit , ex pago, Baden peruenera m , tumultuario aggere , & sylua clausum , tigribus maximè infesta ; audendum fuit nihilo segniùs , ne qui erant illic haud paruo numero Christiani, necessario diutiùs carerent auxilio. Recreati sunt maiorem in modum adspectu nostro, etsi alioqui, recens in suorum comitio afflicti , & exiguo illo quod habebant in bonis multati ob causam fidei Christianæ ; ex iis cum resciissem Catechistam Hieronymum viginti circiter baptizasse , in pago inuentu difficili ; quærendum omnino statui , meque pedes itineri dedi per syluas , & inuia , vbi passim nobis vestigia tigrium & prædarum reliquiæ quas venati fuerant occurrebant ; inter eundum , monstrabant socij vbi (quos censebant nominatim) alium laceraissent , alium deuoraissent , solúmque adhuc eorum ossibus instratum , Deo tamen confisi , cuius imperio miteseunt feræ incolumes ante solis occasum pagum attigimus , in quo sumus experti feras quæ nobis in sylua pepercerant. Moneo Christianos per vnum è Sociis me adesse ; respondent , se ab Rectoribus populi graui affectos modestia ob Christianismum quem professi erant ; rogat socius vel in crastinum tantum , fessos tecto iuuari , nos albente cœlo abituros ; cui non esset timor , grati animi decoro , & charitate potior inuentus nemo est ; nocturno itinere viam reteximus ieiuni , cum nec pretio , nec prece , oryzæ granum potuissemus à quoquam expungere. Cineralibus cum Rumi essem Christianos mille signaui pœnitentiæ cinere , lustratísque baptismo triginta ethnicis , eo ipso die Hennum profectus sum ex quo multi fidelium venêre obuiam. Confessione sacra omnes expiani ; Eucharistia firmiores ; baptismo impertij quinquagin-

quaginta, in quibus Hieronymum quendam ordine Literatum, futurum fortassis aliquando columem illius Christianitatis. Doum inde excurrens, noctem non amplius illic egi quòd expectarer à Duitlonensibus vt me suum in pagum deducerent quo me frigidissimis & ventis, & imbribus, & viarum abruptis contuli magno labore, nec dispari merito, delectauit me singulariter eorum pietas, & nuper abiis erecta ædes sacra; obij domesticatim familias, singulis monita, baptismum aliquibus dedi, omnibus consolationem & animi robur quod à me expectabant. Sed hic Dei hostes in globum coire; vociferari me pagum circuire ad extrudendos ex ea Thanos (familiares Deos) Christianis vim, & templo minari; quod etsi perinde non sunt ausi, Vincentium tamen caput illius Christianitatis, & templi fundatorem Christi odio trucidarunt, vna tunc ipse Deo gratissima pro omnibus victima litauit. Post hæc in oppidum Chemainh cum transissem meo aduentu gestientes & gratulabundos habui Christianos, sed mox incantorum turba illos exterruit, percursantium oppidum, & tumultuantium Deos Thanos discessum parare ob receptum hospitio Magistrum legis sibi prorsus aduersæ, & exosæ, hinc sibi magnoperè timere Christiani ne accusarentur apud Mandarinam Gubernatricem eius; Ergo, inquit Maiorica, præoccupemus probare illi nostram causam, id enim ex Matthia velle ipsam cognoui, (erat is illic Christianorum caput) optasséque non semel nostris de rebus dicentem audire. Placuit consilium omnibus; parantur dona Mandarinæ eiusque filio. At ipsa longè ab iis quæ senserat & expetierat aliena, non modo affatum & accessum petentibus negauit, sed parum abfuit quin nos palatio fustibus exturbaret; occurrit confestim ab ea satelles ore truculentus, iubet iremus in rem malam, dominæ inuisos nos esse, nostráque pariter; à nobis nec verba velle nec munera. Incerti ergo & anxij quo se frangeret hic fluctus discedimus. Postero die sacris operatus, & accelerato paucorum baptismo, videò armatos cateruatim subire in templum maleficos. Matthiam inuadunt, qui se iis alacer tenendum, & ligandum præbet, reus videlicet inducti in oppidum Magistri, legem Dei docentis; mihi discessum quamprimum à Domina imperant; media post hora, maiori numero redeunt, vt Antonium caperent feruentis ingenij concionatorem, & Ignatium Catechistam meum, euici tamen vtrumque laxarent, ea lege vt nisi quam citissimè abirem, scirem me mari ab ipsis demergendum. Deum, aiebant, haud scimus cuiusmodi, terrarum, & cœli dominum prædicatis, ignotum atque inauditum, Deum alium nec scimus nec colimus, præterquam Ba Ciua, fuisse hanc tradunt quondam adulteram, ob id à Rege Sinarum iussam interfici, mortuæ cadauer cortice inclusum, fluctibúsque commissum in Tunchini littore hæsisse, inde habitam pro Dea, & oceani domina à vicinis Trapensi portui, & imminentibus illi mari pagis adoratam. Coactum abscedere mœsti me ad littus comitabantur Christiani, dolentes maximè

indictam

indictam mihi tàm barbaram & præcipitem fugam, vix vt licuisset, mediâ eorum partem de peccatis audire. Inter hæc Matthias vt erat in vinculis pergebat annuntiare Christi legem, & ignominiæ illatæ patientia hilari, & amore, palam ethnicis facere cuiusmodi esset lex quam profitebatur, quoad tandem lictores, audire illum diutiùs tæduit, fustibúsque dicentem abrupere; quibus excipiendis Antonius qui vinctus adhuc tenebatur se medium iniecit, & hunc cæditis ait, quod Christianus sit? sum & ego pariter Christianus, si plagas quas ei infligitis (quod rogo plurimum) non lubet in me omnes conuertere, parte me saltem quæ mihi debetur, nolite frustrari. Non fuit hic opus verbosis precibus, vnus Ministrorum detractam, quam vt mos Christianorum est gerebat in manica crucem multis, & durissimis ictibus in os, vultum, & pectus impingit, gemente multum Antonio, salutis instrumentum dedecorari tàm indigno vsu. His Mandarinæ filius cùm superuenisset, ex Antonio quæsiuit, quod suum ob scelus tàm malè haberetur? ego Dei amore, inquit, eiúsque legis sanctissimæ benè ac bellè quæ Dei est gratia habeor; quod sarcasmo exceptum ab idololatra, magno ardore suadere Antonius instituit, illúdque Christi fusius enarrare, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Verso dehinc ad astantes sermone in cœlorum Regnum, & ineffabilem Dei præstantiam se latiùs efferre, quibus teneriter affectæ quæ aderant honorariæ aliquot ex palatio puellæ, libertatem illi & socio à Mandarina impetrarunt, & multa commendatione probitatem illorum apud ipsam laudarunt; voluit tamen admonitos in posterum saperent; emendaréntque præterita; quibus illic, vtramuis in partem quicquid accideret parati, respondent intrepidè, malorum esse emendationem non rectè factorum. Quale certò esset quod vetabat, diuinæ legis præconium; quam cùm essent amplexi, eius necessitate perspicuè cognita, non posse illam absque piaculo alios celare; lictores parum responsis attenti ambos soluunt, *gaudentes quoniam digni habiti essent pro Iesu nomine contumeliam pati.*] Huc vsque Maiorica, cuius in Engheana Prouincia, quinquennis, & vagæ expeditionis fuit idem tenor alternantium malorum & bonorum; consolationis & doloris inuicta semper animi firmitate, & constanti laborum perseuerantia. Sed enim Septembri huius anni consternatus est immani spectaculo; mare fines egressum eluuione improuisa pagos obruit adiacentes, ædes sacras, multósque Neophytos, quos excepit post paulùm à Rege furioso terribilior tempestas; edictum infame octaua luna hoc est mense Septembri promulgatum, quo Christianos colluuiem hominum vilem, flagitiosam, nullius pretij & famæ nominabat; vetabat quenquam ad eorum sectam accedere; Catechistis exilium ab aula indicebat; iubebat ab regionariis Præfectis inuestigari Christianos, nisi professione abiurata patrios cultus repeterent, capi, vinciri, tribunalibus sisti puniendos. Procellæ huius incitator ventus, flatus pessimæ Regis concubinæ. Annonæ

117. Generositas duorum Christ.

116. Edictum Reg. Tüch. in Christ infame

anguſtias,

anguſtias, aliquot menſium induxerat ſiccitas, & famem ſementis minabatur, ad extorquendam pluuiam decretum publicè nomen Buæ mutare Tunchini ſcilicet Regi legitimo, qua mutatione vniuerſam credunt mutari naturam, nec eſſe aliud in metu cladium publicarum remedium certiùs. Addebant huic Bonzij ſolennia ſupplicationum, & detracta ſuis altaribus ſimulachra cum circumtuliſſent, nunc vnum, cras alterum ſub dio relinquebant, vt eorum aſpectu iratum cœlum placaretur. Ex iis vnum graui auro farctum notauit furcifer, nactúſque malè cuſtoditum, admolitus eſt Deo ſuo manus, & ventrem illius, cultorum ſimplicium vt mos eſt ditatum liberalitate affatim vacuauit. Reus ſacrilegij eiuſdem ethnicus iis ipſis diebus damnatus fuerat, huius tamen crimen nullo examine, nullis in litiis in Chriſtianos idcirco coniectum eſt quòd aduerſarentur cultui idolorum; deferuntur à Bonziis ad ſceleratam meretricé, ab hac ad Regem cum femineis querelis, & lamentis; cauſa indicta Rex, & intacta belluinam vomit præcipitárque ſententiam, quæ ſolenni mox aduerſus Chriſtum, & eius cultores edictione ſancitur. Patres debilium lapſibus occurſuri defenſionem Veri, & famæ Chriſtianæ ſolidam in lucem mittunt; altera in modum epiſtolæ fideles hortantur vt Regis odio, & crudelitate Miniſtrorum in rem ſuam prudenter ad meriti cumulum vterentur, qua ſanè adhortatione, ab aula ſemoti potiſſimum egebant, vt magno ſuo cum dolore ſenſit P. Maiorica in Prouincia Engheana. Vbique tamen fuêre ingenti animo non pauci; plures ignauo, & inerti, quod ferè vſu venit in his aduerſus Eccleſiam procellis. Atque hinc noſtris integratus labor ad reconciliandos Deo lapſos.

Verum enim vero dùm paſſim Miniſtri ſæuiunt in Prouincia Engheana, & Tignoa in Chriſtianos, & ædes ſacras, impietatem Regi ſuam, eiúſque idolis rependit Deus grandi cum fœnore. Checium regni ſedes, nocte vna quæ Februarij ſequentis duodetricesimum præceſſit, incendio periit, haudquaquam fortuito, ſed ab hoſte Rege Cocincinæ, paucorum periculo emiſſariorum, iniecto, vt hoſtem qui cum bellum gerebat, potentiſſimæ ciuitatis, & opulentiſſimæ præſidio nudaret; ex ea enim paucis horis præter fumum, & cinerem nihil ſuperfuit. Arſit numerus elephantorum ingens, & multa equorum millia qui per inuolutum flammis graſſantibus populum furentes, inferorum ſpeciem ignium, & pœnarum horrendo ſpectaculo exhibebant. Palatium cum gaza regia; cum idolis templa; cum cœnobiis Bonzij paucis exceptis conſumpti ſunt. Extincto vix igne purgatur ſolum, noua Checium deſignatur, ſurgíque breuiſſimo tempore deletæ ſimilis; materia ſcilicet vt in ruinam ſic in fabricam facili. Rex ea mollitus regiæ vrbis clade, longéque nunc erga nos diuerſus, ſolum nobis conſtruendo templo, & domui offert, & ſtationibus duabus multum inter ſe diſtantibus, vaſtam illam vrbem Societas ſub anni finem obtinuit, quo P. Antonius Barboſa, & Fœlix Morellius ad eam appulerunt, cœterum hic annus

1119. Rex Tunch. in Chriſt. æquior.

exacto similis, hoc vnum dissimile suggerit, quod interturbatæ edicto Regio, incendio Checij & fame, conuersiones ethnicorum, vltra numerum centum, & viginti vnius supra septem millia non iêre. Sed anno proximè consequenti 1637. nouem millia quingenti quinquaginta quatuor loti sunt sacro fonte, plures decem millibus futuri nisi excursionem Barbosæ frugiferam intercepisset latronum globus, quæ pestis illius regni est tàm latè sparsa, crebra, & immanis, vt si paulum modo ab habitatis recesseris aduolent, peiúsque ferro quam tigres vnguibus sæuiant, saltem minus timendæ, quod extra suas syluas nisi fame adactæ non erumpant. Deprehensum Barbosam paratu spolians quem secum ferebat ad sacrificandum; munusculis sacris quæ magna copia collegerat ad excitandam Neophitorum pietatem, vestibus denique nudatum omni contumelia deturpant, vt fuit barbam ei amburere; pro crucifixi effigie, quam sibi rogabat ab iis dono reddi, fustibus onerare. Monere demum meminisset vitam sibi singulari beneficio relinqui saluam; collectum hospitio Christiani, & quocumque subsidio licuit, iuuerunt. Maiorica item, Fontes, & Morellius, (quibus Neophytorum quos censui debetur pars maxima) vitæ sæpè discrimen adierunt, quod eo in regno cum Apostolica opera ferè coniunctum est. Sed periculorum metus perpetuos, & aspera omnia obruebat torrens sanctarum voluptatum cum admirabilitas operum quibus abhibebantur diuinitus, mutationibus cordium illos reficeret, tàm pronis, & subitis, vt hodie ethnicum, & dæmoniorum triste mancipium, viderent cras optimum Christianum, vno quidem in pago, ex centum & decem quos Christo pepererunt, magiam, & artes maleficas profitebantur septem, & viginti, (quo genere nullum Christo sceleratiùs inimicum.) omnes ante baptismum, scripta, characteres, libros cœterúmque diabolicæ fraudis instrumentum, suo quisque aceruo collectum, igni palam cremarunt, maiori prorsus miraculo, si non erro, quam curationum, quarum tamen tantam Neophytorum fides emerebatur crebritatem, vt iis referendis, integra historia opus sit. Accedebat his latens Christianorum virtus, quæ occasionibus prodebat sese. Mulier pecuniæ damnata, cui soluendæ non erat, vt sineretur viuere Christiana, vendere seipsam voluit, vt pretio temporariæ libertatis, æternam retineret. Donarunt iudices præstanti fœminæ indictam pecuniam, puduítque illos tàm claræ Amazoni Christianismum nundinari: quàm dissimilis ab hac celsitate, vilis & inhumanus pater, cui iuridicè indultum optione filium arctare, vel redeundi ad idola, vel renuntiandi paternis & bonis & spebus; non est cunctatus in hoc ancipiti filius, amplexus brachio infantem filiolum, grandiusculum manu trahens vxore præuia, crudelem patrem cum patrimonio, & lares deserit barbaros, vna prouidentiæ diuinæ cura de tecto in futurum, victúque confisus. Gemina huic alterius iuuenis, sed alterius argumenti virtus. Sollicitatus diu ab impurissima femina, tandémque vi etiam non semel tentatus, explicuit

120. Christianorum Tunch. virtutes egregiæ.

explicuit se animosè ex illius Harpyæ vnguibus, fugáque se in hortum proripuit, vbi quod supererat noctis, orando transegit, rogans vel ab se monstrum hoc amoueri, vel continuari sibi eundem ab eo horrorem: singularis est Christianis Tunchinensibus hic pudor, summóque ethnicis stupori, quos prope à puero fœdæ exugunt libidines, in Christianis aqua sacri fontis extingui videntur, & emori. Præter hos, trium excelluit robur in defensione fidei Christo Regi iuratæ. Alexius quidam à Ministris vnius è secundariis Reginis, omnibus exutus, & iugo dies tredecim adstrictus, beatitate illa tolerantiæ pro Christo suæ deprædicanda gestiebat, ob quam ei adstantes indolebant, sed eius mercedem, & præmia sic illis & persuasit, & ex viuo descripsit, vt miseratio cederet æmulationi, vnusque lictorum se illi discipulum daret in Christi doctrina, & in cruciatibus socium. Antonius popularium suorum in Christianismo dux, à fidei hostibus tutus, sublimè iactatus in aëra, vt collideretur casibus iteratis, interrogatúsque ab impiis, ecquid sibi placerent ij saltus tàm agiles? perplacere respondit, nunquam se in vita egisse tàm alacrem. Michaëlem dæmones, pagi sui penates significarunt incantatoribus causam esse pestis quam in bubalos, & porcos immiserant; vindictam hanc esse, permissi tranquillè degere in eo pago Christiani. Quibus populus in furorem actus domum eius expilat, vexat miserè afflictátque insontem, ille cancellatis in crucem brachiis, illatas sibi pro Christo iniurias gratulatus earum auctorem adorat Deum. In his tamen aliisque permultis, qui suæ virtutis insigne periculum variis in rebus præbuerunt, eminet femina in quam Morellius fortuito incidit. Excurrerat is ab aula procul in Prouinciam ad ortum, per inuia, præcipitia, abrupta; insultibus tigrium adeo formidabilia vt esset perpetuo promptis in eas, & obuersis armis incedendum. Post iter diei miris calamitosum modis, & cruciabile, succedebat cum comitibus in tugurium ex caricibus, & ramis; famem, & lassitudinem leuabat buccellatus panis aqua maceratus, quod vtrumque ab iis ferri humeris oportebat tanta erat regionis inhospitæ inopia. Non est traditum quanto sigillatim Morellius animarum compendio hæc loca obierit, sed ex communibus operis illius, & Antonij Fontes alibi satagentis, baptizatorum tria millia septingenti Christo redière. Crescente non multo post ad easdem ærumnas animo, dum Chebum inter, & Nonchen pagos iter facit, audit de femina Christiana, quæ morti proxima dicebatur in sylua iacere, siue illic eam destituissent vires; seu mos barbarus illuc abiecisset ne intra suorum moreretur domum: inuestigatam, intra septum spinarum & sub dio inuenit annorum quatuordecim puellam cadaueri similem, verminoso iam, & semiputrido, cum intolerandæ graueolentiæ fœtore, quòd se nullam in partem præ debilitate, & acerbitate dolorum valeret conuertere. Patris tamen aspectu recreari mirificè visa est; Pater eius horrore perculsus, assedit nihilominus, & ante omnia audiuit confitentem. Tùm percontatus est

ex ea, ecquid illi sanitas in voto esset? hanc ait, haudquaquam desidero, sed de me fieri quicquid Deo maximè visum sit; sanari, mori, iacendo, vt sum, diutiùs cruciari; tantùm quin imo consolationis ex valetudine, mihi non videor haustura, quantùm ex his meis duco miseriis, dum meo domino crucifixo, tantò similiorem me cogito, quantò acerbiùs crucior. Quibus dictis vbertim, & diu flens, nondum tamen sat Patri perspicuum fecit, has lacrimas virtus, an sui natiua commiseratio mitteret. Consolari ergo illam Pater, dolorum breuitate, æternitate præmiorum, & mercede supra modum laboris immensa; sed illa non sunt istæ inquit, Pater: mœroris, sed gaudij lachrimæ, iterum dico, tantò similiorem Christo esse, quantò pro illo perpetiare grauiora, quæ potest animo sentiri potentior consolatio, vel excogitari? miratus Pater in barbara virgine Philosophiam sanctorum Ascetarum, confirmauit illam patientia Liduinæ, & quæ tunc menti succurrerunt exemplis fortibus feminarum; nec iuuare illam subsidio alio potuit, cum ea loco vbi iacuerat moueri absque vitæ periculo non posset. Atque hæc de multis Tunchinensium gestis insignibus pauca, in reliquorum inditium dicta sunto; idémque mox de Sinis fiat ad quos cum anno 1638. redeo, si prius nomen exsoluero quod annis retrò aliquot sum professus, de postrema Calendarij Sinensis instaurati, absolutione quæ in hunc denique annum exit.

111. Calendarij Sin. emendatio absoluta.

Huic Regis mandato instabant P. Scial, & P. Iacobus Rhó nec erat triuialium hominum id opus, cui non illud modo incumbebat onus, vt Sinenses Astrologos ab Europæis dissidentes inter se conferrent, saluisque illorum regulis, eorum exerrationes, ex Europæorum canone emendarent; sed erat euidens earum exerrationum, & nostræ emendationis edenda ratio, & Mathematicis Collegij Regij, Mandarinis eidem Præfectis, & demum omnibus Regni totius probanda Literatis. Ad hoc erant pandenda quibus omnis Astronomia nititur fundamenta, vt scientissimè ex iis monstraretur, & Astrologis constaret euidenter, practicarum veritas operationum. Nam dictum aliàs fuisse ab aliquot sæculis Calendarium Sinarum abacum, Maurorum opera multis erroribus purgatum, & totam eius rationem volumine duplici comprehensam, altero Theoreticem; vsum altero artémque complexo, lingua vtroque Arabica. Sed enim Sinenses neglecta contemplatione seu Theoretice, arte sola vsúque contenti volumen quo continebatur Sinarum idiomate donatum in scholam induxerunt ad hoc institutam; suos inde formarunt Astrologos quorum omnis in eo peritia versabatur, vt ex eius voluminis calculo motus, stationes, & defectiones maiorum luminum scitè computarent, rectè an secus, omninò ignari, quod principia nescirent & causas quibus sic, & non aliter compellerentur numerare, & quod consequens erat, non possent in viam redire, quamquam euidentissimè errassent. Eam ob rem Patres statuerunt, totius seriem operis, sibi esse ab suo capite primisque principiis resumendam, deduce-

deducendámque per omnes Matheſeos partes, quæ poſſent aliquid conferre ad integram Aſtronomiæ perfectæ abſolutionem: de quo audiendus eſt P. Scial Pechino ſcribens anno 1652. cum iam & illa vrbs, & regnum prope vniuerſum in Tartari eſſet poteſtate [Regis, inquit defuncti, iuſſu, in reformando Calendario abaco Sinenſi annos poſuimus quindecim diligentiſſimæ, & laborioſiſſimæ operæ; nec rarò contigit, iungi à nobis cum diebus noctes, ad ſcribendos, quos exhiberemus Regi libros, & interualla ſignanda, motúſque ſtellarum ratos, ex quibus noſter conſtabiliretur, & certò liqueret algoriſmus, eſſetque in poſterum ab errandi periculo ſecurus. Nec defuêre potentes aulici qui tanti honorem muneris, & Regis beneuolentiam externis hominibus inuiderent, & pro noſtris competitoribus, auctoritate, & largitione ſatagerent. Strenuitate laboris, & patientia vicimus, ne dicam ſoliditate ſcientiæ, ſæpius etiam Rege coram tentata, claréque perſpecta: centum præterea voluminibus in lucem editis, quibus Aſtronomiæ totius complexi ſumus non modo rationem, ſed arithmetices, & Geometriæ cæterorúmque de Mathematicæ corpore membrorum, quæ ad operis noſtri perfectam conformationem facere videbantur] hæc Scial, at libros multo plures editis ſcripſere, & iam inde ab anno 1634. ſeptem ſupra centum triginta paratos habebant, & aliquot inſuper ſub ſtylo. Ex typis recentes idoneo numero Regi exhibebant, qui magno ingenio cum eſſet, excipiebat illos ſingularibus beneuolentiæ argumentis, hortabatúrque ad pergendum conſtanter, Reſcriptis ad eos tàm honorificis, vt (lege ac more) vniuerſo vulgata, & cantata regno, incredibilem noſtris apud Mandarinos Prouinciarum Rectores conciliarent fidem, auctoritatem, latúmque Euangelio ſeminando, & liberum vndequaque campum. Libellis porrò noſtrorum ſupplicibus, & reſcriptis ad eos Regiis haudquaquam deinceps nominabantur, *Patres magni Occidentis*, ſed *Ieſu Hoci*, hoc eſt Societatis Ieſu, illic tandem pro Inſtituto habitæ, & à Mandarinis etiam vulgatæ, quod eſſet publico deuotum bono, & gratuito labore, vitæque adeò quibuſuis periculis artem probè viuendi traderet, & ſciendi. Æmuli verò quos Scial indicat, Colao Paulo ſuperſtite, hiſcere non ſunt auſi; defuncto, quidam ſe protulit doctrinarum omnium ſe iactans nomine, præſertim Aſtronomiæ Sinenſis. Hunc ad noſtros ſi poſſet deprimendos, ſuus egit tùm arrogans genius, tùm Mandarinorum præpotens gratia, tùm quòd erat timendum, conſenſus Eunuchorum quos omnes pudebat Sinas orbis Magiſtros, barbarorum duorum diſcipulos fieri, & ab iis errantes corrigi; parum memores, ab ſuis maioribus, minus inuidioſis, & magis doctis fuiſſe magiſteria Maurorum in Aſtronomicis accita. Obtinuêre nihilominus conſpirantibus libellis, Reſcriptum Regium, quo Academia altera inſtitueretur, in qua competitoris Aſtrologi, & noſter examinaretur Mathematicus Canon ad obruſam exactæ rationis, & experientiæ; quem ea ſtyli ſeuera, & manifeſta

periclitatio probasset, victor, & verus censeretur. Hinc Academiæ in vrbe duæ, nostra ad Occidentem sita; secunda ortum versus; quæ suo illi iactabundo auctori posthuma, Rectorem Vicarium accepit Chiugin quendam secundi Ordinis Literatum. Duæ inter hæc obtingunt luminarium Principum eclipses; & pauenda Sinis coniunctio aliorum duorum Planetarum, ex qua solet horrendos exitus Astronomica Sinarum vaticinatio expectare. Hanc Patres, qui soli aduerterant Regi indicarunt, adscripta eius figuratione, & calculo temporis. Defectiones solis, & Lunæ ipsomet à Rege minutissimè obseruatæ, prædictioni Patrum ad amussim, momentáque omnia respondebant, prædictiones nouorum Academicorum magno interuallo fefellerunt. Hinc Regis æquissimum vtrimque iudicium, cum insigni nostrorum commendatione, & contemptu aduersariorum; qui, vt vsus est Sinarum, iuris & rationum penuria in calumnias acti, supplicibus ad Regem literis in Doctorem Petrum, accusare ab eo religionem veterem abiectam; superstitionem Patrum adamatam; proscriptos à Patribus semideorum Regum cultus, antiquos ritus pessundatos, vnius Dei sui adoratione omnibus substituta; exilia demum recoquere, ac repetere quæ auus eius Vanliè iis indixisset. Rex mirè consultus & sapiens Rescriptum paulisper cùm sustinuisset; respondit admonens, iis attenderent quæ sui erant in Regis obsequio muneris; rixas omitterent, nec deflecterent ab Astronomicis ad religiones; vbi ingenio certaretur ad indagationem Veri certam; extra rem esse criminationes; videríque professionem causæ malæ, conatúmque violenter auferendi quod iure, ac merito non possis. Ex eius Rescripti sententia pronuntiauit Rituum tribunal, accusationes aduersus Patres nec esse admittendas; quòd præter vindictam nihil spirarent; nec audiendas, quod in iis non ratio, sed perturbatio loqueretur. Adiecit huic tribunalis decreto Rex pœnam, qua nulla grauius inuidiosos distorquet & lacerat, fuitque affectus erga nos extraordinaria prorsus & varia significatio, quæ toto mox regno denuntiabatur: oblata enim à Patribus dona, machinamenta ferè ingenij, benigno inspectabat, & accipiebat vultu, ocularem tubum, horologium rotatum molitionis peregrinæ, planisphæria duo, & istiusmodi matheseos organa, à quibus otiosè spectandis, & curiosiùs tractandis auelli vix posse videbatur, Colaiis quin etiam summæ gratiæ loco spectanda concedebat, & familiarissimis Eunuchorum: globum præ cæteris æneum pedum ambitu ferè duodecim, ad quamlibet supra orizontem, graduum eleuationem, in meridiano suo versatilem. Omnes in eo suis locis stellæ, suaque magnitudine discretæ splendebant, cum obliquo solis, per signa duodecim nostra, siue illorum duodetriginta quibus suum distingunt Zodiacum, fortè ob totidem quas Lunæ attribuunt mansiones. Aureis stetterat ob excellentiam operis quadringentis, pluris quinquies, hic futurus. Sed eos abundè Rex Patribus refudit. Quanti verò donum id fecerit, quantumque sit

eo,

eo delectatus, testificatione constare voluit, quam per se sanè, & apud nos leuem; Sinæ præ quouis meriti præmio expetunt, & adorant. Iussit Patres solenni comitatu, in aulas palatij intimas donum suum portare. Imus ergo, ait Iacobus Rhò, ego & P. Scial, cum Doctore Petro, & Academiæ nostræ Mandarinis, splendida in veste, suorum cuiusque graduum discreta insignibus, & per magnificas vastissimæ Regiæ aulas, & exedras in aulam denique subimus penetralem, in qua solet Rex animum laxare, tàm sacram atque illibatam, vt fas sit nemini pedem eò inferre, ne intimo quidem Eunuchorum, nisi ab Rege accersatur; quod nihilominus externis indultum, cuiusmodi eramus, attributum est gratiæ, nulli fortè mortalium ab æuo concessæ. Surgebat media ex aula thronus, altitudine cubitorum quinque, suis nixus gradibus, & cancellis clathratus. Summum eius aut lectus, aut lecto quid simile obtinebat, puluinis grandibus ad sedendi vsum instratus, spondæ laterum fulcris munitæ pretiosis, & nobilis machinæ moles omnis auro radiabat, artisque eximiæ cælaturis spectantium tenebat oculos; minor alius è plano extabat, nullius ad speciem maiestatis, sed ex calamba, & aquila lignorum pretiosissimis; simplici opere, ac velut topiario contextus; in huius sede globum posuimus, quod fuit perinde vt in Regis manibus deponi, & ab eo admitti, eam ob rem illas tanquam Regi sedenti proclinationes legitimas, & scrupulosissimas, in aditu obitas repetiimus in discessu.] Ita Iacobus Rhò de habiti nobis ab Rege honoris gratia singulari; condigno post hæc Academicos vtrosque honorario ornaturus Academiam dissoluit aduersariorum, certóque prospiciens dum Pechini hærerent, nunquam nobis vexandis abstituros, vrente illos dedecoris sui, & nostræ gloriæ impatientia, denis singulos adsperfit nummis, iussit quo vellent, sed ab aula procul, & vrbe abire, nec interceſſionibus vllis cessit, satagentium illos tetinere, imò & Patribus sese in discipulos tradere. Nostræ vice versa Academiæ Literatos muneratus est liberalissimè, Doctorem Petrum nouo in aula, Magistratu; Mandarinatu quinque alios auxit amplo & minimè vacuo. Restabat vsus computi emendati à Præsidibus Rituum decreto iuridico in vniuersum imperium inducendus, quod ipsi Decretum cùm diutiùs traherent, & tempus eximerent aduersarum partium veriti odia, si (quod æquum censebant) *Canonem occidentis* nouum Computum appellassent; conuenit illos Rex acri singulos reprehensione, omissóque illorum consilio à se ipse Decretum concepit, ediditque Rescripto, piis Patrum desideriis tàm consentaneo vt videretur cœlitus dictatum, quò in bonum rei Christianæ quam maximum res tota cederet, nec ipsi, si posset, fierent etiam æmulis, & aduersariis inuisi. Rescripsit itaque imperans antiquum Calendarij titulum retineri; eclipses, & cunctas astrorum obseruationes ex Patrum Regula putari; earum Canones ne lapsu temporum interirent, vel desuetudine mutarentur, Academiam Occidentis, esse in posterum iure

perpetuo

perpetuo stabilem, vt quondam fuerat Academia Maurorum; & Mathematicos Collegij Regij, firma lege obstringi vt in Patrum scholam sexies in mense conuenirent, eosque de Mathematicis audirent. Atque hic tandem felices exitus nacta sunt P. Riccij vota longo annorum sexaginta, & vario tractu circumducta, elusa, impugnata; de nostrorum in Sinis habitatione decreto Regio obtinenda, quæ nec fidei hostes metueret, nec esset vlli Mandarinorum potentiæ, aut Bonziorum seditionibus, calumniisve obnoxia. Probatumque tàm fausto, quanquam sero euentu, quàm sapienter & prouidè Patres, tàm longum ad eam & laboriosum elegissent, & durassent iter, in Calendarij abaci reformatione, extra quam prorsus nullum fuit, quo posset illuc aliquando pertingi, vbi nunc denique firmo pede, ac sede securi consistimus. Hæc suis Rhò spectauit oculis; suo magna ex parte assecutus est merito, & labore, suo etiam prosequebatur stylo gesta, cum à Deo in cœlum vocatus est. Siue autem herbis quas April. 17. cœnarat virulentis, seu deprauata humorum congerie, morbo cœpit iactari, tàm intestino, & ignoto, vt quicquid Medicorum præstantium Pechini excellebat, eius causas non potuerit diuinare, sed alius alia in eum tentarit, fortuita magis quàm arte præscripta remedia. Nouem quibus ægrotauit diebus, ferè in pedes sterit, & sacris operatus est ad aram, quoad austeriori prostratus inedia, & morbi grauitate interiora depascente, decubuit; & Lunæ tertiæ decimo tertio, qui Aprilis nostri efficit vicesimum sextum, destitutione sensuum repentina oppressus est. Verum animam acturus ad se parumper cum rediisset, in effigiem Christi morientis defixit oculos, quam ei P. Pasqualius Mendez obiecit, & alacritate oris, manantibus lacrimis, motúque debili labiorum, suprema cum eo miscens colloquia, horis post noctem mediam duabus, placidissimè obiit, annos natus quadraginta septem, ex quibus quinque & viginti exegit in Societate, in Sinis sedecim, quo illum anno 1618. Nicolaus Trigaultius duxerat, virtute illius egregia captus, & peritia in Mathematicis quæ Mediolani tunc profitebatur. Tanti hominem fecit Christianitas Pechinensis, vt eum Mandarini, exprimendum sibi coloribus Literati ornatu curauerint, velut æterna dignum memoria. De libris quos typis mandabat lepidè sua quadam epistola narrat, anno 1629. se podagra sæpius vehementissimè torqueri solitum, de genibus tamen, cruribus, pedibus, vtcumque valerent, parum sollicitum viuere; sed de lingua & manu, agitque Deo plurimas gratias quod semper iis vteretur sanis; illa quidem ad instituendos diuinis populos; hac ad persuadendos scriptis libris Sinas, & prædicandum absentibus, & longinquis Deum. Copiosissimam edidit volumine duplici orationis dominicæ, & salutationis Angelicæ explicationem; libros de mortificatione, & ieiunio quatuor; de offi iis misericordiæ Christianæ tres, alium de largitate in pauperes, & quintum de precatione. Pia item S. Teresiæ monita Sinensi sermone conuertit, & quoddam eiusdem,

anni-

anni totius Diarium; præter illam quam superiùs attigi de tota matheſi multitudinem librorum ab eo ſudatam. Conuenerat inter Chriſtianos vt defuncti cadauer magnifico funere efferrent; ſed eos inhibuit Longobardus (quem domi ſolum reliquerat Scial, ad peragranda vicina egreſſus) ne pietatem illorum interpretaretur populus inanem pompam, & ſumptum facerent noſtra cauſa. Vitare tamen non potuit, ne palatij Eunuchi, & Principes feminæ ad cohoneſtandas eius exequias partem neceſſarij mitterent apparatus; & funebri habitu Chriſtiani, lugerent illum tanquam Patrem. Parentatum eſt ipſi, quinto Maij, corpúſque publicè die eodem tumulo conditum. Extulit illud noſtro templo, verſus Riccij ſepulchrum per frequentiſſima vrbis loca, Chriſtianorum ſupplicantium ordo longiſſimus, & dignus ſanè populi oculis qui ad eum ſpectandum immenſus confluxerat, incedebant ingenti numero, agmine compoſitiſſimo, graui ſilentio, & modeſtia ſingulari, precatoriam coronam tacitè quiſque apud ſe recitantes, quam manu altera gerebant; altera funale igni ardente odoris pretioſi. Concluſum arca mortui cadauer, vt ſolet virorum illuſtrium, extabat in ferculo, quod hominum ſedecim honeſtiſſimorum humeris portabatur. Præcedebant acerræ, & faces varij generis; circum & ponè Doctor Petrus, Academici noſtri, Regis aliquot Eunuchi, Mandarini, & Literati, etiam ethnici, nobiliſſimo comitatu. Extra vrbis muros proceſſerant ad celebre Riccij ſepulchrum & funalia cerea Chriſtiani omnes accenderunt; ritu ſolenni Longobardus pro defunctis ad aram fecit, & concionem ad eos habuit; inde honores proclinationum, lege patria, lenta, & longa, & moleſta mora ſigillatim à cunctis exſoluti feminis prudenter more perpetuo, excludi templo ſolitis dùm viri adeſſent, multum rogantibus conceſſum, vt per ſe quoque viris templo excluſis iuſta funebria defuncto biduum exhiberent. Itemque pagis etiam remotis, & Prouinciæ Scianſi, quam per aliquot annos docuerat. Eius morte audita Rex plurimum doluit, & proſecutus eſt eum multa laude, ac velut ſuperſtitem & ſuæ capacem liberalitatis, bis mille ad eum, ad Patrem Scial nummos miſit emendo agro qui alendis iis ſufficeret; ſingulariter vero Patri Scial ad Academiæ ſtabilitæ magiſterium ſuſtinendum, aſſignauit nummorum duodecim millia, totidem Lunæ mutationibus numeranda. Poſtremo rogatus à Præſidibus Rituum, vt Patrum doctrinam & labores, regni totius commodo vtiles aliquo dignaretur approbationis publicæ monumento, id quoque præſtitit, verum modo omnium maximè glorioſo. Quatuor ſcripſit characteres; & ij lingua illa cuius nec ſatis efferimus, nec percipimus accentum ſignificationis propriæ indicem, ita ſonant *Chin Pao Tien Hio.* Hoc eſt *Ego Rex approbo, & diſco cœli ſcientiam.* Quod quidem generatim dictum, perinde tamen à Patribus, & Chriſtianis acceptum eſt, vt ſi foret approbatio fidei ſacroſanctæ, cœleſtis omninò, & diuinioris

quam scientia stellarum. Et hanc Regis mentem iis confirmabat, quod librum Patres edidissent de fidei dogmatis, cui de cœli scientia præfixerant titulum. Erant quatuor characteres figuræ grandioris, auro, & inerrantium draconum (qui sunt Regis tesserarium insigne) artificioso intertextu, splendidè ornati. Tulit hos domum nostram regio comitatu, per celeberrima vrbis loca, Mandarinus vir grauis ex Rituum Præfectis, anteïbat pompam, turba, clangor, & fragor tubicinum, & tympanistarum, musicis aliis concentibus præcinens; sequebantur clauati accensi quatuor, & quoscumque haberent obuios, iubebant equo, sellave exscendere, Regique verba quæ proximè aberant prostratos reuereri. Portabat hæc in equo Mandarinus, equestri pariter aulæ nobilitate cinctus, duorum vrbis Præfectorum familia, & satellitio; ac nonnullis præterea qui summis quinque tribunalibus Præfecti, Sinensis Monarchiæ, administrant summam, omnes cultu insignes legitimo; qui ostentatam diuturnis ambagibus per densa ciuibus Pechini compita scripturam Regiam, apud nos denique statuerunt. Dies erat Epiphaniæ sacer, Ianuarij sextus, cum accedentibus ad ædes propiùs occurrunt Scial, Doctor Petrus, & Academiæ nostræ Mandarini, cum omni suorum graduum splendore, & proclinationibus corporum quas rei tantæ, ac virorum poscebat maiestas, & dignitas, quasque Parapieno ipsi in mensa superbè ornata demùm repositio, exhibuêre vniuersi. Est vero Parapienus scripturæ huiusmodi forma quædam ad supremam laudem concinnata. Huic propè simílem ad nos misit Colaus de gente Fu, sed hoc illustriùs & excellentiùs quod expressam laudem continebat Dei nostri, eiúsque legis sanctissimæ. Accessit & suus à Magistratibus Rituum, quem cum Colaj Parapieno, interiori exceptum aula proposuimus adeuntibus spectandum, in priori autem, eáque amplissima Regium; ad quem fuit ingens per multas hebdomadas visentium concursus, & admirantium in Rege amorem nostri prorsus singularem, & scientiæ nostræ existimationem vix satis credibilem. Missum est confestim in omnes stationes quas in decem Sinarum Prouinciis tunc habitabat Societas, huius apographum exemplar quod eis pro tutela esset, non minus fida, quam si foret ipsummet Regis autographum. Verum Chiancei vbi agebat Vagnonius Præfectus vrbi, & Regis cognatus, idemque Rex (de iis quos vocant duarum literarum) vicissim præuertere certarunt in illa Regis inæstimabili scriptura ad eum præmittenda, quem ipsi vnicè diligebant, anteuertit Præfectum Rex Regis propinquus, cuius filij duo erant Christiani, voluítque id regali, & digna se munificentia exequi, sed eam Vagnonius cautè inhibuit, suspicatus nobisinuidiæ multo plus, quam ipsi gloriæ allaturam. Pergebat interea Scial fingendis solidè ac scienter Collegij Regij Astronomis; haud quidem omnibus; nam cùm essent tres classes, duæ ex iis merè ariolorum erant, qui anni principio, dies eius & horas fastas & infastas libris duobus prænulgabant, quibus inconsultis

inconsultis vel abnuentibus infelix populus, nec iter agere, nec vxores, aut funus ducere, vel quid aliud audebat aggredi, tanta erat nugatoribus apud meticulosam gentem fides, cùm tamen omnis eorum scientia nihil esset, præter quandam signorum, arbitrariam copulationem quæ nihil posset omninò in prædictos euentus influere. Et quando incidit huius tàm diuini Sinarum prognostici mentio, recreabunt opinor lectorem eius aliquot aphorismi, vt sunt; luna quinta, hoc est mense quintili, si Sol defectione obscuretur, regni confinia barbari depopulabuntur; si cœlum & aër improuiso turbantur, adsunt Tartari ad Regnum obsidendum; si tenaci sereno pluuias, & nubes cœlum negauerit, absque vlla dubitatione, opifex aliquis sceleratus, coniuraturus est contra Regem; si terra diu mouerit, rebellabit clients, femina imperabit; si apparebit Sol cum duabus vtrimque auriculis, incestus probrosi fœdabunt familias; si Lunam obteget, lucis quædam in pilei modum proiectio; vniuersum imperium communi gaudio gestiet; sed infinita sunt istiusmodi somnia. Scholam Scial tenebat primariam Ciusnon nomine, quæ extra stellarum errantium, & fixarum, contemplationem Theoricam non exit. Præter Astrologos Collegij Regij, auditores habebat aulæ sapientissimos, & qui se ingenij nomine iactabant insignes Magistratus; ij scientiam docentis, suauitatem morum & illam potissimum tàm liberalem & prodigam communicationem rerum præstantium, & reconditarum mirari satis non poterant, quas eorum quisque si solus nosset, sibi vni fruendas, esset aliis inuisurus, sed de Sinarum astronomia plus satis: restat anni huius tricesimi octaui legamus reliquias, casu aliquo memorabiles minimè vulgari.

122. Pechi. Tart. obsid. ignis consumit.

Ac Pechinum quidem duplex calamitas afflixit, intus incendium, & foris diluuium Tartarorum. Regionem latè deprædati captíque proditione ciuium duodecim vrbibus, Pechinum Tartari obsidione arctarunt tàm angusta, vt eorum castra murorum prospectui paterent. Mittitur in eos exercitus multitudine infinita duplo maior, animus duplo ignauior. Idem fuit iis vinci, & hostem cernere, vitam fuga seruare, & prælium perdere. Non est tamen potitus Pechino Tartarus, nec erat ea vrbs quæ posset ab eo vel obsidione, vel impressione occupari, licet decies tantum turmarum hostilium in eam duceret. Rexque bis pridem hominum triginta portatus humeris vrbe prodierat (insolens Sinis spectaculum) custodum militum stipatus millibus sexaginta, ad recognoscendos per se muros, sarciendas eorum lacunas, & armandum machinis bellicis eorum ambitum. Proditione Tartari desperata, qua sola nitebantur ad vrbem capiendam, excursione quaquauersum bimestri, ruinis, & stragibus hominum, circumposita deuastant, prædis saturi, arces repetunt à se pridem captas. Sed hæc obiter solum vt significarem hisce tumultibus, præclusas fuisse nostris vias ad ministeria; Logobardus & Scial eas inierant, cum se Pechinum recipere sunt coacti, ne & ipsi præda Tartaris fierent. Nouos tamen Christia-

norum cœtus duos, spatio illo breui, duobus fundarunt locis, & quà illic, quà intra Pechinum, sexaginta supra octingentos lustrarunt sacro fonte. Auspices habuit Neophytorum cœtus duplex, Eunuchos nobiles palatij Regij. Longobardum alter in suam patriam deduxit ad insinuandam popularibus suis veri Dei notitiam; alter Hochienum, cuius erat ciuis, Patrem Scial, vt quam ipse vtcumque inchoarat sacram vrbis illius institutionem absolueret. Suis item hoc anno præclaris accessionibus aucta est virtus, & numerus principum feminarum in palatij septis degentium: in iis fuit nulla, quæ Christianis initiata mysteriis, propinquos habere idololatras sustineret. Vrgere ergo illos crebris epistolis, suadere, hortari, rogare Patres inquirerent, audirent, obsequerentur monentibus; nihil salutis, nihil spei post hanc vitam esse, nihil veniæ, nisi ex professione Christiana. Quibus Neophytæ Christi Heroinæ, sed suis magis ad Deum precibus, & vltronea sui afflictatione, suorum quamplurimos Christo addixerunt. Pechinum calamitas altera prope funditus deleuit. Igniarij pulueris commeatum, cannarum muralium sedecim millibus instruendis (quibus vrbis illius munitur immensitas) fortuitus ignis corripuit, ædificiorum, & hominum tàm horrenda strage quam nemo satis sibi animo finxerit, certè aëris impulsi violentia, vltra semileucam muros ad vsque Riccij sepulchrum concussit. Rex ad septem millia nummorum iis iussit diuidi, qui ruinis domorum educta cadauera sepelirent. Sed quod vnicè in rem nostram erat, in hæc verba Edictum promulgauit; omnes cuiuscumque ætatis, & conditionis proximum triduum ieiuni traducunto. Peccata sua emendato, & eorum veniam à Scianti poscunto] hoc est à Domino supremo Hinc latè constans per omnes rumor, mente Regem esse Christianum; recurrere illa quam ante narrauimus simulachrorum eiectio, & quotidianæ ad Saluatoris effigiem adorationes, & recens ad hæc ab eo vetita Regina, ritus nescio quos superstitiosos idolis adhibere, nec enim fas esse Deorum quempiam venerari, nisi Dominum cœli, aut alium in opem vocare, præter illum à quo sua probos manerent præmia, suæ reos pœnæ. Fuisse porrò affectiones bonæ mentis, & primæuo afflatæ radio veritatis dubitari non potest, cui si libuisset insistere in apertam, & integram Dei notitiam, & professionem euadebat; contra huius neglectæ aut reiectæ pœnam, iactura imperij, & vitæ, & cantando theatris immanibus parricidali laqueo luisse, putarunt viri sapientes: vrbium autem cœterarum, in quibus nostri residebant nulla fuit quæ illos in longinqua sex aut octo dierum fructuosissimo animarum prouentu non mitteret. Scensiensis Prouinciæ plus quindecim vrbibus ignem Christi beatum intulere Stephanus Faber, & Augustinus Todeschinus, vterque eximius, sed propria sua & peculiari laude clarus, quod non modo in templo ad populum dicerent sed in frequentia qualibet metropolis Singafu, vt ante palatia Primatum, vniusque ex iis qui Reges dicuntur vnius literæ, nec iis propterea

pterea vel quicquam negotij factum, vel tumultuatum, quod sanctimoniæ nomine obseruarentur ab omnibus, & cautè vbique, modestéque rem Christi gererent. Concionum messis quadriginti fuere ethnici, à simulachris ad Deum translati, quos inter, viri literatiis conspicui gradibus; potentes Eunuchi; è stirpe regia nonulli, & mirum quam liberaliter nascentem illic Ecclesiam, visis, sanationibus aliisque prodigiis, quæ longum sit scribere, Deus promoueret. Nec dissimiliter in Prouincia Scianſi quam procurabat Vagnonius, sanctimoniæ Christianæ ac veritatis existimatio eò pertigerat, vt nihil in eam inuidia tentare confideret; tractatus de diuinis, & animi rebus, quos à Vagnonio lucubratos anno proximo narraui, hoc item auidiùs etiam ab ethnicis lecti sunt. Præfectus Chiancei, vir mentis solidæ, ac scientia celebris, ex iis vnum suo ære excusum, regno vulgauit vniuerso. Mandarini vrbis quatriduo dissitæ, miserunt ex suis qui libros illos à Vagnonio flagitarent; aut veniret ipse, ac de negotio salutis ne grauaretur per se illos erudire. Quod vtrumque ab eo, etiam alij rogarunt. Quanta verò populus etiam ethnicus veneratione afficeretur erga Christiana, exemplo sit pagus Chianceo proximus. Illic erat ædes Paulo Apostolo dicata, festum eius diem Christiani, luminum copia, paratu, artificiosis missilium ignium iaculis (in quo Sinæ excellunt) sed larga potissimum in pauperes stipe, agitabant. Ad hæc fanum suum, suosque dæmones pertæsi ethnici, iunguntur Christianis, odores, funalia cerea, suffitus, in templum conferunt ad augendos veri Dei, & eius Apostoli honores, Bonziis nequicquam frementibus. Verum Chiancei eiusdem Prouinciæ nobili ciuitate, S. Ignatij gloriam continuatis prodigiis splendidè Deus illustrauit. Cœlum tunc erat grauidis infestum, & ferè omnibus partus erant letales; quibuscumque vero admouebatur Sancti chirographum, aut imago, Christianæ forent vel ethnicæ securo, & prospero leuabantur partu, erátque tàm euidens omnibus certúmque prodigium, vt fœtus suos sacris vndis tingendos matres quanquam idolis addictæ ad Vagnonium mitterent, diceréntque se illos Christianorum Deo acceptos debere, & vltro postularent Ignatij masculis, Ignatiæ feminis nomen indi. Ad sublimem illum ethnicorum de Christianis sensum, maximè proderat Vagnonij diligens in iis fingendis, & sollicita cura. Mirum foret profectò, vel in cultissima Europæ Christianitate, quod in Neophyta illic erat commune; viri locupletes sua perinde dispensabant, vt si forent pauperum non sua, ipsique dumtaxat eorum essent custodes positi, vt in egentes ea partirentur; nec erant ab iis ob necessaria rogandi, sed inuestigandis & iuuandis pari studio instabant, vt si pauperum quisque esset iis natura filius. Horum ex numero fuit Tuon Petrus (de quo pridem cum eximia laude) Chiancei hoc anno Literatorum examine feliciter obito, ab eorum Præside Mandarino remissus est domum præcinente tubarum & tibicinum choro, comitatu extraordinario subsequente, quod profiteretur

123. Christ. Sin. virtus, & fama, & mirac.

Mandarinus, hominis sanctitati hunc honorem auctoritate publica deberi. Thomas quoque, iure Pater pauperum dictus, erat Ciuibus suis tàm venerabilis vt Regi publicè supplicarent, ex secundo Literatorum gradu eum proueheret ad Mandarini dignitatem, eas enim quibus ipse pollebat in omni genere virtutes, cunctis ingenij, & scientiæ opibus præstare. Degebat, his item maximè geminus, in oppido Chianhiensi Leo, & sodalitiis tribus Literatorum piorum præerat. Horum institutum iuuare animos ad salutem; opitulari egentibus, docere quos poterant fidei rudimenta, & certis anni temporibus, sistere illos Vagnonio, vel eius sociis baptizandos. Fuit autem hoc anno lustratorum summa quingenti sexaginta. Quod Leoni euenit seruandis animis intento mirabilius est quam vt possit fileri, eius seruo natus est filius, & sexto post die mortuus, obuolutum panno efferebat parens extra vrbem humandum; vrbem egresso occurrit mulier, & curiosiùs inquiritans, cur, inquit, tàm mœstus? & quid illic sub brachio geris? filiolum, ait, mihi prope simul mortuum, & natum. Illa fac, infert, videam, seruus hoc solum vt satisfaceret petenti, euoluit infantem, & viuere comperit, cursuque lætus & gestiens, primo statim ingressu, Hero narrat quæ sibi contigerant, is cœlo haud dubiè instinctus; aquam sis age huc mihi, & propera, qua illata ritè infantem abluit, infans clausis mox oculis spiritum efflauit.

Vt Vagnonij alumnos Neophytos mirè illustrauit, illa in egenos misericors largitas, sic in Prouincia Nanchinensi alumnos Sambiasij vitæ asperitas, & inexpletum domandi corporis studium vtrosque ex genio sui Præceptoris; omnium tamen virtutum expressa non vmbratili specie sic florebant, vt etiam ethnici ea plurimum caperentur. Quadringentos hoc anno lustrauit Sambiasius, cui duo tunc equidem adiuncti socij, sed augendo magis quam leuando labori, vt qui essent ab eo linquam edocendi longè illa in aula quam reliquo regno expolitiorem. Nanchinum regebat Præfectus vir præstantissimus, in Sambiasium sic affectus vt videretur esse potius illi frater, quam familiaris, & intimus, nec ei quicquam negaret vnquam, quod in Christianæ fidei gratiam popoſciſſet. Et vero ex eo nihil vnquam aliud popoſcit Sambiasius. Primum igitur impetrauit ædificationem templi sacri; tùm edictum minax quo omnem ab eo Bonziorum iniuriam defenderet; Vicano denique tribuno seriò iniungi, edicti eius executionem. Et fuit miraculo simile ethnicum Mandarinum suo illo Edicto Deiparam Virginem (cui sacra erat ædes) immensis laudibus cumulare. Sed eius æquè sincerum amorem, & constantem nihil prodit, vt Magistratus, & vitæ periculum quod non est veritus in Sambiasij gratiam subire, misso Macaum fideli Mandarino, qui decem ex nostris in Sinas induceret, librandis machinis personatos, quanquam nisi duobus, beneficio illo vti non licuit; Patribus nimirum Nicolao Viua, & Michaëli Valta; quibus Sambiasius commendata Nanchini Christianitate,

annuum,

annuum suum instaurat excursum ad nouos populos Christo Regi quærendos. Hoaingam ergo, sextiduo dissitam, hæc illum perduxit occasio. Illuc iuuenes duos Literatos, in procinctu cum essent ad reditum, subiit animus videndi Sambiasij, referendíque in patriam, satin famæ par esset qua passim clarebat. Primus illis cum eo de orbe nostro, & Nostratibus sermo, omnia illis mira, vt nobis vicissim externa omnia. Inde Patrem rogare quid tantum causæ esse potuisset, vt per tot maria, & terras; deserta patria, & quæcumque sunt in vita summè chara, non dubitasset illuc aduena fieri, atque hic breui de arcanis, & præceptis diuinis edita ratione, ita sunt iuuenes repentè mutati, vt vellent extemplo baptizari, & contestarentur se esse Christianos. At Sambiasio visum oportere lentius festinari; iuuenes esse, semidoctos, adhuc prope informes, eorum tamen populares, ex moribus illorum æstimaturos legem Christianam. Promittit ergo se quamprimum illos aditurum, legerent interim, quos dabat iis libros, quibus in proposito nobili firmarentur. At ij Hoaingam reuecti, dies pro mensibus, & annis durare, iterare cum literis nuncios, & promissum ardenter exigere. Fauítque huic ardori Deus, sextidui iter, diebus quatuor Sambiasius confecit. Appulso alter ex iuuenibus Literatis humanissimè hospitium præbuit, cuius mater clam Patrem ex abdito spectans scire tantùm auebat, cuiusmodi formæ essent homines nostri orbis; sed inspecto illo attonita, & palam prodiit, & coram consistens examinabat oculis præsentem silens; nisi quod in discessu audita est apud se dicere [ne pilus quidem abest, isque omninò ille ipse est.] Hanc anum pro sancta suspiciebant cultores Deorum, tota erat in eorum cultu, eleemosynis, discruciando ieiuniis corpore, & vigesimum iam annum solo legumine, & oluscúlis vescebatur. At cernens filiũ Nanchino reducem concrematis omnibus simulachris prolixè ad crucem orare, non dubitauit cerebro minutum, nec potuit capere ligna duo rudi manu ab eo decussata diuiniora esse Diis metallicis odoratis, atque vnguentatis, fiebátque fermè de illo à ciuibus idem iudicium. Sed hic matri recurrit somnium quo illac oberrans Sambiasius illi fuerat obiectus; hominem sibi visa erat adstare, oris peregrini, promissa barba, Literati cultu modesto & graui, qui se ab Deorum adoratione serio prohibebat, alioqui æternùm perituram; imitaretur filium, & amplecteretur legem quam erat professus, cuius illi obseruatione felicitatem spondebat sempiternam. Hæc ab anu tunc pro somniis habita vix anum monerant, quoad inspecto demum Sambiasio hunc esse comperit quem dormiens viderat; ex eo audiuit, quæ sibi tùm dixerat, eruditáque ab eo in diuinis expiata est sacro baptismate cum filio, & eius quem diximus socio inuene Literato. Accessit Imperatoris gener, authoritatis summæ, ac prudentiæ dynasta, cuius ad Christum ab amenti simulachrorum obsequio, fortis, & improuisa traductio, vrbem excitit vniuersam ad inuestigandum cuiusmodi lex esset tàm potens, vt tàm

114. Conuersio anus ignor. at simplic.

tàm sapientes, & nobiles viros, à Deorum quibus assuerant, aulsos veneratione integrè sibi assereret; ac si licuisset Sambiasio moras illic diutiùs trahere, quàm in diem trigesimum quintum; procliuibus studiis Hoainga in Christum ferebatur. Triginta dumtaxat cœlesti lauacro abluit, Mandarinos tres, Literatos septem, & viginti; feminas octoginta, ex vulgo totidem, & se Nanchinum illico recepit vbi Doctoris Thomæ ardentibus literis inuitabatur Ciamscium, dierum quinque itinere. Vrbs est perelegans duarum ambitu leucarum, monti saxoso imposita, sed non ita nudo, quin viriditate Pinetorum, natiuus Saxorum varietur candor, grata prospicientium voluptate: duo ad radices emergunt lacus in maris littore, vterque salsus; alter pisce, diues alter sale. Ciuitas omnis, vnum Deorum sacrarium, Bonziorum cœnobiis infame quinquaginta; & Bonziarum sex, sub eorum videlicet magisterio castarum: erat illic nobis sacra ædes, & Christianorum cœtus à Sambiasio restitutus, quem viginti diebus Siuzaiis decem (qui est infimus Literatorum gradus) aliisque plus centum auxit solenni baptismo expiatis. Christiani Prouinciæ Chiansi hoc anno, virtutis præcipuæ merito laudantur; eos magnis sudoribus ad eam finxerat, & educarat Cattaneus, octogenario tunc vicinus, nisi consilio, & exemplo iuuare non poterat; vicem eius supplebat Froes, operarius quidem in paucis strenuus, sed qui maiores viribus corporis versabat animos; quare agendo fortiter, & ferendo sub anni huius medium defecit, qui fuit ætatis quinquagesimus primus, Societatis tricesimus, decimus quartus laborum Sinensium. Huic fuit patria Portus lætus in Lusitania, librum edidit de ope præstanda moribundis, & peculiari cultu sacratissimis Christi vulneribus adhibendo. Parentatum est illi à Christianis. Hancei dies septem, ducenti cadauer humandum ad quinque milliaria extulêre, procidentibus in genua ad eius egressum portarum custodibus ethnicis, & sanctum vocantibus. Huius & Iacobi Rhò obitu, concidere vna cogitationes de nouis hoc anno stationibus locandis in Sciantun, & Iunnan Prouinciis. Sed longè grauiùs Sinarum Ecclesiam affecere, damna Prouinciæ Fochiensis (quam Cinceum dicunt Lusitani) Patrum exilia, Christianorum offensio, conuersiones intercluſæ, omnia narratu tristia, sed causis ortuque tristiora, & libentiùs tacenda nisi integritati historiæ deberentur, & possent posteris documento esse. Florebat admirabiliter numero, pietate, couersionibus, Christianitas Fochiensis, ductu Iulij Alenij Brixiensis, cui eius fundatio cognomentum Apostoli fecit. Ædes sacræ in ea patebant septemdecim: Focei vrbe primaria, P. Manuël Diaz; Ciuencei Alenius, gaudebant se magis impares quotidie fieri occupationi ad Dei gloriam crescenti. Ergo huius quoque beati laboris ambitus, alios pupugit, est enim ferè vnius diei ab hac Prouincia in Formosam velificatio, ex qua insula naues crebræ in Philippinas referebant de multitudine Sinarum tanta Christianismum expetente, vt iis nostri satisfacere non possent. Prodromus omnium,

125. Imprudens & damnosa quorundam peditio.

vadum

vadum vnus prætentat, sequuntur sex alij, & hos diuersæ aliorum vices. Futuri Alenius vates nimium verax quem dixi prodromum, & per eum socios conuenit, monétque etiam atque etiam cauerent à nominanda ex qua soluerent formosa, vt quæ Sinis esset maximè suspecta; & si vellent saluti animarum fructuosum laborem nauare, id sine strepitu, & dissimulata opera præstarent, fore alioqui vt regno nobiscum pellerentur, & parta perderent, nedum vt nouis augerentur. Ac promissis quidem se prodromus ab Alenio expedit; cæterum & ipse, & socij excellentiorem nobis demonstraturi viam, præ illa quâ incesseramus eatenus, appulsi statim in publicum ire, rituumque Sinensium, Sacrorum iuxta, & ciuilium ignari, antiquissimos Sinarum Reges, qui morum virtutibus paulò post diluuium claruerunt, pro concione ad populum, promulgare damnatos æternis ignibus; damnatum iisdem & ipsum Confusium, communem Sinarum, & venerabilem Magistrum; damnandos Societatis Patres, qui Christianis idololatriam erga Confusium indulgerent, hoc est proclinationes illas solo tenus, quas adorationis figebant nota, cum tamen sint merè ciuiles è Sinis erga Reges, parentes, Magistros, benè meritos vsitatæ. Hinc offensio Christianorum ingens; tumultus populi, Mandarinorum indignatio, criminationibus iratis accensa. Noui denique præcones ad tribunal producti, citatis velis Macaum remittuntur. Edicta postridiè in legem Christianam, ciúsque Ministros, & sectatores atrocia; P. Manuël Diaz religiosos illos, dies septem hospites domi habuerat, ægrotum ex iis vnum; omnes ad reditum pecunia, & Christiani potentis iuuerat comitatu qui militum insolentiam, quorum erant custodiæ traditi, ab iis defenderet. At ecce dum isti abeunt, superueniunt alij; quorum vnus ad exasperandos in rabiem animos Præfecti edictum, portæ vrbis præfixum, refigere ausus est, fugáque se mox inde proripuit; ob hoc & alia temerarij ardoris inconsultissima tentamenta, narratu molesta, edictis quinquies iteratis proscripta est Christi lex, & nostri qui eam latè diffuderant Alenius & Diaz exilio damnati, tàm procul ab vlla decreti venia, vt à Præfectis, cæteróqui amicis ne in conspectum quidem admissi sint. Christianis eorum discessu frustra gementibus, & complorantibus. Fuit itaque fructus gloriosæ huius expeditionis, vt hæc Prouincia quotannis solita nongentos Christo dare; centum ægrè hoc anno dederit. Multique post annis magno conatu sudatum sit, ad restituendum quod tàm facilè alij præsidenterque perdiderant. Ædes sacras omnes, præter vnam ethnici vsurparunt, quasdam in vsum habitationis; aliquas in locum apothecæ; nonnullas in stabulum: exagitati ad hæc variè Christiani; tàm enormi argento multati alij vt fuerit qui filios venderet, etsi sunt postea liberalitate fidelium redempti; alij carcere macerati, quorum vsus in eo diem clausit, assimilatus fratri suo Litorato qui Hainan in vrbe pro Christo pariter necatus fuerat.

Mitto iugo adstrictos, fugatos patria, cæsos publicè, bonis spoliatos, & passos quicquid in sceleratos solet, rebus vaticinium eius anni, clarè nimis certóque præstantibus, quo ingens aliqua Prouinciæ Fochiensis expectabatur vexatio. Hanc sibi ex eo Christiani venturam vaticinabantur, quod refossæ illic paulò ante, vetustæ icones seu monetæ crucem parte altera præferrent. Et ruderibus erutum duplex marmor, cruce quoque extanti eleganter incisum, videretur cruces portendere, surgebat crux altera ex glomo nubium, ex plantæ altera radice veluti cratere ad aspectum pulchro. Vtraque opus quantum intelligi poterat ante multa secula excusum. Vnius illarum inuenio cum incidisset in hebdomadam maiorem, translata est in templum ad venerationem crucifixi Christi, tunc præcipuè feruentem. Hæc de Fochiensis Ecclesiæ aduersis dicta sunto. Nam de ruina longè grauiori, qua religiosi duo, Pechini eadem attentantes, iámque se in aula inuiso habitu ostentantes, Sinensem Ecclesiam perdere cœperant vniuersam, idcircò scribere suis locis omisi, quod ei Patres tempori occurrissent. Dum autem alij Fochiensium decreto reportantur Macaum, & Formosam: nostri clam, & furtim redire, confirmare turbatos, deiectos erigere, nec enim de se spondere virtutem tot Neophytorum millia poterant ita heroïcam, vt in eorum nemine ritubaret. Alenius interim à Colao Cian, quindecim retrò annis eius Prouinciæ Præside sibique peramico, commendatitias recepit ad Metropolis Præfectum, cum præclaro Christianismi encomio, & Alenij ipsius, quibus mitigatus, vexatione quam mouerat abstitit. Scripto præterea meditatè solidéque concepto, nostris de rebus Taolium conuenit, quatuor vrbium Rectorem, inter quas Metropolis, cuius Taolius Præfectum acri perstrinxit reprehensione, quòd eodem fasce pœnisque iisdem causam nostram damnasset, cum eorum causa qui se ex Formosa in Sinas intruserant. Lectissimum denique Mandarinorum Collegium, libello supplici Taolio institit pro restitutione Patrum in integrum, vt quæ publicæ rei bono plurimum interesset, quo testimonio Patrum virtus, beneuolentia in illos, & existimatio etiam ethnicorum, tàm luculenter Taolio constitit vt rescriberet in hæc verba. [Patres eiusdem sunt Ordinis, atque instituti cum P. Matthæo Riccio, de Imperio Sinarum optimè merito Legem optimam docent; optiméque hortantur ad viuendum probè rectéque agendum. Cognoscat de his Præfectus Metropoli amplius, & de compertis me moneat.] Verum idem Præfecto Ciuencei palinodiam imperauit, qua nouo decreto ediceret publicè, haudquam se sectis regno noxiis, & exterminandis, legem dominatoris cœli comprehendere voluisse quæ annuntiabatur à Patribus. Accessere his literæ quas ad Fochienses Mandarinos à Prorege Nanchini, & Præfecto Alenius impetrauit, quibus peruagatura vrbes, & pagos Prouinciæ edicta constitêre; suspensa vbi sonuerant, eorum executione. Quanquam autem pro certò haberetur, nunquam nos eidem restituendos loco, & conditioni, qua deiecti eramus, quòd

quòd Mandarini quatuor, summæ verum Præfecti, & essent nobis perinfensi, & suam cernerent cum fama auctoritatem agi. Verum Deo confisus Alenius sensim adrepere; diuersorium capere tertio ab vrbe milliari, aditi à fidelibus frequenter, non sine pia lachrimarum gratulatione, occuparique illic duas hebdomadas instaurandis, quibus diu caruerant Sacramentis, nec propterea quicquam ab vrbanis motum, aut improbatum Mandarinis; quo silentio factus audentior, vrbem subit; Christianis dumtaxat se prodit, & paucis quibusdam amicis potentibus, duas iterum hebdomadas semper anceps, quid dies crastina pareret. Tantum interea ponderis apud nouum Proregem, & summos Magistratus intercessiones habuêre per Sambiasium exoratæ vt palam proditurò, nihil iam secus quam vellet timeretur, cum ad eum visendi gratia ijdem etiam venissent Magistratus. Quare anno voluentis seculi 39. Iulij quarto & decimo, recepta, & recomposita æde sacra quam in Metropoli habebamus, publicè in ea diuinis perfunctus est, creditúsque exinde damnationis nota liber, quæ in eum, & legem quam docebat, intorta fuerat.

Successorem paulò post accepit in Sinarum inspectione & Iaponum, Octobris 15. Diaz cognomento senex ad discrimen Diaz Castroblanci; & mensis proximi, duodetricesimo viuere desiit. Octogenarium, & variis fessum incommodis, Macaensis Collegij professi septem regendo imparem censuerunt, apertísque, vt fieri debuit; Præpositi literis P. Antonium Rubinum in officio Inspectoris subrogatum illi inuenerunt. Qua ille vsus potestate Mechliniam, inde in Iaponiam profectus, vitam illic pro Christo sanctissime posuit inter acerbissimos cruciatus. Sed exauctorando Diaz emerito sene, & illis vltimi orientis regendis Prouinciis optimè defuncto ea contigere, quæ nec iure probentur, nec satis religiosè defendantur, fueruntque illi per mensem quo superstes vixit, patientiæ seges non vulgaris, adeò cum iis difficile est animo conuenire, à quibus iudicio dissides, & saluo vbique charitatis officio, suum iuri, & æquo tribuere. Diuersas quidem Patrum sententias Alexander Rhodius ex iis vnus, Romæ ad nonam congregationem generalem retulit, quæ decreto quadragesimo statuit, quid in similibus fieri oporteret, sed posteris, reque dudum peracta, nec valdè laudata. Gesta de hoc anno intra Sinas, baptizatos cessent quinquies mille quadringentos & octoginta; iustam plurium expectationem euertit Tartarus, maiori quam prius exercitu Pechinum, & Sciantunum Prouincias populatus, & Sciantuni quidem Metropoli Zinanfu, aliisque vel vrbibus vel oppidis numero sexaginta captis, direptis, euersis, cum se reciperet infinitate illa prædæ grauis, implexus, & vinci facilis, ante ora Senensis exercitus, placidè, transiit intactus Rege Ducum suorum ignauiam vehementer at frustra indignante, quam exilio in aliquos morte in alios vltus est, sed morte pecudum quales sua dignos inertia fecerat. Trimestre anni præteriti; tantumdem

226. Visitator à PP. officio motus ob senect.

præsentis hæc arma tenuêre; vt primum licuit Pechino exire missiones suas repetit Longobardus in vili iumento, nempe armis impar deinceps ferendis septuaginta nouem, veteri ardore, se & illos quos adibat incendens miris modis, ex quingentis ferè hoc anno illic baptismo tinctis diuinæ miracula gratiæ, pars potissima. Extitere; senes decrepitos post vitam idolis perpetuo ieiunio immolatam, meritorum obiecta quam sibi finxerant immensa imagine, in legem aliam renasci ante prope viuis excessuros quam possent aliquid promereri; Literatos, diuitus, Mandarinos, secundarias vxores ex quibus liberos tulerant, domum remittere quamuis suo cum grandi ad publicam opinionem dedecore, & breuiter alias mutationes fieri tam miras, quàm difficultate insuperabili arduas; ad hæc primarias palatij feminas Christianas ad quadraginta pertingere, iisque iam virtutum accessionibus Christi fidem ornare vt scribat P. Scial, cuius consilio in rebus animi regebantur, dignas fuisse historiæ laude; tàm esse propositi tenaces, vt non dubitarent apud dominas suas Reginas illud explicare; tametsi earum viuendi ratio, & sanctè agendi, cuiusmodi essent, non obscure testificaretur. Nec dissimiliter Christianos Eunuchos numero, & religiosis profectibus augeri, hæc, inquam, fuere clementiæ diuinæ prodigia. Non sequar seorsum Prouincias, & loca, Patrum laboribus, & sudore irrigua. Breuiter dico Braneatium & Grauinam in vrbe. Sciamhai centum, & viginti quatuor supra mille baptismo expiasse; Fabrum & Todeschinum in Prouincia Scensiana, mille ducentos quadraginta; Sambiasium & Bullium; in Nanchinensi centum nonaginta. Alcnium ægrius nunc ducentos in Fochiensi Prouincia, quàm olim, vt solebat nongentos, alios passim aliunde Manuelem Diaz iuniorem Nimpo; Cresciano Trigaultium, monterum Cochiano, Huquani ex pagis P. Goueam; Honani Figheredum, Sacerdotes denique septem & viginti suas Christo prædas, & venationes retulisse, dignas equidem memoratu omnes, nisi essent inter se similes. Verum enim vero P. Stephanus Faber communi non debet numero inuolui absque peculiari mentione exuberantis in eo Apostolici spiritus, cui Christianitas Scensiana, accessus pietatis eximios, Religio populos quibus creuit, complures acceptos retulit. Mandarinatu recens, ille Han Stephanus vir sanctus, & Præfecturâ vrbis Iamhiensis ornatus fuerat; is pro singulari erga Fabrum amore, quem consociabat vtriusque par ardor in procuratione salutis alienæ; illum inuitauit ad Iamhienses suos simulachrorum cultum dedocendos, & durandum secum, iis ad Christum trahendis glorioſum laborem, cui Fabrum norat mirificè habilem. Pasca exacto Faber, comite Christiano quem ad se miserat Mandarinus iter aggreditur dierum quatuor, quod secunda die, interceptum repentè cæteruis grassatorum, ferro, igni, seruitute cuncta vastantium, retexere noluit, sed amplificandæ religionis magna fiducia, inter quatridui per inuia rupium, & præcipitia ipso aspectu formidabilia, vadaque

117. Conuers. mirab.

118. Conuers. plurim.

119. P. Steph. Fabri labor. virtutes mirа.

yadáque torrentium aquarum fallacia, in dies produxit duodecim, vita semper incertis pendente vestigiis & momentis, vt manus prædonum deuitaret. Semel fluento hausius dum abriperetur, sospite Angelo, in aduersa se ripa stupet attonitus nesciens cuius manu, emergere, intacto etiam ab aquis & sicco breuiario potuisset: noctem sub tuguriolo ducebant quem cadente sole texuerant; famem leuabant bucceliato pane, aqua mollito, vel milio; terrebantur sæpè sparsis in via hominum ossibus, incerti an forent à feris laniati, an casu illic vel ferro necati. Ærumnosum prolixi huius itineris tormentum, pro dulci quiete, excepit labor eruderandæ statim incultæ religionis; auditores Fabro cogebat Mandarinus, parabátque ad eum libenter audiendum, quanquam autem maior concursus in dies fieret, & multi baptismo initiarentur, sed hi parciùs Mandarini, & Fabri desiderium explebant, qui vnam ex eo populo conflari optabant Christianitatem: cui ab vtroque dum sanctè locatur opera, Mandarinus vrbi præficitur eiusdem Prouinciæ, vocabulo Cincu. Illuc suo cum Fabro profectus, cum eodem mox cœpit Euangelij sementem facere, & quidem tàm denso qui eam exciperet, auditore, vt muros, & arbores ad percipienda commodiùs quæ dicebantur insecenderent, spretísque viarum, & cœli molestiis, plures quotidie conuenirent. Quot vero tunc illic tùm aliis eius Prouinciæ vrbibus, & pagis prodigia edere Fabro cœlitus datum sit, cum vetet prolixitas annumerare lectori distinctius, pauca solum è multis indicabo. Depascebatur omnem regionem locustarum exercitus, & famem indigenis futuram minabatur, cum ad Fabrum accurrunt Christiani, quorum multos iam cœtus mensis vnius prædicatione instituerat, & expolierat studiis pietatis, precantur supplices, vt eorum agros ab ea peste redimeret; dolens calamitatem Faber, fideque illorum confisus, sequitur abeuntes, sacram imaginem in altari, medio in campo collocat, & piè de genibus cum omni populo Sanctorum decantat Litanias, inde vibrata ex ritu Ecclesiæ in colluniem noxiam exsecratione, cum sacrum carmen absolueret, tollit se ingens è Christianorum satis nubes locustarum & partitis examinibus diuisa, ethnicorum agris incumbit famelica, iis infestior, qui durius animum in sua perfidia obstinarant; horum vnus Patrem exorcismos torquentem, falsè sibi visus deridere, auditis hunc ait, lingua dæmones vocantem, solis percepta dæmonibus, & ad impij leporem ridiculi, nictu glorianter adstantes aduertens, vidit statim cladem à Christianorum oepulsam agris, in suas segetes migrare tàm certa omnium, & celeri strage, flens, & eiulans sacrilegium suum fateretur, sed sero ad excutiendam pœnam, sarcasmi sui condemnatione. Quod beneficium pulsorum ex agris infectorum, & exoratæ post sterilia serena pluuiæ toties à Fabro in pagos collatum, quot eum pagi pro calamitatis remedio adierunt. Horum certior factus Prorex, Mandarinum Stephanum rogauit, ad se quamprimum Fabrum vt mitteret, ad Metropolim suam

liberandam, clade vtraque miserabiliter pereuntem. Faber eò vt venit, videt agros, arbores, domorum tecta, grandioribus locustis infinitate innumerabili insideri; squalere cœlum pertinacissima siccitate; preces adhibet solitas, lues illa regionem purgat vniuersam Preces integrat, & nocte insequenti continuatus ad lucem imber, sata copiosissimè infundit. Perculsi prodigiis Mandarini, ad vnum omnes suo singuli cultu adsunt adoraturi sacras imagines, & prosecuturi donis beneficentiæ diuinæ promptam mirabilémque largitatem, reiectis modestè Faber donis, hoc tantum ab iis petiit, cuius causa Deo pro vbertate segetum supplicasset, fuissetque ab eo benignè auditus, libertatem videlicet annunciandæ vbique & suscipiendæ Christi legis; cui quidem haud scio an maior vsquam honor habitus sit; nam cuncta in vrbe perempta, foris per vias ex truncis arborum, splenduêre vbique literaria monumenta quibus cœli Dominus, eiúsque lex sancta, & prodigiorum editorum celebrabatur admirabilitas, traducebantur superstitiones, & vota inania Bonziorum; elaboratis vtrumque ingenuorum præstantissimorum conatibus. Concionabatur sub dio Faber, quod multitudinem nullus sat caperet in vrbe locus, voce ac viribus defectum excipiebat Catechista, vbi paululùm respirasset, redibat in pulpitum, eo fructu dicendi, vt multi, etiam Literati abluerentur sacris vndis, & incredibili docentis voluptate, illorum quæ iam didicerant ex templo fierent aliis Magistri, & ardentissimi suasores. Fabricata est in vrbe sacra ædes, in qua vt semel constiterant ad imaginem redemptoris, auelli ab ea non poterant, narranda eius vita, cruciatibus, morte, & gloria, recitandisque orationibus, quæ memoriæ mandarant: hic verò Bonzij, Deorum suorum, suumque pariter dedecus non ferentes, Patrum doctrinam quos nunquam audierant, & sapientiam Euangelij putarunt, sectæ suæ magis fore consimilem, prouocarunt ad concertationem Fabrum qui prouocationem illam dudum caro emptam voluisset. Ac nisi summus concertandi labor in expugnanda verteretur nequissimorum hominum voluntate, prædam erat ex ea opulentissimam relaturus; facilè siquidem adigebantur, vt dicerent Deos suos fuisse homines, nec potuisse vel propria vel aliena potestate in Deos transformari, nec posse Deum præter vnum esse, omnium fontem, & finem vltimum; qui aliud docerent, pestilenti errore populos dementare; rebus creatis diuinos honores sacrilegio immani tribuere, seque ac discipulos pariter in æternum exitium trahere. Hæc dum vetat pudor concedere, negare ratio non sinit, supercilio posito elingues, comperendinantur in alium diem nunquam ipsis venturum; at si pessima natio, sceleratior euasit ex perspecta, quam ex ignorata veritate, inde Christi fides in adstantium animis magnificè triumphauit: memoratur alia quædam secta corporibus iuxta, & animis diram pernitiem inuectura, fuisse Fabri concionibus suo ipso in ortu præfocata. Sed dum cursu maximè felici ministerium suum implet, & religionis

gionis profectibus gestit Mandarinus, transfertur ab Rege ad vrbis arcisque Præfecturam Tartaris confinem, nobilissimæ quidem custodiæ sed suspectæ, atque sollicitæ. Quo in itinere negare se illi Faber non potuit Singanfum vsque, Prouinciæ illius Metropolim. Ordinata ergo re Neophytæ Christianitatis, designatis sacrarum ædium quas oportebat constitui locis idoneis, baptizatis qui dilati erant, ex quibus non pauci lustralis aquæ in sanandis morbis efficacitate Christo adhæserant, cum Mandarino in viam se dedit. Iter fuit dierum viginti, Mandarinum stipabant multis nauigiis, nautæ centum & quinquaginta, qui sub occasum solis quotidie legebant terram & cum indigenis qui fortè accurrisseut Fabrum audiebant de salute animi dicentem. Ex nautis quidem longo illo tractu placidæ nauigationis ab eo institutis, cum essent omnes idolorum serui, alioqui non tantum Christo asserti sunt, sed pietatis eximiæ, & iuuandarum animarum æmulatores feruidi euaserant.

130. Hainan insula fructuose excol. & ob calumn. intermittitur.

Spectat ad Cantonensem Sinarum Prouinciam Hainan insula, moribus ab ea, quam mari disiunctior, scire aueat lector quid illic Marchesius egerit, ad condendam nouam Christianitatem ante sexennium eò missus, quanquam & linguæ expers, & ætatis ad eam docilis. Quod tamen aliud non liceret fratris Dominici Mendez lingua tres annos vsus, Benedicto de Matos, quod cœperat maiori auctu prouehendum reliquit, qui deinde à quondam nauis Præfecto Sinensi, mari demersus est, annno 1651. nec enim fas fuerat Prouinciam integram illorum nudare præsidio, qui iuuare illam linguæ peritiæ poterant, vt satisfaceret insulæ ad eam Prouinciam spectanti. Visum tamen conducibilius, opem ei aliquam præstare quàm illam quanquam prorsus haud fuit exigua quam Marchesius, & Mendez præstitêre, nam cœtus Christianorum fundarunt, diuersis in pagis quatuor Chiunceo, Tingo, Bancao, & Luno, præter familias aliquot hac illuc seminis loco sparsas, sacella statuerunt, & vbicumque degerent Christiani cruces; nec defuêre illis argumenta tolerantiæ ab aduersantibus Mandarinis, & Bonziis. Reuocato Macaum Marchesio, successit de Matos, cui Palmerius Visitator Foceum, Fochiensis Prouinciæ, roganti, mutauit minus operosa insulæ Hainan statione. Chiunceum ingressus, in ædes concessit ex quibus negabant indigenæ exiturum vita incolumi, adeò illic spectorum horrore, strepitu, & feritate verberum dæmones sæuiebant, quæ illi terricula ethnicorum oportunum dedere campum deprædicandæ crucis quam ipsi formidarent ac fugerent dæmones; & vero ex iis duo famosi oraculis quæ in duobus edebant simulachris, abire se palam fassi sunt quod eos cœli Dominus fugaret, vnus fanum ethnicis confertum, ea graueolentia infecit, vt iis moti ad septuaginta baptismum flagitarent. Regionem exinde percurrere, visere, hortari, nouos veteribus addere Christianos, Brancai maximè cuius suo aduentu, magno gaudio affecit incolas, sed multo maiori abiens quod nullum in iis relinqueret

linqueret ethnicum, & residuum illud quod Fratri Mendezio Christiana tradenti pertinaciùs obstiterat cessisset denique, ac manus dedisset veritati. Progressus Lumum per deuia, & obrupta quibus occultabatur pagus Christianos inuenit vsque adeò diuinorum rudes, vt essent à primis Christi elementis iterum docendi; se tamen præbebant audiendo, discendo, concurrendo, diu noctuque assidui. Moniti verò ne se noctu saltem viarum præruptis, syluis, torrentibúsque committerent; & necessarias operas, interim omninò abiicerent, prudenti responso satisfacere indulgentiùs admonenti; cum paniculæ milij maturæ falcem, & manum vocant, se nec solem interdiu coquentem, nec vigilias nocturnas, secando sentire, quod victum is labor, anni totius suppeditet, quo nec metere licet, nec messes recondere; esse haud paulò alacriùs prospiciendum alendo animo; tu enim Pater aliò à nobis migraturus es propediem; nos nisi præuertimus necessariam menti annonam colligere, ieiuni cogemur ab diuinis medium exigere, & defectam viribus miserè trahere pietatem, templum ædificarunt tanto basilicæ magnificentiâ, & sumptu par, quanto ædificia omnia eius loci, longè illi imparia. Commissura ingens truncarum arborum tendebat parietes, quas omnis populus tàm religiosa & hilari pietate vicina è sylua, secuit & tulit, nemo vt esset, quin manum cædendo, portando humeros commodaret erecto templo, palearum imponitur. Ornatus interior simplicitas vacua, inauguratur sacrificio diuino, & centum ethnicorum solenni baptismate. Postremo discessurus singulorum visit tuguria, iisque dùm fausta precaretur vbique notauit assulam quatuor inscriptam vocibus Ieiunium, festum, dies Veneris, dies Sabbathi; quam tabulam indictis diebus, Christianæ doctrinæ scientior, palàm familiæ proponebat, ad refricandam cuique seruandi præcepti memoriam. Exibat annus tricesimus sextus, quo toto ad medium sequentis Hainenses iuuit, & trecentorum & triginta baptismo laborem clausit. Cum enim se Christianismi proderet dignitas, & prodigiorum assueta miraculis non modo plebeculam inopem, sed ex primariis etiam & Literatis sibi addiceret, tunc expergefieri Bonzij & rebus sub oculos positis, desertionem suorum templorum futuram metuere, famæ prospicere, quod eos præ cæteris stimulabat, alendi subsidio: terrere populum calumniari Patrem apud Mandarinos sollicitatæ insulæ contra Sinas, & affectati per speciem religionis, eius regni. Hoc se ab Diis, cauere admonitos, fore alioqui vt sero caueretur, pollere si quidem cantionibus magicis immensùm Patrem, militum figuras ex cartulis fingere, quæ ab eo dissolutæ mox humo surgerent in totidem milites cataphractos, posseque istiusmodi copiis, vastam planitiem die vno implere. Hæc à Bonziis iactata, multo procliuiùs à populo credita, ventilata sunt Mandarinorum libellis supplicibus apud Præfectum metropolis, cui frustra fuit semel & iterum eos reiecisse, Patri vero de Matos amouere se ab eorum conspectu in pagos aliquos vbi liberum ei foret ministerio

suo

suo fungi. At enim illum quocumque pergeret anteuertebat calumnia stolida, & nusquam admissus Chianceum retruditur, vbi ad eius præsentiam increbescunt accusationes; exilium ipsi à Præfecto bonis verbis indicitur; vt quid enim illic manere obstinaret, vbi nec æquis sustineretur auribus, sed neque oculis; sibi quidem non esse sat integrum vitam illi securam præstare, sed nec mortis illius edendam rationem in se suscipere. Nautis igitur commendatum, mense Iulio remisit Macaum anno 1637. Loco eius substitit Manuël Catechista in subsidium illius Christianitatis. Vir erat duorum & triginta annorum, & eiusmodi virtutis, quæ iure posset in religioso etiam perfecto suspici, & infensissimum faceret corpori suo hostem: annos septem Focei in patria, Catechistam pro nostris egerat, seque eam ob causam, & qui erat illius ambitus, vt admitteretur in Societatem, paternis abdicarat bonis, è peculiaria distribuerat in egenos. Dexteritatem eius, & ardorem in pelliciendis ad Deum ethnicis vel hoc solum demonstrat, quod mense quem vixit Patris discessui superstes, septuaginta septem fonte sacro lustrauit. Vocatus tridui spatio ab vrbe, ad erudiendos de fide ethnicos, aperuit comiti se vitam cum reditu clausurum. Redeunti occurrunt ex proposito Bonzij (quorum propinquum viæ cœnobium) percontantur ex eo de cœli Domino, & quem cuperent amplecti, cultu eius audire; sub noctem, reditum vrgenti, amicam vim adhibent vt sibi aliquid ante discessum sumat, quòdque præter suum morem id esset, admodum inuitum cogunt esculenti cui venæmum miscuerant, paucillum edere. Incessu incaluit prima venæni vis, & cum in vrbem peruenisset, comiti denuo confirmauit, se quinto post die obiturum quod vti prædixerat Augusti vicesimo euenit, cum vnas Foceum ad parentem; Macaum alteras ad P. de Matos dedisset literas; iam de reditu Matos in insulam, conuersionibus infidelium ab eo factis, calamitosa morte, & successoribus in ministerio non sunt huius temporis argumenta. Reddo solum hic pauca quorum sum debitor, ex rebus Sinensibus vltimi huius bidui selecta.

131. Catechistæ mors & vita sanct.

Lepidum est quod Fabro contigit pagos Scensianæ Prouinciæ peragranti, occurrens anus procedentem sistit, & Deo inquit ô Pater! visum est, desiderium consolari, quo videndi tui maximo tenebar, impetrandique ex te pro magna gratia facultatem moriendi. Lucis huius & satur, & post tantum annorum fessa sum; suggeri mihi nescio quid interiùs sentio quod monet adesse profectionis tempus. Subridens Faber ex ea quæsiuit, cuius ætatis esset? illa, centum, ait, & quindecim annorum (quod non adeò mirum inter Sinas) par tamen tunc etiam leuibus ruris laboribus; facili præsagitione diuinans Faber quod futurum instabat, audit eam ibidem de peccatis ritè confitentem, & opportuna tunc animi comparatione ad mortem præmunit, illa suauissimè affecta post faustam eius adprecationem, casulam repetit, & postridiè moritur, non alio quam ætatis decrepitæ insanabili morbo.

132. Diuinæ prædest. sing. exempla.

Mirabilior in alium æternæ ad vitam destinationis beneficentia; casu incidit in eum Faber, dùm Iamhienses percurrit pagos. Videt stomacho tenus demersum aquis, è ripa hominem; labenti ceruice, defectum, moribundum, scisitatur comites, quid illi factum? quid illic ageret? ecquid iuuari posset? Respondent esse insignem reum, & multorum criminum iis aquis damnatum quoad infelicem animam longa morte in eo flumine mergeret; ossa illi priùs obtritis pedibus, & cruribus confracta; post semianimem in saxo & amni compositum, vt si quis misertus panis illi frusta proiecerit, vitam extrahat in malis, morte quauis peiorem; sin autem, fame, frigore, comminutorum dolore ossium absoluatur, & aquis sorbeatur. Ad hæc Faber in cœlum suspiciens & illam à Deo petens sibi donari animam, in aquas subite, de Deo, salute animi sempiterna, & Christi lege cum eo agere, quantum præsens poscebat necessitas, quibus felix infortunio suo reus, pleno fidei assensu conceptis, & acerba idololatriæ, ac scelerum in quibus annos traduxerat detestatione, fluminis eiusdem baptizatur aqua, statimque prope à Fabri discessu moritur: mira quoque sed modi alterius solutissimi iuuenis ad frugem reductio, offensioni erat eius vita & de se sermones etiam ethnicis præbebat. Hunc sodalis quidam ad sectam inuitat cuius erat alumnus, tribus illam tantùm præceptis obstringi, quibus foret in hac vita sanctus, in altera beatus. Aim' tu inquit iuuenis, tribus tantum? at ego effrenis, & fera sum bestia, quam decem catenis ligari opus sit. Erat hic haud procul à metropoli natus Honanæ Prouinciæ, vbi Figheredus quam strenuæ tàm sterili operæ insudabat; casu illum iuuenis audiens, decem Dei præcepta exponentem, memoria repetit tria illa quæ amicus sodalis suaserat; & decem quibus sibi dixerat opus esse, quorum explanatione ita delectatus, & edomitus est, vt ex aquis vitalibus, in optimum renasceretur Christianum. Quod sequitur pueri dictum est quo tamen is amor non parum eminet, quem inter Christianos fraternum, & intimum Sinenses mirabantur, visebat amicam Cechianensis mulier, & quem cum illa repetit trimulum filium interrogauit blandiens, de nomine, Clemens nominor, inquit puer; ergo; infert mulier, Christianus? & sum ego pariter Christiana. Ergo subdit versus ad matrem filiolus; comiter illam & liberaliter habeamus, cognata si quidem nobis est, nósque Christiani, filij Dei omnes sumus. Quibus pueri verbis emollita mulier, & viræ laxioris pudore salubriter ícta, festinauit ad P. Ferreiram vt confessione sacra illam expiaret, & reuocaret in melius. Nolim hic egregium factum adolescentum duorum interire; alter mensium paucorum Neophytus, ieiunium maius suscepit obeundum, vna in die refectione corporis, vnóque orizæ alimento aqua macerato. Sinis valdè durum quibus mos est quater in die comedere, conspicatus illum Alenius vixque pristinum eius agnoscens colorem, & vultum; interrogauit, an & cuius nodi seruaret ieiunium respondet adolescens se magnam quæ iam abierat

quadragenarij

quadragenarij partem Dei, gratia debellasse, modúmque ingenuè fassus est; monitus vt piscem, & olera orizæ adderet, quòd nec ætatem attigisset ieiunij obnoxiam legibus, nec illud Ecclesia, cibi tantum vnius arctasset singularitate, fleuit primùm, post ah! Pater, inquit Redemptor innocens dies quadraginta in deserto, nec orizæ admisit granum nec aquæ stillam; ego peccator, delitias scilicet, olus, & pisces edere sustinebo cùm possim esse oriza contentus? quod ea dolentis animi teneritate protulit, vt non suffecerit Alenio mutatione vlla susceptri ieiunij iuuenem contristare. Alter desperatis ad palmam aliquam studiorum ingenij viribus, Catechistam se Alenio dederat; recurrente vix inde sesquianno, eadem studendi prurigine, fisusque se laboris improbi assiduitate, superaturum tarditatem ingenij, rogauit Alenium, liceret sibi bona eius cum venia abire, & studia omissa repetere: assensit petenti Alenius hac lege, vt se prius ad aram Deiparæ sisteret, cui erat mirificé addictus, ab ea veniam poscceret abeundi, vel quod præmitti decebat, consilium: & si ars dæmonis hæc esset auxilium ad eam profligandam; iuit, oranit flexis coram eius effigie genibus, fixísque in eam oculis institit; inde velut hausto interius responso in cubiculum reuersus, libros, scripta, & quicquid ad studia spectaret, saxo colligata in profluentem misit vnáque studendi cacoethes, quo retrahebatur à præstantissima diuinæ gloriæ procuratione. Accedat vltima dictis euentibus, histrionia vaferrimi Dæmonis qui se pagis Cianscij Prouinciæ Nanchinensis, pro bono genio insinuauit miris modis: erat ex iis vnus qui diuinationes veneficis dictant, & manu inuisibili penicillum ducente iis scribunt oracula; quandóque igitur, petente nemine ad viuum expressit antiquissimi cuiusdam Sinensium Regum effigiem, quam in ara locatam, ethnici iam decreuerant adorare, cum idem moto, manu latente, penicillo scripsit, meam hanc nolite adorare, sed Taciu, hoc est Domini magni effigiem, cuius vocabuli cum nullum ethnici haberent simulachrum, interpretatus est Christianus, iussum adorari Christianorum Deum, perlatámque illuc Saluatoris imaginem, statò cuiusque hebdomadæ die promiscuè ethnici cum Christianis adorabant, hinc Dæmon tàm cereos ad præbendam monitis suis fidem, confidentiùs inescare, scriptis eodem penicillo monitis frequentare hortari ad mane furgendum; recitandas preces; emendandos mores, quorum illis vitia obiectabat, sedulam denique animi sui curam, quam bono Angelo cordi esse ambigebat nemo, quem ad se diuinitus missum in sinu gaudebant, velut prærogatiuo dono cœteris negato fidelibus. Patefacta deinceps secura ad fraudes etiam crassissimas via, scripto mandat ad confessionem integram omnes se comparent, Philippum Apostolum (quo notabat die) cœlo adfuturum, excepturum peccata quæ illi secreto committerent, ille nec aspectabilis, nec audiendus absolueret. Quibus ad amussim tanquam amplissimo, & cœlesti perfunctis iubilæo, carnifex histrio, in subiecta ad excipiendum oracullum car-

133. Fraus dæm. contra confess.

ta, mouet magicum penicillum; confirmat præsentem Philippum adstitisse, audisse peccata, cumulatissime soluisse, executiendam prorsus eorum memoriam, nedum sollicitudinem confessionis iterandæ, quòd tantò præstaret apud Philippum quam Patrem confessio, quantò cœlestia terrenis. Cuius oraculi gaudio, duplo quàm prius insani Neophyti, voces falsa lætitia ebrias in cœlum tollere; dæmon audaciùs in præscribendis monitis pergere, & probis, impia, & improba miscere. Redibat Sambiasius ab excursionibus consuetis, cum ad illum has stophas circumforanei Lemuris, & diabolicam fabulam ab ouo totam Christianus defert religione tactus, & confessionis illius tacitæ diffidentia anxius. Conuocatos Pater simplicitatis stolidæ, & stultæ obiurgare; docere quot se in fraudes, & crimina induissent, quis esset cui aures, & mentem dedissent; quàm sacrilega, & inanis confessio qua se putabant purè lotos; hortari proinde, illam apud se iterarent, non mente solum, sed verbis etiam & diserta culparum explicatione, quod vbi est ab iis præstitum fatuitatem suam magnopere verecundantibus, tunc demum persona deposita, furere in illos nequissimus spiritus diras Sambiasio precari, minari omnia, qui se Magistrum respuissent tyrannum habituros, sed in auras hos fumos Dei clementia discussit, nihilque eorum quæ tanto fragore tonabat perficere valuit.

134. Quanta ex Tunchino messis hoc triennio.

Quanto interea prouentu Tunchinensem agrum nostri coluerint dici breuiter posset, si de summa rei, momenta partium sat possent intelligi; hoc illi triennio quod mihi supereſt narrandum, ethnicorum millia triginta vnum octingentos, septuaginta quatuor, Ecclesiæ dederunt. Erant tamen annis prioribus operarij tantum septem, Patris Mauri defuncti vices obiêre Thomas Rodriguez, & Ludouicus Pigneros, illuc ineunte anno quadragesimo peruecti, solo nihilominus beato infusa cœlitus à Deo fœcunditas, operariis tàm paucis, nec statim initio ad eum laborem admodum instructis, messem protulit adeò copiosam. Præter numerum eorum qui Christi lauacro tincti sunt, vix aliud suggerit annus tricesimus octauus. Venit illuc Macao Inspector P. Ioan. Bapt. Bonellius, & officio defunctus, Augusti duodecimo ad Laios proficiscens, nondum Regnum ingressus quarto Nouemb. obiit, aquarum vt creditur potu mortifero, quas vnas suppeditat, interiecta Tunchino, & Laiis horrida solitudo, & itinere dierum octoginta quatuor æstuosissimo. Noum in Tunchino relatum cadauer, illic sepultum est. Prope item fuit vt iactura ingenti, P. Hieronymo Maiorica Tunchinum obtineretur: Rumum appulerat ad mercimonia, prædonum magis Sinensium quinquaginta, quàm mercatorum turba, illic ad negotia dum morantur, vident Christianos pridie cineralium in templum coire, ad ineundum sacris mysteriis ieiuniorum cursum; concurrunt & ipsi promiscuè, non quidem animo spectandi, sed irridendi peregrina. Iis vt exirent occurritur, reluctantibus adhibetur aliqua vis, inde ad clamores, & ad manus venitur. Accurrit Maiorica, suos auctoritate,

tate, Sinas precibus sedaturus; quod dùm maximè conatur. Horum vnus prehensum, malléo ferreo cædere, tundere, & ingeminare ad ictus singulos sua lingua Deus Deus, in religionis, eiúsque ludibrium: quare hic, & religio, & ira, Christianos, obnitente licet Maiorica, in defensionem, & arma expedit; petulantes extrudunt; aliquos vulnerant; vnus nocte sequenti ex vulneribus moritur. Sed die postero armati redeunt, templum deiectis foribus expilant, profanant sacra, Sacerdotalibus induti mimum de Maiorica faciunt, eius cubiculum aliqui subeunt, interfecturi nisi abfuisset, diripiunt quicquid illic inuentum; templum denique quod erat tralatitium, magnam partem euertunt, grassatique demum in Christianorum domos, cum præda naues suas petunt. Absolutis Præfectus Christianis, mortis sententia damnauit Sinenses, & præsidio militari exarmandos, vinciendos, & Regi sistendos mandauit; quam ipsis vindictam hominum non fuit difficile per noctis tenebras velis & remis effugere; sed assecuta est illos paulò post diuina. Eorum quidem naues erant, nauium onus sanè diues, octo Batauorum, haud certè multo melioris ad fidem Catholicam frugis, quam ipsi ethnici; hos Sinæ largo ad soporem inebriatos potu, tanquam pecudes iugulant, & mari sepeliunt, inde prædam inter se partiti, tribus nauibus sericum imponunt, in Cambogia, Cocincina, & Fochiensi Prouincia diuendendum. Vbi suo quique condigno præmio sunt affecti. Priores duo, rem, nauim, libertatem in seruos abacti amiserunt; Fochienses capti, torti, confessi Batauorum necem, & sacrilegas in templum, & Maioricam iniurias luerunt. Maiorica verò duobus his vltimis quos percurro annis, vitam sibi à Deo seruatam magnis exaggerauit meritis, & incremento illius Christianitatis. Neophytos annus trigesimus nonus ducentos triginta quatuor supra duodecies mille Christo dedit, ex iis Maiorica pro virili sua, quadringentos septuaginta duos sibi supra bis mille vindicat, sua ipsius manu baptismo lustratos; anno insequenti ex decem millibus quingentis septuaginta Prouinciæ Tignoæ, ad eum totidem spectarunt; illic certè dierum spatio quindecim ethnicos lustrauit tercentum quinquaginta. Incendebat omnia quocumque iret, ibat autem quocumque lucis aliquid affulgeret, conuertendi ethnicos, vel Neophytos iuuandi. Et fuit cum æstiuos ardores, confessionibus audiendis in tugurio traduxit, vrentibus solibus peruio, vnde illum subinde ad anhelandam liberiorem auram prodire oportebat, tametsi calentibus radiis vaporatam. Erant hæc planorum infima ex quibus maturo excessu, præuertendæ erant eluuiones montium, vniuersam planitiem mersuræ. Tunc verò Maiorica Septembri redeunte montium edita, & aditu aspera obibat, quamuis & ipsa tùm aliàs periculis consita, tùm recursu tigrium metuenda, quas inundatio in sua cubilia retrudebat, sed hæc possint tolerabilia videri ad ærumnas quadragesimi huius anni, quo non temerè affirmasses reuiuiscere illum quotidie, quod quotidiana vitæ discrimina Deo seruante exiret incolumis. Eæ tamen inter

hæc illi affluebãt animi voluptates, vt nullis molestiis corporis ab agendo, & laborando tardaretur. Quocumque iter destinasset, impatientes mora pagi, ex longinquo illi occurrebant, tanta multitudine populi vt suspiciones veritus Præfectorum, sponderet se certo ad eos venturum, operiebantur tacitè aduentum, nec se interea loco suo mouerent; ex propinquo nec via genuum tenus per lutum calcanda; nec si flumine ferretur, tempus præteruecturi nauigij incertum ab occursu illos prohibebat; ripas sursum deorsum obsidebant; conspecto illo exiliebant in amnem mento tenus, vel vt eum primi salutarent, vel ferrent ab eo diligentiæ præmium de illius manu, sacram imaginem, coronam Deiparæ, aut eiusmodi aliquid; contigit vt semel ad paruam insulam, seu fluuiatile virgetum applicaret vbi se notum putabat nemini, totumque mox locum cimbis coronari, quà baptismum, qua confessionis copiam efflagitantium. Mari quoque in loca transmisit, ab discessu Rhodij deserta, propeque oblita Christianæ institutionis; & auditus est à multitudine tàm densè in littore distenta, vt reducta tantisper in mare nauicula ad eos concionaretur. Consolari porrò afflictos Christianos, calamitates fortium audire, & cernere; lapsus erigere infirmorum, & semirutam fulcire, ac restituere pietatem, vbi pax aut inducíæ sinerent, additamentum erat, & corollarium ponè continuum ad quotidianas ipsius occupationes; vbi verò Præfecti & populus arcebant illum affatu, & aditu, cauebat prudenter Neophytorum periculis, quæ sæpè grauissima è vexationibus publicis oriuntur, subductáque in vicinas latebras habitatione, inde illis opitulabatur. Prætet Engheanam, & Tignoam, Prouinciæ quatuor Checio confines (quibus nomen dedere quatuor orbis plagæ) excolebantur ab duobus Patribus magno fructu, soláque illorum carebat laboribus Prouinciæ pars ad Cocincinam sita, quæ olim Magistris Rhodio, & Marchesio, deinde Pontesio, læta floruerat vbertate, nunc turbarum metu, & seditionum Baltazarem Caldeiram, eò missum, inde Catechistam eximium, accessu omni prorsus excluserat; & spes eluserat à Præfecto datas qui conuersus ad Christum Patrem poposcerat à quo plenius doceretur. Sex aliis Regni Prouinciis Christi nomen, magnis fundebatur profectibus non modo necessariæ obseruationis, sed accuratissimæ virtutis: multos Pœlix Morellius in australi, & occidentali Prouinciis eò prouexerat, vt spiritum sanctum sedere in eorum cordibus Magistrum crederet, docentéque illo, eum prehendisse apicem pietatis, ad quem magisterium humanum frustra per sese niteretur. Idem sub medium anni 1640. septuaginta obiuit pagos in Prouincia Engheana, pulchra omninò & lectu digna, gestorum, & perpessionum historia, nisi officeret præstantiæ rerum prolixitas. Lancai tantum meminero; pagus est capitum ferè quingentorum. Illic Christi natale celebratum est magno apparatu religiosissimæ pietatis, sed vicinis ex pagis ad celebritatem tria millia numero accessere. Itáque Patri cuidam illac iter agenti, occurrere passim familiæ integræ, conspicuis

omnes

omnes è collo rosariis, victus commeatum humeris gestantes qui ad Christi natalem quatridui spatio, cóque impeditissimo conuenirent. Ædes sacræ tres ibi contiguæ solutis quæ illas diuidebant mobilibus parietibus in vnam collectæ, vbi omnes ritè de peccatis audiuit; quingentos sacro impertiit epulo; triplicem habuit post eius diei sacrificia tria concionem. Ex ea vero qua illos vt diximus, Patres imbuerant fraterna charitate, fas erat nemini dùm iter ageret meritorio vti hospitio, suspitionem alioqui facturo fidei vacillantis; fas quoque nemini, hospitalitatis mercedem admittere, præter meritum charitatis, qui mos habebatur adeò inuiolabilis vt diligentiæ aliquid, Christianis fuerit præscribendum ad discernendos ethnicos qui Christianismi simulatione aucuparentur eorum hospitia; non debere tamen subtiliùs & sagaciùs explorari, quòd tàm ingenuæ benignitatis experientia persuaderet multis legem Christianam, quos nec rationes illi subigêre, nec miracula valuissent. Ea quam memini celebritatum frequentia, & lucris ethnicorum quibus Morellius suorum augebat numerum, frementes Bonzij sequaces suos defluere, Præfectum conueniunt, dolenter expostulant cantionibus magi peregrini, totum sensim seduci, dementari, & destrui Regnum, nec posse hanc ruinam, pulsis quibus eatenus steterat religionibus, & Diis declinari, si pergere in iis exturbandis sceleratus externus sineretur. Audiebantur à Præfecto patientissimè, multúque hilari excitabantur ad audendum; dixerant, Præfectus assumpta sua grauitate, laudat religiosam mentem, qua sibi constabat feruere illos ardentiùs quam quoluis magnorum virorum. Cœterùm nihil causæ fuisse quamobrem homines id ætatis, dignitatis, auctoritatis, & magisterij relictis cœnobiis in palatium venirent, & hac se molestia fatigarent, quando tamen id illis ita fieri placuisset, seipsum quoque cum nobili circum adstantium corona (hoc est litigantibus, & eius Prætorij ministris) iucundè recreatum iri, nouo aliquo virtutis illorum theatro iubet ergo illos trifariam, & erant triginta, diuidi primam decadem in chorum saltare; luctari alteram inter se, tertiam cantare. Fuítque iussis vellent nollent parendum absqué mora cum præsto essent arundinei illi virgatores nequaquam officio in restitantes defuturi; solitíque à puero Bonzij, corpus tetrica collectum modestia circumferre, palæstram illam obiêre cum lato spectantium & longo risa, multata in hunc modum eorum perfidia, laudauit eos magnificè Præfectus, remisitque in sua cœnobia quiete reficiendos quam erant promeriti. Fecit autem hæc litis, Morellium inter & Bonzios diiudicatio, vt intabescentes Christianorum prosperis Bonzij, silerent tamen, & mouendis turbis abstinerent, apud alios vero probitatis & veritatis Christianæ constabiliretur & crescceret existimatio. Certè palam vbíque fatebãtur liquere sibi miraculis, quorum fuerant ipsi testes, & rationibus quibus obstare non poterant, aliam non esse ad salutem viam præter Christi legem, se tamen ab ea deterreri, quod baptismo sacratis, pondus virtutis incumbere

bere cernerent, cui se ferendo sentirent impares, & qui ab ea in pristina vitia vel eiuratos errores deficerent, terribilibus exemplis id luere. Pagis nihilominus quibusdam tentata est grauiter generositas Christiana, Chegæ bonorum spoliatione, ruina domorum, probroso iugi supplitio nudis ad vrentes solis radios capitibus, populo insultante, obtendat vobis vmbellam nubeculæ vester Deus, si cœli est Dominus. Quibus hilares Christiani, remissionem coquentium radiorum, & perpessionum breuium æternum & beatum finem aiebant se lætis oculis in cœlo spectare; Chemuam maluit totus Christianorum cœtus deserere, vita dumtaxat salua, & suspensis de collo filiolis, quàm vnius è Reginis statuam venerari quæ ædificato sibi templo illic volebat adorari. Alibi Paulam fortem heroinam, adstrictis in digitos suspensam fidiculis, inter plebis insanæ ludibria, & cruciatus manuum tamdiu tenuere, dùm de reuellenda ex eius animo Christi fide vndique desperassent. Virgines à procis potentibus in secundarias vxores inuitatæ, stricto gladio maluerunt, quam nefariis nuptiis ceruices subdere; nihilque in illa Christianitate mirabililius stupebant ethnici, prærogatiuo castimoniæ splendore, quo adolescentes ætate, ac viribus feruidi, etiam humana ignorabant quæ solent inuitis interdum contingere. Virginitatis votum quod paucis & diu probatis dabatur edere, complures flagitabant. Viduæ tametsi iuuenes, auersabantur secundas nuptias, nisi adigerentur ad eas necessitate insuperabili, dolebant aliæ Christi fidem sibi serius illuxisse quàm ipsæ nuberent, alioqui se iunioribus virginitatis gemmam haudquaquam inuisuras. Religione demum tanta custodiebatur gemnæ huius nitor, vt viri feminis emptorum pretia nisi timidè in manus non traderent, rati secluso quoque manum contactu, approximationem illam, Christianum haud satis decere. Atque hic mihi Tunchinensium rerum finis; in quibus operarios omitto septem, præcedentium laboribus, & pretiosis ærumnis succeſſuros, octauus hoc anno moriens Iosephus Maurus Dulcisaqua Genuensis, quas sui fecerat præclaras expectationes Tunchinensi Ecclesiæ abstulit; cui Christianismum plus mille seu pagis siue oppidum consitum & suis coalitum, & cohærentem radicibus gratulor; vbi præter dæmonum cultum, & quam secum is infert colluuionem omnium scelerum ante annos tredecim nihil erat, de Deo, salute, & anima nihil. Gratulor trecentas quadraginta ædes Deo sacras, eiúsque cultui, & fidelium vsui constructas, gratulor denique Christianorum millia nonaginta tria, qui postremis ab hinc viginti annis, nostrorum industria laboribus & patientia ad trecenta quinquaginta millia pertigere.

134. Castit. pretium apud ethn.

135. Fames pestis, prædones, Sinæ populantur conuersiones locupletant.

Hoc eodem Sinas anno 1640. non vastauit clades quæ illos terruerat. Fochiensis Prouinciæ Dux quidam bello clarus & fortis, profligatum ex parte in fines suos Tartarum retrusit, verum bello quouis immanior, & lamentabilior strages triplex à fame, peste, & prædonibus imperium prostrauit. Depopulata est aquilonares eius Prouincias fames, nullis

nullis vnquam seculis audita vel lecta; non parcebant infantibus matres, Futtadus, Prouincialis vices illic agens dùm Pechino redit, vidit quotidiè viginti hominum aut viginti quinque cadauera, per vias publicas à famelicis laniari, & crudis carnibus vorari. Nec famis rabies efflandi spiritus moras miseris indulgebat; moribundis, & abiectis iniiciebantur manus, & cultri adhuc spirantibus. Etiam Pechini, vbi publicè in macello humanis carnibus pretium ponebatur, quem horror huius cibi, morte grauiùs ab eo auertebat, ferro, venæno, aut laqueo, absoluebat sese; tamen Pestis excepit eiusmodi vt vrbis vnius porta vna, (est autem Regnum, si vsquam aliud orbe toto, ciuitatibus confertum) efferrentur bimestri spatio septemdecim cadauerum millia suis conditoriis decenter composita; cæterorum verò quibus arcæ deerant sepulchrales multitudo innumerabilis, confusis partim funeribus in fossas proiecti plebeiis communes, aut fluminum alueis conditi. Tertia Sinis calamitas ab exercitibus prædonum illata est, nec enim iam manipulatim, per phalanges vexabant imperium, sed iustos ductabant exercitus suis distinctos Imperatoribus & signis, præ quibus mite videri poterat quicquid incendiorum cædium, Tartarorum edebat crudelitas Suorum attamen suspectæ fidei, eorum expugnationem prudenter committere nequaquam Rex poterat, quòd in hostis conspectu, cùm explicari cœpissent in ordines, occisis repentè ducibus in latronum copias transirent, & nouum latronum conflarent exercitum. Hoc rerum statu tàm lachrimabili & in ruinam prono fuit nihilominus Deo singulariter fauente, propagatio fidei, si vnquam, felix; Societatis nostræ gratia apud Regem mira; Regis in Deum veneratio nunquam maior. Septingentos imprimis Sambiasius Nanchini, Hoaingani, & Cianscij vrbibus baptismo lustrauit; Stephanus Faber; & Ignatius de Costa quingentos supra mille in Prouincia Scensiana; variis excursionibus Braneatius, & Granina mille ducentos quadraginta quatuor; Nimpi Monterus quingentos sexaginta. De cætu illo admodum numeroso quem in Prouincia Honana, Figheredus Christo collegerat, vix ei decem calamitas publica reliquit superstites, ipse fame tantumnon periit. Fortunauit Deus Buglij sementem nouam in Prouincia Suciuensi; Longobardi non item in Sciantunensi quod impenetrabiles in eam aditus latrocinia fecissent, ex quo præterea euenit, vt missionum omnium iniri non potuerit prouentus certior, quibus nostri operam dederunt. Patrum deinde gratia apud Regem; existimatio Christianorum rerum, & veneratio eiusmodi fuit, vt toto imperio prædicaretur verè Christianus, etsi nondum apertè id profiteretur. Ortum habuit ea res ex fortuito aspectu pithaulici organi quod eius auo Vanlieo dederat Riccius ante annos vndequadraginta; cepit Regem cupido eius audiendi, & intelligendi adpictam illi Epigraphem *cantate Domino canticum nouum.* Deferri mandat ad Patrem Scial, qui organi fides ad concentum suum reduceret, & inscriptum, ei elogium Sinensi

135. Regis erga PP. & legem Christ. affectus.

lingua interpretaretur ; occasione tàm procliui censuêre Furtadus, Longobardus, & Scial, qui simul adetant, insinuandum Regi aliquid amplius de Deo, eiúsque lege sanctissima, verum id modo tàm habili, vt vltro pelliceretur ad legendum, quod aliter ne aspectu quidem esset dignaturus. Inter dona quæ Bauariæ Dux in Sinas miserat, quibus Regem, eiúsque Ministros conciliarent nostri, rebus Christianis ; liber erat ex membranis Concinnus quadraginta quinque, referentibus Christi vitam, opus doctæ manus adeò absolutum, vt ex clero Vlyssiponensi vir picturæ amans, mille aureos pro eo obtulerit, præter libri ornatum Rege dignum, interiectæ picturis paginæ illas explicabant aureo charactere, quam P. Scial explicationem, aureis pariter literis Sinensi sermone margini adscripsit. Visum Patribus huic libro tabellam addere extantibus è miniata cera figuris repræsentantem adoratores Magos ante Christi præsepè. Quod Regis personæ peculiariter congruens, aptúmque mysterium, paulò fusiùs explanauit Scial, quam foret necesse ad nudam eius intelligentiam, & Septembris octauo, hæc omnia ad eum misit, cum libello (qui Regi oblata munera semper comitatur) meditatò diu, sapienterque concepto. Audierat Rex de donis & ad ea spectanda tres vxores Reginas inuitarat. Et ecce priusquam quicquam attingeret, manus lauit ; euoluto dein quibus tegebantur attalico, & aperto libro, ad excellentiam pictarum imaginum hæsit stupefactus; tabellæ potissimum adoratorum Regum, non sine aliquo boni sensu, & veri lumine; nam versus ad Reginas & monstrans digito Saluatorem ; videtis, ait, hunc infantem ? proh ! quanto est Fœo vestro maior ? (erat hoc regni primarium, & Princeps idolum) hic vero, vnum ex magis indicans, quanto inquit sanctior illo Rege ? quem ex antiquissimis Sinarum Regibus nominabat sanctimoniæ gloria celebratissimum. Post in passûs aliquos recedens tùm is, tùm suo cum honorario gynecæo Reginæ tres, reuerenter adorauere Saluatorem ; Regressum ad imagines otiosiùs spectandas, interpellauit ex Reginis vna, earum aliquam sibi daret quam veneraretur, & repulsam tulit, sed eius vice, Deiparæ tabulam accepit, Regi quondam Vallico à Riccio datam. Petisse vero non alia mente quam religiosa imaginem, ostendit quod honorarias duodecim puellas suis in palatium ad lectas, cum Christianismi accusarentur apud eam benignè increpauit, quòd se timidiùs id celare tentassent. Securæ de cœtero sui essent, ac per se pergerent esse Christianæ, vitámque ducerent Christianismo minimè decolorem. Postquam autem Rex pia voluptate sacrarum imaginum expleuit oculos, reponi eas in aula imperauit, quod magnarum virtutum cognominabatur palatium, vbi die sequenti cum Reginis pridianas proclinationum, humo tenus, adorationes repetit, & nolens easdem icones à familiari abesse cubiculo in quo pretiosarum rerum peregrinitate infinita consueuerat laxare curas, in illud tranferri eas iussit, vbi eas visebat crebriùs, & venerabatur, legebátque sacrum

Euangelij

Euangelij textum Sinensi sermone, & Magorum Regum adiunctam tabulæ explicationem, quæ breui summa Christianam doctrinam ita colligebat, vt prouocaret magis ad vlterius quærendum, quam vt expositis satiaret. Hinc ille legem Tienciu, hoc est Christianam, videri sibi veram, sed eam tàm breui compendio non satis capere. Quare P. Scial festinauit in Catechismum illam distendere quem Regi offerret ante hunc annum desinentem: tàm secundos rei Christianæ fauonios dùm tentat auertere Literatus quidã Fochiensis & vlcisci quo se læsum putabat ab religiosis quos in Philippinas vnde aduenerant, repulsos narrauimus; libellum Regi dedit accusationes intorquens duodecim atroces aduersus legem Christianam; & Alenium, eius in illa Prouincia satorem: libellum Regi legebat Eunnchus, qui suopte vel malo genio, vel alterius instinctus ad vocem legis Christianæ, supercilium contraxit, & horrorem assimulans quendam; proh! quam scelerata inquit, ista lex, nec vltra effatus, Regis aspectu sic sideratus est, vt fuerit ab eius oculis in perpetuum amouendus. Rescripti vero diserta fuit sententia, quot accusationes tot obscurda libello contineri: Mandarinum ex aula excepit durior, & probrosior pœna, ausum enim satyricum aliquid & mordax Regi porrigere in Religionem Christianam, & Patrem Scial, tribus verbis rescripto confixit quæ vitam illi præ mœrore, factura erant minimè vitalem, nec iis contentus raptari mandauit in carcere, vt indicia tormentis purgaret quibus fraudum, & latrocinij violenter premebatur. Hanc Regis in Patres beneuolentiam, propensionis & reuerentiæ in Christum grandi suo bono sensere Prouinciæ vbicumque essent Christiani. Vidit vrbs Regina Pechinum, quod nunquam viderat sex tribunalium præsides qui totam sustinent imperij molem, tota pompæ solennis maiestate ad templum nostrum procedere, & Redemptoris effigiem quater humi prostratos adorare; videre vrbes primariæ multis locis, idem Mandarinos, & Proreges præstare.

Colaum habuit Cechianensis Prouincia virum magnum, & Religioni proferendæ cui adlaborabat illic P. Viua tàm potentem, & solertem patronum, vt Dierum aliquot spatio, supra centum, tres & quinquaginta baptismo initiarentur. Literati ferè, & viginti ex ipsis iam gradum adepti; eminebat in iis Mandarinus, scribendi, & agendi fama in paucis clarus, & venerabilis, sibi tamen adeò humilis, & ardens studio animarum, vt se Viuæ in Catechistam daret, magnóque id sibi honori duceret. Fochiensis dumtaxat Prouincia conficiebat Alenium reparandis quæ infeliciter luxarant quos illuc aduectos scripsimus ex Formosa. Centum viginti tres, ægrè lucratus est, cum antea facilè ad nongentos lustrandi pertingerent. Sed illum grauius tenebat anxium futuri metus, ne nouam iidem ex Formosa, impetúque eodem molirentur expeditionem, & quod erat superstes de illa Christianitate funditus perderent. Quem eius timorem non parum leuauit Frater Franciscus de Ascalona qui Foceum appulsus ex tractu Foganensi, & tecto

paupere ab Alenio exceptus, expertum se ingenuè fassus est inanem ab iis operam in Sinarum cultura locari, qui non essent, & linguam illorum, & characteres benè docti, victuique ac moribus assuefacti; se quidem Manilam, vnde conscenderat redire; dolere se, sibi & aliis post conscita nobis, & Christianitati illi damna, tandem nimis sero perspectum fieri, quàm esset diuersè ab eo quod longè dissiti censebant optimum, iuuandis Sinis insistendum; non esse impetu tentandos, & impressione vnius diei; dexteritate opus esse, & cunctatione, quodquè diuturni est tùm vsus tùm temporis experientia hominum, & rerum quæ sunt eius imperij propriæ, quæ distinctè in hæc verba concluſit, si viam aliam Societatis Patres ab ea iniissent, quam constantissimè tot annos tenuerunt, hodie nec Patres, nec Christianos haberent Sinæ.

136. Mortes illustr. operariorum.

Iam parta hoc anno, quem mihi historiæ vltimum præfixi, Ecclesiæ lucra, & Societati, sequitur iactura; sic mortem nomino trium planè insignium, & excellentium operariorum qui vastum illius Ecclesiæ campum suis sudoribus in omnem frugem eduxerunt. Cataneus annos sex, & quadraginta; quadraginta Mendesius, triginta quinque Vagnonius. Cataneum Hancei mors nobis eripuit Ianuarij vndetricesimo. Sarzanæ ortus ex nobilitate primaria, post annum ætatis vicesimum Societati nomen dedit, iámque inde totus ethnicorum salutem ardenter anhelans, literarum, & precum crebritate ab Generali Præposito expressit vt nauigaret in Indiam anno 1588. Goæ paulum moratus; stationes oræ Piscatiæ à S. Xauerio institutas biennio rexit, vbi experimentum sui præbuit adeò luculentum & multiplex, exsorbenda potissimum difficultate linguarum quarumlibet, vt ad illam Sinarum grauissimam expeditionem mirè idoneum iudicarint omnes. Illuc igitur arte atque industria cum se penetrasset, anno 1594. duraruit ibidem ad sexagesimum ex quo Societati se dederat, octogesimum ex quo natus erat: Huic præter illa quæ nihil attinet iam dicta repetere, prope omnis debetur felicitas continuati negotij, quod Riccius cœperat; illudque imprimis consilium Macai approbatum, eximendi se ac nostros à communione infami, & propudiosa Oscianorum Bonziorum, & Taosiorum, qua illos talaris, tonsura, rasus capitis vertex, & mentum imberbe, opinione omnium inuoluebat. Hinc omnes à nobis refugere, omnes incessere; nostri, ædium nostrarum, amicitiæ nostræ pudor, & odium, velut externorum, quos ab inuisis & hostibus non distingunt, quoad cum nostris Cataneus induit Literatum & professionem nobilem Literati, quales planè, illorum etiam in scientiis clarebamus. Illius habitus honorifica grauitate in Sinas quodammodo renati, forte tunc egimus in infinitum meliori, & in posterum magis tuta. Ipsique ex ethnicis amici, probè gnari hoc vnum à nobis satagi, vt pulsa Deorum adoratione, stabiliremus in Regno, Christi legem, aiebant hoc demum sperari à nobis potuisse ex quo indue-

ramus

ramus Literatorum cultum. Inuentum præterea Sinenſes accentus quibus vocum perſæpè mutatur ſignificatio, reuocandi ad notas muſicas, fermè omnes Cataneo tribuunt; cuius labore induſtrio factum eſt, vt media ex parte contraheretur noſtrorum labor, qui ex Europa in Sinas miſſi horum linguam incipiebant pronuntiare & diſcere. In quo ſuam quidem habuit Riccius primam laudem, ſed quod ei deinceps annuatim acceſſit, Catanei fuit, qui vocabularij Sinenſis quod collegerat characteres & voces acuit, aſpirauítque apicibus, mutuantibus pronuntiandi modum, ex muſicæ noſtræ momentis, ac notis: in lucem Cataneus nihil miſit, niſi de peccati dolore, ſeu contritione; poſtremis enim vitæ annis ſeptem, iis cruciatibus membrorum, & debilitate laborauit vt applicare animum ad elucubrandum aliquid non liceret: duos vltimos annos diu noctúque ſedit immobilis, mortíque identidem adeò vicinus vt ei Froes, condendo cadaueri arcam funebrem compararet, ſed quæ ſunt rerum humanarum vices, dum ſe paulum Cataneus, recipit, ea in arca Froes humatus eſt. Cataneus poſt longum, & placidum morbi diuturni martyrium, quo putaſſes hominem, in cruciabili corpore iam beatum, animam efflauit, & parentatum eſt illi magnificè ſimul, & lamentabiliter ab Hanceenſibus, & Sciamhaienſibus Chriſtianis.

Frater Paſqualius Mendez natione Sinenſis Pechini obiit Auguſti vigeſimo ſexto, natus annos ſex, & quinquaginta; Macai (quæ fuit illius patria) in pietate ac literis à noſtris educatus, cum iis in Sinas ingreſſus eſt, & probatione annorum decem, promeritus eſt iis addi ſocius anníſque triginta quos exegit in Societate, conſummatæ virtutis hominem, & laboris in Chriſti negotio fructuoſiſſimi ſe ſemper exhibuit, Pechini maximè vbi ſemper cum Riccio hæſit. Paucos ampla illa Regni metropolis ab annis viginti Chriſtodedit, quos ille diuinis non eruditſſet, cumque nihil poſſet niſi de Deo loqui præter modum agendi mire gratum, & ſuauiter pium, tàm ſelectus, & elegans ſermo, eius dicta ornabat, vt à cultiſſimis linguæ nobilioris æmulis, & grauioribus Mandarinis iucundiſſimè audiretur, & obſeruaretur ſupra ſuum, & illius gradum. Excurſionum meſſis, quas in triduum Patres, interdum longiùs extendebant, multùm quoque ad illum pertinet. In rebus Sinarum cognoſcendis peculiari ſtudio ſe exercuerat, ſcripſitque de iis complura, quæ magno vſui Patribus fuerunt. Defunctum extulit Chriſtianitas illa intimè viuenti addicta, ornatu quàm pio tàm ſplendido. In procedentium ordine, poſt arcam funebrem, machina ſequebatur, omnino pulchra, & artis eximiæ, in qua excellũt Sinæ, eminebátque ex machina crux ingens elaboratiſſimi operis, quã adoleſcentuli duo in linea caſtula, perpetua odorum ventilatione vaporabant, vt videantur iuſta funebria fratris Mendez triumphus Crucis fuiſſe per vrbem Regiam circumductus, in qua cum occurrerent in equis aut geſtatoriis Mandarini, tantum abeſt vt ſuo tranſitu (quod

solent) supplicantium abrumperent agmen; subsistebant, inclinabántque cruci caput, & procliui laude defuncti memoriam recolebant. Præterueĉta dehinc pompa, quid habent, inquiebant, nostræ exequiæ, cum istarum excellentia, pietate, modestia, & religione comparandum? verum nullam æquè iacturam doluit Christianitas Sinensis, vt Alphonsi Vagnonij, quamuis ad annos iam prouecti quatuor, & septuaginta, ex quibus duos supra quinquaginta Societati vixerat; excolendis Sinis triginta quinque. In lucem venit, æui præteriti anno sexto & sexagesimo; natus est Truffarelli, gentis Vagnoniæ beneficiario prædio, paulo plus leuca Taurinis dissito, cuius nobilitas sanguinis testes habet historicos, & quos censet eius familia, hierosolymorum nouemdecim equites; præter clientelares ditiones, ab vsque imperio Federici Barbarossæ possessas. Annorum florem in Societate Deo immolauit, vbi magnas statim ingenij mouit, & virtutis suæ expectationes. Venit aliquanto post Mediolanum Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, ad quem benignè Societatis Collegium inuisentem Vagnonius, gratulatoriam habuit omnium nomine, tanta dignitate & gratia dicendi, & agendi, vt hinc sapiens Princeps futuri præsagus expressam coloribus eius figuram poposcerit. At is suos amores, & ambitus spreta Italia, & quibusuis honorum illecebris, conuersioni ethnicorum omnes addixerat, & commeatui ad hoc idoneo, hoc est parando ad ærumnas, pericula, mortésque animo. Nec diu distulit Apostolici huius ministerij prensare, & consequi vota; anno huius seculi tertio à Præposito Aquauiua cum multis aliis mittitur, quibus præfuit longa illa mensium quinque nauigatione. Sinas ingressus anno quinto, ea gessit quæ scripsi; duos supra centum Christianorum cœtus reliquit moriens, à se in totidem vrbibus & oppidis fundatos. Chiancei octies mille Christianos, & ducentos ex iis, vel Magistratu vel gradu notabiles, cum succedens ibidem Nicolao Trigaultio, nullos reperisset præter viginti quinque Neophytos. Ecclesias quas inchoauerat, credebat nemini, vnus ipse per sese, obire, inspicere, consolari reuisere, quamuis subinde octiduo semotas nulla sui, discriminum, montium habita ratione, ne hoc vltimo quidem anno, ætatis suæ septuagenariæ quarto. Denique, Riccium si demas, nullum scio fuisse fidelibus iuxta & infidelibus Vagnonio cariorem, nullum apud eos, etiam Proreges, Regionum Præfectos, & proceres, maiorem nactos venerationem, & amorem, dempto vno de quo narrauimus tyranno Scin. Hæreo tamen rem vnam admirans, inter tot curas, itinera, occupationes, & difficultates Apostolici muneris qui potuerit tàm multa edere vt iis componendis, vitæ studiis immersæ, pingue ac solidum otium, videatur vix potuisse sufficere. Corpus nempe diurnis, mentem nocturnis frangebat laboribus, vtrobique salutem animarum, & Christianismi sublimem spirans apud superbos illos Literatos æstimationem: ac fideles quidem eius librorum lectione, veluti præsentis erudiebantur;

editionem

editionem illorum ethnici literis, precibus, imo & pecuniis vrgebant, nec ferè supererat quocumque vulgaretur, cui de veritate legis Christianæ, & sanctitate quam ea profitetur subiret ambigere, vna eius in præsens omittendæ, vel differendæ ratio coniiciebatur in austeritatem præceptorum, sexti potissimum de honestate ac pudore. horum porrò librorum, quibus nunc etiam post mortem concionatur, & docet Vagnonius, hæc sunt argumenta, & nomina. Septem volumina de Sanctorum vita, quibus totidem illorum distinguit ordines, Apostolos, summos Pontifices, Martyres, Confessores, Anachoretas, virgines, viduas. Prolixioris Catechismi volumina duo, de Incarnatione, & Passione Redemptoris; vita & miraculis Deiparæ Virg. vnum de quatuor nouissimis; duo item de filiorume ducatione; de amore veræ virtutis vnum; de imitatione Sanctorum alterum; de consolationibus decem, ad mala decem seu miserias adhibendis; De principio, & fine mundi; De optima Regni gubernatione, quam accommodauit quinque officiorum generibus quæ discriminant Sinenses. Regis erga sibi subiectos, mariti erga vxorem, Patris in filios, amici in amicum, senum in iuuenes. Ad hæc similitudines quas vocat, hoc est lectissima sapientum dicta de virtute: moralis; œconomica; & ciuilis Doctrina: Philosophia naturalis de mixtis imperfectis; Sphæra; Miscellanea varij, & multiplicis argumenti, familiari dialogo digesta; verum enim vero sua ipsius vita, exemplorum, inquam, & virtutum illustri memoria nihil reliquit illustriùs. Heroïco scilicet erga Deum amore, quodque hinc sequitur amplificandæ illius gloriæ studio, nullis parcente aut saturo ærumnosis licet & periculosis laboribus, ac ne vitæ quidem, cuius in Christi causa profundendæ desiderio semper arsit, annis præcipuè ab hinc quatuor, & viginti cum cæsus publicè iussu tyranni Scin deportatus est in ferrea cauea extra regnum; dies enim aiebat, tres tantum præterea, si ea arctatus cauea durassem, actum erat, & certo moriebar, ex quo illi ponendæ pro Christo animæ felici momento, tantùm dulcedinis hæserat, & delitiarum vt mortem illam fortunatissimam assiduè suspiraret. Iam eius charitas in Christianos, & ethnicos profusa, monumentis claret hospitalium domorum quas calamitosis aperuit. Illud virtutis ad purum excoctæ propriam habet admirationem quod ei dulciùs beneficentia saperet, quam impendebat hominibus à quibus fuerat in fama & vita læsus atrociùs: fuit tamen in omnes adeò liberalis, vt apud aliquos, etiam prodigus audiret; ipse hanc largitatem iure defendebat, vnum ex eo quod aliis præerat hoc sibi arrogans, vt demenso suo pauperes aleret. Quotidie igitur cùm accubuisset, tenue prandium partiebatur bifariam, & mediam partem erogari iubebat in mendicum qui foris primus accurreret. Accipiendis hilariter domi fidelibus quos confessionis, aut celebritatis occasio multos interdum, & victus egentes adduxisset, ne suo quidem commeatui parcebat annuo; nec parcè Deus hanc illi pensabat hospitalitatem.

Contigit

Contigit aliquando vt extrema pressus inopia Christianus ex eo subsidij, quantum posset largiri, peteret; sex illi, quos solos habebat minores argenteos dedit, & ecce aliquot post horis Mandarinus quidam decem aureos inopinatò misit. Et vice versa quocumque excurreret, erat autem ferè in cursu perpetuo, omnes ad se certatim trahebant tanquam patrem; omnes hospitem ambiebant; sed cum esset in omnes tàm benignus, fuit sibi & corpori adeo inimicus, vt ne illam quidem ei quietem indulgeret, quam Apostolicæ occupationis densa & dura necessitas exigebat; nec minus fumi, & honoris quàm sui fuit inimicus, nec verbis modo, sed abiectissimis etiam quibusque ministeriis ægrotorum quibus operam dabat, humilitatem Christianam suos Neophytos docuit. Nostris diu quidem sed multum inuitus præfuit, solitus lepidè profiteri, se libentiùs peditem pugnare quàm equitem; hoc est parere quàm regere. Mitto incredibilem, viri tanti, & intimam, erga virginem matrem reuerentiam & amorem, cui multa inter Sinas dicauit templa; multos verbis; & scriptis Clientes peperit, mitto erga diuinissimum Sacramentum, affectum eius incomparabilem ex quo sacrificanti vis ingens lachrimarum, & oris inflammati ardor; narrabántque vulgo Christiani sibi sæpius visum inter sacrificantis manus, elegantissima specie puppulum, quem certò putabant ab eo conspici, nec sibi, nisi in eius gratiam monstrari. Nunc restat beato illius obitu, & iustis funebribus claudamus, mortis causam dedisse creditur, multum insolens labor in ædificanda Pemiani æde sacra; illinc ergo Chianceum reuecto, ex ipso itinere morbus incruduit; non est facilè dictu, quanta precum, pœnarum, peregrinationum & votorum contentione certarint Neophyti, vt illum à Deo viuum impetrarent; ipse in vtrumque promptus, & alacer, ægrotatione bimestri, & molestissima suam Deo, & hominibus inuictam patientiam probauit. Crebris sensuum velut morituri defectionibus, crebra cum morte imminenti lucta fatigatus, succumbenti naturæ & ipse succubuit, vltimisque munitus Sacramentis, inter diuina colloquia, & Neophytorum lachrimas, in lectulo residens, fidelem animam domino reddidit. April. 9. anno 1640.

Dissipata Chiancei mortis eius fama, nemo fuit inter Magistratus etiam externos, quin ritu & habitu funebri veneraretur eius arcam sepulchralem; adfuit & sua cum omni aula Rex (eorum vnus quos esse in Sinis aliquos diximus) eundemque illi honorem exhibuit. Puceo itinere tridui Colaus Han ex propinquis suis duos misit, idem officium præstituros, & comitaturos demortui funus; nec eo contentus ab vno ex regni supremis Rectoribus honore, epitaphium adiecit in laudes Vagnonij magnificè, doctèque ab se compositum, quod ad sandapilam, vt mandarat est lectum, in frequentia Literatorum præstantium celeberrimæ illius ciuitatis, & ornatissimo inscriptum cubitorum duodecim Damasceno, ibidem affixum: geminum huic misit Literatorum se-

dalitas

dalitas Pucei erecta, & Mandarini etiam ethnici, qui magnis ingenij, & artis viribus deprædicabant Vagnonium ciusque meritis sua elogia decorabant. Quærebant fideles condendo cadaueri arcam suo dignam thesauro ex lignis consertam pretiosissimis, & aureorum aliquot centena vltro in eam destinarant; pompam præterea funeris ei descripserant maximè splendidam: vtrumque Michaël Trigaultius ad decimam redegit, prudenter arbitratus nostræ magis modestiæ decere consuli, quam illorum generosissimo in Patrem optimum amori. Pyram illi excelsam statuerunt multis illuminatam funalium gradibus; circum Christiani, Rosarium Virginis, precesque alias per octiduum decantarunt, intercepto sæpè singultibus, & lachrimis cantu; Die octauo post sacrum Defunctorum, agmen instruitur funeris deducendi, procedebant bis mille pulchro ordine Christiani, præibant ex iis quadringentas pilis laternas præferentes miro picturæ, ac fabricæ artificio variatas, cuiusmodi Sinæ ad læta & tristia festorum solent plurimùm adhibere. Interiectæ singulis acerræ sequebantur, & perpetua odorum incensio, stipesque pauperibus quadrigentis diuidendæ. Post hæc inter Christianos qui præcipuè eminebant, manu altera versabant precatorios globulos; altera gestabant coactam in cereos odorum fragrantiam, quam lentus ignis tota via spargebat. Deinceps vrbis Mandarini, ex propinquis Colai duo; Rex ille quem diximus, omnes albo funerario atrati. Denique P. Michaël Trigaultius, in Sacerdotali stola & supparo: nunquam tali exequiarum pompa, tanta pietate, amore, & reuerentia externo parentatum. Iam Petrus, & Vitalis fratres Vagnonio intimi campum iugerum quinque coëmerant in quo cadauer humaretur, extabátque in campi medio, arcu quadruplici subrectus fornix sub quo consuetis Ecclesiæ ritibus arca deposita; iterati sunt ciuiles ritus cum nouis lachrimis, lamentis, & dolore non consolabili; quem leniuit hoc ipso anno trium Patrum succidanea opera Francisci Ferrarij, Ioseph Almeidæ, & Gabrielis Magalianes; in consequentes dehinc annos P. Semedius in Europam missus anno 1635. socios quadraginta Sinarum nomine à Generali Præposito flagitabat quos secum in reditu duceret, incitaturos progressus nobiles clarissimæ illius expeditionis. Ego meum laborem ad metam, Deo laus quam mihi posueram perduxi, operosum profecto, & prolixum ob scripturas & tabulas absque numero legendas, ex quibus illum & duci, & constare, & stabiliri oportuit; non leui tamen huius meæ operæ pretio, si quod initio professus sum quærere, cum Societatis historiam inchoarem, fuero consecutus, publico nimirum rationes probaro, nauatæ à nobis in Dei gloriam, animarum salutem & Ecclesiæ obsequium operæ, quæ tria non possunt ab instituti nostri fine, & officio disiungi. Hac vero in parte historiæ trium partium æquaui rationes, dum labores narraui Sinis, Cocincinæ, Tunchino à nobis impensos, & eorum fructus minimè pœnitendos. Illic non multis ab hinc annis Christi crux terræ palmum quo

defigeretur non habebat, opitulante Ignatij filiis potentissima Dei manu, adoratores sui censet innumerabiles, de vltimis verò viginti annis, qui narrationis huius postremas quas scribo lineas sequuntur, scribit Brancatius anno 1661. ad Societatis Præpositum Gosuuinum in statione nostra Sciamhaiensi, quæ nec magna, nec ampli agri est ciuitas, annum elabi nullum quo duobus, tribúsve millibus ethnicorum non augeatur Ecclesia; & [quos, inquit, procuro Neophytos, quadraginta quinque millia excedunt, eos in sodalitates distribui centum & viginti sub tutela Deiparæ Virginis, præter alias quinquaginta, titulo Christi patientis, & sodalitia Catechistarum, & puerorum, &c.]

137. Societatis in conuers. Sin. diuersam esse oportuit ab vsu communi ratione.

Iam nostra in his agendi ratio digna est etiam in quam lector animum aduertat; vtque de Sinis tantum loquar, memoria repetat, cuiusmodi Sinas inuenerit Riccius, cum pedem in eos intulit; suspicionibus, legibus, Lusitanorum vicinia, supplitiis, opinione sui, & cæterorum omnium contemptu externis inimicissimos, infensissimos & iniquissimos; nunc verò iidem cuiusmodi sint attendat? qua nostros fama, existimatione, honoribus, amore, beneficentia prosequantur, accersant, suis sapientibus præferant, ipsimet Regi faciant gratiosos; librisque illorum doceri, excoli, replerique Imperium gestiant, Bonziis errorum antea buccinatoribus, nunc mutis & nihili habitis. Lustret animo Ecclesias Christianorum ingenti numero, in Prouinciis vndecim fundatas; inductum in Regiam Christi nomen, & sacra; sacrificium diuinum, & quæuis alia festorum solennia templis apertis solita peragi; adoratam à primis Regni capitibus effigiem Christi Redemptoris, & in Christianorum exequiis, triumphantem per medias Metropoles Christi crucem, nam de gestis annorum viginti post Societatis fæcularem illustrioribus sileo; Sinas modo secum inter se conferat, quos Riccius reperit, cum iis quos Vagnonius reliquit; opinor non poterit nisi diuino miraculo tribuere, extrema tantis inter se disiuncta spatiis connecti potuisse, iisque interiectas difficultatum moles superari. Laudem denique illorum qui eas eluctati sunt tanta perseuerantia, si quantùm suspicor, in eo multi ponent, quod in studio animarum, tolerantia laboris, & perpessionum mirabiles fuerint; mihi quæso ab iis seorsim sentire liceat. Et pluris quiddam aliud facere, quod si defuisset, nec ardor salutis alienæ, nec labores ærumnis consiti, quicquam egissent non dico perpetuum, sed ne diu quidem perstiturum, patientiæ nimirum generositatem, continuandis longo tractu annorum ingratis, & obscuris laboribus, & velut paranda in opus grande materia hoc est concilianda sibi pedetentim Mandarinorum qui possunt omnia æstimatione, beneuolentia, & fauore, id autem nihil aliud fuit quàm altè cæca latentem mergere fundamenta, rollendæ fabricæ opportuna; in facultate demum qualiumque ædificij humo proferendi, inferendisque in illud ethnicis, intendi alterum oculum præsenti operæ, futuro periculo alterum semper oportuit,

oportuit, ne ruina pro fabrica strueretur. Odit Sina tumultus, & exclamationes turbulentas præproperæ, parumque consultæ pietatis quæ semel tantum, vno loco iactatæ, poterant die vno multorum annorum pretiosos labores non solum perdere, verum nos quoque irreuocabili exilio æternùm damnare. Cautum id ergo à Patribus Societatis Iesu admodum prouidè, in Sinensi Regno Christi legibus subiugando, vt dissimulando quod præcipuè spectabant, & agebant, subiugatum se prius sentiret, & gauderet, quàm captatum, aut sollicitatum. Auctore sapientissimi huius consilij, & auspice Riccio, quem vel ob vnum hoc Sinenses Historiæ, suum iure Apostolum in perpetuum agnoscent.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS.

PAVLVS SVFFREN Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta Facultates eidem Societati à Christianissimis Regibus HENRICO III. 10. Martij 1583. HENRICO IV. 20. Nouembris 1608. LVDOVICO XIII. 14. Februarij 1611. & LVDOVICO XIV. 23. Decembris 1650. Permittit ADAMO DEMEN Bibliopolæ Lugdunensi, typis mandare ac diuendere Librum, cui titulus est: *Asiatica Historia Societatis IESV Pars 3. Libris quatuor comprehensa*, &c. Ex Italico R. P. DANIELIS BARTOLI eiusdem Societatis Romæ edito: Latinè reddita à R. P. LVDOVICO IANINO ex eâdem Societate, in decem annos proximos. Datum Camberij die 1. Augusti 1669.

PAVLVS SVFFREN.

INDEX.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM,
Quæ in hoc Volumine continentur.

A

ACademiæ lit. Ethnicorum vtilis Christianismo, lib.4.pag.489 num.8
Admonitio acerrima ad Regem Sinarum, lib.3.p.405.n.46
Adoratio Regij Throni, p.212.n.77
Æquitas Ethnici Mandatini fortiss. p.218. n.80
Æstimatio virtutis ingens Apud Sinas, l.1. p.20. n.18
Alenius rogatus verba facit Academicis, l.4. p.485.n.6
Alenius senem conuertit, p.486.l.4
Almeida & Huggerius Clachianensem Prouinciam intrant. l.2.p.125.n.12
Patris Almeidum virtutes & mors. l. 2. p.149.n.32
Amicitia sincera Docli & Neophyti, l.2. p.178.n.53
Amicitia Sinensis fidelis, l.2.p.177.n.53
Anni Sinenses principium, l.1.p.43.n.48
An Sinæ olim Deum agnouerint, l. 1. p.77. n.71
Antiquariæ rei ardor. l.1.p.20.n.17
Appulsus Rhodij in Tunchin. l.4.p.514. n. 21
Ardor fidei & patientiæ Christianorum, l.3. p.340
Artificia mechanica quàm vtilia ad fidem introducendam, l.30. p.316
Artium, numerorum, & instrumentorum matheseos inuentio, l.1. p.3.n.41
Ars nauigandi mira, l.4.p.481.n.4
Astronomica regula Leucuni, l.1.p.141. n. 44
Auium nidi esculenti, l.3.p.353

B

BAptizatur in Regno Tunchin. ingens numerus, p.668.n.111
Baptizatur Regina, lib.4.p.401.n.18
Baptismatis forma, lingua Sinensi quam difficilis, & quomodo? l.3.p.311
Batani frustra Macaum impugnant, l.3. p.438. n.73
Batauorum postulata & promissa reiecta.
Benignè Nostri à Rege habentur, p.614. n. 87
Bonzij fraudulenter ad miracula prouocant, l.3. p.450.n.79
Bonzij Cœnobitæ & solitarij, l.1.p.88. n. 77
Bonzius insign. Ipoco ponitur, p.653. n.206
Bonzij specie quantitatis pecunias captant, l.3. p.368
Bua Tunchini Rex inanis, l.4.p.512.n.18
Catechistæ in Tunchin. quales fuerint, p.658. n.111

Christian. duorum generositas, p. 664. n. 117
Cocincina in partes scissa post mortem Regis, p.656. n.109
Conuersio mira fœminæ in palat. per Eunuchos, p.647. n.109
Primus ex Sinis baptizatus, l.1.p.116. n.99

C

CAlendarij Sinensis emendatio absoluta, l.4. p.668.n.121
Calendarij Sinensis emendatio Nostris à Rege commissa & cur? l.3. p.313
Calendarium Sinarum à Nostris instauratum, Sinarũ rogatu, l.3.p.464.n.85
Calumnia adulterij contra Ruggerium detecta, l.2. p.132.n.19
Calumnia horrenda in nostr. & Lusitan. ab Ecclesiastic. p.259.n.112
Calumnia illius fructus, p.77.n.107
Calumnia in PP. & Christ. eiúsque auth. puniti, p.274. n.107
Calumnia perfidiosa in Longobardum, p.265. n.114
Cantiones morales, p.209,n.75
Cantonus Prouinc. barbara Externis infensa, l.2.p.117. n.1
Canton. Prouinc. suspicacissima in Externos, l.1. p.104.n.90
Castitas prætium apud Ethnicos. l.4. p.696.n.134
Cataium, & Sinæ id Regn.eius inuestig. F.Goez vir egreg. p.268.n.115
Cataium idem cum Sinis, p.213.n.78
Catanum & Riuium Mandar. Pechinum suscipit ducendos sed frustra, lib.2. p.173. n.49
P. Cataneus vexatus, F. Fernandus cæsus, l.2. p.172.n.48
Catechistæ mors & vita sancta, lib.4. p.689. n.131
Catechistarum vota tria, l.4.p.580.n.65
Fædifragus Regi & suis Lusitanus causa persequitur, l.4. p.562.n.58
Cechiana Prouincia & Quancei opes & multitudo, l.3.p.322
Census Regni. l.1. p.65.n.63
Charitas Christi quanti sit ad conuersionem Ethnicorum, l.4. p.516.n.24
Charitas erga inimicos Sinis admirationi, l.2.p.156.n.56
Charitatis Ethnici remuneratio diuina, l.4. p.522. n.29
Chiencianum infertur Euangelium, l.30. p.360
Chimica Sinarum, l.1. p.46.n.51
Chirographum quod ex baptizandis petebat Riccius, p.249.n.99
Chiutasij Ignatij mors pia, l.3. p.321
Christianæ Ecclesiæ mores magno fructu Sinis enarrantur, l.2 p.191.n.63
Christiani à calumnia & morte diuinitus liberati, p.251.n.101
Christiani antiqui inter Sinas nihil retinent præter crucem, p.246.n.98
Christiani Sinensis virtus & miracula, l.4. p 677. n.128
Christiani pro Sectanis rebellibus Nanchini torquentur & fortiter ferunt, l.3. p.434.n.70
Christianismus in Cocincina mirac. & virt. floret, l.4. p.553.n.52
Christianismus non semel Sinas ingressus, non semel obolitus, lib.1. p.90. n.79
Christianitas Pucei fundat, p.640.n.101
Christianus illustris Chiencianus, eiúsque filij, l.3 p.362
Christianorum Tunchini virtutes egregiæ, l.4 p.666. n.120
Chronologia Sinarum, l.1. p.46. n.51
Cocincinæ regnum excolitur, lib. 3. p.439. n.74
Nouæ per Cocincinam missiones, lib.3. p.413.n.54
Cocincinam regnum quale, l.3. p.350
Colai Pauli vita heroica, l.4.p.604.n.74
Color Regis Sinarum, l.1. p.60. n.60

Colloquium

Colloquium solemne cum idololatra Literato, l.2.p 85. n.58
Comædi Ethnici Christum honorificè & Christiana repræsentãt, l.3.p.338
Conatus ad extortem è Sinis Riccium fortunati, l.2. p.137. n.24
Concertatio accurata de nominibus Dei apud Sinas, l.1. p.79. n.71
Confessionis difficultas fœminis tollitur, p.290. n.96
Confitentiũ insignis dolor, p.251.n.101
Confusij ex doctrina idolol. expugnantur, l.2.p.186. n.59
Consanguinei Regum, l.1.p.75.n.69
Constantia Magistratuum, l.1.p.69.n.63
Consultum Patrum de exequiis & Tienciu, l.4. p 498. n.19
Conuentus Bonziorum, l.4.p.524.n.31
Conuersi ardentes in conuertendis aliis, l.30. p.339
Conuersi ardent studio alios conuertendi, p.225. n.86
Conuersio anûs 80. annorum mirabilis, l.4.p.598.n.81
Conuersio anûs ignaræ & simplicis, l.4.p.676. n.124
Conuersio Chiuraisi, p.287.n.117
Et alterius insignis viri, p.288.n.117
Conuersio Ethnici misericordis, lib. 3. p.458. n,85
Conuersio Eunuchorum, l.4 p.593,n.78
Conuersio fœminarum facilior euadit, cautio ad hoc ingens adhibita, p.225. n. 85
Hainam insulæ conuersio apud nos, l.4. p.602. n.83
Conuersio illustrissimi Literati, p.226. n. 87
Conuersio insign. vir. p.254.n.705
Conuersio insignis. p.281. n.119
Conuersio Litterati insignis, l.3.p.425. n, 65
Conuersio Mandarini Pauli, l.3.p.236. n. 93
Conuersio mirabilis, l.4. p.684. n.127
Conuersio mira matronæ, l.3 p.440.n.75
Conuersio mira Senis, p.258 n.111
è Conuers. insign. p.239.n.95
Conuers. duorum pagorum prope Pechin. p.279. n.108
Conuersiones eximiæ à Rhodis factæ, l.4. p.516. n.25
Conuersiones illustres in Cocincina, l.3. p.441. n.76
Magnæ extra palatium & vrbem Regiam conuersiones, l.4.p.594. n.79
Conuersiones miræ ad Arium, lib. 4. p.493. n 10
Conuersiones occultæ ingenti numero, p.618. n.81
Conuersiones Senum notabiles, lib. 4. p:494. n.11
Conuersio Senis stolidè præsidentis, l.3. p.466. n.90
Conuersionis Sinarum impedimenta, l.1. p.92. n.79
Conuersio plurimorum, l.4.p.684.n.127
Conuersio pueri ad Christum inuitis parentibus, l.3. p.463. n.85
Conuertendi studium, p.285.n.114
Conuertuntur aliquot propinqui Regis, p.256. n.106
Cocincinæ Rex contra Christ. decernit. l.4. p.558. n.53
Nostrorum è Cocincina exilium, lib.4. p.563. n.59
Crucis electio, l.4. p.514. n.21
Crux infantium ab Ethnicis frontibus Insculpta, l.4. p.528. n.30
Crux refossa Ciuentij in Prouincia Fochiensi, l.4. p.587. n.72
Cultus Regis Sinarum, l.1 p.60. n.60
Cunctatio Riuij sancta & sapiens, l.2. p.130. n.17
Cur Nostri Cocincin. pulsi, p.612.n.85

D

Dæmon Christianos timet, lib.3. p.359

Dæmonum fraus contra confes. lib.4. p.690.n. 133
Deipara docet Virginem scitu necessariã ad baptismum, l.4 p.596.n.81
Dei bonitas consilium pessimum in eius authorem conuertens, p.203.n.68
Dei peculiaris fauor pro Christianis contra pessimos hostes, p.253. n.103
Descriptio Monarchiæ Sinensis, lib.1. p.63. n.61
Disputationes cum Bonziis, l.4. p.520. n. 26
Disputationes cum Cocincinensibus, l.3. p.44. n.76
Disputatio de bonitate Dei, l.2 p.168. n. 61
Disputatio longa inter PP. Sinenses, & grauissima de voce quæ liceret inter Sinas Deum appellare, lib.5. p.542. num.42
Disputatio Riccij cum Bonziis, lib. 2. p.168. n.61
Dissimul. ad Lucrif. Christ. literat. exclud. traduct. ling. Sinensi, pag. 253. num.33
Nostrorum 25. in nouem Prouincias diuisio, l.640. p.596. n.80
Doctoris titul. ab ethnico Riccio datus mansit, p.218.n.8
Doctorum 24. Regis exam.p.238. n 92
Domum aperit Riccius & gratul.& concursu, l.2. p.121.n.6
Domus infesta lemuribus Patribus venditur & sanatur, l.2. p.190.n.62
Domus nostra fabrica absoluitur, lib.2. p.121. n.6
Dotes eximiæ noui Regis. l.4.p.53.n.36
Dramatum editio vtilissima inter eth. p.661.n.115
Ducis prodigiosa conuersio, l.3.p.318

E

EDicta Regis Cocincinæ contra Christianos, l.4.p.499.n.14
Edictum impium facit Rex Concinnæ morte filij sui, l.4 p.501.n.14
Effigies nostrorum Regi potenti offeruntur qui se nemini vidend. præber, p.20. n.79
Crudelis, ignominiosa, & fraudulenta Patrum Eiectio, l.3. p.369
Epistola celebris Literati ad Ricciũ iam celebrem, l.2. p.169, n.44
Equitas Regis sagax contra venales Consiliarios, l.4. p.582.n.34
Error in baptismate defectu linguæ, l.3. p.357
Ethnici viri propensio in Christum, l.3. p 466. n.92
Euangelij propagandi difficultates, & illic mira præstat, l.4.p 463.n.5
Eunuchi afficiuntur ad fidem, lib.3. p.532. n.34
Eunuchus fallit fidem, l.2. p.122. n.51
Eunuchus Regis contendit ne Pechino abeat Riccius, p.215.n.19
Euocationes animarum etiam Christianarum, l.1.p.341
Ab Europeo Sinensis missio prope euertitur, l.2.p.132.n.18
Examen militare Sinarum, lib.1. p.60. num.58
Exequiæ Christian. inductæ, pag. 152. num.104
Exiliũ nostris indicitur extra Sinas, duo tamen retinentur, l.2. p.120.n.16
Externi cur excludantur, l.1.p.16.n.70
Externi vbi & quomodo excipiantur, p.212. n.77

F

PAtris Stephani Fabri Laudes & virtutes, p.689.l.4.n.129
Fœmina Chtistiana euangelizat, p.653. num 107
Fœminæ magna cautione docentur, p.256. n.107
Fœminæ princ. virtus, p.654 n.108
Fames horrenda & charitas Christi, p.636. n.97

Feliciani mors sancta, l.3.p.345
Constantia Fernandi in curatione vulneris, l.3.p.382
Feruor nimius Christianorum Sciaocei, l.2.p.153.n.34
Fidei propagatio præcipuè è Regia Pechinensi, l.4.p.479.n.3
Fides eximia Sinensis recens conuersi, p.101.n.66
Fides insignis Doctoris, l.3.p.324
Filij Regum, l.1.p.75 n.69
Flagella voluntaria moribundi, lib.3. p.338
Fochienses naues sine numero, lib.4. p.481.n.4
Fortuna Sejana Gueicuni Eunuchi, l.4. p.487.n.7
Frater ex Nostris Theologos idololatras expugnat, l.3.p.321
Fructus ex Cocincina, p.611.n.84
Fructus primus, magna de Externis opinio, l.1.p.112.n.96
Repentini Fructus laborum sterilium, l.4.p.585.n.71
Funus matronæ nobilis, lib.3. pag.467. num.91
Fures viginti domum inuadunt, & Patres vulnerant, l.2.p.153.n.34

G

GEographiæ Tabulis quatuor Rex diuina docetur, l.3.p.316
Geographic. Tab. Riccij Regi offertur, pro fructu, p.280.n.109
Geographiæ Tab. magno vsu edita, l.2. p.120.n.5
Gesta in Regno Cocincinæ à Francisco Paulocambim, n.12.p.49
Goez imag. B.Virg. conuertitur, p.269. n.106 Catalum quærit, p.270.n.106 Constantissim. inter infid. p.271.n.106 Mors eius, p.271.n.106
Gratiæ præuenientis documentum, lib.3. p.323
Gubernatio Tunchin. Regni, n.16.p.510
Gubern. Sinarum, l.1.p.60.n.59
Quanta Gratiæ vis Neophytis, lib.3. p.338

H

HAbitum aulicum incautè assumunt & fructu exiguo, p.616. num.88
Hainam insula fructuosè excolitur, p.687.l.4.n.155
Sanctæ Helainæ insula, l.2.p.136.n.22
Historia Sinarum, l.1.p.47.n.52
Historia Sinarum à Trigautio edita, auctor Riccius, l.1.p.52.n.55.
Histrion. traduc. in scen. prau. Christ. mor. l.1.p.234.n.92
Honores Confusij meritè ciuiles, lib.1. p.51.n.54
Humilitas magnis dotibus præfertur ad Gubernatorem, l.2.p.292

I

IAponiam Christ. suppliciis ardentem noui operarij petunt, l.4.p.560.n.56
Idola confracta, falsò imputantur Patribus, l.3.p.455.n.83
Idololatrarum aspera pietas, l.2.p.163. n.42
Idololatræ frustrà Riccio obsistunt, p.219.n.81
Idololatria, & Bonzij exterminantur Pechino, p.221.n.82
Idolorum ventres auro & gemmis impleti, p.281.n.110
Ignorantia Sinarum in Philosophicis, l.2.p.184.n.54
Infantes aqua lustrali ægros sanant, l.3. p.321
Infausta ira in Lusitanos, p.521.n.27
Inferorum pœnæ quomodo Sinas ad scelera incendant, l.2.p.308
Ingressus Societatis in Cocincinam, l.3.p.353
Inspectores Magistratuum, l.1.p.72. num.67
Iudæi infin. p.244.n.98

Insignis char. Mandarini Petri, p. 638. num. 98
Iterum nostri & pelluntur & retinentur, p. 617. n.89

L

LAbores eximij Patris Sambiasij, l.4. p.492. n.9
Latronum exercitus. l.4. p.638. n.99
Legatis in Sinas à Pontifice mittendis ad hoc in Europam nauigat Ruggerius, l.2. p.134. n.20
Legationis negotium euanescit, lib. 2. p.136. n.23
Legationis exitus qua tormenta bellica Regi Sin. mittuntur, l.4 p.590.n.75
Legationes fictæ ad Regem Sin. & ridicula dona, l. .p.210.n.76
Lex Christiana cur dicta lex mortis, l.4. p.575.n.62
Lex Christi, l.4. p.502 n.14
Lex mortuorum, ibidem.
Liber primus Sinicè à nostris de fide editus, l.1. p.115. n.98
Libri Confusi, l.1. p.55.n.56
Lignum aquilæ & Calambæ, l.3.p.352
Litteræ Riccij ad Iud. & Christ. irritæ, l. .p.247. n.98
Litteratis prima Dei notitia impressa, l.1.p.124. n.97
Litteris politioribus aditum in Sin. religio sibi muniuit, l.4. p.586.n.70
Litteratorum Sinarum triplex classis & quam examina dura exigat. l.1. p.56. num.56
P. Longobardus pro fide cont. idol. publicè agit, l. .p257. n.109
Longobardis fundata nouo Christian. noui operarij, l. .p.646.n 103
Locustæ soli sterilitas Christianis tribuuntur, l.4 p.561. n.37
Lusitani Pechino remittuntur Macaum, l.3. p.458.n.84
In Lusitanos odia Sinarum, lib.1. p.97. num.82
Lusitanos 300. auxiliares mittunt Macaenses, l.4. p.590. n.76
Lusitanorum legatio in Sinas irrita, l.1. p.98. n.84
Lusitanorum primus in Sinas ingressus, l.1. p.95. n.80

M

MAcai opera nostrorum fructuosa, lib 1. p.99.n.85
Legatio Machaensium ad Regem Cocincinæ fructuosa, l.3. p.416. n.57
Magiæ suspectis Patribus plurimi à fide auertuntur, l.3. p.453. n.82
Magus pluuiam ciet, l.3.p.412.n.53
P. Maioricæ excurs. fructuosissimæ, p.627. n.85
P. Maiorici virtutes eximiæ,p.661.n.116
Mandarinatus noui pompa Christiana, l.4. p.560. n.55
Mandarini, l.1. p.71.n.64
Mandarini Christiani ardor sanctus, l.3. p.401.n.44
Mandarini Neophyti virtutes eximiæ, l.3.p.318
Mandarini supremi conuersio, l.3.p.325
Creatio Mandarinorum in Cocincina magnifica, l.4.p.559. n.54
Mandarinorum Christianorum proiectio, l.3. p.464.n.86
Mandarinus Riccium suscipit Pechinum ducendum, l.2. p.160.n 40
Mandarinus supremus in legem Christianam inuehitur, l.3.p.369
Mandatum imprudentissimum, de dimittendis Catechistis, l.3.p.457.n.84
Maiestas insignis Regis Sinarum, lib. 1. p. 60. n.60
De subtilitate operis manuarij, l.1.p.51. n.26
Mathematica Riccio vtilis, l.2.p.114.n.4
Mathematici Sinenses, l.1. p.41.n 45
Marmor effossum, Christiana insculptum doctrina, l.4. p.471. n.1
Matrona per Dæmonem ad fidem conuertitur,

uertitur, l.3 p.369
Medicina Sinarum, l.1. p.44.n.50
Memoria localis quantum Riccio profuit, l.2. p.167. n.43
Mentij Phil. de Polyg. peſtil. p.193.n.64
Metallorum fodinæ cur aurum ex iis non effodiatur, l.1. p.14. n.11
Michaëlis perpetua in Societatem & rem Chriſtianam merita mors eiuſdem ſancta, p.536.n.40
Militia apud Sinas vilis & litteralis abiecta, l.1. p.75. n.68
Militia Tunchinenſis potens, p.513 n.19
Miracula pro fide, p.286.n.115
Miracula creberrima in confirmatione fidei, p.650. n.104
Miracula innumera aquæ luſtralis, l. 4. p.526. n.32
Miſſilia munerum l.1. p.25. n.21
Miſſion. nouæ Trid. à Pech. p.251.n.100
Miſſionis Tunchinenſis P. Alexander Rhodius fundator, l.4. p.509. n.15
Modeſtiæ & caſtimoniæ Chriſt. ingens pondus ad conuerſionem. p.493.n.10
Monachorum idolol. ſedes, l.2. p.144. num.28
Monarchia Sinarum, l.1. p.60. n.59
Moralis Sinenſis & Confuſius eius auctor, l.1. p.48. n.53
Mores Chriſt. Sancti etiam Eunuchos conuert. p.623.n.92
Mors Colai Chriſtianorum hoſtis, l.3. p.464. n.86
Mors infamis & tragica Gueicuni aulici, p.529. n.35
Mors Ludouici Gonzalez Scholaſtici Soc. l.4. p.584. n.69
Mors crudelis F. Franciſci Martinez, p.264. n.113
Mors Regis Sinenſis inertiſſimi, p.530. num 36
Mors Neophyti mirabiliter ſuauis, Colai Ethnici formidabilis, p.540.n.41
Mors & virtus P.F.de Petris, l.2. p.156. num. 37
Mors Spiræ, p.649.n.48
Mors P. Terentij Belgæ. l.4.p.581.n.66
Mors Trigaultij, p.548. n.47
Mortes illuſtrium operationum, lib. 4. p.700 n.136
Mulier Prophetis & Neophytæ, lib. 4. p.545. n.44
Mutatio dexteræ excelſi per baptiſmum, l.3. p.344.

N

NAnchinēſium Chriſtianorum virtus templum ædificat, l.3.p.518
Chriſtiani Nanchinenſis virtutes egregiæ, l.3. p 405.n.45
Nanchini Eccleſ.reſtituitur, p.641.n.102
Nanchini conuerſ. p.286. n.116
Nanchini apertè Chriſtum prædicat, l.2. p.192. n.63
Nanchini ſingularia cum Prorege de B. V. l.2.p.174.n.50
Nanchini à nemine excipitur, l.2 p.174. num. 49
Nanchinorum feruor, l.3. p.432. n 68
Nanchione exiguus fructus propter falſam pietatem, l.3. p.334
Nanchinum illic Riccius excipitur, l.2. p.179. n.54.
Nanciani optatiſſimè Riccius neſcius, l.2. p.164. n.43
Ad fingendam Nanciani ſedem inuitatur, vbi & à Prorege, & à Sene Doctore Academicorū honoratur, & à Medico iuuatur, l.2.p.165.n.43
Nancianum vrbs Litteratorum, lib. 2. p.163. n.42
Nanchion vrbs, primæ illic conuerſiones, l.2. p.152. n.33
Natalis verus Sinenſis miſſionis, lib. 2. p.170. n.46
Necromantes Chriſti fidem impugnat, l.3. p.454. n.82
Neophyti magna pietas, l.3.p.452.n.81
Neophyti fortis libertas in fide, p.257. num.108

Neophyti virtut. heroic. in condon. iniur. p. 227. n. 88. Inconstantia fidei, p.228. Fraternâ char, confes. sacr. studio, patientiâ, p.229
Neophyti Mandarini heroicæ virtutes, l.4. p.582. n.68
Neophyti Sinenses quam ardentes ad asperas pœnitentias, l.4. p.589.n.74
Mira pietas Neophyti nobilis, lib. 4. p.576. n.63
Miracula diuinæ gratiæ in Neophytis, l.4. p.599.n.82
Prodigiosa morum in Neophyto commutatio, l.4. p.588.n.73
Neophytorum mors peste contactorum, l.3. p.340
Neophytorum pietas eximia, l.4.p.466. num.89
Nexus Monarchiæ Sinensis, l.10. p.68. num.63
Nomen more Sinarum Patres mutant, tùm repetunt, l.2. p.123.n.11
Nomen Regis Sinarum, l.1. p.60.n.60
Nomina Dei apud Sinas, l.1.p.79.n.71
Notitia veri Dei sensim defluxa, lib. 10. p.84. n.74

O

OPerarij omnium nation. ad Sin. conuertend. necessarij, p. 645. num. 103
Operum initia à Rege Sinarum primo die anni, num.17. pag.512

P

PAntoiæ contra septem Patres opus, lib.3.p.343
Patientia eximia Fratrum nostrorum Asiat. l.3. p.329
Felicitate Patres immoderatiùs vtuntur Asiat.Hist. l.3. p.366
Multis criminibus accusantur Patres, lib.3. p.386
Patrum captorum alacritas Asiat. Hist. lib.3.p.379
Patrum charitas erga Insectatores, lib. 2. pag. 128. num. 15
Patres ignominiosè habiti, sed fructuosè, p.529.n.33
Patrum viuendi ratio in Tunch. p.659. num. 215
Pauli patria excolitur, p.283.n.111
Pechin. quid sign. p.203.n.69
An sit idem cum Cambalu & Sinæ, idem cum Cataio, p.294.n.70
Pechin. idem cum Cambalu, p.213.n.78
Pechini duo summè incommoda, frigus & puluis, p.206.n.72
Pechini Patres fructuosè laborant, p.239. n.95
Pechini retentum Riccium mirac. simile, p.216.n.79
Pechini situs, muri, naues, splen. p.205. num.11
Pechinum sedes regia, l.2. p.176. n.51
Pechinum redire parat Riccius videns dona sua Regi placere, l.2.p.192.n.62
Pechinum à Tartaris obsidetur, & igne consumitur, l.4.p.175.n.122
Peres quia sinicè ignarus veratur in Sinis habitare, l.1. p.99.n.86
Perfidia Eunuch. ad perd. Riccium, p.196 n.64. Crucifixi pro incantam. p.200. num. 65
Persecut. à fœminis & ab Ethnic p.230. n.89. & Bonziis, p.231. n.89
Petitio quorundam imprudens & damnosa, l.4. p.680.n.125
Petri Cauallinæ obitus, l.3.p.409.n.51
In Philosophicis Sinarum ignorantia, l.2. p.168. n.44
Philosophia Sinensi, & Confusius eius auctor, l.1. p.48.n.53
Pia Doctoris Pauli industria ad fidem propagandam, l.3. p.408.n.49
Pietas insignis filij in Matrem, lib.11. p.496. n.12
Pietatis exempla, & curationum dona quanta in Tunchin. & liberatio arrep. p.618.n.89

Pileus in sacro qualis, l.3. p.423. n.61
Pœnæ Magistratuum, l.1. p.72.n.65
Poësis Sinarum, l.1. p.47.n.51
Pompa classis Regis Tunchinensis, p.514. n.22
Prædicandi Sinis tentata humanitùs facultas, in contrarium euanescit, lib.2. p. 170. n.45
Ex prædictione falsâ eclipseon reformatur Calend. magno Christianorum bono, lib.4. p.551. n.50
Præfectus classis quæ nostros vehebat exules miraculo conuertitur, lib. 4. p. 577. n. 64
Præmia Magistratuum, lib.1.p.78. n.66
Primus in Tunchin.Martyr. p.626.n. 84
Principia mira Regis Sinarũ.p.50.n.49
Puellæ baptismus dum effertur,l 3.p.359

Q

QVantiens. Prouinc. frustra adit Ruggerius expellitur, & Sciaochinum redit, l.2. p.127. n.13

R

REbellio in Sinas æterna, p. 510
Vocatur à Rege inuito eun. & sibi metuente, p.202.n.67
P. Regij vita, & mors, p.560.n.114
Reginæ funus, p 629.n.96
Reginæ Sinensis funus, l.3.p.345
Regis edictum contra Christ.& concub. falsa ex causa expr. p.631. n.96
Regis erga Patres & legem Christianam affectus, p. 697. l.4 n.135
Regis Tunchin. edictum in Christ. infame, p.664.n.116
Toto Regno laudatur, p.243. n.58
Eius iter Pechin. p.134. n.65
Tunchini Regnum, p.510 n.16
Regum quorundam Sinensium successio, l.4. p.475.n.476
Remigatio tunc est ars honorifica non pœna, p.513. n.20
Residentia Siaocensis destruitur, lib.3. p. 345
Rex Cocinc. præter morem beneficus, p.664. n.116
Rex Tunchini concionante Rhodio in Regia degit, l.4 p.522. n.28
Rex nouus Cocinc. Patr. admit. refer, reuocat, p 657 n.109
Rex Palatio idola exturbat & cur? lib 4. p.592. n.77
Rex Tunchini in Christianos æquior, lib.4. p.665. n.119
Rex verus Ciua, p.512. n.18
Rhodij aditus ad Regem Tunchin. l.4. p.515. n.24
Riccij dona Regi] gratissim. pag.208. num.73
Celeber Litteratus fit Riccij discipulus, l.2. p.146. n.29
Riccij naufragium, l.2 p.161.n.41
Riccij opera præsertim Catech. quanti. l.2. p.123
Riccij sepulchrum à Rege donatum, l.2. pag. 30
Vexatio Riccij duorum inter se inimic. odio, p.211. n.76
In conuers. anim. laborat, p.219 n.81
Riccij virtus conciliauit ei Mandarinos, l.2. p.138. n.25
Riccij vita, mors, Libri, l.2.p.290
Riccio defuncto honores habiti, lib. 2. pag. 30
Riccio infensi Regij Mathem. placantur, l.2. p.185. n 25
In Riccium calumnia detecta authores puniuntur, l.2. p.217 n.2
Riccium expellit Prorex nouus, vt eius domum possideat, l.2. p 1 9.n 26.
Riccium inducit defectio solis ad iter Pechin. l.2. p.171.n.47
Riccius & Pasius in Sinas vocantur, l.1. p.102. n.89
Riccius & Ruggerius redeunt in Sinas, l.1. p.110.n.94
Datur eis locus ad ædificandam domum, domum & templum statuunt, ibidem.

Riccius literarum Sinensium peritior quam Sinæ, l.2.p.160.n.39
Riccius Sciaoceum sedem ponit; dierum 12.itin.intra Sinas, l.2.p.146.n.29
Riccius Sinensibus concionatur; 4. baptizat. l.2.p.122.n.9
Ruggerius Proregis gratiam captat vt in Sinis maneat, l.1.p.106 n.91
Ruggerius Sinas ingressus sui operitum præbet, l.1.p.101.n.88

S

SAcra scriptura adoratur, p.245.n.98
Sancianum & Machao, l.1.p.96.n.81
Scelera Gueicuni aulici & regni Administratorum, p.532.n.38
Sciaocei falsi rumor nostros pænè perdidit, p.233.n.91
Sciaocei messis exigua, p.223.n.83
Vicinis in opidibus vberrima, p.224.n.84
Sciaoceum Riccio comed.ad habit.lib.2. p.143.n.27
Sciachinum vrbs qualis, l.2.p.125.n.12
Duo illic baptisati alter sanitatem recuperat, ibidem.
Scientiæ naturales quantùm ad fidem contulerint, l.2.p.184.n.56
Sectæ idolorum turpissimæ, l.3.p.452. num. 80
Sectæ Regibus timendæ, l.3.p.424.n.63
Secta idololatrarum Litteratis opposita, l.1.p.86.n.75
Secta Regi Sinarum in Regno insecta, l.3.p.43[illegible].n.69
Secta Sinarum propria, lib.1.p.89. num. 78
Sein malignus politicus Lusitanorum auxilia disturbat, l.3.p.420.n.
Sein tyranni auxilia euersa, l.3.p.401. num.43
Sein tyrannum sua flagitia auertunt, l.3.p.417.n.1
Sein vitam & doctrinam nostrorum laudat, l.3.p.423.n.62
Sericum apud Sinenses, l.1.p.15.n.12
Siccitas cœli Christianis imputatur, l.3. p.411.n.52
Sicocenses cælitus puniuntur, Hist. l.3. pag. 354
Simia Christianorum rituum, l.1.p.86. num. 75
Sinæ ad fores inimicorum se suspendunt vt reos illos faciant, l.3.p.425.n.64
Sinæ à Lusitanis auxilia petunt, lib.3. p.418.n.60
Sinæ quid agant deficientibus sole vel luna, l.1.p.14.n.46
Artes & litteras sibi debent Sinæ quos habent; nullis autem ext. l.1.p.31. num. 25
Ars & acus nautica, quâ vtuntur Sinæ, l.1.p.36.n.37
Nomen Sinæ seu Sinarum vnde, lib.1. p.3.n.3
Sinarum ædes & palatia, l.1.p.33.n.34
Amplitudo situs munimenta Sinarum, l.1.p.4.n.4
Sinarum conuiuia, l.1.p.25.n.22
Fertilitas & temperies Sinarum, lib.1. p.7.n.6
Festa, & iusticium scholasticum. lib.1. p.39.n.40
In aditu Sinarum sanctus Xauerius moritur, l.1.p.2.n.2
Iter nauibus toto Sinarum imperio, l.1. n.9.p.10
Institutio puerorum in litteris, l.1.p.38. num.38
Lacus, & flumina natiua, & manuducta, l.1.p.8.n.7
Sinarum Monetæ, l.1.p.16.n.16
Sinarum multitudo innumerabilis, l.1. p.16 n.14
Palatium Gubernatoris, & ritus eius incolendi, l.1.p.34.n.35
Parentum honor incomparabilis, lib 1. p.25.n.23
Rex Sinarum Vanliè debellatur à Tartaris, l.3.p.407.n.48

Sinarum vanitas, l.3.p.417.n.58
Sinarum vniuersalis notitia, l.1.p.1.n.1
Vrbani Sinarum ritus salutandi, visendi, & officia, l.1. p.22 n.20
Sinarum vrbanitates infinitæ, l.1.p.19. num.16
Sinas deferere coguntur Patres, in Sinas reditum tentant: eiiciuntur iterum edicto terribili, iterum reuocantur, l.1.p.107. n.91
Fames pestis prædones Sinas populantur, p.696.l.4.n.135
Munus inter Sinas & Tartaros, l.1.p.5. num.5
Pontes mirabiles apud Sinas, l.1.p.2.n.8
Prima sodal. Beatæ Virginis apud Sinas, p.289.n.111
Quam excelsus Doctorum gradus apud Sinas, l.3.p.428.n.66
Sinas Tartari ingressus dum Christi lex eiicitur, l.3.p.405.n.45
Sinensis musica, l.1.p.85.n.36
Sinensis nouus Rex inauguratur, l.3. p.418.n.59.
Sinensis primi Christiani vita & mors sancta, l.3 p.465.n.88
Typographia Sinensis, typi, literæ, scriptio, chatta, l.1. p.36. n.38
Animi dotes Sinensium, l.1 p.18.n.16
De ceris Sinensium, texturâ, picturâ, sculpturâ, fusoriâ, architectonicâ & turribus admirandis, l.1 p.32.n.27. 28, 29. 30. 31. 32. 33
Fœminarum Sinensium virtus & matrimonia, l.1. p.20. n.19
Sinensium Legatorum pietas insignis, l.3.p.419.n.
Sinensium ludi, l.1. p.39.n.39
Situs Tunchini Regni, p.510.n.16
Oris & corporis habitus Sinensium, l.1. p.17. n.15
Societatis in couersione Sinarum diuersam esse oportuit ab vsu communi rationum, l.4. p.406.n.137
Solstitium hybernum Sinenses Astronomos regit, l.1. p.42. n.47
Sponsa Litterati Stephani spontialibus ornatibus altare ornat, p.546.n.45
Superstitio erga defunctos in opus misericordia mutatur, l.3. p.447.n.78
Superstitionis horarum obseruatio, l.1. p.44. n.49
Suscitata ex mortuis fœmina, p.621

T

TEdeschij vita, & mors Asiat. Hist. lib.2.p.289
Tempestas in Christ. à Magis, p. 625. num.93
Templa Idolorum immensa, & magnifica, l.1. p.87. n.76
Quanti sit Tirones Soc. Bienn. probare, p.285. n.113
Tres sectæ apud Sinas, l.1. p.70. n.64
Tria Sinarum pericula, vnde? l.1. p.74. num.67
Tribunal misericordiæ, l.1. p.70.n.64
Tribunalia sex, l.1. p.64.n.62
Trigaultij iter, ex Sinis in Europam cui, bono vel secus, l.3.p.408.n.50
Tum eiiciuntur, p.615
Tunchinensis Ecclesiæ vexatio, & nostrorum exilium, l.4.p.568.n.60
Tunchin. Christianitas floret, pag.613. num.86
Nostri extra Tunchinum exilij causa, præcipua Regis auaritia, lib.4.p.569. num.61
Curin. Tunchin. Regia, nullæ sacræ Ædes, p.659.n.112
Quanta ex Tunchino messis hoc triennio, p.692.l.4.n.134
Tyranni Sin. obitus, l.3.p.463.n.86

V

VAgnani sacrificantis sacellum milites occupant, l.3.p.374
Valignanus conuersionem Sinarum suscipit, l.1. p.100.n.87
Noua subsidia in Sinas curat, l.2.p.123. n.19

Valignani generos. pro Sinensibus miss. p. 241. n. 96
Venditores immortalitatis, lib. 1. p. 45. num. 51
Veracitatis ignari, & Admiratores Sinæ, l. 2. p. 171. n. 46
Victus difficilis, l. 3. p. 212
Vindicta in Ethicos, p. 622. n. 91
Vinum sacris idoneum repertum, lib. 3. p. 429. n. 67
Vir grauis defensionem Patrum suscipit, l. 3. p. 391
Virtutes heroïcæ Michaëlis Doctoris, p. 534. n. 58
Visitator nostrorum in Sinis omnes reperit in officio, l. 4. p. 553. n. 51
Visitator ob senectutem à Patribus officio motus, l. 4. p. 683. n. 226
Vocabularium à Riccio Sinense eximium, lib. 2. p. 177. n. 52

X

Xauerij litteræ ad Regem Lusit. vtiles, l. 1. p. 98. n. 83

983
Th
4862 1